Francisci
Roffelli
Medici

Tom. I.

Fundación
Uriach

500443
1501F-52

Fundación
Uriach

Fundación
Uriach

Fundación
Uriach

IOH. FRANCISCI

ROSSELLI CATALANI BARCINONENSIS

AD

SEX LIBROS GALENI DE DIFFERENTIIS, ET causis morborum, & symptomatum Commentarij

CONSVLIBVS, SENATVIQ. BARCINONEN. DICATI.

Volumen Primum.

HVIC SVBIVNCTÆ SVNT EIVSDEM AVTHORIS Epistolæ, altera ad Andream Laurentium in Monspelienſium Academia, altera ad Iohannem de Caravajal in lyceo Hiſpalenſi publicos Medicinæ profeſſores.



Anno 1627.

BARCINONÆ

Apud Sebastianum & Iacobum Mathevat. Vniverſitatis Typ.



Fundación Uriach

APPROBATIO.



IDI, & qua potui cura perlegi, Iohannis Franciſci Roſſelli primum volumen Commentariorum ad ſex libros Galeni de differentijs, & cauſis morborum, & ſymptomatum, ex cõmiſsione Admodum Illuſtris & Reverendi domini Petri Pla I.V.D. Canonici, & Sacriſtæ Cathedralis Eccleſiæ, nec non pro Excellentiſsimo domino D. Iohanne a Sentis Barcinonenſi Epiſcopo Vicarij Generalis & Officialis mihi facta, nihilque in eis quod orthodoxæ Catholicæ aut Sanctorum Patrum doctrinæ repugnet, aut refragetur, imo ſanæ doctrinæ & chriſtianis morib. omnia conſona, & ſumma elucubrata induſtria reperi. Quos in lucem edendi, præloque comittendi ut facultas concedatur dignos exiſtimo, die 20. Iunij anno a Nativitate Domini 1627.

Michael Torres S.T.D.

ATTENTA ſupradicta relatione concedimus licentiam imprimendi prima Iulij 1627.

Petrus Pla Vicar. Gener. & Offic.

Fundación Uriach

Don Michael Sala Reg.

LECTIONEM VITIATAM SIC EMENDATO.

Colũna,	*Litera.*	*Lege*
14	c	morborum
21	e	conſtituunt
23	c	capeſcendas
30	f	quampar
31	a	eandem
31	b	neq.ullam
34	c	Praxis *in marg.*
36	d	Abeamus.
52	g	quarum altera
69	e	philoſophati.
71	b	permanentem
73	h	appellari.
83	a	Quæſtio VII.
114	g	inculpatas
116	a	hac ſola
116	d	ſed tanquam
121	h	ſanitas
125	e	inquit
140	a	illiuſque.
140	d	ſtructuram
142	f	receſſerit
160	a	plaſmatio
171	c	topiariamq.
174	e	medulloſam
181	h	Tex 14.Galeni verba.
203	c	ſimpliciter.
208	c	per ſe,vel per,
212	a	& materiam
216	d	1.Ratio *in marg.*
221	f	compoſitione ve
267	c	intemperiei.
298	f	agitur autem
300	c	has
301	h	ſi actione
317	a	reconcinnata
332	c	ex atomis
352	c	manca.
362	f	aptat
380	d	auctum
386	f	ac ſemimalum
404	a	cum partibus.
415	a	defectibus
422	e	ægritudinem
442	e	Aſclepiadem
451	e	441.
452	d	q. 42. *in marg.*
452	e	442.
453	a	443
454	a	444
454	g	applicationem
504	d	ſolutionem
504	d	morb.in compo.
517	g	de medica off-
518	e	ſortiri
564	d	præditus
584	d	quid
645	f	omnes
646	h	nomine
668	b	movemur
668	c	cum omnis
676	b	dele *primo & ſimiliter*
752	a	otium.
755	c	porcellorum
781	a	ventriculus
789	a	homeides.
793	d	cauſæ.
795	h	dele *in*
807	e	ſit.
807	h	ſed.
857	a	abjiciant.
867	f	ſit.
871	h	ipſa
883	h	calidæ.
895	g	Praxagoræ
897	c	Redundantia
902	c	Galeni
905	d	particulam
912	h	ſcribit.
914	a	induſtria
917	c	morbum
933	a	nam illa.
942	a	amplam
946	c	á media
972	f	conſociavit
975	e	intercœpit.
1024	g	facultates
1048	h	quæ.
1066	b	laxatis
1084	f	animale;
1102	c	menti.
1126	c	facultatem
1130	c	cogitativa
1152	f	tum ad quietem
1165	d	comitetur
1172	g	diaphragmatis
1173	b	dele *ad*
1181	d	profundus
1200	f	imbecilliter.
1202	c	veluti
1257	a	perquam

Fundación Urrutia

AD CONSVLES SENATVMQ. BARCI-NONEN.

VIRI NOBILES, VIRI PRVDENTES.

QVAE mari proveniunt, ſunt reflua flumina mari. Quæ ad fontium ſcaturigines per ſubterranea miſit clanculum Oceanus, omnes ſimùl cum vario acquiſitarum in itinere facultatum quæſtu, in mare relabuntur aquæ. Me Patria communis noſtrorum omnium parens jure uſa ſuo, à teneriori uſq. lanugine in publica commoda poſcens per invia quæq. nec non ſcabroſa viarum emiſit, & reipublicæ literariæ, nō ſine honore onus ſubire ſuaſit. De pelago gutta prodiens vires acquiſivit eundo, & crebris torrentib. auctum properat in mare flumen. Hoc ego percurri ſtadium, rota nec fervida metam perculit. Apollinariæ ſcholæ præfectus divinæ opis face phoebea prælucente, non ſine omnium applauſu, curſum Medicinæ peregi. En appuli portum, Scyllæam certæ rabiem, & mille charybdes patriæ ſuperavit amor. Non meis ingratus, ſic ego quibus natus vixi. Noſtri nec oblita laboris patria, emeriti militis palmâ, & rude donatum, iterum antiquo voluit me includere ludo. Ergo præterita placent, cum velit uti futuris: præmium virtutis honos reddit facilia factu, oculos, quæ viſa, terrebant. Totum qui manè, & primæ tempora vitæ contuli in patriā, iam miles emeritus in honoris meridie conſtitutus, nolo intumeſcere bonis, ſed vitalis dum ſpiritus hos alit artus, nec non ad occiduum, vitæ fructus, qualicunq. coelo donatos (gratum opus agricolis) patrias ad aras facio. Si quis exteris, & humano generi indifferenter prodeſt, foelix poſt funera vivit, qui omnes eò intendit

tendit vires, at patriæ emolumento, usui, & honori existat, quanto erit fortunatior habendus? Pulchrum est benefacere reipublicæ, benedicere etiam non absurdum, & qui fecere, & qui scripsere, utriq. laudantur. En ego (ne quis me secundiori fortuna, quam evectiori virtute usum conqueratur) & feci, & patriæ potiùs (licet elatissimorum ingeniorum supellectili multa de oblivionis faucib. satis ereptæ) quam mihi peculiare mei nominis monumentum exigenti scripsi. Crebris imbrib. & multo sole maturum, nisi fallor, fructum, ad vestræ humanitatis, & patriæ in me benevolentiæ sacra devotus affero, & juris publici faxo. Non mihi innata rupto iecori caprificus exibit: sed, quam studiosæ iuventuti medicæ artis, utilissimam partem semper existimavi, morborum scilicet, & symptomatum differentias, cũ causis, omnimoda cognitione medica declarandam, illustrandam, commentandam, & ex præstantissimorum nostræ facultatis doctorum sententijs enucleandam, propitio numine sucepi. Scio nullam mortalib à Deo concessæ Medicinæ particulam, quæ benè culta, non uberrimos cum flore fructus phoebea colentib. nec non perennem cultoris memoriã proferat. Quod tamen, si parvis componere magna licebit, hoc unum sine invidia dictum velim, nihil medicum speculatu subtilius, plurima omnis doctrinæ varietate iucundius, ad curam securam cognitu utilius Morborũ, & symptomatum cognitione reperiri. Nec celeberrimis unquam doctorib. quidquã plus negotij faceßit, quam in tanto morborum influxu, ac undique ingruentiũ symptomatum causas perspexisse, perspectis debitè procui usq. natura consuluisse. Quamobrem, cum vita brevior artis longissimæ assecutionem integram negaret statui totus illi potißimùm hujus machinæ membro corroborando invigilare, cui veluti basi reliquum omne medicum corpus suffultũ innititur. Hunc igitur ego dum fructum liberi saltem, si nõ liberalis, & foecundi ingenij, vel advenis carpendum lubens propenso præbeo ramo, & multa hyems, quæ me penes, jam penè peremit, dum vitæ luci & memoriæ diuturniori committo, & qualecunq. opus typis, & signaculo æri tradimus, non ea me, quæ auctorum vulgus solicitum habet, eligendo super Mæcenate, cura contorsit: licet enim quod optimos quosq. semper decimait, natalis soli studium non me alijs gentib. patriam præferre incitaret: tamen nullam toto orbe (absit invidia dicto) antiquo nobilitatis stemmate, catholicæ fidei sinceritate, auro, armis, atq. ubere glebæ clariorem, quo Mæcenate gaudeam unica Barcinona, civitatem invenerim. Virium non opib. solùm, sed vivacium ope ingeniorum alias se Barcino omnes super extulit urbes, quantum lenta solent inter viburna cupreßi. Quorum si mihi numerum haudquaquam auxisse licebit, in magnis tamen voluisse sat est. Illa ergo, cui cælum, quæq. imperij Romani maiestati, & vicinis propitiò jam sæpius favit, cur mihi non, alumno, civi, consuli, legato, bono publico,

quam

quam priuato crebriùs consulenti Faventia favebit? Certè, si à magnis magna speramus, clarissimæ hujus civitatis, & patriæ mihi charissimæ Magistratus coram catholico Rege (cui plurima fausta) connecti capitibus magnates inter Ibèros (quantus præ alijs honos) indefessi laboris, studij, amoris, & benevolentiæ foetum boni consulentes, illud mihi muneris præstabunt, cui propter beneficij magnitudinem, nihil unquam poterit superaddi. Non ignoro, paucis, beneficia me nova rogare, præteritis pro tantis gratias habiturus ingentes: ast animi nobilis est, cui multum debeas, eidem pluri mũ velle debere. En igitur, Patres, ac Senatores Patrij, riguæ per vos, quæ margine consita ripæ est, altis jam fixa radicibus arbos, syrius quam ardor, nec hyems rigida ussit, laeto proventu, non flore caduco, arridens beat agricolam, suo sed tempore fructus offero, nil suo charius ullo: corvo sua pignora sunto alba satis. Et licet operis encomio nostri plenis incumbere velis moderata prudentia vetet: unum mihi tamen audeo polliceri, medicae facultatis studiosis non inutilem nostrum laborem habendum: quem, si sequatur applausus, animum ad maiora movebo, nec quibus me natura voluit partum, morte minores poterũt, subtrahere vires. Valete eximium totius Hispaniae specimen, auraq. vestri jucunda favoris me super irradiat.

Vester ad exta, aut si quid, ultra.

Iohannes Franciscus Rossellus.

Fundación Uriach

AD AVDITORES NOSTROS.

QVIBVS SALVS.

HABETIS, suauissimi auditores, iam diu à vobis expecta tos in libros Galeni de differentijs, & causis morborũ & symptomatum cõmentarios, quorũ bonã partẽ superiorib. annis in usum, captumq. vestrũ dictavi: nunc verò maiore fruens otio & polire, & illustrare cœpi, duob. tomis comprehensos, quorum alterum iam prælo mandatum, ut spero, propediem videbitis. Eos, cum quibusdam doctis, & veris amicis cõmunicassem, dignos putarunt, qui statim in vulgus ederẽ, & ut typis excudendos mandarẽ, vehementer hortati sunt, ac tandem deprecati. Quorũ impulsu, ac potissimum egregia censura fretus, & cõfidẽs, mihi deliberatũ est, non hæc modo, sed alia multa foras dare. Verumtamẽ calumniatorũ iam voces audio, qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant. Sed quos illa Erebi, & noctis filia, quantumvis probos, non mordet? Virtutẽ semper infectatur invidia, ut pulchrum Momus. Voces, inquam, audio, & malevolos sermũculos prævideo, cum eorũ, qui ficte ac simulate loquũtur & blãdiuntur: nam malus, ubi bonum se simulat, tunc est pessimus, tum illorum, qui multa cõmenta (ô utinam meliora) mihi graviùs minantur. Ast ego silens utrosq. non floccipendo. Ante hac putabã illis esse cornua: nunc agni sunt balã tantum. Vt tela quædam in cælum emissa, ire eò videntur, non tamen eunt: sic me calumniæ petunt, nontangunt. Premant, premant, ego cum Pindaro,

Ἄσπετος εἰμὶ φρόνις ἀνάλιπτος ἰχνεσιν ἁμαξαις.
Immersabilis sum, sicut suber super maris septum.

Sic enim tacendo institui contumeliosos coercere, vitilitigatores querulos compescere, lividos censores refutare, sugillatores mordaces prosternere, quia non melatet,

Plaut.

Istunc thesaurum stultis in lingua situm,
Vt quæstui habeant malè loqui meliotibus.

Et merito quidem mihi decretissimum fuit, multa silentio ferre, qui vetus illud memini,

Platu.

Baccha bacchanti, si velis adversarier,
Ex insania insaniorem facies, feriet sapiùs.

Præterea scio, *æquo animo audiẽda esse imperitorũ cõvicia & ad honesta* *Seneca.* *vadẽti cõtẽnẽdũ esse istũ cõtẽptũ*. Vos autẽ, auditores optimi, studete mihi, & applaudite: *si quid vero est, quod minùs pro vestro omniũ gustu,* *Plin.* *scitote me scripsisse, & suasisse, quæ visa optima*, & vtilitatẽ vestrã præstulisse gratiæ placẽdi. Benè valete, & his fruamini iucundissimis laborib. atq. in bona causa favete, amate, faventẽ, amantem.

IESVS MARIA.

ANTONII THIO A SECRETIS GENERALIS, ET DEPVTATIONIS CATHALONIÆ, ciuisque Barcinonis in laudem Magnifici Ioannis Franciſci Roſſell eximij artium & medicinæ Doctoris ſuique operis præſtantiſsimi.

CARMEN.

BArcino, quam magni quondam poſuêre coloni
Hèrculis ex claſsi hiſpânas tranantis in oras,
Grandæuique patres regum alto á ſanguine creti,
Inſignèſque viri, ciues, fortiſque iuuentus
Arcibus excelſam, foſsis, valliſque ſuperbam
Conſtituêre, ſimul leges, ſanctumque ſenâtum
Iura, magiſtratùſque dederunt, doniſq; bearunt.
Et pàphiæ chàrites formam miſêre decòram.
Cui Phaetontis equi ràdiant, & lùmina Phoebi
Arua per extenſa, & per cultos òrdine campos,
Et montâna ſedent circum Caſtella ſub altis
Montibus, & ſiluis, luciſque virentibus vltro.
Fructiferæ ripæ dextra, læuàque columtur,
Fontes per largo humectant & flumine terram;
Armipotens extat, vaſto ſuper addita ponto,
Exuuijs, magniſque ornata ex hoſte trophæis
Emicat ante omnes geſtis fulgentior vrbes.
Illius & pupes expandum càrbaſa ventis,
Perflantur Zèphyris, nota potiuntur arena,
Litora prætexunt, portu conduntur amîco.
Hinc cathalanòrum pròceres, gens áſpera bello,
Et ductores inuicti, duræque phalanges.

Règius

Fundación Uriach

Régius hinc tàlamus fuit, & connùbia regum,
Principium & generis, magnum, & memorabile nomen,
Boética tum régio cunctis dominâtur in oris,
Imperiòq. præmit, mulcet, victaſque tuêtur.
O veré Cathalâni, terque, quaterque beáti,
Queis pàtriæ datum virtutem extèndere factis,
Queiſque etiam ſtàbilis redit in præcórdia virtus,
Quæ quondam fuerat maiòrum in mænibus iſtis.
Hos Pater Omnípotens, Cæli qui præſidet aulis,
Rité ſecundauit, celſâque in mente locàuit,
Sydereiſque coruſcens diua Tritònia nimbis
Vrbi ſparſit diſultantem lúmine rorem.
Hinc Roſſellus adeſt Cathalano ſanguine natus
Roſpotius Cæli, qui lucem tèrminat aſtris,
Ingenióque valens mèdicis præluçet in actis
Ante alios doctor, qui Diuus Apollinis arte
Arguta medicinam nunc meditatur auêna,
Et médicam tènui percurrit péctine telam,
Quam pàtriæ vouit, lætuſque ſacrâuit in aris.
Hoc opus eximium fatur, panditque Minerua
Effúſum cèrebro Iouis omnipotentis olimpi.
Hippócrates magnus quondam, magnùſq; Galenus
Plurima iunxerunt toto medicamina mundo:
Aſt medicinam excudit, faſtigiúmque ſuprêmum
Ponit Roſſellus ſemper laudandus in orbe,
Emeritùſque meret ſua necti tèmpora lauro.

Fundación Uriach

IHS

AD LECTOREM
IN LAVDEM OPERIS
PETRI PAVLI MICHAELIS
Medicinæ Doctoris,

EPIGRAMMA.

QVI cupis incolumis medica ratione manere;
istud opus magnum (multa docebit) eme.
Quid prosit, noceatq. tibi, declarat abundè,
et mala, qua possis arte levare docet.
Edidit in vulgus quondam telluris Alumnus
Pergameæ medicæ nobilis auctor opis.
Quæ latitant doctis passim misteria carthis:
interpres vulgat, persequiturq. bonus.
Quodq. suo hic seclo docuit, docuitq. quod ille;
ne vilem appelles, hic liber unus habet.
Adde nova, & jucunda, legi etquæ plurima digna,
utilia & multis experiere malis,
Phœbus opus probat hoc, Phœboq. jubente Galeni
Pectus, & os magni, crede, ROSSELLVS habet.
Qui partem redigit medicinæ primus in artem,
quam medici scriptis non coluere suis.
Eloquii candor fœcundiaq. allicit omnes:
sed multa res est tanta laboris opus.
Vtilis hoc facto magis est doctrina Galeni,
sicque eadem cunctis commoda plura feret.
Nec minus auctori continget digna labore
gloria non nulla jam moritura die.

Fundación Uriach

DE

CLARISSIMO ET PRÆS-TANTISSIMO VIRO D. IOHANNE

Franciſco Roſsello in Academia Barcinonenſium emerito Medicinæ profeſſore.

EPIGRAMMA.

ROSCIDA mella ſalix dederit, primoribus annis:
et roſeas tulerit platanus ampla comas.
Lacteus eridanum regem percurrerit humor:
& fuerint, ubi nunc eſt aqua, vina prius.
Non tamen, ut cauſas, ſit & diſcrimina rerum,
Qui vel tractaret Marte, vel arte, fuit.
Tu ROSSELLE caput, tandem volventibus annis,
Effers: dùmque animi das monimenta tui:
Roſcida mellifluis vernat facundia dictis;
& facilis roſeo floret odore lepor.
Lacteſcit pueris ſapientia: nec tamen ullos
Innotico laticum fraudat honore viros.
Morborum cauſæ, & diſcrimina cuncta pateſcunt:
Nec ſymptoma ſui cognitione caret.
Perge agedum ROSSELLE Iuuet natura. Iuvamen
Naturæ Martis perdoce, & artis ope.
Sic tibi, quæ duce te redierunt, aurea ſecla
Proſint, téque bona ſorte beare queant.

D. Iohannes Carolus Amatus
Montis ferrati Medicus, illius diſcipulus.

IN PRAECLARVM IOHANNIS FRANCISCI Rosselli Collegiorum Philosophiæ & Medicinæ Decani opus.

EPIGRAMMA.

QVI Medicæ per amæna Artis viridaria lustras,
Et flores, ut Apis per studiosa, legis;
Hic adsis, doctiq. libri, folia ampla voluta,
Florigeram segetem pagina arata dabit.
Perlustra magni sata læta, hortosq. Galeni,
Est morbi hic radix, est panàcea simul.
Noxia radices condunt symptomata morbi,
Saepe mali ambigui causa inimica latet;
Ast tibi ROSSELLVS sudato scripta labore
Exarat, & calami vomere pandit ea.
Tabifficas pandens radices culta periti
Fertilibus scholiis conserit arva senis.
Perdius, & pernox igitur lege scripta salutis
Hic morbi radix, hic Medicina patet.

Iohannes Paulus March & Ialpi Publicus
Medicinæ Professor apud Barcinonenses.

IN LAVDEM AVCTORIS.
A IACOBO BEVLO PHILOSOPHO AC Medico Barcinonensi.

EPIGRAMMA.

PEllite Sollicitas moribundi pectore curas
Rosida namque Eos Sole micante venit.
Expectata diu fuerat Palamias agris
En oritur, toto fulget & orbe jubar.
Nam pater Heliadum Roßellius undique lustrat
Lumine apollineo, quæ latuêre diu.
Obstrusas retegit morbûm discrimine causas
Symptoma & morbi relliquiasque refert.
Parcite jam parcæ filum præcindere vitæ
Forcipe & obtusa nunc requiescat opus
Tempore nam multo dabitur mortalibus usque
Vivere Nestoreos ducere & ultro dies.
Hic superat sacras Epidauri numinis aras
Alter hic, aut Phœbus, seu Galienus erit.

¶

Fundación Uriach

IHS

IN COMMENDATIONEM HVIVS operis loquitur ad Doctores Iosephus Berart Medicinæ Doctor.

CARMEN.

VOLVITE Doctores, veterum documenta virorum,
Volvite quæ nova sunt, si modo grata cadunt.
Comperietis ibi multarum dogmata rerum,
Quæ græcus Doctor, græcáq; terra tulit.
Claudite sed veteres, nostros legitote recentes,
Partibus innumeris convaluêre viri.
Græcia florebat quondam, florebat Athenas:
Sed flores hârum Barcino nostra tulit.
Barcino, quid monstri genuisti conscia docti?
Dic age, non partum dissimulare potes.
Duxisti partum, partus qui mille reduxit;
Quippe dedit partum, quo medicina fluit.
Ite boni græci, sedem concedite nostris
Ì Danâum proles tot celebrata viris.
Claudite, sat nostros docuisti dogmata natos:
Claudite jam fontes, prata bibêre satis.
Ite patres docti, quoniam novus exiat alumnus
ROSSELLVS, musæ, quem genuêre bonæ.
Pullulat, erumpit nobis Hispanus Apollo
ROSSELLVS, quem nunc Barcino nostra tulit,
Gens Hispana virum tantum, gens gallica cantat,
Fama super nostrum, sydera celsa vehit.
Pullulat ejusdem memorandum laude volumen,
Vnde salus pendet: quæ meliora petis?



IN PRÆCLARVM

D. IOHANNIS FRANCISCI ROSSELLI OPVS.

Carmen Phaleucium.

COMMENTARIA docta, si requiris
In doctos celebris libros Galeni
Tangant, quae eximii scopum Magistri
Solvant, difficilesque quaestiones
Commentaria, lector, en ROSSELLI
Florentis sapientiae roseti
Olim percelebris mei Magistri.
His nodi, quibus implicantur omnes:
Libri, perfacile explicantur omnes:
His sensa ingenii profundiora
Explanata liquent profundioris.
Attente, si ea legeris, medelae
Te legisse puta omnis hic medullam,
Ergo si sapis, ô Amice Lector,
Commentaria plura ne requiras.

Fundación Uriach

Observandißimo Præceptori in maximam Amicitiæ gratiam hoc posuit Balthesar Solerius Gerundensis Medicinæ Doctor.

¶ 2

✣ IHS

AD IOH. FRANCISCVM ROSSELLVM de editis ab ipso Commentariis.

EPIGRAMMA.

FOELIX pergameus sapiens Medica arte peritus
Explicuit coi, qui monumenta senis.
Namque salutifero sapientis scripta revolvens
Hippocratis, medicas Indice: pandit opes.
Assiduo meditans tamen aurea scripta Galeni
FRANCISCVS studio sensa profunda notat.
Dumque edit scholijs haec commentaria doctis..
Explanans mira Principis arte libros:
Fit par Principibus medicis, summisque Magistris,
Sive tibi Hippocrates, sive Galene tibi,
Immo ROSSELLVS superare videtur vtrumque,
Cum det perspicuis lumen utrique notis.

Amico amicus D. Iohannes Castello
excellentissimi Ducis de Cardona medicus.

NOSTRÆ TEMPESTATIS AESCVLAPIO.

PRodeat felicissimè hic *liber* tuus, ne dicam *fons*, de quo libavimus, & libabimus omnes, ne dicã perlucidum *speculum* pulchritudinis animi tui: quo orbi universo demonstretur, tibi nullum, aut supparem, aut sanè superiorem, in totius *Europæ* ambitu, inter tot medicæ facultatis insignes Hæroas, posse reperiri. Mortalis es: prodeat, ut valeat te immortalitate donare; prodeat, ut valeas, ut in æternum vivas. Vive, & vale.

Franciscus Hieronymus Terrassa ejusdem
facultatis Doctor apud Barcinonenses.

ADMODVM
ILLVSTRIBVS. NOBILISSIMIS, PRÆCLARISSIMIS, SEMPERQ, obſervantiſsimis dominis D. Conſiliarijs Senatuiq. Barcinonis Ioannes Philippus Argila Artium & Medicinæ Doctor S.P.D.



VEMADMODVM fulgentiſsima aurora haud nubilis occluſa auris cuncto radians orbe, & ſua luſtrans lampade terras, nigrantes fugat umbras, humentemq. noctem reſolvit, tunc læta mortales potiuntur amœnitate, virent ſata, creſcunt plantæ, fructiferæ frondent arbores, umbroſo ſeceſſu dulciter garriunt aves, variis ſedulæ apes inſidunt floribus roſcidamq. præterea placido emittunt flamine limpham uberrimi, & limpidiſsimi fontes, ut omnia quaſi verno tempore lætari videantur; Ioannes Franciſcus Roſſellus eximius Artium & Medicæ facultatis Doctor, & publicus profeſſor hujus Civitatis ſex Galeni quondam medicorum facile principis libris de morborum & ſymptomatum cauſis eorumq. differentia poſt nouem luſtrorum progreſſum hoc in præſtantiſsimo Barcinonenſium gymnaſio inſignique virorum coetu non horribili canum invidentium latratu, non tumentium, alienamq. famam rodentium, qui nunquam defuerunt, quos nec unquam flocci fecit, jactantia tardatus; aſt jucundiſsimis litterarum floribus inſidens non avium cantu vel apium murmure, ſed humana conſtanti voce reſonans, roſcidamq. veluti fons uberrimus ac limpidiſsimus doctrinæ emittens limpham ceu Phaetontis fulgentibus equis, vehitur editiſsimus, quos ad muſym commentariis, argumentis, explicationibus, & notis illis ſane argutis & copioſiſsimis eruderavit, polivit, illuſtravit, quibus lucem dedit clariorem, pariterq. illius vigiliæ, lucubrationes, nomenq. & fama omnem in terram evolarunt; nullus namq. locus tam inacceſſus poteſt reperiri, quo iſthæc non pervaſerint quam maximè pro futura. His Roſſellus veſtram mitiſsimus ex ſuo ovili teneriori agno imbuit aram, eaque charisſimæ vovit patriæ veſtra tantorum virorum æquanimitate, ſtudio, & protectione fretus, quem non latet ex eo & compendii, & laudis plurimum ſibi & proli acceſſurum. Gratulor igitur vobis viris ſapientiſsimis, & de tota hac Civitate optime meritis, ſenatuique ampliſsimo, quippe qui hunc gremio virum amplecti, opeque, & auxilio proſequi non dedignati fueritis. Gratulor etiam mihi, qui tantum magiſtrum habuerim cujus æmulari exopto negligentiam potius, quam latrantium, & invidentium obſcuram diligẽtiam; eo potiſsimum quod nil dubitem veſtram, & ſtudii, & favoris jucundiſsimam auram perpetuo bonis omnibus ſecundiſsimè inſpiraturam; cum ad humani generis rerumq. honeſtarum præſidium nati videamini. Valete viri clariſsimi Barcinonę Chalendis quintilis anno M. DCXXVII.

IHS

IN EXIMII ET PRÆSTANTISSIMI ARTIVM & Medicinæ Doctoris Ioannis Franciſci Roſſelli civitatis Barcinonis, ejuſq. celeberrimi òperis laudem Ioannis Philippi Argila earundem ſcientiarum Doctoris Barcinonenſis, veri enunciandi ergò.

CARMEN.

PALLENTES fugiunt umbræ, triſtéſq; tenêbræ,
& Phaetontis equi lumina celſa vehunt.
Iam rádiat Phoebus, fulgétque aurôra corûſca,
Atque dies almus omnia laeta facit.
Omnia læta facit ROSSELLVS lámpadis inſtar,
Célſior, & médicis lumina cuncta tradit.
Hélladis & magnæ nati ſub luce Minêrvæ.
Affâti clamant, hunc ſuperâre virum.
Barcino ROSSELLVM genuit, reſonántq; ſuprêmum
caſtálides Muſæ, caſtaliumq. nemus.
Quiſquis amat pulcram perdiſcere Apollinis artem,
ROSSELLVM quærat; dogmata namque docet.
Non creberis mandat folijs reſponſa petemi;
Sed calamo ſtabili nunc graviôra canit.
Alter & Hippocrates extat, mágnuſq; Galênus
Morborum cauſas, noxia quæque docens.
Pulcher adeſt Doctor, qui miro rore ſalûtis
Abſtergitque luem, pauperiemq; fugat
Ille Galênus morbos, ac ſymptomata quondam
éruit in lucem, contulit atq; typis.
Aſt ROSSELLVS partes commentâtur in omnes
erúderat dúbijs, ut medicîna detur.
Hoc opus immenſum ſúperis ſpectátur in oris,
ómnibus atque locis ènitet ante diem.

Fundación Uriach

INDEX CONTROVERSIARVM, ET QVÆSTIONVM TOTIVS OPERIS.

CONTROVERSIAE, ET QVAESTIONES *quæ in explanatione libri de differentia morborum occurrunt.*

Quæst. I. QVA methodo usus fuerit Gal. ad investigandas morborum differentias. col. 22.
II. De nominibus varijs, quibus morbus appellatur. 57.
III. Vtrum Galenus in usurpatione nominis affectus dissentiat ab Aristotele. 64
IIII. Vtrum affectus ad plura rerum genera referatur. 69.
V. Vtrum Sanitas, & morbus ad pluta rerum genera pertineant. 72.
VI. Vtrum morbus sit ad aliquid. 76.
VII. Sanitas & morbus sub quo rerum genere subjiciantur. 83.
VIII. De sanitatis & Morbi generatione. 88.
IX. Exemplis confirmatur Sanitatem & morbum esse dispositiones. 93.
X. Vtrum morbus sit affectus præter naturam, vel contra naturam. 96.
XI. Vtrum sanitas sit symmetria, & morbus ametria. 103.
XII. Vtrum sanitas & morbus sint contraria. 108.
XIII. Vtrum sanitas distribuatur in plures differentias, veluti morbus. 111.
XIIII. Vtrum Morbus sit qualitas composita. 114.
XV. Vtrum constitutio partium nostri corporis & agendi facultas distinguantur. 130.
XVI. Vtrum constitutio partium nostri corporis, & agendi facultas distinguantur ex Galeni sententia. 135.
XVII. Vtrum Galeni opinio de temperamento, & facultate aliqua probabili excusatione defendi possit. 143.
XVIII. De triplici compositione uberior disputatio. 158.
XIX. Num Galenus ab Aristotele sumpserit triplicem animalium compositionem. 165.
XX. Num partes similares pro sui natura præditæ sint formatione, numero, magnitudine & situ, an pro ratione instrumentorum. 168.
XXI. Vtrum arteria, vena, & nervus sint partes similares. 172.
XXII. De latitudine sanitatis. 200.
XXIII Vtrum breves eversiones ab exquisita moderatione morbi sint. 204.
XXIIII. Vtrum qualitates præter naturam excedentes caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas morbi sint. 210.
XXV. Vtrum conformatio, numerus, magnitudo, & compositio declinantes à naturali constitutione morbi sint. 219.
XXVI. Examen eorum, quæ antecedenti capite docuit Gal. 242.

XXVII. Vtrum detur ſimplex intemperies. 246.
XXVIII. Vtrum detur ſimplex intemperies ex humoris fluxione orta. 253.
XXIX. Vtrum dentur intemperies cum fluxione humoris, ſine tumorib. præter naturam. 257.
XXX. Vtrum detur aliquod morbi genus partibus ſimilaribus proprium, præter dicta. 263.
XXXI. Vtrum ſit aliquis materiæ morbus. 266.
XXXII. Vtrum formæ ſit aliquis morbus. 270.
XXXIII. Vtrum ſint aliqui morbi à tota ſubſtantia. 276.
XXXIV. De actione & uſu capite ſexto à Galeno uſurpatis. 300.
XXXV. De methodo inveniendi partem principem in quolibet inſtrumento. 305.
XXXVI. Vtrum partes, cum principes, tum habentes uſum, deſerviant inſtrumentis ratione ſui temperamenti, an ratione diſpoſitionis organicæ. 312.
XXXVII Vtrum affectus partis principis ſemper: partium verò uſum habentium nonnunquam, morbi ſint. 321.
XXXViij Excutio eorum, quæ docuit Galenus capite ſeptimo. 343.
XXXIX. Vtrum dentur morbi nativi. 347.
XL. Vtrum in noſtro corpore ſit aliqua pars, quæ nullam habeat propriam actionem. 359.
XLI Vtrum hepatis carni, an venis tribuatur ſanguinis generatio. 368.
XLII. Examinantur ea, quæ docuit Galenus capite octavo. 401.
XLIII. Vtrum morb. numeri diminuti ſit partis, quæ adhuc ſervatur, an ejus, quæ jam non eſt. 410.
XLIV. Morb. deficientis numeri quando, & quando non implicetur cum morbo magnitudinis diminutæ. 412.
XLV. Vtrum aliqui morbi ſint ſubſtantiæ. 415.
XLVI. Quid Gal. intelligat nomine ſexti digiti, unguis, lapidis, ſuffuſionis, & cæterorum. 421.
XLVII. Vtrum morb. alterius morbi cauſa ſit. 426.
XLVIII. Quid morbum reputare poſsimus in curationib. 430.
XLIX. Vtrum aliqui morbi ſint privationes. 434.
L. Vtrum in morbis magnitudinis ſemper: in morbis verò numeri nunquam, ſervetur figura naturalis. 444.
LI. De qua magnitudine præter naturam aucta diſſeruerit G. capite nono. 447.
LII. An tumores præter naturam ad magnitudinem auctam referantur. 450.
LIII. Examen eorum, quæ decimo capite à Galeno dicta ſunt. 458.
LIV. Vtrum detur aliquod morbi genus partib. organicis proprium, præter dicta. 461.
LV. Quiſnam morbus lædat viſionem, ubi ante oculos propoſita, flava judicantur omnia. 464.
LVI. Vitioſus oculorum color, qua ratione lædat viſionem. 479.
LVII. Vtrum vitioſus in oculis color morbus ſit. 484.
LVIII. Vtrum morbus organicus ſimilarem actionem, & è contra morb. ſimilaris actionem inſtrumentalem primò lædere poſsit. 492.
LIX. De nomine ſolutionis continui, quid ſit, & quare commune, & quintum morbi genus dicatur. 502.
LX. Vtrum continuitas præter naturam morbus ſit. 506.
LXI. Vtrum generales differentiæ continuitatis præter naturã ſint continuitas diviſa, & diviſio continuata. 510.
LXII. De ſolutione continui in ſolis partibus ſimilaribus. 513.

Fundacion Uriach

De

LXIII. De solutione continuitatis in solis instrumentis. 519.
LXIV. De solutione continui, quæ in partibus similarib. & instrumentis simul in est. 523.
LXV. Vtrum solutio continuitatis sit morbus instrumentalis. 526.
LXVI. Vtrum solutio continuitatis sit morb. partium similarium. 528.
LXVII. Vtrum communis morb. constituatur, eo corrupto, quod actionem, vel usum præstat utriusq. partib. cum naturaliter se habent. 534.
LXVIII. Vtrum instrumentorum soluta continuitas distinguatur à vitiato connexu. 540.
LXIX. Examinantur ea quæ docuit Gal. duodecimo capite. 561.
LXX. Discussio eorum, quæ decimo tertio capite docuit Gal. 572.

CONTROVERSIAE, ET QVAESTIONES, quæ in explanatione libri de causis morborum occurrunt.

Quæst. I. EXPENDVNTVR, quæ in primo capite difficultatem habent. c. 588.
II. De Causis. 591.
III. De morbi causis. 594.
IV. Examinatur secundum Caput. 619.
V. Vtrum externæ causæ sint, quæ extrinsecus adveniunt. 632.
VI. Vtrum causarum divisio in internam, & externam sufficiens sit. 638.
VII. An sit causa continens. 642.
VIII. Quid sit causa continens. 647.
IX. Vtrum definitio causæ continentis, *qua posita ponitur effectus, & qua sublata tollitur*, Galenica sit. 652.
X. Defenditur definitio causæ continentis, *qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus*, tametsi Galenica non sit. 662.
XI. Vtrum causa continens, continua, vel proxima idem sint. 676.
XII. An ex Galeni sententia morborum sit *causa continens, quæ illorum contineat essentiam.* 682.
XIII. An Morborum sit *causa continens, qua posita, ponitur effectus, & tollitur sublata.* 691.
XIV. Disquisitio eorum, quæ tertio capite statuit Galenus. 735.
XV. Excutiuntur, quę capite quarto à Galeno dicta sunt. 750.
XVI. Excutitur, Scrutaturq. caput quintum. 758.
XVII. Vtrum humectantes causæ, ut qualitatem, ita & substantiam humidiam ad augere possint. 760.
XVIII. Expenduntur, quæ docuit Gal. capite sexto. 788.
XIX. Vtrum unum & idem corpus duas intemperies contrarias simul perpeti possit. 799.
XX. De inæquali intemperie. 806.
XXI. Vtrum morborum, qui ex fluxione ortum habent, unica tãtum causa sit. 811.
XXII. Vtrum calor attrahat. 815.
XXIII. Vtrum dolor attrahat. 829.
XXIV. Vtrum inhęrens humor, atq. meatib. impactus, morb. sit, an obstructionis causa. 851.
XXV. Explanatio eorum, quæ capite octavo in difficultatem incurrunt. 862.

Dissolutio

XXVI. Dissolutio eorum, quæ nono capiti objiciuntur. 868.
XXVII. Examinantur, quæ docuit Gal. capite decimo. 872.
XXVIII. Examinantur, quæ docuit Gal. capite vndecimo. 879.

CONTROVERSIAE, ET QVAESTIONES, quæ in explanatione libri de differentia symptomatum occurrunt.

Quæst. I. DE significationib. nominis affectus. col. 918.
II. Vtrum omnis causa, & omne morbi symptoma sit affectus. 927.
III. Quid sit Morbus. 936.
IIII. Examinatur morbi definitio. 941.
V. Vtrum in morbo definiendo sit ex usu particula, *primò*. 944.
VI. Vtrum morb. probè definiatur per affectum præter naturam. 950.
VII. Vtrum morb. bene definiatur actione læsa. 956.
VIII. Vtrum solus morb. lædat actionem primò. 961.
IX. Vtrum morbi fientes dicti, verè morbi sint. 967.
X. Vtrum detur corpus neutrum. 978.
XI. Vtrum Galenus de corpore neutro assentiatur Aristoteli, an Herophilo. 981.
XII. Quæ sint corpora neutra. 987.
XIII. Quid sit symptoma. 990.
XIV. Vtrum symptomatis propriè dicti divisio in tres differentias sit commodè distributa. 1011.
XV. Quid sit horum verborum sensus, *alia hæc ambo comitantia*. 1018.
XVI. Quid constituat tertium symptomatum genus. 1025.
XVII. Ad quam differentiam symptomatum referatur præter naturã tumor. 1033.
XVIII. Expenduntur, quæ tertio capite docuit Galenus. 1057.
XIX. Vtrum facultas animalis princeps una, vel multiplex sit. 1067.
XX. De natura, & sede facultatis animalis principis, ejusdemque agendi modo. 1073.
XXI. Vtrum actiones princeps pendeant à cerebri temperie, vel à conformatione, ideſt, an similares sint, vel organicæ. 1078.
XXII. Vtrum divisio actionis læsæ in abolitam, diminutam, & depravatam sufficienter distributa sit. 1094.
XXIII. Quid sit actio depravata. 1098.
XXIIII. De proximo genere doloris. 1107.
XXV. Vtrum dolor sit actio sensus tactus, an appetitus sensitivi. 1112.
XXVI. Quid sit & quomodo fiat dolor. 1119.
XXVII. Vtrum ad dolorem concurrat sensitrix facultas interna. 1124.
XXVIII. Vtrum dolor subsequatur sensionem solius tactus. 1131.
XXIX. Vtrum dolor sentiatur. 1136.
XXX. Vtrum pruritus sit dolor. 1138.
XXXI. Quid sit convulsio. 1141.
XXXII. Vtrum convulsio, quæ omninò facta est, sit actio abolita, an depravata. 1144.
XXXIII. Quid sit Epilepsia. 1153.
XXXIV. Quid sit Apoplexia. 1158.

Fundación Uriach

De

XXXV.	De Caro.	1162.
XXXVI.	De Catalepsi.	1166.
XXXVII	De Phrenitide.	1171.
XXXVIij	De Lethargo.	1176.
XXXIX.	De Comate.	1179.
XL.	De Amentia, Stultitia & fatuitate.	1180.
XLI.	Explicantur, & excutiuntur, quæ docuit Gal. cap. quarto.	1200.
XLII.	Vtrum una actio læsa possit lædere aliam actionem.	1218.
XLIII.	Vtrum ventriculus præditus sit octo facultatib. naturalibus.	1225.
XLIV.	Vtrum Sonus inter affectus corporis sit numerandus.	1241.
XLV.	Vtrum morbus omnium symptomatum causa sit.	1247.
XLVI.	Quem morbum sequatur dolor.	1259.
XLVII.	Examen eorum, quæ capite sexto & ultimo docuit Gal.	1277.
XLVIII.	Vtrum sanguinis profusio toto excretæ substantiæ genere præter naturam sit.	1280.
XLIX.	Vtrum vomitus sit evacuatio naturalis an præter naturam.	1284.
L.	Vtrum sudor sit evacuatio naturalis.	1289.

Finis controversiarum & quæstionum.

Fundación Uriach

Fundación
Uriach

✠ IHS

IOH. FRANCISCI ROSSELLI CATHALANI BARCINONENSIS

AD

Sex Libros Galeni de differentijs, & causis Morborum, & Symptomatum Commentarij.

PRAEFATIO.

1. post. c. 2. QVONIAM omnis doctrina omnisq. disciplina, quæ ratione & intelligentia constat, ex antecedente fit cognitione, profecto facultas medica, quàm artem sanitatis procuratricem definimus, cognitione fiet antegressa. Nam qui ejus cupiditate flagrant, non ob aliâ causam eandem assequi concupiscũt, quam, *ut homines, qui corpore sunt præter naturam affecti, omnes (si tamen fieri potest) in naturalem statum restituant*, benevalentium verò integritatem valetudinis possint conservare. Vnde sanitas, & corpus humanũ totius artis origo est. Hinc illius cognitionis principium. Hinc tota ejus constitutio. Hinc in præclarum, & divinum artis opus via est. *Verum, qui extructas fam ædes sibi è xadè qualesnam sint, cognoscendas proponit, unquam earum cognitionem assequitur, nisi ex dissolutione & resolutione: ita nos humani corporis notitiam ex illius dissectione consequimur.* Hac igitur nos via instituti, corpus nostrum in quatuor partes summas, & maximas dividamus; *caput, thoracem, ventrem, & arthus*: & harum unamquamq. in plures distribuamus. Nam inter partes animalium, quædam similium sunt partium, ut cerebrũ, quædam dissimilium, ut oculus. Quidquid autem est dissimilium partium, ex ijs, quæ similium sunt partium constat, ut caput enervis, & carnibus, & ossib & alijs ejusmodi. Conatur autem medicus in corpus humanum, singulasq. partes illius, tanquam in subjectam materiam, sanitatem introducere, quæ artis illius finis est. Quoniam verò sub notione finis, omnis ars est dispositа, ut dixit Aristoteles, optimo jure ex notione sanitatis Medicina constituetur.

Lib. de ins qual. inæq. cap. 1. & 2.

Medicina quid. Lib. de cõs. art. cap. 3. Ibid. c. 2. 1. metho. c. 5.

7. Metaph. cap. 6. Li. de cõst. ar. cap. 1.

Lib. de cõst. artis cap. 3.

Porrò cum ea, è quibus constamus, inter se congruunt, & actionibus exercendis respondent, sanitas est, & bona

corporis habitudo. Corporis autem ma E
la constitutio functiones corrumpens
morbus est, qui ex notione sanitaris elicitur: eadem enim est contrariorum cognitio, & qui novit sanitatem, ægrotationem quoq. dignoscat necesse est, quoniam tot sunt morbi, quot modis sanitas corrumpi potest.

Vnde manifestum est morbum in arte medica quodammodo habere locum
Observatio finis. Nam scopus hujus artis sanitas est conservanda, vel recuperanda, quem quidem sensum alijs verbis eundem exprimimus dicentes, artis propositum es- F
se, morbum vitandum, vel removendum. Iam si nullus alius esset scopus Medicinæ, quam ex notione finis principiorum cognitionem capere, aut tantum hominem universalem servaremus, & curaremus, aut saltem singularis hominis sanitas, & morbus sensu discernerentur, certè signorum animadversio supervacanea arbitraretur. At cum omnis medici cõtemplatio dirigatur ad opus, & ferè omnes affectus corporis humani, penitùs abditi sint, meritò medicus tanquam signis utitur aliquibus illorum affectuum accidentibus, quæ sub sensum G
aliquem cadunt. Ergo signorum observatio etiam ex intimis sanitatis, & morbi manat & fluit. Tandem ex notione finis, ex natura scilicet sanitatis & morbi, methodus resolutionis quodam processu, quem appellamus indicationem, educit conservandi & curandi principia, remedia inquam, & media, quibus sanitas præsens sustentari, & absens prò curari possit. De quibus primùm generatim, & per communes conditiones instituitur disputatio, mox verò singula quæque investigantur diligentius. Quam indagationem nostri medici, *de materia medica*, inscripserunt. Verùm usque eò H
nondum medicus opus aliquod effecit, sed dumtaxat curationis viam munivit, in sola contemplatione occupatus: licet enim adhibitum medicamentum sit finis respectu meditationis præteritæ: principium tamen est operis præsentis, quoniam medicus ibi ingreditur facere, ubi contemplari desistit, nam operis ordo ordini cognitionis semper adversatur, atque ut libro primo de curatione febrium ad Glauconem dicebat Galenus, *scripta contrario modo se operib. habent.*
Cap. 1.

Ex quibus universam hujus artis partitionem possumus æstimare. *Nam omnia corpora, quæ generantur, & intereunt duplici transmutationi sunt obnoxia, utpote quorũ substantia, tum alteretur, tum diffluat. Alteratur quidem, cum calefit, vel refrigeratur, vel humectatur, vel exsiccatur: diffluit verò partim per sensiles excretiones, partim vero per eam, quæ latens diffluatio appellatur. Quo deinde fit, ut duplici egeat procuratione, si incolumis sit servanda: altera, qua quidquid modum excesserit reprimatur: altera, quæ loco illius, quod evacuatur, restituat aliquid.* Vnde sanitas, vel ex conservatione, vel excuratione possidetur.
Lib. 1. de elem. cap. 3.

Hinc initium cœperunt duæ artis partes ὑγιεινὴ & θεραπευτικὴ, hoc est, conservatrix, & curatrix, quarum, quod essent præcipuæ, dumtaxat meminit Gal. primo de sanitate tuenda, & libro de salubri arte ad Trasybulum. Verùm, quoniam nec conservare, nec curare possumus, quin præcognoscamus naturam, quam conservare ac morbum, quem curare instituimus, propterea Medicinæ pars quædã ordine prior orta est, quam indicatricem, vel significatricem vocare possumus, qua docemur, quæ sint cognoscenda, prius quam, vel conservemus, vel curemus. Hæc est sententia Galeni libro de subfiguratione empirica. Idem scribitur libro de partibus artis medicæ, qui, si Galeni non est, eo tamen auctore dignus videtur. Iam, quæ præcognoscuntur, vel præsentia sunt, vel futura, quia præterita ex accidenti considerabamus, quatenus conferunt ad ipsa præsentia cognoscenda. Vnde pars significatrix dividitur in cognitionem præsentium, & προγνωστικὴν, quæ indicia tradit, atque in futurorum præsagationem. Præsentium cognitio in alias duas secatur, nempe in φυσιολογικὴν, hoc est, naturalem, & αἰτιολογικὴν, vel παθολογικὴν, eam, quæ causas, vel affectus præter naturam, atque symptomata inquirit, morbificam vocant. Conservant autem tres priores Medicinæ partes suum locum & ordinem. Significatrix ordine reliquas præcurrit, quoniam cognitionem sub se continet rerum naturalium, rerum præter naturam, & earũ, quæ futuræ sunt. Quatenus instruit nos ad res naturales meritò anteit. Nam, ut scribit Gal. libro primo methodi. *Ostensum est à veteribus neminẽ posse cõmodè curare, qui corporis universi naturã nõ perspexerit.* Idem docet, ac probat libro artis medicæ. Item ex parte, quã tradit morbi cognitionem, prior erit. Si quidem auctor libri de partib, artis medi-
Cap. 1. Cap. vlt. Cap. 4. Cap. 6. Semeiotic. Physiologicen. Aetiologicen. Pathologicen. Cap. 2. Cap. 3.

ex hoc

Cap 7. cæ sic locutus est. *Fieri enim nequit, ut rationem curandi alicujus affectus reperiamus, nisi ille prius cognoscatur.* Præterea lib quinto sanitatis tuendæ ubi docet, quomodo sint curandi, & conservandi senes, primum tradit affectus cognoscẽdos esse. Rursus secundo methodi medẽdi, cũ Cap. 7. dixisset *Finem illius disputationis esse, cuiusq. morbi remedia invenire*, addit, eo nos perduci nõ posse, quin prius morbum cognoscamus. Vnde primo de ratione victꝰ Comm. 3. docet, *affectuum dignotionem ad curationem valdè necessariam esse. Imprimis*, inquit, *quidnam sit morbus dignoscere oportet, deinde curationem ipsius aggredi.* Postremò pars Medicinæ indicatrix, sive significatrix, B dum ante sentit, quæ futura sunt cæteris antecedit, quoniam eodem loco docet G. *prænotionem futurorum ad curationem etiam valdè esse*, quod Hippocratem mõ strasse refert in præfatione prognosti- Lex. 3. corum, dum sic locutus est. *Ita curationem optimè molietur prænoscendo ex præsentibus* Cap. 6. *futuras affectiones.* Quod etiam docuit auctor libri de partibus cum ait. *Neq etiam nisi terminus futuræ indicationis prægnoscatur, rectè nequam curari poterit.* Quare ante quam curemus, vel conservemus, perspecta nobis esse debent natura, morb. & futuri eventus, necnon etiam omnia, quæ ad hæc tria pertinent, & reducuntur. Nã C primò naturã ipsam cognitã habemus, tanquam medium, à quo instar extremorum morbi declinant. Mox ad morbi naturã animũ attẽdimus, antequam prognostico rũ causas prosequamur: hortatur enim Hipp. ut ex præsentib. affectionibus futuras prægnoscamus. Vnde Gal. In præfatione prog. tex. 3. section. prima in lib. de medica officina, *Meritò*, inquit, *Hipp. ante alia artis opera,* Comm. 3. *hoc est, ante prænotionem, & curationem, eã partem, quæ ad morborum indicia pertinet, intelligi voluit.*

Porrò de Medicina physiologica, hoc est, quæ ad naturam spectat, satis abundè ab Hipp. Arist. Theophrastro, & Galeno D disputatum est. Et à multis viris ingenij, & doctrinæ gloria præstantib. qui interpretando infinitas res obscuras, & à natura involutas, diligenter evolvere conati sunt.

Divinationis artem sic Hipp. & Gal. atq. illorum fautores illustrarunt, & litterarum monumentis amplificarunt, ut ad prædicendum, & in posterum præsentiendum amplius non desideremus.

Partem præterea, quæ sanitatem tuetur, & quò minùs in morbos incidat A corpus præcauet, multis libris absolutissimè tradidit Gal.

Postremã verò, quæ medendi rationẽ docet, diligentissimè excoluerunt, & exornarũt Hip. & G. tũ eã, quę victus ratione morbis medetur, tũ, quę medicamẽtis intra, & extra corpꝰ admotis, curationẽ adhibet, tũ etiã illã, quę manib. medicinã facit. Quorum scriptis posteriores, non modo Græci, verũ etiam Latini magnam accessionem fecerunt.

Solam partem, quę res præter naturã generaliter definit, relictã ac interpretibus desertam video. Nã præter duos explanatores, qui solùm tyrocinia, & minima posuerunt rudimenta (pro quib. certè illorũ in nos meritis, honores, & gratiæ semper habendæ sunt) nullus disputationẽ hanc, quę profectò non minùs delectationis, quã laboris habet, dignatꝰ est amplificare. Scio rixatos esse multos hac de re, Galenoq. relicto scripsisse cõmẽtariolos & libellos, ĩsdẽq. d reb. sem per dictata decãtasse, neq. â sua pertinacia discessisse. In quorum turbam nonnulli incurrerunt, qui, cum errorẽ suxerint cum lacte nutricis, adeò extra modum absona, & absurda cõmentati sunt, ut magis instent, ac urgeant horum delicta, omni supplicio vindicãda, quam castigatio segnitiei, & inertię multorum, qui hoc taciti prẽterierunt, & elingues habiti sunt.

Quamobrem ego, cum Galeni libros de morborũ & symptomatũ differẽtijs, & causis copiosa oratione cõplere instituissem, conversus ad eius decreta meditanda, in quib. lex veri, rectiq. proditur, decrevi eũdẽ semper insequi, & omni fortuna comitari, invidosq. laudum illius, & calũniatores in sui studiosos excitatos asperiùs admonere & objurgare, omnesq. discordias restringuere, aut sedare, vel potius tollere. Quoniã autẽ retuli hos cõmentatios, non sanè ad ostẽtationẽ & gloriã, sed tantum ad utilitatem adolescentiũ, qui sunt initiati, & huic arti divinę cõsecrati, quorũ amori amore debeo respõdere, facilitatẽ in dicẽdo, & lenitatẽ in decernedo studio fisissimè persequar, rerũ difficultate, & verborũ gravitate omninò spreta & repudiata.

Illud tamen observare volo, ne quis hoc mihi vitio vertat, quod aliquãdo fortasse nimis obscurus fio, dũ misso facili, & quotidiano sermone, in eius locum substituo Hippocratis, Aristotelis, vel Galeni verba minus vulgata & graviora,

Verũ Medicinæ studiosi huius beneficij memoriã benevolẽtia sempiterna colere debent, cum id data opera fecerim, ut illi de patrũ maiorũq. nostrorũ lectione magis ac magis cogitarent, & cõsuetudini assuescerent. Vnde omnes auctoritates illorum, & sententias alio litterarum caractère signare constitui, ut apprehenderentur faciliùs, & memoria retinerentur vehementiùs.

Primùm igitur Galeni seriem, & contextum à Nicolao Leoniceno, & Thoma Linacro latinæ consuetudini traditum ex Hippocrate, Platone, Aristotele, Theophrasto, Galeno ipso, & optimis auctorib. verbis usitatis, & tritis, ornatè, ac apertè exponemus. Mox ad extremã cuiusq. rei partem, & verborum conclusionem interpretando perveniemus, verbum é verbo exprimentes, donec omnia prorsus intelligãtur. Tandẽ quæ in quæstionem vocari solent ac debent, cõmemorabimus, opinionibusq. discrepãtib. in judiciũ citatis, nostrũ pronũciabimꝰ, & incorruptè, atq. religiosè judicabimꝰ.

Decreveram equidem à quæstionib. exagitandis abstinere maiorum nostrorum vestigia persecutus, qui nullis, vel paucis in reb. quæstiones interponi voluerunt. Quoniam tamen hac tempestate invaluit hæc consuetudo, ut omnia, quæ ingenia & alere, & acuere possunt, in controversiã & disceptationẽ vocentur, operepræciũ me facturũ existimavi, si sophismatis tanquam hostib. fusis ac fugatis, de omnib. theorematis, quæ in quæstione versantur, copiosissimè dixero. Etenim plurima vidimus hisce nostris tẽporib. cõmentaria ornata quidem stylo perfectissimo; sed quoniam prodita sunt controuersijs inermia, & denudata, quantũvis ab aliquib. doctissimis viris summa observantia exculta sint tab omnib. tamen artium & scientiarum professorib. qui adolescentes docere astringũtur, quomodo res controuersas in arte qualibet, ex ejusdẽ artis principijs conveniat declarare, probare, vel confutare plane deserta, & omnino abjecta fuerũt: licet enim veritatis tanta sit vis, ut contra hominũ ingenia, & calliditatẽ, & solertiã facilè se per se ipsa defendat; tamen, cum in profundo sit demersa, vt dicebat Democritus, in lucem profertur, & limatur in disputatione subtiliùs.

Enimverò ego, ut placerẽt omnibus, quas perfecerã lucubrationes, eorũ gratia, qui crebras cõcertationes abhorrẽt, E commẽtarios paulò pleniores conscripsi: sed, ut illos oblectarem, quibus vehementer displicent diffusæ enarrationes, valde verò arrident contentiones: cuiusque capitis extremo, quandam epitomen adjunxi, qua susceptа, lectionem ad controversias poterunt adhibere frequentiùs.

Sed tẽpus est, ut dirigamus orationẽ nostrã ad prodidagmata, prolegomena, seu præfationes, & quasi prolusiones, quę omni disputationi præmittũtur. Nã, ut quart. lib. de Legib. tradebat Magister Plato, quibuslibet libris sive disciplinis exordia, & quasi quædã præludia præponẽda sunt, quæ artificiosam, & vtilẽ ad rẽ discendã, tractationẽ habeant. Sint autẽ F hoc loco. Inscriptio, Institutum, Partitio operis, Ordo seruatus, & Vtilitas. *Prolegomena.*

Inscribitur hoc opus Galeni, *de differẽtijs & causis morborum, & symptomatũ*, quãdoquidem horum differentias inquirit, & causas persequitur. De differentijs diximus, quod perinde est, ac si de speciebus inscriberemus, vel de generibus, de Idcis, de formis, vel de numeris, atq. modis. Quod ipse multis in locis observavit. Nã lib. tertio de locis patiẽtib. disputans de generatione specierũ morbi comitialis. *Nec refert*, inquit, *sive etiã genera, sive species sive differẽtias dicas.* Secũdo methodi meminit libri de differentia morborũ, quẽ vocavit, *de numero ægritudinum.* G Vndecimo eiusdẽ operis, *nihil inde abjudi accidere*, scribit, *sive genera dicas, sive differentias, sive ideas.* Tandẽ in primum de morbis vulgaribus tertia parte, scribit, *pro eodem sumi in dividẽdo differentiam, formã, modũ, & speciẽ.* Neq. in his G. auctore destitutus est: sequitur enim Hippocratẽ, cuius loquẽdi cõsuetudo ipsi semper placuit. Hippocrates lib. de Humoribus tertia par. sic locutus est. *Modi morborum sunt hi.* Primo de natura humana, *morborũ*, docet *multas esse species.* Lib. de medici officina par. 2. *Ratio*, inquit, *vinculi duplex.* H Deinceps tradit, *duæ esse species rectè iniecti vinculi.* Tãdẽ quarto de ratione victꝰ, hæc loquitur. *Febris ardẽtis genus aliud est.* Gal. ergo Hippocratẽ insecutus, cũ animadverteret disputationẽ hanc non esse sitam in inscriptione, varijs nominibus usus est, rem unam, & eandem intelligens, non multùm curans inscriptiones. Quod licet colligere ex primo de elementis, ubi *parum*, ait, *conferre, sive liber ille, de elementis, sive de substantia, sive de generatione, sive de natura inscribatur.* *In inscriptio. 2. morbo. cap. 6.* *Cap. 7.* *Cap. 2.* *Cap. 1.* *Comm 1.* *Sent. 2.* *Sent. 6.* *Sent. 11.* *Sent. 3.* *Sent. 13.* *Cap. 9.*

Quam-

Quamobrem in commentario lib. Primi prorrhetici statim in initio, sic scribit.

Comm. 1. *Cæterum quoniam pacto liber inscribatur, cæteris, qui artis opera non valdè curant pervestigandum relinquimus, ipsi, quæ in libris sunt conscripta, contemplemur.*

Sed non contemnenda se offert hoc loco difficultas. Nam si Gal. neglexit inscriptiones librorum, mirandum est, cur potiùs differentiæ nomine ulus est perpetuo in suis operib. inscribendis, quã generis, vel speciei. Arguta quidem objectio est. Sed huius rei Galenus ipse visus est rationem reddidisse libro secúdo de differentia pulsuum. *Nam ab eo, quod differat alterum ab altero, nomen differentiæ factum est & conceptum. Habet verò, cum apud alios græcos,, tum apud priscos philosophos duplicem significationem. Communiùs quidem accipitur pro generibus & speciebus, sed de illis, quæ in divisionibus reperiuntur, quæ nec species sunt, nec genera dicitur peculiariùs. Differre autem individua, tum species, tum genera inveniuntur subalterna, & semel omnia, quæ aliquo modo sunt.* Quamobrem differentia dupliciter dicitur, primùm & communiter de generibus & speciebus, & quibuscunque differentijs Secundo & proprié de differentijs proprié dictis, quæ omnia dividunt. Ergò inscriptionem huiusmodi Gal. amplexatus est, quoniam solo differentiæ nomine comprehendit omnia, quæ in aliqua rerum serie differunt inter se, genera scilicet omnia, & species omnes differentiasque. Vnde, cum scribit, *de differentijs morborum, & symptomatum*, idem est, ac si dixisset, de divisionibus, vel distinctionibus generum, specierum, individuorum, & differentiarum horum omnium.

Error Archigenis. In hoc errauit Archigenes, vt ibidem scriptum est, nam communi significatione differentiæ neglecta, prima genera differentiarum pulsuum vocavit, qualitates, cum qualitas non reperiatur in omnibus generibus.

Error Argenterij. Hoc etiam errore captus est ille, qui studio contradicendi opuscula de morbis confecit, vt Galeno bellum indiceret, librumque priorem, de generibus morborum, inscripsit, mox alterum de morborum differentijs peculiaris significationis differentiæ recordatus: illius verò, quæ latiùs patet prorsus ignarus. Vnde obeandem causam in culpa est, quod judicaverit Galenum inconstantem fuisse, quoniam hoc loco

Objectio contra Galenum.

Objectio. Solutio. Cap. vlti.

A & alijs, differentias cum specieb. confundit: primo autem methodi reprehendit Thessalum, & alios medicos, qui has differentias morborum, clausum, & fluxum, species esse jusserunt. Mali augurij est in principio lapsus: si legisset lib. secundũ de differentia pulsuum, unde poterat repetere significationes differentiæ à nobis adductas, non ignorasset, posse quẽquam, nomine differẽtiarũ appellare, & genera, & species ipsas. Nam omne genus, & omnis species, differentia est, nõ tamen omnis differentia est, vel genus, vel species, quoniam differentia communiter sumpta continet sub se genera & B species: differentia verò proprie dicta neq. genus, neq. species vocari potest. Hujusmodi sunt, clausum & fluxũ, magnum & parvum, quæ, cum differẽtiæ sint præcisius ac proprie sumpta significatione differentiæ, male dicebantur species à Thessalo. Vnde sic loquitur Gal. advertsum eum methodi primo lib. *Cæterum nemo tam rudis fuit, vt differentias morborum* (scilicet proprie dictas) *ipsos esse morbos putaret.* licet enim omnes morbi possint dici differentiæ prima significatione: tamen ipsæ morborum differẽtiæ proprié dictæ, nec sunt, nec possunt dici morbi.

Solutio. Cap. 3.

Hæc de inscriptione totius operis de C morbo & symptomate dicta sint. Quæ multis præbuit occasionem inscribendi, *de differentijs morborum*, primum huius operis librum, quem aggredimur explanare. Nam, cum totius operis inscriptio sit, *de differentijs & causis morborum & symptomatum*, parum interesse videbatur, quod liber de morbis, & de symptomatis inscriberetur, *de differentijs*. Tamẽ, vt rem ferè decernamus, primi libri titulum interpretes male converterunt, de differẽtijs morborum, quoniam græcã inscriptio est, περὶ διαφορῶν νοσημάτων, quod est, *de differentia morborum*, hoc est, de discrimine distinctione, & dissimilitudine, atq. de eo, quo morbus à morbo D differt. Sic libru hunc inscribi prouit G. libello de proprijs libris, & quãdocũq. eundem citat, hoc titulo designat, vt secundo de temperamentis, libro de causis morborum, libro de differẽtia symp. primo de locis patientib. in libru Hipp. de Alimento. & primo medẽdi methodi, ubi de discrimine interpres. Quinimo secundo libro eiusdẽ operis paulo post principium hæc loquitur. *Nos igitur id alijs commentarijs fecimus, quorum unus de ægritudinum numero est, inscriptus autem de*

Inscriptio primi libri. Cap. 3. Cap. 4. Cap. 6. Cap. 2. Cap. 6. Comm. 3. Cap. 3. Cap. 1. Cap. 1. Cap. 2.

morborum differētia. Et eodem libro paulò post mediū, vbi sex in universum morborum genera tradit. *Harum cuiusq.* inquit, *differentiæ ad ultimas usq. species in libro de morborum differentia sunt traditæ.* Secundo autem libro de differentia pulsuum Archigeni vitio vertit, quod prima genera pulsuum vocaverit qualitates. *Differentia*, inquit, *oportet in omnib. sit, quæ sunt: non item qualitas. Malè ergo Archigenes prima genera differentiarum pulsuum vocavit qualitates: nos rectè, cum hæc, tum alia omnia differentias: quare etiam universo operi titulum fecimus de pulsuum διαφορᾶς*, id est, *de pulsuū differentia.* Hinc antiquus interpres inscripsit hunc librum *de morbi distinctione.* Quem secuti sunt Christophorus Avega, & Franciscus Vallesius summi Doctores Complutenses græcę linguæ peritissimi, qui studiosè attendentes ad id, quod in manib. habemus, quotiescunq. hunc librum testem vocāt, toties de differentia morborum appellāt, quemadmodum consimiles de differentia symptomatum, de differentia febriū, de differentia pulsuum, græcam inscriptionem constantissimè servantes & cōservantes. Non me latet Atticorum esse pluralia singulariter pronunciare, ut scribit Corinthus, quēmadmodum Thucydides τὸν Συρακόσιον pro Συρακοσίους Syracusanum, pro Syracusanos, quod licet reprehendatur à Dionysio Alicarnasseo: tamen confirmari potest auctoritate Demosthenis græcorum omnium oratorum principis, qui similiter pro plurari singulare usurpavit, ut, τὸν Λακεδαιμόνιον pro Λακεδαιμονίους Lacedemonium, pro Lacedemonios. Sed hic usus dumtaxat observatus est, ubi usurpatur nomen proprium, vel potiùs ἐθνικὸν, id est, nationibus quibusq. familiare, non appellativum, veluti Henricus Stephanus animadvertit in ipsius Corinthi librum de dialectis. Sic Hispana lingua dicimus. *Estava el Español en esta, y el Turco en la otra parte del rio.* Quibus verbis significare volumus Hispanos & Turcas: utroq. tamen nomine *el* in singulari numero utimur. Quamobrem nomen appellativum, quale est, *διαφορὰ differentia*, nūquam ita usurpati apud veteres græcæ linguæ scriptores, vt singulare pro plurali usurpetur, sciunt quicunq. in illorum lectione versati sunt. Vnde G. citato lib. de diff. pul. cum reprehendit Archigenem, qui prima genera pul. vocabat qualitates, subjūgitse tum hæc, tum alia omnia, differentias vocasse, plurali accusativo usus ad plures differentias significandas, non singulari. Ecce omnib. Galenicæ inscriptionis fidē feci, quod meū erat institutum. Veruntamen de differētia, an de differentijs morborum liber inscribatur, aliquantum ad nomen, ad rem verò nihil interest, vtrācunq. igitur inscriptionē amplecti parvi refert, dummodo nos, quæ disertissimè tractat G. penitùs intelligamus.

Cap. 6. Cap. ultim. Præcipitio.

Ex inscriptione facile constat, de quibus dicere instituat Gal. agit enim de differentijs, & causis morborum & symptomatum. Porrò differentias tradit ex rei subſtantia desumptas, non ab extraneis accidentib. ne incideret in errorē illorum medicorum veterum, qnorum meminit primo ijb. de differentia febrium, qui, aut solùm tradebant differētias remotas, aut easdem cum his immiscebant, quæ originem trahunt ex subſtātia, aut tandem ex his, aliquas prætermittebant.

Inter quos possumus eundem adnumerare, qui nostrum Gal. calumniatus est, cum differentias à subſtantia desumptas confundat cum ijs, quæ oriuntur ab aliquo accidente.

Est autem diligenter observandū Galenum hoc lib. inquirere differētias, aut species omnium morborū corporis humani, sine vlla exceptione, Nam cū omnes trahāt originem ex principijs, quib. constituimur, omnes procul dubio possunt methodo inveniri. Hoc dictum puta propter affectiones, quas incorporibus humanis pariunt abditæ causæ, ne Iacobi Segarræ opinione rapiaris in errorem. Licet enim sola experientia doceamur, quomodo venena & lues pestilens præcaveantur: attamen nos morbos ab his ortos methodo investigari, & curari existimamus, contra vulgarem opinionem, ut in sequentibus perspicuum faciemus.

Institutum. Error Antecessq. Observanda 1. lib. in cap. 9. 33.

Divisit porrò Gal. hoc opus insigne in sex lib. Primò lib. de differentia morborum. Secundò de causis morborum. Tertio de differētia symptomatū. Quarto, Quinto, & Sexto causas omnium symptomatum tractat. Voluit verò de his trib. morbo, illius causa & symptomate simùl verba facere, vt libro de differentia symptomatum dixit, quoniam propinqua inter se sunt: *non enim parvum momentum afferre illud videtur, vt sciamus similia quæq. à se mutuò distinguere, cum non*

Partitio. Cap. 1. Lib. 9. placitor.

tantum

tantum ubi conveniunt, sed multò etiam magis, ubi dissentiunt, cognoscere utile sit.

Porrò hæc ars amplissima tradita est ordine resolutionis, Galeniq. omnia
Ordo. opera hoc universali ordine disponuntur, similiter opus hoc de reb. præternaturam, si ad totã artem, veluti pars ad totum, referatur. Præterea si absq. respectu aliquo ponderetur, distributum est ordine quoq. resolutionis, sed ordine quodam particulari: morb. enim in suas causas & accidentia resolvitur à Galeno. Priùs verò de morbo, quam de symptomate agit, sed de utroq. priùs, quam
Lib. 1. phy cap. 1. de causa, quoniam *innata nobis est via*, ut è notioribus nobis auspicemur; morb. autem symptomate notior est, saltem confusa cognitione, quemadmodum omnibus suis causis morb. & symptoma.

Ad extremum de utilitate huius operis
Utilitas. dicendum est. Verum cum tot, tãtaq. dicat passim Gal. de necessitate affectuũ cognoscendorum antequam aggrediamur curationem, non est, quod in his immoremur: sufficiant nobis eius verba

A publicis litteris secundo methodi consignata, vbi, cum observasset, prætermissis nominib. ad substantiam rerum inquirendã procedendũ esse, tũ quot in universum sint morbi & symptomata, atq. proximè horũ causæ requirendum, addit se alios cõmentarios fecisse, quorũ unus de ægritudinum differentia est: alter de differentia symptomatum. *Adeò verò*, inquit, *eo in opere causas horũ utrinsq.*
B *seorsum explorare studuimus, ut ad præsentem disputationem nihil amplius desideretur, sed præparata omnia iam sint. Itaq. ne legenda quidem quæ hic dicemus vlli suaserim, priusquam in illis sit exercitatus.* Ex quib. constare potest, quam magna sit huius operis utilitas. Ad cuius lectionem hoc debet etiam omnium animos excitare, ac inflamare, quod in eo constituerit Galenus *non refutare aliorum errores* (quod
C quidem odiosum est) *sed vera duntaxat docere*, quemadmodum libro de causis morbus, & secundo de causis symptomatum scriptum reliquit.


Cap. 11.

Cap. 12.

Cap. 3.

Quare Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cuius numini omnia parent, Virginisq. matris MARIAE implorato auxilio, ad librum de differentia morborum nos tutè conferamus.




Fundación
Uriach

IOHANNIS FR. ROSSELLI CATHALANI BARCINONENSIS.

AD

Librum Galeni de differentia Morborum Commentarij.

Nicolao Leoniceno Interprete.

ARG. LIBRI.

Lib. de cau. cap. 1. lib. de diff. sym. 1. 2. methe. c. 2. & 6.

EXPLICAT quot qualesq. sint ægritudines omnes, in genera & species, tum simplices, tum compositas, integre facta divisione.

ARG. CAP. I.

Propositum tradit eorum omnium, de quib. in universo libro disputaturus est.

CAP. I. Tex. 1.

Primùm dicere oportet, quid morbum appellemus, vt libri intentio innotescat.

COMMENTARIVS.

Lib. 1. de partib. animal. cap. 1.

IN *omni contemplandi genere, omniq. tam nobiliori, quam ignobiliori arte vel scientia, ut scribit Aristoteles, duo sunt habitus, quorũ alter scientia rei appellatur,*

Oion peleia tina.

alter ἓιν τις ἁπλῶς τινὰ, tanquã peritia quædã. Explicans autem peritiam hanc paulò inferius. *Quamobrem*, inquit, *quomodo tractãdum sit latere non convenit, utrum, inquam, communiter primùm per generis complexionem, post verò res proprias considerare oporteat, an protinùs quæque persequi sigillatim rectiùs sit.* Ex quib. verbis colligere licet duplicem hanc viam in omni docẽdi genere repe-

A riri, cognitionem scilicet eorum, quæ in omni scientia tractantur, & peritiam, hoc est, viam & rationem, qua res tractandæ sunt: differunt enim maximè huiusmodi habitus. Nam multi hanc, vel illam scientiam callent, modus autem & ratio, qua scientiæ artesve sunt tractandæ, nonnullos latet. Vnde, cum doctum, & peritum simile videantur, tamen a Marco Tullio discretum est, ut sit peritum plusquã doctum, veluti Nonius observavit. Videtur tamen Aristoteles duplicem eruditionẽ, vel institutionem constituere lib. secundo de prima Philosophia, ubi docebat, Cap. 3.
quales deberent esse illius scientiæ auditores. Altera universalis, & ad multa pertinens, quam disciplinam Logicam esse
B illius interpretes confessi sunt, inqua monet Aristoteles, ut omnes priùs se exerceant, antequam ad scientias, & artes reliquas accedant, cũ ea doceat, quid primò, & quid secundò tractandum sit: *absurdum est enim*, inquit, *simul cognitionem & cognitionis scientiæ rationem quærere*. Peculiaris est alia, quæ significat quandam experientiam, & usum earum rerum, quæ in qualibet arte tractãtur. Nam si in initio cuiusq. scientiæ notitiam habeamus rerum, in quib. illa versatur, facilè cognoscemus, quales demonstrationes fuerint requirendæ. Quam sententiam forsitá his verbis indicavit primo ethicorũ.
C *Qua autem*, inquit, *quisq. novit, de his bene iu-* Cap. 3.
dicat

dicat eorumque bonus est iudex. De quaq. ergò rerum singularium verè iudicavit is, qui eruditione singularium rerum valet: omnia verò ac simpliciter, qui omni doctrina eruditus est. Sic noster Gal. vir doctrina atq. optimarum artium studijs eruditus, qui nullam rem tractandam suscepit, cuius methodum non didiscerit, ut ipse de se refert, antequam hoc grave opus de differetia morborum aggrediatur, primum utraq. peritia sulcitus, proponit, quid ei tractandũ sit, & qua ratione. *Nam methodo inquirere, inveniteq. ex adverso opponitur ei, quod est fortuitò, temerèq. reperire: est autem id, cũ via quadam & ordine, ita vt in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum, tertium, & quartum, atq. ita de reliquis omnib. deinceps, quoad demum ad ipsum, quod ab initio est propositum perventum sit.* Cum igitur disputare instituisset, hoc lib. de morborum differentia, & generatim & speciatim, voluit in initio disputationem hanc recta via & ratione præmunire. Principio, *quid morbum καλουσι vocamus*, dicendũ esse ait. Secundo, quot sint in universum primi, simpliceſq. morbi. Tertio quot sint illi, qui ex simplicib. componuntur. Quæ quidem in tres partes totius libri partitio est.

Primum inquit, *dicere oportet, quid morbũ appellamus, ut libri intentio innoteſcat.* Quibverbis se artificem peritum, & eruditum ostendit, non solum in eruditione rerũ singularium huius artis, sed etiam in generali, & latè patente integrè versatum. Nam, qui recte sit inventurus cuiuslibet rei species & differentias peculiares, ab optimo principio exordium capere debet, id verò est ipsius rei definitio, deinceps ad divisionem devenire. Observavit hoc Socrates apud Platonem in Phædro, cum Lysiæ orationem redargueret, cuius verba refert Gal. primo methodi Thessalum hominem audaciſsimũ increpans, qui morborum differentias, ignorata morbi definitione, investigare tentavit. *De re enim qualibet*, inquit, *unum principium optimum nosse id oportet, de quo proposita quæstio est, aut prorsus aberrandum, non ad dividendum modo quidvis ab ipsa quæsita rei substantia nobis esse inchoandum censens, sed etiam in omni disquirenda re eiusmodi semper principio utendum.* Quod præceptũ ex Platone transtulit M. Tullius in primum lib. Officio. & secundum de Finib. Ergò hic ubi morborum species omnes ordine quodam, & via rationali traditurus est Gal. principio morbi naturam explicandam esse rectiſsimè censuit, ratus non posse quidquam aliunde meliùs, quam ex sua ipsius definitione cognoſci, cum sit ea definitionis vis & potestas, ut omnem eius, quod definiendum suscipitur, naturam substantiamq. aperiat, ac veluti suis finib. coerceat, propriſq. terminis circumscribat. Atq. licet de qualibet re simplici, cuiusmodi morbus est, duas proposuerit quæstiones Arist. secundo Post. Analyseos, scilicet, an sit, & quid sit. Tamen Gal. prætermissa priore, reliquam dumtaxat respexit, quoniam morbum esse, in communi hominum sensu versabatur.

Definitio autem, ut scribit quarto de differentia pulsuum, duplex est, notionis & substantiæ. Definitio notionis est nominis interpretatio, quæ omnib. hominib. est manifesta: licet enim homines inter se ipso sermone dissentiant: omnes tamen unum idemq. intelligunt, ut libello de optima corporis compositione docuit. Definitio substantiæ est, quæ totam rei naturam declarat. Aristo. primo post. analy. definitionem nominis, & definitionem rei appellavit. Sed lib. primo de animo definitionem nominis dialecticã vocat, quoniam, ut scribit Gal. tertio de differentia pulsuum, nomina imponere ad Dialecticũ pertinet. Hoc loco vtrãq. definitionem investigare instituit, quia morbi significatio est ignota. Nam quando nomen ipsum vulgari significatione rem, quam quærimus indicat, notionis definitione non indigemus. Immo quarto de pulsuum differentia scribit, *Nullum esse usum harum definitionum, ubi res ipsa, & ante definitionem intelliguntur, ut in pulsus nomine patet, quod*, inquit, *intelligunt omnes mortales nedum medici.* Quam docendi rationem in disputatione de elementis potuimus observare, ubi elementi definitionem notionis, quod ii omnib. erat perspicua, silentio prætertijt: eam verò, quæ sumitur ex substantia, cùm tot essent discrepantes de corpore minimo sententiæ, investigavit diligentiùs. Vnde Arist. primo de animo loco citato, *vanas esse*, dixit, *definitiones dialecticas*, de quib. Gal. loquebatur secundo de differentia pulsuum, cum reprehendebat quosdam medicos, *qui ne olus quidem citra huiusmodi definitiones videntur empturi.* Quare licet vulgus particulares aliquas affectiones cognoscat, tamen quoniam ignorat unã illam morbi naturam communem, *cuius communique morbi omnes appellantur morbi*, ut

Lib. de Sanit. tuend. ad Thrasyb. cap. 1 & contra Iulianum cap. 6.

Lib. 1. methodi c. 4.

Columen.

Cap. 3.

Cap. 8.

Cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 6.

Cap. 1.

Lib. 1. c. 7.

Cap. 3.

Cap. 7. ut habemus secũdo methodi, hac de causa Gal. inquirit morbi definitionem notionis. Rursus autem, & alteram definitionem investigavit: etenim cum de genere proximo rei, cujus substantiam venamur, constat apud omnes veteres, & juniores, quamprimum ad divisionem est accedendum. Hinc de pulsu, & febri disputans Gal. à divisione exorsus est. Verum si de genere proximo inter auctores non constat, illud investigandum est diligenter, quoniam ex vario, & multiplici genere, variæ nascuntur species & multiformes. Quantam autem peperit confusionem, olim morbi ratio non satis intellecta, facilè cognoscet, qui ea legere non gravatur, quæ libro primo medendi methodi adversus Thessalum, & Olympicum scripta sunt: res enim nulla fuit, de qua maior inter veteres dissentio esset, quam de natura morbi, alij enim sub actione, alij sub actionis causa morbum collocabant, indeque variæ ac discrepantes sententiæ ortæ sunt. Quamobrẽ Gal. quo posit morbi divisionem adire libentiùs, primum, quid
1 meth. c. 3 morbus sit, perquirere instituit, *quoniam fieri nequit, ut aut differentias generis nullius, aut species invenias, ipso, quod dividitur, non planè explorato.*

TEXT. II.

SEcundo loco, quot sint universi, primi, & simplices morbi, & veluti aliorum elementa.

COMMENTARIVS.

FACILIORIS doctrinæ gratia in rebus tractandis, ab universalib. primordia sumenda esse, jure docuit Arist. quo-
1 phy. c. 1 niam illorum cognitio ad perfectam notitiam particularium est maximè necessaria, immo, *qui universalia didicerit, omnia,*
1 post. 2. com. 36 *particularia cognoscit.* Nam in omni re proposita duo sunt, quorum intelligentiam desideramus, videlicet rei substantia, & illius proprietates. Quãdo igitur aliqua rerum species se nobis offert cognoscenda una cum proprijs accidentib. primum generis naturam, & omnia illius accidentia investigamus, deinceps ad speciem, disputationẽ conferimus, quæ ignorato genere cognosci nõ poterat. Mox ad illius proprietates devenimus, quia plures illarum sunt species proprietatum A generis, ut motus ad cẽtrum, qui cũ sit propriũ corporis gravis, species est motus, qui corporis naturalis est proprietas. Iam si omnia morbi summa genera Obseruatio
nota essent, atque apud omnes ita pervulgata, ut illorũ notitia minùs conveniret ad intelligentiã inferiorũ, posset quidem medicus morborũ differentias particulares quamprimũ persequi, non aliter, quã præstitit Euclides, qui quatuor elementorũ libros, quibus de speciebus magnitudinis nẽpe lineis, & superficieb. disputavit, præposuit quinto, in quo disseruit de magnitudine, quæ latissimè patet, quoniã illius natura sola simplici, & facili nominis prolatione tota exprimitur, atq. ob id ejus disputatio ad cognitionẽ specierũ non erat necessaria. At ve-
B rò de morborũ inquisitione longè secus existimandum est. Nã prima genera morbi virtute quadam cõtinentur in obscura morbi natura, quæ assidua, & diligenti eget investigatione. Diserte igitur scribit, post morbũ definitum, quot sint universi, primi, & simplices morbi exquirendum esse.

Vniversos dixit, ut indicaret faciliorem disputationem, quæ ab universis semper initium capit. Quoniã simile est universum toti: singulare verò partib. totum autem partib. notius est. Vniversa igitur
C in principio sunt adducẽda, tũ quod sint nobis notiora, tũ ut propositiones deinceps adhibitæ primæ sint, & manifestæ, tũ etiã ne aliqua sint sæpissimè iteranda in reliquo disputationis progressu.

Eosdem præterea morbos appellavit *primos*, quoniam ad morbi communionẽ summumq. genus proximè accedunt, primosq. ordines ducunt.

Postremò *simplices* vocavit, quando-
D quidem nullam compositionem admittunt in propriam naturam præter simplicẽ eam, quam ex summo genere, ac differentia illud dividente receperũt, ut quatuor elementa dicta, quæ sunt prima, & simplicissima corpora, quoniam nullam ex alijs corporib. compositionem admittunt, sed solã eam, quam habent ex materia & forma. Ad quod alludens Gal. addit hos morbos *universos, primos, & simplices* esse *veluti aliorum elementa*. Quam sententiam deinceps alio loco interpreta-
1 meth. c. 10 tus est. *Manifestumq.* ait, *ex talib. est methodi ejus, quæ de medendo instituitur, primos ac simplices, sineq. ulla compositione morbos, veluti elementa quædam esse.* Et unico versu, interjectu addit. *Sanè nihil refert, primos, ac simplices*

plices dixeris, quando quod primum est, simplex est, & quod simplex, primū, ideoq. etiam elementare.

Quibus locis diligenter est obseruanda illa dictio *sicut, veluti*, quoniam primæ ac simplices morborum differentiæ κατὰ ἀναλογίαν, id est, comparatione proportione-ve dicuntur elementa reliquorum. Nam quemadmodum elementa simplicia mistum, ita simplices differentiæ, ubi conjunguntur, compositas, & complicatas constituit, unde concluditur etiam, primum omnium agendum esse de summis differentijs morborum.

Observatio Gorræi. Catanalogiam.

TEX. III.

DEINCEPS verò tertiò, quot sint ij, qui ex eorum compositione proveniunt.

COMMENTARIVS.

Cap. 2. IN initio libri primi de difficultate respirationis hic auctor dilucidè docuit, *iuxta rationem forè, de ijs, quæ naturâ priora sunt, priùs sermonem facere*, quoniam autem simplicia semper hujusmodi sunt, nempe naturâ compositis priora, hinc cœpit exordium à simplicib. respirationis differentijs, quib. sufficienter explicatis, postea vicissim permutans organorum respirationis, tum motum, tum cessationes & mutuò, & per se ita compositas pervestigavit. Hic verò postquam dixit exponendum esse, quot sint universa prima simpliciaq. morborum genera scribit, colligendum postremò, quot sint ea, quæ ex illis componuntur. Quoniam, ut dictum est, universi, primi, & simplices morbi reliquorum veluti elementa sunt. Porrò in omnib. artib. & scientijs, quarū sunt principia, vel causæ, vel elementa, horum comprehensione fit cognitio, ita hæc ars tota pendebit ex perceptione morborum, ex quib. cæteri componuntur. Nam tot sunt concreta, & mista corpora, quot sunt mistiones, modiq. varij & dissimiles, quib. vicissim commiscentur elementa. Cum igitur prima genera morborum ad elementa proportionem & comparationem habeant, tot erunt profectò compositi morbi, quot erunt implicationes simplicium. Rectissimè igitur concludit, tertiò compositos morbos investigandos esse.

E

EPITOME.

Dicendum primò, quid morb. secundò quot universi, primi, & simplices morbi. Postremò quot sint morbi cōpositi.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

Qua methodo usus fuerit Galenus ad investigandas morborum differentias.

F

QVÆSTIO I.

POSTquam genus definitione cognoverit artifex, qua methodo in cognitionem specierum perveniat, non immerito perscrutandum est, ut possit respondere curiosè quærentibus, qua methodo usus fuerit is auctor in hoc libro. Ex quo principium habebunt nostræ controversiæ pathologicæ, ac ætiologicæ, quib. hos libros exornavimus: hoc enim nomine signare voluimus disceptationes, in quas venerint varia genera theorematum.

Porrò *inveniendi ejus, quod quæritur, logicæ methodi facultatem præstant*, quarum G opera investigata sunt omnia, quæ tractā tur toto methodi medendi opere. Quoniam autem in eo *sermo est* Galeno, *cum ijs qui hos libros de differentijs morborum, & symptomatum perlegerunt*, summo jure de methodo prima est à nobis instituta disputatio, tum, ut videamus, quam ratione & viam hic progrediatur, tum ut hinc in libros methodi parati & meditati veniamus. 1. meth. 3. & 7. c. 1. 2. meth. 6.

Franciscus Valleriola prior hujus operis interpres arbitratur Galenum aggressum fuisse hanc de morbis tractationem methodo compositiva quæ & naturæ dicitur, causarumq. ad effectus, & ab Aristotele nuncupatur demōstratio propter quid. Alter verò explanator iudicat hoc loco auctorem secutum fuisse compositivum vocatum docendi ordinem, tanquam eum, qui ad disciplinam aliquā exquisitè tradendam, omnium sit accommodatissimus. Quæ quidem opiniones parum inter se differunt. Iacobus Segarra existimat Galenum observasse dividēdi methodum, qua rei natura, quā quærimus posita, species omnes, & differentias inquirimus, neq. in illis conquiescimus, 1. opinio. H 2. opinio. 3. opinio.

mus, donec ad infimas pervenerim⁹, quæ amplius divisionē non patiuntur. Hoc poterat Galeni auctoritate confirmare, qui hoc lib. postquā numerū omnium morborū invenit: *nullū vero*, inquit, *egritudinis genus, neq. in simplicib. neq. in compositis corporibus reperitur, quod utrisq. sit proprium: si quidē via divisionis id impossibile ostēditur.* Præterea primo de difficultate respirationis. *Et præter has, non reperias simplicē etiam difficultatis respirādi differentiā, methodus enim divisionis non aliter demonstrat.* Vnde primo methodi scribit, *morborum numerum invenire, non cuiq. promptū esse, sed ei dumtaxat, qui in dividendi methodo magnopere fuerit exercitatus, idq. intelligere posse primùm qui legerit omnia, quæ de eo genere methodi in principio Philebi à Platone sunt prodita, deinde Sophistam etiam, & Politicum.*

Cap. 4. tex. 28.

Cap. 3.

Cap. 3.

In quam ego sententiam irem libentissimè, nisi alio me jam dudum vocaret ipsa methodus. Sed antequam funem rūpamus, liceat mihi tyronum gratia nonnulla præloqui de differentia methodorum, hinc ducto exordio.

Auctoris fundamentum.

Μέθοδος vox græca est, latinis dicitur, cū via, quæ semper est transitus ab uno in aliud. Primū dicitur via de spatio, quo aliquod corpus de loco ad locū movetur: sed per similitudinē transfertur ad quodlibet mediū, quo noster intellectus movetur ad res capascendas. Vnde methodus latissimè definitur instrumentū intellectus nobis inseruiēs ad rerū cognitionē. Hæc duplex est, altera habitus intellectus, qui ad nullā disciplinam applicatur: altera verò est ipsa disciplina, cui jungitur: juxta quam significationē posteriorē Aristo. multis in locis scientias ipsas, & artes vocavit methodos, solū ex eo, quod methodo nitantur & subsistant. Quoniā autem hæc cognitio consistit, vel in sola distributione, vel in cōsecutione rei obscurę ex ea, quæ est maximè nota; hinc methodus acceptione prima in ordinē, & methodū dividitur.

Methodus latissimè quid.

Methodus est habitus intellectus, quo ex notis, ignoti cōparamus cognitionē in aliqua scientiæ, vel artis parte. Ordo est habitus mētis, quo habiles & apti sumus ad cujusq. disciplinæ partes disponēdas, ita ut quātū maximè fieri possit, optimè ac facilimè illa disciplina discatur.

Methodus propriè quid. Ordo quid.

Conveniunt methodus & ordo, quod uterq. procedit à notioribus nobis, quoniā ars imitatur naturā, quæ progreditur à reb. cōmunioribus ad singulas, ut semine cūdo de ortū animaliū legimus. Differūt, quod methodus tantum respicit partes singulas scientiæ, vel artis, exorditurq. à causis manifestis & notioribus eius, quod ignotum est, ex quib. illud infertur, & cōcluditur, atq. cognitione distincta, vel cōfusa fit notū. Ordo verò totius scientiæ, vel artis rationē habet, sumitq. suū distributionis initiū ab ijs, quorū præcognitio, vel necessaria, vel utilis est ad distinctā & perfectam cognitionē eorum, quæ sequuntur, nulla conclusione ex necessaria cōsecutione cōfecta, sed sola distributione servata. Ergo methodus est causa, cur discamus: ordo verò, cur melius & facilius doceamus. Ex quo fit, ut ratio disponēdi scientias & artes, ad quā dirigitur ordo, non sumatur ex ipsa natura rerum, quæ sunt considerandæ, sed unde quis facilius discat, ut quinto Metaphy. docuit Aristo.

Cap. 4.

Cap. 12.

Hinc ordinem cōmodè bipartimur. Nam cum eo utamur, nō ob aliā causam, quā ut melius & facilius discamus, scopus hic duplex est, aut enim cognitionem ex se, & propter se petimus, aut ut ad opus referamus. Si propter se ipsam rerum cognitionem vestigamus, ut in scientijs, à primis principijs auspicamur, componendo. Si verò propter aliquod opus, & alicuius finis adeptionem, ut in artibus ordimur ab illius finis notione, atq. dissolvendo properamus in prima principia, à quibus deinceps opus incepturi sumus. Quamobrem duos tantum ordines disciplinæ dari profitemur, qui ex ipsa cognoscēda re, originem trahūt, ordinem compositionis, quo tantum scientiæ, & ordinem resolutionis, quo tantum traduntur artes ipsæ. In hac sententia fuit Aristo. primo de Morali Philosophia, vbi sic locutus est. *Hoc autem ignorare non debemus interesse inter rationes eas, quæ à principijs proficiscuntur, & eas, quæ ad ipsa principia sunt. Recte enim Plato dubitabat & requirebat, utra via esset sequenda, ea ne, quæ à principijs permanerent ad fines, an quæ ad principia ferret: velut in stadio ab ijs, qui præmia proponunt ad metam, an contra.*

Ordo duplex.

Cap. 4.

Ordo compositionis est Logicum instrumentum quo cujusque scientiæ partes disponimus, atque a primis rei principijs exordiendo, & ad secunda procedendo, tandem ad proxima & immediata pervenimus, ut quantūm in eo genere fieri possit, optimè & facilimè rerum tractandarum scientiam adi-

Ordo compositionis.

piscamur. Hoc ordine fuit tradita scien E tia naturalis ab Aristot. ut colligimus ex 1. Physic. & 1. Meteor.

Capitib. prim. Ordo resolutionis, Ordo resolutionis est, quo à notione finis, qui edi solet ab homine libere operante, dissolvendo progredimur ad principiorum inventionem, & cognitionem, ex quibus postea opus inchoantes, finem illum producimus. Is ordo artibus inservit, ut ait Aristoteles.

An detur ordo definitionis. Verum præter hos ordines interpretes Galeni tertium introducunt, quem definitionis ordinem appellarunt. Is capit exordium, ut in libro artis parvæ monstrant, ab artis diffinitione continente omnia ejus capita, ex qua in suas partes distributa fit transitus, P tanquam à centro & medio ad circunferentiam & extrema, in expositionem eorum omnium, quæ arte tota continentur.

Non dari ordinē definitionis. 1. Ratio. Ego verò nunquam admisi ordinem hunc judicio veritatis, & ijs, quæ sequūtur argumentis cōvictus. Primùm, quoniam definitione proposita, vel exordiatur disputatio à rei principijs, qui ordo compositionis est, vel à notione finis, qui dicitur ordo resolutionis. Vnde ordo definitionis ne ullus quidē erit.

2. Ratio. Deinceps, si de principio disputationis eadem perfecta remanente, detrahatur definitio, ut si ab artis medicæ libro auferatur primum caput, quod est proœmium logicum, & omnibus scientijs & artibus commune, vnà cum definitione Medicinæ, sanè fatendum erit in eo libro Galenum secutum non esse alium ordinem, præterquam ordinem resolutionis: primū, enim de corporibus agit, hisq. salubrib. deinceps de signis, atq. tandē de causis. Nā progressus à sanitate ad eius causas & remedia resolutio est. Præterea scientiæ vel artis definitio

3. Ratio. instar proœmij præfata, & ex omnib. rebus cōsiderandis cōstituta, dūtaxat differt loquēdi modo ab exordio, in quo H etiā res omnes tractandæ proponūtur. Vnde cū dixit auctor illius libri, Medicina est scientia salubriū, in salubriū & neutrorū; si dixisset, Artē medicā traditurī sūmus, in qua de salubri & in salubri, & neutro disputabimus, proculdubio resolutionis ordinē Galenū insequi omnes interpretes dixissent, siquidē nō cōturbasset illos definitio. Postremo si

4. Ratio. Aristo. in principio primi Physic. dixisset, Physiologiā esse scientiā, quę contēplatur prima principia rerū naturaliū, & simplicia corpora & mista, tū generatim, tū speciatim, corpora præterea, tū animata, tū inanimata, ad extremas usq; illorū species: libri vero illi eodē ordine distributi essent, quo nunc extant; dicant quæso, qua via & ordine illa scientia tradita fuisset? Ridiculum est dicere, tunc scripta fuisse ordine definitionis, si in ea ne syllaba quidem mutata fuerit, vel transposita, ordo igitur definitionis commentum est, & excogitata inventio.

Objectio. Nec valet, si dicant, ordinis definiēdi propriā esse breviloquentiam, quæ memoriā maximē juvat, & colligit. Nā licet verborū ambitus contractus, & brevis memoria teneatur facilius, absurdū tamen est existimare, brevitatē & longitudinem orationis varias ordinū species constituere. Illud tamen nobis objicere possunt, quod Galen. fuit illius ordinis princeps & invētor. Cui auctoritati, *si me, quod in mentē venit, fari oportet,* respondeo, me *observare, non solum in Galeni scriptis, sed in alys omnibus antiquorum libris, ut non temerè, quæ quisq. ipsorum dixerit, approbem, sed experiētia & ratione examinare, verum ne, an falsum sit, quod scripserint.* Hoc ali quando dixit Gal. *vehemens veritatis amator,* suo jure, ac libertate usus, adeò ut neq. ipsi Hippocrati parcat, quē augG stē, & sanctē venerabatur. Verum enimverò asperius locutus sum, immò fortasse liberiùs. Arbitror igitur initium artis parvæ, jā verò etiam & priora capita illius libri tāta barbarie infuscata, & in obscuritatis latebrā conjecta, nō esse propriū & legitimum Gal. opus, sed ab aliquo alio scriptore appositā fuisse; etenim nec usquam alibi Gal. qui solet alioquin sua non semel iterare, ordinis definitionis meminit, nec tam inquinatē locutus est. Quod ex lib. de salubri arte ad Thrasybulū, & secundo capite hujus libri, quod statim aggrediemur, poterit quisq. colligere, ubi latitudinis sanitatis, & ægritudinis mentionem facit, verbis sanè usitatissimis & apertissimis, longéq. diversis, quam fuerit usus illorum capitum asper, & horridus auctor. Quare nullus est ordo definitionis.

Solutio. *Objectio.* *Solutio. 2. Sim. c. 6. Ep. d. cem. 25.* *7. perga ra. cap. 4. 2. simp. c.* *Altera instan.* *Cap. 7. Tex. 10* *2. Antē fundam tum.* Quib. explicatis, quā brevissimē possim' de methodo exponamus, quæ videbūtur fore necessaria. Dixim' methodū esse habitū quo ex notis ignoti param' cognitionem. Vnde cōcluditur, *orationē esse, in qua quibusdam positis necesse est aliud* *1. prin.*

quiddam

quiddam sequi, eo quod illa sunt, quæ syllogismi est diffinitio, eo tantùm à methodi definitione discrepans, quod in ea noti, vel ignoti nulla mentio fiat, ut in methodi definitione. Nam syllogismus duplicem habet finem, communem scilicet, quæ sola est necessaria consecutio, & particularem, qui propriam respicit materiam vel necessariam, vel probabilem, vel civilem, vel falsam. Aristoteles in lib. de priori resolutione egit de syllogismo, quatenus tantum habet rationem generalis finis, qua ratione methodus secundum formam vocari potest: quod proculdubio intelligere voluit lib. primo & secundo ubi syllogismum appellavit methodũ dumtaxat penes consecutionem, quę per traditas à se figuras conficitur. Verum, ubi syllogismus præter communem finem cõcludendi propriam etiam materiam respicit, eamq. necessariã, nihil aliud est, quã methodus ipsa, de qua verba facimus, cuius finis est firma, & certa cognitio.

Cap. 30. Cap. 19.

Methodus duplex.

Porrò ad res cognoscendas duo methodi sufficiunt, methodus demonstrationis, & methodus resolutionis, quod his cõfirmatur rationibus. Omne quod proponitur cognoscendum, vel est substantia, vel accidens: substantia ex definitione cognoscitur, quæ si nota sit, nulla methodo indiget; si vero ignota est per demonstrationem assequi non potest ut Aristot. dixit. Nam sola ea per causam cognoscuntur, quorum natura pendet ab aliqua causa externa; at substantia à nulla causa externa dependet. Vnde tantum poterit ex effectu investigari, quæ methodus est resolutionis. Accidentium autem, aliud est commune, quod in scientiam non cadit, aliud proprium, quod semper habet aliquam causam externam à qua dependet, ex qua probari potest, quæ dicitur methodus demonstrationis. Præterea omnis methodi finis investigatio est rei obscuræ atque ignotæ, quæ tantum est duplex, causa vel effectus: Aristoteles enim 1. de Posteriori analysi tria nobis proposuit in scientijs consideranda principia, subjectum, & propriam affectionem, mox nomine principiorum comprehendens subjectum, ad duo reduxit, principia & affectiones consequentes, ad quæ indaganda tantum sufficiunt duæ methodi, duaque dicta logica instrumenta. Methodus demonstrandi ab Aristotel. dicitur demonstratio propter quid, quando per principia propria venimus, in cognitionem affectionum, quæ potest etiam vocari methodus compositionis, quoniam progressus à causa ad effectum compositionem indicat. Methodus resolutionis, demonstratio quia, nuncupata est, & secundi ordinis demonstratio, vel syllogismus à signo. Quam sententiam enarratam habemus lib. 1. Physicor. ubi Aristo. servandam esse proponit methodum compositionis ad cognoscenda corpora naturalia, quorum notitia pendet ex cognitione principiorum: at, cum principia essent ignota, auxilio fuit Aristoteli methodus resolutionis, quæ à notioribus nobis deduxit illum in intelligentiam principiorum. Est enim methodus resolutionis ministra methodi compositionis. Ex quo methodus inventionis, vel Logica inventio à doctis appellata est, & à Galeno potissimum primo, secundo, & septimo methodi. Vnde in demonstrationem ab effectu, & in inductionem dividitur. Hæc, si perfecta fuerit, & ad syllogismum redigatur, principia inquirit, quæ sunt naturâ nota: est enim concludendi vi, & natura imbecillior: demonstratio verò ab effectu, cum multum roboris habeat, investigat occulta principia, & quæ naturâ sunt ignota. Natura notum est id, cujus individua sensibus percipiuntur, ut homo, quem bipedem esse probat inductio. Ignotum naturâ est id, cujus singulare non assequitur sensus, ut materia prima, quam si demonstratio ab effectu non esset perscrutata ex rerum ortu, illius notitiam non haberemus, à compositis enim ad principia rectè nos ducit resolutio per accidentia media. Quamobrem finis methodi demonstrandi sciẽtia est, & rei per suam causam cognitio. Methodi autem resolutionis finis est sola inventio: non sanè, ut in ipsarum causarum cognitione conquiescamus; sed ut deinceps componamus, & ex causis effectibus colligamus.

Cap. 23 Cap. 2. Cap. 6. Cap. 4.

Natura notum.

Natura ignotum.

Observatio

Quæ resolutionis methodus ordini resolutionis dicto conjuncta est. Nam antequàm ordo disponat, & quasi suadeat, ut priùs de fine agamus, deinceps de ijs, quæ finem antecedunt, qui purus ordo resolutionis est, jam methodus mẽbratim collegit ea, quæ nos ad finem perducũt, ex præcognitione finis per necessariam conclusionẽ. Hujus methodi

parfocinio universam artem tradidit Gal. eoque ipso ordine disposuit libro de illius constitutione, cuius exemplo nos in hujus operis præfatione eandem prodidimus, & in arte tota ducem habebimus. Nam morborum latentes differentias deprehendere, remedia invenire, medicamentorum compositiones secundum locos affectos parare, methodus hæc sola planè potest, in qua cum se exercuisset Gal. idque multis annis fecisset, ut septimo methodi habemus, curationes instituit, prout inventorum indicatio ad agendum inducebat. Cap. 5.

Divisio an methodus. Ex quibus apertissimè patet divisionem & definitionem non esse methodos, cum rei cognitionem nullam pariant. Quod ex Aristo. licet colligere lib. 1. de priore, & secundo de Posteriore resolutione.

Quorundā opinio. Verum fautores divisionis duplicem esse illius utilitatem in disciplinis arbitrati sunt. Vnus est, ad venandas partes definitionis ignotas: altera verò ad cognoscendum numerum specierum, qui antea ignorabatur.

Refutatur. 1. Ratio. Sed divisionem nullo usui horum esse breviter demonstremus. Si aliquod genus superius accipiamus notum, ut corpus animatum illud dividemus in sensum habens, & sensu carens, ut altera differentia rejecta, reliquam sumamus ad animalis diffinitionem colligendam. Iam si definitionem plantanimalium inquirere voluerimus, ex sola divisione non apparebit, utrum sensum habeant necne, quia divisio sola nullam nobis præbet rerum cognitionem. Confugere igitur debemus ad aliquam methodum, quæ vi consecutionis, nos quasi manu ducat in huius rei cognitionem. Hæc erit methodus resolutionis, quæ à posteriori, nempe ex retractione & dolore, quo spongiæ afficiuntur, si pungantur, colligit animalia esse. Præterea, neque ad inquirendum numerum specierum alicujus generis divisio quidquam valet. Nam si quis recte noverit quod, & quid omnes sint statim habebit quot sint, complerumque numerum illarum. Confert tamen divisio ad species jam cognitas distribute ac distincte tractandas, tum etiam ad ipsius definitionis partes ordinatè proferēdas, & genus differentijs omnibus anteponendum, & differentias superiores inferioribus. Quod nisi fieret nugatio committeretur. Est ergo divisio solius ordinis pars quam minima, & methodi ministra. 2. Ratio.

Non minus rejicienda est definitio à commertio methodorum. Nam methodus, ut prædiximus, perpetuò nos ducit ex noto ad ignoti cognitionem, rem enuntiat atque apertam, & manifestam facit: definitio verò non potest esse nota dum essentia ignoratur, à quare ipsa non distinguitur, sed sola ratione. Ergo solùm est essentiæ significatrix, quemadmodum nomen ipsum, quod est signū rei per medium conceptum. Vnde merito 1. lib. de anima quærebat Aristot. Vtrum esset aliqua methodus, qua investigarentur essentiæ substantiarū meminitque demonstrationis, qua omnes accidentiū definitiones inquiruntur: mox divisionis, quam ex Platonis sententia in medium protulit, atque tandem alterius methodi, per quam intelligit methodum resolutionis, quæ sola definitiones substantiarum penitus perscrutatur. Iam si definitio esset instrumentum, quo rerum essentiæ notæ fierent, Aristoteles non confugisset ad methodos. Quare definitio, nec est methodus, nec cum nota est, indiget methodis, quamvis, cum est ignota, finis sit methodorum. Definitio an methodus. Lib. poster. resolu. 1. Cap. 1.

Excusatio. Hæc volui longiùs, qua par erat, de methodo commentari, tametsi ad hanc disputationem directò non pertinuerint, tum propter aliquos medicos qui temeré de rebus logicis dicunt, fortassis eorum obliti, quæ ex philosophis didiscerunt, tum ut Aristotelis interpretes, ad quos hæc disputatio planè spectabat, recipiscant; minùs verò sibi assumant explanatores Galeni, qui hac in re philosophos semper sibi prætulit.

Auctis opinio. Nunc de methodo quam hic usus fuerit noster auctor, maturè decernamus. Sic igitur censeo. Galenus & definitionem morbi, & eius differentias à posteriori, & methodo resolutionis investigavit, ab effectib. scilicet actionib. exordium sumens: divisione verò vsus est ad ea tantum disponenda, quæ inventa fuerant resolutione. Nam quando perscrutatus est morbi differentiam, quæ partibus vtrisque, nēpe simplicib. & compositis accidit, divisio nihil prorsus præstitit, sed sola resolutionis methodus continuitatis solutionem vestigijs odorata est, ac probationem machinata. Conclusio. Cap. 6. Text. 18.

Quod

Solvuntur objecta.

Quod si Gal. aliquid tribuit diuisioni ex Platone, eandē sumit, ut methodo resolutionis est implicata. Nam lib. nono de placitis divisionem plurimum proficere scribit ad artes constituendas: libro autem primo de difficultate respirationis non minimum valere, dixit, ad inveniendas differentias difficultatis respirandi; atverò inter omnes convenit methodum resolutionis esse artium constitutoriam, vel eodem Gale. docente proprio lib. de constitutione artis, & libello de cuiusq. animi peccatorum cognitione atque medela, ubi profertur, *demonstratoriam methodum*, quam deinceps, *resolutoriam, & rationalem* appellat, *ad id, quod quærimus, nos ducere, atque evidentem nobis propositum inventionis confirmationem præstare. Inde nulla alia facultate à cæteris animantibus nos differre*, scribit, *deque ullam aliam contemplationem ingenui viri animum, quam hanc, obtinere vehementiùs.* Quòd verò hæc in solam divisionem cadant, mente complecti non possum. Quamobrem sola divisio nullam probationis vim in se continet, sed tantum dispositionis, & distributionis. Quæ igitur pervestigaverit resolutio dispensabit divisio.

Cap. 5. & 9.

Cap. 3.

Cap. 3.

ARG. CAP. II.

Ex ijs, quæ in sanis ægrisque corporibus omnium hominum consensu reperiuntur, colligit naturam sanitatis, & ægritudinis: item plures esse morbos simplices, ac primos, quoniam multis modis corpora recedunt à sanitate, quæ ex simplici atque exquisitè uno, vel multis, quæ tamen immutabilia sint, constare non potest.

CAP. II. Tex. 4.

Sumendum verò, & hic omnium consensu approbatum principium, quod omnes homines, tunc se sanos existimant, cum partium corporis ministerio, ad eas, quæ in vita necessariæ sunt actiones, sine aliquo vitio perfungi potuerint. Quod si cuiuspiam partis operatio offensa sit, illam ægrotare arbitrantur.

COMMENTARIVS.

Quoniam sensus est iudex eorum omnium, quæ cognoscit, & apud omnes homines unus est, ideo omnibus confessa sunt, quæ percipiuntur sensu, & ab eo merito, ac jure principium ducit omnis nostra cognitio: idque declarat eius amor, & charitas, quippequi sublata quavis alia utilitate per se charus est. Nemini ergò mirum videri debet, si naturæ interpretes prudentissimi vulgarium hominum opem implorent in exordio artium & scientiarum tradendarum: ab ijs enim, quæ sentiuntur, emanant axiomata, quæ omnium artium sunt fundamenta, quibus in natura certius esse homini nihil potest. Siquidem progredi nobis ad res incognitas non licet, nisi à manifestis, ac minimè dubijs, ad incerta & obscura procedamus: at in his rebus, quæ naturæ ipsius habitu possunt ab homine cognosci, nihil est planè omnibus hominibus certum concessum, & exploratum, præter ea, quæ sensu accipiuntur, & ab his proximè delecta pronunciata. Hoc uno fundamento nitebatur Aristotelis argumentum libro primo de demonstratione, ubi docebat, *planè ac perfectè rem scire quemlibet, quando causam, per quam res est cognoscit, quando quidem omnes, qui aut revera sciunt, aut se scire putant, ob id, aut sciunt, aut se scire existimant, quod causam, per quam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscunt, ut non posse omnino rem aliter habere credant.* Primo autem Physi. ex eo probat cognitionem omnem, in qua sunt causæ, principia, & elementa, ab ijs exordiri debere, quod tunc scire putamus, cum hæc cognoscimus. Quæ causa Galenum etiam impulit, ut à vulgari popularique sensu nunquam non dicere exordiretur. Nam disputaturus de optima corporis constitutione proprio libello, de virtute septimo lib. de placitis; & de fascitudine tertio sanitatis tuēdæ, ab εὐεξία, id est, notione communi, & omnium consensu approbata, initium facit, mox ad substantiam ipsam investigādam methodum adhibet. Quarto etiam de differentia pulsuum, antequam definitionē essentialē tradat, primū omniū definitionē notionis proponit, acerbè, & asperè veteres accusans, qui substantiæ definitionem in medium adduxerunt, de communi omnium consensu nulla facta mentione. Hoc fuit ab

1. metaph. cap. 1.

Cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 1.

Cap. 5. Cap. 5. Eunoia.

Cap. 2.

eodem præceptum datum lib. 1. me-
Cap. 4. dendi methodi, *ut qui rationem inventionis suæ, auctorem statuerunt, ac ordinem, unamque viam, quæ ad finem ducat proposuerunt, his fuisse necessarium à primo aliquo auspicatis, de quo inter omnes homines conveniret, sic transire ad reliqua.* Subsequenti vero capite, quod debeat esse illud principium, his verbis exponit.
Cap. 5. *De notione ipsa prius convenire debet, cum sine hac proposita rei substantiam invenire nõ liceat. Ipsam verò notionem, quę omnibus in confesso sit, summendam diximus, ut quæ alias principium jure non dicatur.* Ex vulgi enim opinione talis definitio petitur, propterea definitio vulgaris ab eodem appellata
Cap 2. est lib. quarto de pulsuum differentia. Hujus præceptionis non oblitus Galen. cum proposuerit in hoc libr. morborum numerum investigare, merito jure hujus capitis initio ante oculos nobis constituit, quæ sit omnibus hominibus de morbo cõfessa notio, & de qua maximè re subjecta verbum hoc morbus enuntietur, essentiam deinde perscrutaturus. Verum enimverò ab inquisitione sanitatis exordiIn princip. cap. 2. tur, quippe quæ ipsi morbo contrario nomine opponatur, vel Aristotelis testimonio; contrariorum autem eadem,
Cap. 2. & similis disciplina, vt eidem etiam lib. tertio Metaphy. est visum. Vnde cognita sanitate, nulla interposita mora, morbum cognosci est necesse; sanitas enim & morbus unum idemq. subjectum habent, veluti forma & privatio, cuius
3. Meta. cognitio eodem Aristot. docente ex habitu initium capit, morb. sanitatis, quædam privatio est, ut nigredo albedinis.
Sanitatis definitio notatu. Ergò tunc omnes homines, inquit Gal. reputant, & dicunt sanos esse, quãtisper nullam partium corporis functionem impeditam sentiunt, sed earum obsequio, & ministerio libere, & sine offensione utuntur. Hanc sanitatis appellationem crebrò usurpamus: non sanè illius sanitatis, quam optimam esse, &
Com. 9 & quæst. 22 consummatam atque summam, sed illius, quam ceu deficientem ab illa, nec planè absolutam perfectamvé appellamus, quæ non parvam habet latitudinem, ut inferius cum Gal. dicemus omnes enim nos recte valere arbitramur, dum secũdum naturam expedite citraq.
Lib. 2. de san. tuen. cap. 5. dolorẽ actiones obire possimus. *Quippè sanitatem omnes requirimus, tum ad vitæ usus, tum verò ut molestia careamus. Vt examur enim in doloribus non leniter; illum verò corporis statum, in quo nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur sanitatem appellamus:* quando profectò partes omnes muneribus suis rectè funguntur ad exercendas κατὰ τὸν προῆκοντα σκοπὸν ἀνυποπτώτους actiones vitæ deservientes, non ad vitam necessarias, ut convertit interpres. Nam tres sunt primæ actiones, quæ in humano corpore celebrantur, ut ex lib. decimo quarto de usu partium colligi potest. *Quædã* Cap. 1. *ad vivendum necessaria, ut actiones cerebri, cordis, hepatis. Quædam ad vivendum commodiùs, ut actiones oculorum, narium, aurium, manuum. Quædam ad generis instaurationem, ut pudendorum, testium, & matricum.* Quæ actiones, licet non omnes sint ad hominis vitam necessariæ; tamen omnes ei traditæ sunt in servitutem. Sanus ergò est homo, quando rectè exercet actiones omnes vitæ deservientes. Hæc de sanitate corporis humani communis est hominum sententia; hæc apud omnes approbata notio.

Cum primùm verò partis alicuius actionem consuetam, vel imminui, vel depravari, vel tolli percipimus, de vitio & valetudine conquerimur: in hoc enim conveniunt etiam omnes homines, scilicet, ut omnis ægrotus habeat corporis aliquam actionem manifestò læsam, & ægrotet omnis homo, qui actionem aliquam impeditam habet. Vnde, cum oculi remissiores sunt in videndo, quam consuetudinis erat, vel depravatè vel nullo modo vident, morbosos nominant. Vbi observare oportet Galen. ex omnibus actionibus secũdum naturam se habentibus colligere sanitatem; at morbum ex una tantum actione impedita, non quidem corporis totius, sed alicujus partis, quod ideò fecit, ut in omnibus actionibus & corporis partibus esset vera notio morbi. Quod his verbis renovavit & instauravit libro 1. medendi methodi. Cap. 5. *Vbi citra offensam omnium partium corporis actiones obeunt, & valere se tunc homines dicunt, & minimè medicis egere putant: vbi verò, corporis actionum secundum naturam sensorium quampiam vel malè geri, vel prorsus non geri, & ægrotare se illa parte corporis existimant, cuius actionem læsam vident, & medicã de remedio cõsulũt. Ego sanè omnes homines ita video, tũ morbi, tum sanitatis nomẽ usurpare. Quod exordiũ euidens est, quoniam principia tradendarum artium sunt ab evidentib. quæ sunt inventionis præceptorum primordia.* Hac de causa Gal. ab eo fuit exor-

Morbi definitio nota.

Observanti

sus.

fus. Quamobrem hoc artis principium non est: *neq. enim ex evidentib. ars constituitur, neq. per evidentia fit eius traditio, quādoquidem nemo evidentia tradit; sed ea, quæ ex evidentib. præcepta oriuntur, quæ evidentia non sunt. Nam artis principia vulgo ignota esse debent, quoniam ars nulla ipsi nota est,* ut dilucidè docuit auctor libri de optima secta ad Tralybulum, quisquis ille fuerit. Cap. 3.

TEX. V.

His igitur ita se habentibus in duob. his sanitatem quærere oportet, aut in operationib. naturalib. aut in fabrica instrumentorum, quib operamur. Ex quo fit, ut morb. sit vel operationis, vel structuræ oblæsio. Sed quoniam & dormientes in tenebris, & otio ægentes, aut discumbentes, sæpe neq. ulla corporis parte movemur, neq. alicuius rei extrinsecæ cēsum habemus (nihilominus tamen sani sumus) hinc perspicuum existit, quod sanitas non operatione, sed potentia est definienda. Vt autem operari possimus, structura effecit naturalis. In hac igitur consistit sanitas. Vnde & hæc ipsa ad operationem vim obtinet causæ. Sive igitur naturalem omnium partium corporis constitutionem, sanitatem appellare libuerit, sive operationum causam, in idem uterq. incidit sermo. At si hoc est sanitas, eius profectò contrarium erit morb. vel constitutio præter naturam, vel læsæ operationis causa.

COMMENTARIVS.

SAnitatis & morbi notionem aperuit Gal. atq. ex sensui evidentib. principium statuit, quod in communi hominum sensu versabatur, iam nunc præcepta tradit, quæ nos ad rerum substantiā facilime ferant, vtpote longissimè ab imperitorum intelligentia sensuq. disjuncta: methodo enim resolutionis ex A reb. perceptis tanquam ex signis, ad id, quod non percipiebatur, nos adduxit. Quod vtile præceptum est, *cuius apprehensionem*, ut constat ex loco proximè citato, *non convenit vulgarib.* esse communem sed artificib. propriam. Vnde lib. 1. medendi methodi, postquam tradidit morbi notionem, scribit se *facturum interpretationem ex græcorum consuetudine: ipsius autem rerum essentię, tum inventionem, tum inquisitionem, tum demonstrationem, non ex ijs quæ multitudini videntur, sed ex sumptionib. scientificis, quæ lemmata vocant.* Vt ergo morbi essentiam possit concludere Gal. duo tradit axiomata & pronuntiata ex his orta, de quib. inter omnes convenit. Nam si sani dicuntur illi, qui nullius partis officiū præter naturæ suæ consuetudinē impeditum sentiunt (quæ sanitatis est vulgaris definitio) profectò sanitas erit, vel actio secundum naturā, vel constitutio partium, quib. actio perficitur. Præterea si morbosi dicuntur illi qui habent corporis aliquam actionem manifestò impeditam (quæ popularis est definitio morbi) certè quidē morb. uel erit actio impedita, vel aliquid, sine quo impedita actio numquam, & nusquam invenitur, quod est earumdē partium vitiata, & corrupta constitutio. A quib. duob. theorematis remotis à vulgari intelligentia exordium cæpit hæc disputatio. *Quod enim ex evidentium consensu ratione inventum est, & universim prolatum, theorema, & præceptum* dicitur artisq. principium, æternum quidem, firmum atq. perpetuum. Hinc igitur Gal. artē exorsus est. Ibidem. Cap. 5. Lib. de epi. loc. cap. 4.

Sanitas vel est actio secundum naturam, vel constitutio partium, à qua profluit actio. Item morb. vel est ipsamet actio offensa, & præternaturam, vel ipsius offensionis causa. Cæterum actiones esse nullius existimavit eruditus, actionū ergo causæ sunt. *Morbi natura investigatio.*

Interim admiremur singulare huius auctoris artificium, dum rimatur morbi naturam dumtaxat in constitutione, vel in actione. *Nam de hoc fuit antiqua controversia*, atque ad sui temporis diem accidisse, scribit lib. secundo medendi methodi, *vt dissiderent inter se omnes, non modo medici, sed etiam philosophi, alij ipsius actionis vitia, alij constitutiones, unde actio prodit, morbos nominantes.* *Observatio* Cap. 1.

Sed antequam longiùs habeamus, septem voces, quas in sua probatione usurpat G. exponēdę sunt. *Actio. Actio secunda*

secundum naturam, Actio præternaturam, Constitutio, Constitutio secundum naturam, Cōstitutio præternaturam, instrumentum.

Actio quid. Actio motus est ab agente, ut multis in locis docuit Gal. Hæc tandiu est, dum pars operatur, ut concoctricis motus circa alimentum actio, dicitur illius facultatis: quamquam promiscuè, & cōmuniter loquitur Gal. ut Aristoteles aliquando. Nam si perscrutemur penitus rei naturam, & rationem, actio propriè ac verè non est motus, (formaliter dicunt) quamvis actio & passio sint una, & eadem res cum motu. Quippe motus, ut motus, quidpiam analogum est & incompletum, atq. si actio & passio nihil differunt ab eo, ad nullum rerum genus spectarent.

In categ. c. 10. et 3 phy. 3.

Actio secundum naturam. Cat. ophysin Cap. 1.

Quæ græcis dicitur actio κατὰ φύσιν, Latinis est actio secundum naturam. Sed cum secundum naturam multis modis dicatur, ut lib. sexto de placitis indicavit Gal. hic significat, *quod prima ratione à natura sit.* Nam cum à principio natura in fabricatione, seu ortu animalis, ut libro de marcore legimus, nihil sibi proposuerit, *quam perfectum reddere, quod generaretur, atq. illud perfectum sit, cui nulla propriarum actionum desit*, proculdubio actio secundum naturam gratia perfectionis à natura fuit comparata. *Vnde omnium, quæ in corpore habentur, primum, cuius maximè indigemus, est ipsa particularium minimè impedita functio: hanc vero quia possidemus naturâ, id circo publicè dicimus, expetere nos secundum naturam agere: & quia hoc ipsum cum eo, quod secundum naturam se habet, est cōiunctum, meritò profectò nihil interesse arbitramur, secundum naturam habere, an secundum naturam agere dicamus.* Actio igitur secundum naturam erit actio conveniens, quod si conferentem, vel conducentem, vel utilem dicas, eadem sermonis vis erit. Atq. hæc quidē secundum naturam actio amplectitur omnes actiones corporis benè affecti, nōn modo naturales, id est voluntatis expertes, sed etiam voluntarias. Vnde miror, quid causæ fuerit, cur hoc loco interpres voluerit contextum obscurare, dum *operationes naturales*, convertit. Nam quandocunq. noster Gal. de actione naturali, quæ non paret voluntati, verba facit, eam vocat φυσικὴν, naturalē: hic verò, cum intelligat generaliter omnes actiones, quæ benè habent, comm o dè dixit, κατὰ φύσιν, secundum naturam.

Vt. meth. c. 14.

Observatio

Physicen.

Cat. ophysin Actio præternaturalis.

Si actio secundum naturam sic se habet eius oppositum, nempe actio præter naturam erit inutilis actio, & conveniētem modum excedens, veluti pulsus velocior, quam naturalis constitutio patiatur. *Nam quamvis cor ex se ipso moveatur in eiusmodi pulsu*, secundum naturam tamen non movetur. Quemadmodum si equus vehementiori impetu prorues, *alterum equum una cum toto curru, & rectiorem secum trahat*, est quidem eius actio ex seipso: præter naturam tamen est.

6. de placit. cap. 1.

Ibidem.

Porrò constitutio est certa quædam compositio ex multis. Hanc in nostro corpore triplicem esse consequenti capite docebit Gal. Prima est partium similarium, congressus nempé corporū simplicium calidi, frigidi, humidi, & sicci, & quasi consentiens coagmentatio naturæ, quam temperamentum appellamus. Secunda est partium dissimilariū, quæ structura quædam dicitur, & illarū partium quidam apparatus constans decenti formatione, numero debito, magnitudine iusta, & compositione requisita, quæ in positu, & connexione consistit. Tertia & postrema est cōmunis omnium partium, tam similarium, quā dissimilarium continuitas.

Constitutio.

Constitutio secundum naturam dicitur, quę nostrum corpus incolume seruat, & eius actionum secūdum naturam causa est.

Constitutio secundum naturam.

Contra constitutio præter naturam est, quæ ita dilabitur à naturæ integritate, & perfectione, ut actiones solitas vitiet, atq. ita omnium actionum præter naturam causa dicitur.

Constitutio præternaturam.

Demum instrumentum, quod à parte instrumentaria non distinguitur, ut ex primo lib. de Hist. animalium præclarè constat, tripliciter video usurpari. Primò & præcipué organum vel instrumētum dicitur pars, quæ sola sibi propriā peculiaremve actionem edit, quemadmodum ex lib. secundo de locis patientib. colligitur, ut brachium, oculus. Secundò sumitur instrumentum pro parte illa similari, cui, in quolibet instrumento prima significatione accepto, adscribitur actio, cuiusmodi est humor chrystallinus, quem instrumentum visionis appellat Gal. primo & secundo methodi medendi, libro de instrumento odoratus, & octauo de usu partiū. Ideò enim dixit primo methodi, instrumenta perfectas edere actiones, ut oculus visionē, quoniā illa instrumenta perficiunt actiones inchoatas ab illa parte simplici,

Instrumēti

Cap. 1.

Cap. 4.

Cap. 6. Cap. 6. Cap. 3. Cap. 5.

Ibidem.

cui

cui debentur. Vnde instrumenta primæ acceptionis dicuntur ab aliquib. organa perfectionis, ut oculus. Secundæ verò appellantur organa originis, ut humor crystallinus. Postremo instrumentum latius patet sumiturq. pro qualibet parte, per quam in animantis corpore actio aliqua fit. Vnde Gal. primo de locis patientib. *Quælibet in animantis corpore actio peculiarem habet particulam, per quam perficitur, eoq. actionem læsi necesse est, instrumento ipsam efficiente quomodolibet affecto.* Nam, cum omnes partes attrahant, retineant, transmutent, & expellant, ex eo instrumenta vocari possunt. *Instrumenta*, inquit alio loco, *propriam ac suam cuiusq. ostendunt curationem; alio enim modo nervi affectus alio cerebri ago, & alio carnosum genus curatur.* Et paulò post tradit, *nervum esse instrumentum vocis.* Quam obrem hac significatione instrumentum est corpus toti cohærens, communiq. vita cõiunctum ad illius functionem usumve comparatum, quæ quidem perfecta partis nostri corporis proprié dictæ definitio est. Omnis ergo pars quodammodo instrumentum est, quatenus actionem absolvit, ut voluit etiam auctor libri de anatome vivorum. Porrò hac significatione sumitur hoc loco instrumentum. Nam hic hominis corpus contemplatur Gal. quatenus sanitati, aut morbo est obnoxium. Itaq. omnia ea corporis nomine instrumenti insignienda putamus, quæ sanitatis, & morbi subiecta sunt: at omnes partes morbis afflictantur, quæ actiones edunt. Ne quis tamen deciperetur existimans sanitatem, vel morbum tantum reperiri in constitutione instrumentorum, quæ proprie dicuntur instrumenta, id Gal. voluit magis explicare ijs, quæ paulo post subjicit, verbis. *Sive igitur naturalem omnium partium constitutionem sanitatem appellare libuerit, sive operationum causam, in idem uterq. incidit sermo.* Nomine igitur instrumentorum omnes partes intellexit, quib. operamur.

Organa perfectionis. Organa originis.

Cap. 2.

Fragmenta de affect. ac morbis instrumentorum cap. 1. & 2.

Definitio partis.

His explicatis firmissimum Galeni argumentum dilatemus, & inquiramus, num in actionib. vel in constitutionib. partium sanitas & morb. reponantur. Cuius argumenti propositio, ex qua emanat omnis vis ratiocinationis perspicuam, omnib. retinet veritatem. Sanitas vel est actio secundum naturam, vel constitutio partium, quib. actio perficitur. Similiter morbus, vel est actio præter naturã, vel cõstitutio partiũ vitiata, à qua impeditur actio: est enim impossibile, ut in alio sanitatem, aut morbũ, recte quæramus, quã vel in actione ipsa, vel in actionis proxima causa. Assũptionẽ, quatenus ad sanitatem pertinet, scilicet eandem non esse actionem, sic persuadet Gal. Quũ dormimus, aut in umbra & otio degimus, aut discumbimus, fit ut sæpe nullam partem moveamus, nullãq. externam rem sentiamus, nihilominus tamen sani sumus, vel ex eo, quod otiũ habeamus, non indicamur sanitati privati, quod certè fieri non posset, si sanitas esset actio. Quamobrem sanitas actio no est, sed τὸ ἐνεργητικὸν, hoc est, *sed illud posse,* (ut verbum è verbo exprimamus) agere autem possumus à naturali constitutione, in hac igitur consistit sanitas, quæ cũ sit partiũ corporis veluti actus primus, etiam in dormientib. vel in nihil agentib. existit semper. Actio verò temporaria est, & quo solùm tempore fit, actio rectè & propriè dicitur. Meritò igitur in constitutione, tanquam in causa prima, atq. ea perpetuò subsistente sanitas collocabitur. Quoniam autem ipsa constitutio actionis respectu, causæ rationem obtinet, nihil refert, utrum sanitatem omnium partium corporis naturalem constitutionem appellaveris, sive causam actionis secundum naturam, in idẽ enim uterq. incidit sermo. Demonstratio est hæc, quam ideo ex actionib. animalib. duxit Gal. quod eæ magis pateant, & notæ sint omnib. ac solitæ conquiescere: in naturalib. enim cuiusmodi sunt pulsatio, & nutritio, res difficilem habebat explicatum.

Tithymallus

Observatio

Ex quib. nos alterum sumptionis partem possumus commonstrare, scilicet morbum non esse actionem. *Nam si quid prætermisit Gal. quod tamen idem habeat ius dicium cum ijs, quæ ab eo dicuntur, hoc quoq. fuisse dictum potentia, existimandum est, atq. ad rationem addendum.* quemadmodũ ipse de Hippocrate dixit. Quandoquidem si morb. esset actio, neq. podagricus, neq. claudus, neq. aliter debilitatus dici posset æger pedib. quãdiu vel dormiret, vel alias quiesceret: illo nãq. tẽpore, cũ nulla si pedũ actio, neq. impedimentũ eius aliquod actu præsens fuerit: at nos tales tunc, etiam dum somnum suaviter capiunt, omnes morbosos esse verè dicimus. Morb. igitur non erit actio, sed offensæ actionis causa. Summa est.

Lib. 1. de diem. c. 3.

1. aph. 16.

Vbi actionis non est impedimentum, ibi

ibi neq. morb. at ubi morb. est necessario adest actionis detrimentum, ex necessitate igitur morb. vel est ipsa actio impedita, vel aliquid cum actione læsa semper & ubiq. coniunctum: at non est actio impedita, cum etiam quiescentes ægrotét, neq. aliud invenitur, quod eius læsioni proximè adiunctum sit, præter eius causam proximam, quę est partium constitutio læsa, ergo morb. erit ipsa partium cõstitutio præternaturã, actionisq. præpeditæ proxima causa.

Cap. 1. Idem præclarè confirmavit Gal. lib. secundo medẽdi methodi, vbi quatuor esse docuit eorum differentias, quæ in corpore præternaturã apparent, actionem læsam, affectum, vel constitutionem præternaturam, causam, quę præcedit affectum, & symptomata, quæ affectum necessario consequuntur. Ex quib. *quatuor, vel unum, vel quædam, vel omnia morbũ esse*, scribit. Iam cum causa præcedat, & symptomata sequãtur affectum, atq. neutrũ morb. esse queat, restat, ut vel actio læsa, vel affectus, unde actio læditur, morbi esse statuatur. Sed cũ actio læsa non simpliciter curetur (*Non enim sanat claudicationem, sed affectum, qui hanc efficit*) cõcluditur apertissimè morbum esse affectum, vel constitutionem, quam actio vitiosa consequitur. Neq. nos in admirationem rapiat, quod actionem læsam se iungat à symptomate. Nam & actio læsa symptoma est, & non quatuor, sed tres tantum res præter naturam in nostro corpore, morb. causa morbi, & symptoma. Verũ Gal. citato loco enumerat quatuor iuxta methodum, quæ singula invenerat primo libro. Præter quam quòd Gal. ibidem, probaturus cõtra veteres actionẽ læsam non esse morbum, sed symptoma, eandem excluſit ab vtroq. ne peteret principium.

Verumtamen hoc loco multo faciliori argumento usus est, ad morbi naturam investigãdam, gratia illorum, qui non dum medicas, sed tantum logicas, vel physicas demonstrationes norunt. Nam postquam monstraverit sanitatem esse partium naturalem constitutionem & causam actionis secundum naturam, liquidò confirmat, quid sit morb. ducto ex contrarijs argumento. *At*, inquit, *si hoc sanitas est*, id est, si sanitas est constitutio naturalis, vel actionum secundum naturam causa, manifestum est, *quod sanitati contrarium morb. erit, vel constitutio præter naturam, vel vitiate, seu læsa actionis causa.* Sanitas autem & morb. ex eodem genere contraria sunt, ut supra dictum est, & in sequentib. demonstrabitur: erunt igitur amborum contrariæ rationes, atq. sub eodem planè proximo genere ambo collocabuntur. Hæc est morbi definitio substantiæ, quam tum ex definitione vulgò approbata, tũ ex natura contrariorum elicimus, in qua declarãda, non fuit tam diligens, & attentus G. sicut lib. de differentia symptomatum, quo loco, minutias persecutus, & à sanitate, & ab alijs reb. & affectionib. præter naturam, morbum conatur distinguere: hoc verò ubi morborum numerum inquirit, satiùs esse putavit fortasse, tantum morbi genus ante oculos nobis constituere, atq. docere morbum, vel esse constitutionem præternaturam, vel causam actionis vitiatæ, quoniam sanitas est constitutio naturalis, vel actionis secundum naturam causa, ut ex hoc posset confici, tot fore morbos simplices, & primos, quot essent status depravati, qui à naturali constitutione laberentur. Hinc fortasse dixit in principio, exponendum esse, quid morb., vocaretur, & non quid esset omninò. Quanquã propter notionis definitionem id protulisse, firmiùs credo.

Quæst. 12.

Cap. 1.

Observat.

TEX. VI.

Liquet autem, quod etsi dispositionem præter naturam dixeris, cum eo, quod nomine uteris antiquo, idẽ quoq. significabis.

COMMENTARIVS.

Διάθεσις affectio est: sed præter id significat etiam dispono, constituo, & colloco. Vnde non solùm deduci potest διάθεσις, hoc est, affectus, affectio, vel dispositio, sed etiam constitutio, & cõpositio, quoniam eiusdem potestatis est cum verbo κατασκευάζω, quod est, cõstruo, constituo, vel compono, à quo deducimus κατασκευὴν constitutionem, apparatum. Sed de nominib. varijs, quib. morb. vocetur, in controversijs disceptabimus.

Διάθεσις.

Διαθέσεως.

Κατασκευὴν.

Dixit autem Gal. antiquum ac vetus esse nomen διάθεσις, & affectus, non quidem quod non sit pariter vetus nomen κατασκευῆς, & constitionis, sed quòd fortasse

Διαθέσεως.

Κατασκευῆς.

tasse veteres nomen diathesis ad morbũ applicaverint libentiùs, quam nomen cataſcevès, quod licet videre apud Hippocratem, Platonem, & Arist. qui morbum ſedulò vocarunt affectum, quemadmodum ſuo loco dicemus. Sic iuniores medici, quamvis ſanitas ſit affectus naturalis, & dici poſsit, atq. noſtri corporis partes naturaliter affectæ: verum ſanitatem ipſam libentiùs appellant conſtitutionem, quam affectum, qui quidẽ ferè ſemper transfertur ad ſtatum præter naturam: at nomen conſtitutionis, tum apud Græcos, tum apud Latinos æquabiliter dicitur de vtroq ſtatu & naturali, & præter naturam. Hac de cauſa dixit Gal. nomen diathesis, & affectus antiquum eſſe, hoc eſt, ad morbum appellandum priſcis magis uſitatum ac tritum, quam nomen conſtitutionis.

Ergo morb. eſt conſtitutio præter naturam, quod ſi affectum, vel diſpoſitionem præter naturam quiſpiam dixerit, idem aptè ſignificabit, & nomine uſus fuerit antiquo.

Obſervatio

Quib. verbis ſole clariùs apparet Galenum pro una, & eadem re hoc loco uſurpaſſe conſtitutionem, & affectum, vel diſpoſitionem.

TEX. VII.

Quot verò modis exeuntia naturæ normam impediantur in naturæ operib. corpora, ſi invenire potuerimus, hac una via omnium ſimplicium morborum numerum inveniemus. Sumatur verò & hic conſtans omnium confeſsione principiũ. Id quod naturale exiſtit, eſſe moderatum, non in animali ſolùm, ſed in plantis, & ſeminib. & omni organo: quod verò præter naturam eſt, immoderatum. Erit igitur ſanitas moderatio quædam, morbus autem immoderatio.

COMMENTARIVS.

HActenus ſummatim perſcripſit G. morbi naturam, ea quidem ex parte, quatenùs à ſanitate diſtat, ut hinc poſſet in capite reliquo prima genera morbi odorari & perveſtigare. Hoc igitur loco viã indicat, qua ſimplicium morborum numerum in univerſum deprehendamus: ea verò eſt, ſi varium ac multiplicem à naturali conſtitutione recedendi modum cognoverimus. Sed unde receſſum morboſum diſcernemus? Profecto ex actione læſa. Nam multi ſunt corporum receſſus à naturali conſtitutione. Verũ illi tãtum receſſus ſtatuendi, decernendiq. morbi ſunt, quos actionum læſio comitatur: ideò addit tot eſſe morbos, quot modis corpora in actionib. ſuis impediuntur, quoniam ex læſione actionum capimus morborũ cognitionem. Methodus ergo inventionis hæc eſt. Tot ſunt extrema, quot ſunt receſſus à mediocritate: ſed morbi tantũ recedunt extremorũm inſtar à ſanitate, quæ mediocritas quædam eſt, ergo tot erunt morbi, quot modis corpora, vel illorum partes à naturali conſtitutione recedere, unde in actionib. ſuis impediantur, invenerimus. Propoſitionem negabit nemo. Sumptionem confirmat Gal. quodam principio, quod apud omnes homines inconfeſſo eſt. *Quod ſecundum naturam eſt, ſymmetron*, hoc eſt, *moderatum eſt, non ſolùm in animante: ſed etiam in ſtyrpib. ac ſeminib. omnique inſtrumento*, id eſt, inanimantium & ſtyrpium, atque feminum qualibet parte alicui actioni á natura dicata: partes enim omnes ab initio inſtrumenta vocavit. Contra, *id, quod præter naturam eſt, Ametron*, hoc eſt, *immoderatum eſt.* Quum autem in confeſſo etiam ſit, ſanitatem eſſe quippiã ſecundum, morbum verò quippiam præter naturam, profecto *ſanitas erit ſymmetria, & moderatio quædam; morb. autem ametria & immoderatio.* Idem induxit exordium ad inquirendas difficultates reſpirandi. *Primum*, inquit, *eſt quod ſecundum naturam habet, atq. ad veluti regulã & menſuram eſt, & ſibi ipſi ſimile; varium autem & diſſimile, & multiplici errore involutum, quod præter naturam eſt, cumq. unum ſit hoc & animali commodum, palam eſt etiam eſſe moderatum. Si verò hoc moderatum eſt, immoderatum utiq. fuerit id, quod præter naturam habet.*

Tex 5.

1. de difficultate reſpirationis cap. 1.

Sed antequam abeamus vlteriùs principiũ, quo hic utitur Gal. licet nulla indigeat probatione, planius exponamus, & ab omni ambiguitate liberemus. Moderatum ut alibi Gal. docet bifariam diſtributum eſt, alias dicitur id, quod

1. de ſan. tuida c 5.

ad

ad summum pervenit, & verè prorsusq. moderatum & æquabile existit: aliàs ab huius absolutione perfectioneque paulum deficit. Similiter immoderatum erit duplex, alterum quod optimum absolutum, & summum non est, qua ratione octo differentiæ temperamentorum dicuntur immoderatæ. Alterum quod lapsum est de sua naturali cõstitutione qualiscunque ea fuerit, ut si quis dicat se aliquid priùs fecisse, nunc idem facere non posse, profectò huius constitutio immoderata est & corrupta sanitas, nisi fortè senectutis vitio incidit ea imbecillitas: senes enim & male cernunt, & confusè, oblæséq. audiunt & pedib. parum valent, & manib. sani tamen sunt & in ea ætate moderati. Præterea secundum naturam vel naturale dupliciter dicitur. Primùm, quod unicuique proprium est, ut singulare temperamentum calidum & humidũ, quod Socrati secundum naturam est. Deinde id, quod communiter datum est, vt hominib. habere quinq. digitos: est enim hoc secundum communem hominum naturam. Vnde concluditur, præter naturam, dici duplici ratione, aut quod deflectit à propria natura, qua ratione plures morbi præter naturam dicuntur, cum sint lapsus à propria cuiusq. corporis constitutione, aut, quod recedit à natura communi, quamtumvis nõ sit extra naturam, & peculiarem constitutionem alicuius corporis, ut sextus digitus. Ga. in proposito principio vtráq. significationem amplectitur eius, quod secundum & præter naturam est. Moderatum verò id appellat, non quod perfectum est, & temperatum æquabiliter, sed quod naturalem constitutionem seruat, cuiusmodicunque sit, immoderatum autem, quod non habet constitutionem, vel temperiem naturalem.

Quib. iactis reveniamus ad assumptionem demonstrandam, nimirum morbos, solùm à sanitate declinare. Nam id tantum, quod moderatum est, recedit à moderato: sed morb. est immoderatio, sanitas autem moderatio, ergo solùm morbi recedunt à sanitate. Probatur assumptio, quoniam id, quod naturale est, cuiusmodi sanitas, moderatum est, & quod præter naturam, cuiusmodi morb. immoderatum.

Atq. hæc est, qua morbi cognoscuntur, regula. Nos, inquam, vnà etiã omnium simplicium morborum numerum breviter consecuturos, ubi inveneri-mus, quot modis corpora in suis actionib. impedita recesserint à naturali constitutione. nõ enim quivis recessus morbum constituit, sed, qui præter naturam affectus cum sit, vitiaverit actionem. 1 method. cap. 3.

TEX. VIII.

Quarum igitur rerum immoderatio morbus sit, deinceps considerandum. An scilicet quorum sanitas moderatio est, eorundem morb. est immoderatio? Quapropter si moderatio meatuum sanitas existit, eorũdem immoderatio morb. existit. Quod si ex temperantia calidi, frigidi, humidi, & sicci, sanitas pendet, ex eius contrario necessariò ægrotare cõtinget. Eadem ratione si in aliquo alio quopiam genere, sanitas fuerit, in eiusdem generis immoderatione erit ægritudo.

COMMENTARIVS.

SAnitatem moderationem esse, morbum verò immoderationem à natura contrariorum desumptum est, & quoniam in quo genere alterum eorum reponitur, in eodem & alterũ reponatur est necesse, nũc investigare conatur, quarum rerũ sanitas moderatio sit, quãdoquidem sibi considerandum proponit, quarum rerum morb. fuerit immoderatio. Verũ cum tẽpore Galeni non omnes medici sequerentur Hippocratem, sed fere omnes Democritum, & Asclepiadem, quorum dogma de origine sanitatis, maximè distabat ab Hippocratis opinione, hinc, ne principium petere videatur, in requam prima genera morborum concludat, utrumq. placitũ voluit examinare, momentoq. suo ponderare. Nos verò primùm & Hippocratis, & veterum dogmata de sanitatis principijs enarremus, ut possimus cum Galeno de constituentib. morbum ad extremum deliberare.

Leucippus & eius familiaris Democritus, quos Epicurus insecutus est, duo tantum esse principia rerum naturalium prima, ex quibus omnia dicuntur constare,

cōstitue, arbitrati sunt, plenum & vacuū, illud ens, hoc non ens appellabant. Vacuum multis de causis necessarium esse aliquib. argumentis confirmarunt, quæ legere licet apud Aristo. 4. lib. Physi. Alterum statuerunt principium, quod sit omnino plenum & solidū specie & potestate unum, actu verò & sub specie multiplex. Huius verò corpora plena, & solida vocabant atomos, hoc est, individua corpuscula. Vnde corpora hæc minima sempiterna & impatibilia esse, nec amplius posse dividi voluerūt. Quoniam verò atomi omnes erāt ejusdē naturæ, ideo rerū discrimen & varietatē naturæ prodiderunt ex sola diversorum accidentium accessione, quorum principia dicebant esse ῥυσμὸν, διαθιγὴν, & τροπὴν, figuram, ordinem, & positum: Aristot. enim sic interpretatur verba, quib. Democritus suam sententiam indicabat. Nam ῥυσμὸς, græcé quidem significat extensionem, & fluxionem. Abderitarum autem lingua, figuram. Quare Democritus aut peregrina lingua significationem voluit occultare; aut usus est nomine extensionis ad significandam figuram, quia quæ extenduntur & fluida sunt, facilè in omnem figuram verti possunt, pro ratione receptaculi. Hinc apud M. Tullium introducitur Democritus sive etiam Leucippus faciens corpuscula quædam lævia, & quædam alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quædam, & quasi adūca, ex quibus effectum esset cœlum atq. terra, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito. Nomine τῆς τροπῆς, quę interpretatur conversio, ideò significabat situm Democritus, quia situs partium sola mutatione rei mutari potest, tametsi loco non mutetur. Vnde atomi aliæ superiores erant, aliæ inferiores, quædam anteriores, quædam posteriores, nonnullæ dextræ, atq. nonnullæ sinistræ. Deniq. nomen τῆς διαθιγῆς, quod significat contactum, ideirco accipiebat pro ordine prioris & posterioris secundum locum, quoniam quæ ordine proximo disposita sunt se se mutuo contingūt. Vnde aliquę atomi priùs collocabātur, aliquę verò posterius. His Epicurus adjecit pōdus, ratus sine pōdere nihil moveri posse. Cœterum Asclepiades Bithinus à naturalium rerum studio philosophus dictus, eandem, quam illi, de rerum natura sententiam, retinuit nominibus tamen mutatis. Nā atomos appellavit moles, vacuum verò meatus. Iam quod græci πόρους appellant, meatus vocant latini. Sunt autem nihil aliud, quam *exilia & insensibilia foramina dissipationi ac perspiratui deservientia, quorum non modo reliquum corpus universum, sed etiam tota cutis plena est.* Quos meatus exiguos intellexit Gal. hoc loco, ut cap. septimo indicabit, de meatibus patentioribus verba faciens; hæc enim scribit. *Quiquidem ab iis plurimùm differunt, quos prioris sectæ auctores supposuerunt ex primorum atque impatibilium corporum fieri conventu. Nam intestinorum, venarum, arteriarum atque omnium hujuscemodi instrumentorum meatus, hos, inquam, magnos & manifestos, omnes perspicuè videmus. Quod si ex ipsis aliquis ob nimiam parvitatem sensum effugiat, non tamen propterea ex eodem genere, cum illis existit, quos prior secta supposuit.* Hinc igitur veteres omnia effinxerunt.

Hippocrates autem omnium, quos novimus, medicorum philosophorumq primus, ut qui primus naturæ opera norit, ac rerum omnium elementa excogitarit, & quantum satis esse possit, demonstrarit, calidum, frigidum, humidum, & siccum invexit, affirmavitque omnia ex his totis per tota mistis, atque interse mutuò agentibus & patientibus omnia constare, artificemq. naturam esse. Quinetiam de morborum discrimine, quot hi quiq. sint ac de symptomatis parimodo. Præterea de horum utrorumque causis primus omnium rectè principia dedisse videtur.

Magister Plato de sententia Hippocratis nusquam discessit. Nam corporis nostri constitutionem è terra, igne, aere, aqua existere, & ex horum, vel defectu, vel excessu, vel translatione, morbos fieri manifestè in Timęo, declaravit. Quo loco, quantum ad elementa prima spectat, eorumque qualitates, aperte Hippocratem secutus est.

Quibus sic explicatis, veniamus ad Galenum, qui duplicē hypothesin subjicere videtur hoc loco, unam ex eorum dogmate, qui meatus esse corporis humani elementa dixerunt, cujus opinionis auctor fuit Asclepiades; alteram verò de Hippocratis sententia, qui calidū, frigidum, humidum, & siccum nostrorū corporū elementa esse affirmavit, demōstratq. morbum eorundem esse omnino vel immoderationē, vel intēperiē, quorū sanitas est, vel moderatio, vel temperies in quocunque genere rerum statuatur. Nam, ut alibi scribit Gal. *nemo fuit*

Cap. 6. 1. lib. de his qu. philosophantur lib. 1. de el. c. 1. & de cōstit. artis med. cap. 8.

Rhemn. Diatriben Tropon. 3. Metaphr. cap. 4. Ryssum.

2. de natu. Deorum.

Vet tropon.

Vet Diathe gri.

7 & 8. de temp. sec. loc. cap. 5. De theriaca ad Pisonem ca. 11.

2 Epid.

Gen. 2. Porus.

1. de fa. rū. cap. 12.

Text. 31.

Galen. 1. de nat. fac. cap. 13. 1. de elem. cap. 9. 1. mor. c. 2. 1. de natu. hom. com. 24

2. de placitis c. 2. libel lo contra Iulianū c. 4.

1. morbor. cap. 7.

adeò stupidus, ut in alio genere poneret sanitatem, & in alio morbum. Quoniam contraria sunt, quæ in eodem genere plurimum interse dissident, veluti candidum & nigrum; etenim unum est horum genus, color. Idcoque si contraria interse sunt sanitas & morbus, in quocunque genere eorum, quæ naturaliter se habent, statuetur sanitas, in eodem, cum praeter naturam se habent, ponetur morbus. Iam verò sanitas est symmetria, id est, moderatio. Quarum itaq. rerum sanitas moderatio erit, earundem morbus erit immoderatio. Quod si igitur in meatuum moderatione sanitas est, in eorundem immoderatione quoque morbus erit; si verò in calidi, & frigidi, & humidi, & sicci temperie sanitas consistit, in horum intemperie morbus cõsistet necessariò. Quibus verbis Gal. morbi compositionem parem & æqualem esse compositioni sanitatis indicavit, quãdo eodem nomine morbi naturam explicat, quo sanitatem definit. Sed in controversijs id explicabitur accuratiùs.

Cõservatiõ

TEX. IX.

Sed hoc ipsum rationabiliùs consideremus. Si quod sit corpus maximè simplex atque unum, id nunquam (quod dici solet) magis minusq. suscipit: neq. in hoc genere alterũ melius, alterũ deterius reperitur. At si ex plurib. costet, multi in eo cõposituræ modi, alij meliores, alij peiores contingent. Ex quo illud evenit, ut ipsa composita, conditione meliora & deteriora inveniantur. Id verò quod optimè sit constitutum, inter ea, quæ ad idem genus attinent, optimum existet. Nunquid igitur corpora animalium magis, ac minus admittunt, tantaque in ipsis varietas est, ut alia quidem optimi sint habitus, alia simpliciter boni, non tamen optimi; alia, quæ etsi sana dicantur, non tamen sint boni habitus, quædã verò minus valeant: quædam autem ægrotent, atq. horũ quoq. ægrotatio quandoq. levior, quãdoq. periculosior: & hæc ipsa, quandoq. vehemens nonnũquam periculum mediocre affert? An omnes similiter affecti sumus, tum sani, tum ægri? Hoc certè dicendum non est. Quare animalis corpus non erit unum, veluti atomus Epicuri, aut Asclepiadis in compactorũ quid corpusculorum. Compositum igitur omnino. Quod si ex atomis aut ex hujusmodi corpusculis incompactis impassibilibusq. constaret, in compositionis qualitate tantum modo, magis minusque susciperet, veluti domus ex impassibilibus constructa lapidibus, non tamen habentibus compositionem ex omni parte perfectam. Quod si & lapides ipsos aliquo pacto pati contingeret, varios sanè modos ac multiformes domus eadem in suscipiendo magis & minus admitteret. Si verò & corporum nostrorum elementa eam naturam habent, ut & pati, & alterascere possint, non in compositione, & partiũ formatione tãtum, sed in totis seipsis magis minusvè corpora ipsa recipient. Atque eo ipsa per se tota, tot morborum genera contrahent prima atquè simplicia ac veluti aliorum elementa, quot fuerint componentia.

COMMENTARIVS.

Morbum in iisdem consistere, in quibus sanitas resideret, dilucidè fuit demonstratum, volens autem Gal. definitè rem commemorare, atq. moderationem non esse unam confirmare, sed variam, similiter atque immoderationem, in eum quidem modum suam continuat orationem. *Atque rursus hoc ipsum* Λογικώτερον, id est, *magis logicè considerabimus*. Nam differendi ratio verum à falsò liberè discernit. Porrò

Logicè

ut

ut posſit invenire, in quibus subsistat sanitas bipartita utitur argumentatione. Principio demonstrat sanitatem nō consistere in uno, quo loco eos irridet & contemnit, qui affirmarunt omnia potestate ac specie unum esse, quem admodum Epicurus & Democritus individua ea corpora; quæ atomos appellabant. Deinde neque ex multis, quæ tamen impatibilia sint, constare probat, ubi condemnat illos, qui minima quædam, & incompacta & impatibilia introducunt elementa, ut fuxit Asclepiades. Meritò autem libro de optima secta dictum est, *præcepta consistere in iis, quæ alibi fuere præstensa*, quoniam ad illa confirmanda suppositionum loco sumit, quæ alio in opere sunt ab eo demonstrata. Primùm ergo supponit ex primo de elementis. *Si corpus aliquod simplex, atque exquisitè unum fuerit, specie inquā, & potestate unū, id nunquā magis & minus suscipere posse. Verum si ex pluribus constet plurimos etiam fieri in ipso compositionis modos, alios meliores, alios peiores.* Quia si principium sit ab omni penitus comutatione alienum, cujusmodi est elementum illud immobile simplicissimum atque exactè unum, eúdem omninò statum, quem à principio sortitū est, perpetuò servabit; ab eo enim, quod numero vel specie unum est, nulla actio vel motus, vel perturbatio, vel affectio provenit. Vnde nulla intentio & remissio, vel diminutio. Sed cum dictum sit ab Aristo. nullam substantiam, id ipsum, quod suapte natura est, magis & minus sibi vendicare, neque enim homo nunc magis, quam antea nomen hominis obtinet, nec substantia aliqua; propterea Gale. orationem expolivit, & quasi retexuit dicens, *neque in hoc genere alterum melius, alterum deterius fuerit*: tametsi enim substantiæ non suscipiant ex se intensionem & remissionem, sed per qualitates: tamen ex proprio genere id habent, ut aliæ sint alijs meliores, vel deteriores. Enimverò si unum essent omninò, in eo genere à se invicem corpora non differrent, quoniam eandem haberent omninò substantiam. Ex quo sequitur elementa esse plura uno, siquidem unum pati nequit, cum nihil præterea relinquatur, quod ipsum afficiat. Quod enim transmutatur, in alterum transmutatur, & quod patitur ab altero patitur. Ergo si unicum esset principium sanitatis corporum animalium nulla esset varietas, vel disparitas. Manifestum est igitur ex pluribus componi, quoniam in ipsis magnæ dissimilitudines sunt. Nam animalia cuncta, vel sana sunt, vel ægra, & in ipsa latitudine sanitatis, quæ satis ampla est; sanitas, quædam optima consumataque existit, quædam veluti recedens ab hac, nec ita plane absoluta, quæ & ipsa suam etiam, nec parvam latitudinem habet. Prima sanitas rarissima est, & tanquam imago quædam normæ Polycleti, quæ in animantium corpore cogitatione potiùs usurpatur, quam solidè subsistat. Ea verò sanitas, quæ nec plane absoluta, nec optima est, sed ab illa declinat, ad idoneam latitudinem extendi potest, atque maioris minorisve ratione dividua est. In corporibus itaq. animantium magis & minus est, ut aliud quidem summè boni habitus sit, aliud autem simpliciter boni, non tamen summè boni habitus. Et quoddam quamvis sanum, non tamen boni habitus. Aliud tandem corpus est parum firma valetudine præditum.

Cap. 4. — Lib. de opt. cap. 3. — 1. de san. tuen. ca. 3. — 2. de temp. cap. 4. — Lib. de opt. corporis affect. cap. 3. — In arte parva cap. 8. — Cap. 2.

Hinc noster Gal. lib. de salubri arte ab Trasybulum concludebat geminam esse sanitatem hanc, nempe quam magnam latitudinem habere supposuimus, quam altera secundum habitum, altera secundum affectionem, vel dispositionem appellatur. Rursus quæ in habitu dicitur sanitas, alia tātum in habitu est: alia verò in bono habitu; atq. hæc insuper bifariam dici potest, ut hic indicavit Gal. alia simpliciter boni habitus est, alia summè boni habitus, atq. optimi. Sed in controversijs hæc explicabuntur enodatiùs.

Cap. 8. — Quæst. ca.

Optima constitutio, ut proprio libello scribit Gal. definitur, *qua optimotempe ramento existit, quæq. figuraparium egregiè ad functiones comparatam habet, ad hæc omnē tum numerum, tum magnitudinē, tum omnium partium interse contextū ad actiones idoneum exhibet.* Sed hoc loco de habitu potiùs, quam de corporis constitutione disputat Gal. Nam si optima corporis constitutio & optimus ejusdem habitus in ampla sanitatis latitudine simpliciter, & ex sua vi cōsiderētur, optima cōstitutio primū & summū erit: hoc tñ loco, ubi tātū variā primorum simpliciumq. elementorum compositionem inquirit, in sola temperamenti latitudine, optimo habitui primas damus. Est autem optimus corporis habitus nihil aliud, quam

Opt. constit. qui quid. — Opt. habit. qui quid.

similarium partium optima temperies, & quoddã nativum robur partib. ipsis inditum, cujus beneficio causis morbosis fortiter resistunt. Vnde inter optimam constitutionem, & optimum habitum magnum est discrimen, quoniam corporis constitutio habitum in se continet, tum etiam instrumentorum structuram.

Observatio Quamobrem hic diligenter observãdum est, duplicem esse intemperiem. Alteram sanitatis quę declinat à summa & perfectè absoluta, & in qua nulla functio læsa est, in qua sanitas in habitu, & in affectione continentur. Alteram morbi, quæ longissimè abest à temperie omnibus suis partibus, & in qua ex impedita actione, & vitiosa constitutione jam ægrotat animal. Hac intẽperie correpta sunt corpora, quæ hîc Gal. ægrotantia vocat, quæ pariter ut sana in latitudine sanitatis, ita per latitudinem ægritudinis longè latéq. vagantur: ægrotant enim aliqua leviter, ut si aliquis ex labore in febrem diariam inciderit; aliqua vero periculosè, ut cum aliquis assidua febri jactatur. Horum autem aliqua mediocriter laborant, cum scilicet febris assidua est, sed parum molesta: nonnulla verò gravissimè, & vehementer ægrotant, ut cum febris continua & pernicio sa est. Ergo non est dicendum sanitatem omnibus corporibus æqualiter assignatam & distributam esse, vel omnia morbo similiter affici.

Ex quibus deprehenditur manifestè animantium corpus nõ esse unum, quẽadmodum Epicuri atomus, aut incompacta Asclepiadis corpuscula, compositum igitur ex pluribus est omnino, atque illius compositio multiformis & varia.

Restat, ut inquiramus qualia sint plura hæc elementa, ex quibus animalium corpus est constitutum. Quod, ut possit Gal. commodissimè prosequi, ex primo etiam lib. de elementis subjungit hæc verba. Si corpus animantis componeretur ex elementis, quæ nihil patiuntur, & omnis mutationis sunt expertia, magis & minus tantummodò susciperet in compositionis qualitate. Quod si elementa suapte natura & agere & pati possunt, non solum in compositione & partium conformatione, verum etiam per se tota magis & minus admittunt. *Si nihil, inquit, pati possent elementa in compositionis tantum qualitate corpora ipsa inter*

Cap. 3.

A *se discreparent*, hoc est, ut nobiscum Aristo. interpretamur, tantùm discreparent figura, ordine & positu, ex quorum diversa adjectione rerum varietas nascebatur ex Democrito: tantum enim differunt A & N figura: A N, autem & N A, ordine: Z, verò & N, situ. Quam consequentiam demonstrat Gal. exemplo domus, quæ, cum ex lapidibus, qui nihil patiuntur, constructa sit, magis & minus recipit dumtaxat in compositionis qualitate, quoniam non eandem omnino figurã habet tota domus, propter varium situm & ordinem lapidum, quam ipsi lapides componentes habue-

B runt. Si verò etiam lapides aliquid paterentur, tunc præter figuram & magnitudinem, multiplex esset ædium varietas: nunc verò illarum compositio non est omni ex parte perfecta. Nam, ut scribit Gal eodem loco. *Quotiescunq. ex pluribus quippiam componitur, si ea, quæ in compositionem veniunt, qualia sunt, talia ad extremum usque duraverint, nunquam id profectò novam ullam adventitiamq. adipiscetur formam, quæ in his non præfuerit, è quibus constituebatur. Quod si ea multifariam varientur, transmutentur & alterentur, poterit tunc in composito aliquid suboriri, quod ab his, quæ prius in primis illius elementis reperie-*

C *bantur, sit generis alterius.*

Quamobrem sic possumus auctoris rationem institutam confirmare, si plura sunt principia & elementa, ex quibus animantium corpora constare dicuntur, & ea impatibilia, omnes illorum gradus, & dissimilitudines & varietates penderent ex dissimili figura, integro perturbatové ordine, atque debita, vel mala elementorum positione, nec aliquid tunc reperiretur in mistis corporibus diversum ab illis, quæ in elementis præfuerant. Si verò elementa patibilia sunt corpora, non incompositione tantum, sed in totis se ipsis magis minusvé recipient. Sed corpora

D nostra plurimum differunt, non modo in compositione scilicet figura, ordine & situ elementorum, verum etiam totis se ipsis ob virtutes incredibili specie dispares, qualitatesque varias, & multiformes. Ergò elementa ex quibus componuntur nostra corpora mutabilia sunt & patibilia. Quoniam verò ex illorum perturbationibus ac interse mutationibus morbi conficiuntur: unumquod que autem suam mutationem facere potest, hinc concludit Gal.

1. Metaph. cap. 4.

2. de diff. Morb. cap. 1.

1. de diff.

Gal. manifestum esse, quod nostra corpora per se tota, tot morborum generibus simplicibus ac primis infestabuntur, quod fuerint ea, quæ compositionem ipsam perficiunt.

Qua exornatione methodū præscriptam cōcludit atq. ex ijs, quæ dicta sunt, id conficit, quod necessarie cōsequitur: tot enim fore morbos prædixerat, quot fuerint recessus à naturali constitutione; mox, ut monstraret plures esse recessus, elementa plura esse demonstravit, nūc cōcludit, tot esse recessus, quot elementa componentia, à quorum mutationibus & inclinationibus ducuntur principia morborum.

His tamen primò quidem non intenobſervatio dit Epicureas atomos refutare, vel Asclepiadis corpuscula, ut credere aliquis posset, hæc enim alibi confutata sunt: sed datis, nec tamen concessis atomis, nostrum corpus, ex his compositum nō esse, nitus est probare, & quidem probavit, quoniam illud per se totum magis & minùs suscipit, quod illæ atomi, vel quod ex illis constet, neutiquam possunt.

TEX. X.

Quod verò sub his verbis, per tota alterari, significamus, impassibilibus elementis nequit accidere. Neque enim fieri potest, ut insectile corpus, quod atomum appellant, quicquam patiatur, sed in compositione ac formatione dumtaxat passio contingit.

COMMENTARIVS.

APPENDIX est, & quasi corolarium conclusioni adjunctum ad faciliorem rei explicationem. Dixit corpora nostra in totis se ipsis magis minusve recipere: atq. ex eo ipso per se tota multis morborum generib. infestari, nūc exponit, quid significaverit sub his verbis, *tota per tota mutari*. Porrò Hippocrates primus omniū corpus nostrū fieri pronunciavit ex igne, aqua, aere, ac terra alteratis, transmutatis, & per se tota temperatis, sicut etiam paulò antea monstravimus. Præterea qualitates co-

A rum definivit, per quas interse naturâ agere & pati possunt. Quæ dogmata philosophi & medici, qui sectā illius & disciplinā secuti sunt, *parata cum acceperint, ex horum mistura omnia constare, confirmarint, atq. hæc interse mutuò agere ac pati, artificemq. naturam esse. Omnia deniq. alia Hippocratis dogmata de natura receperūt, nisi quod in re tenui est illis cum Arist. dissentio. Nam Aristo. qualitates tantum in se mutuò transire, atq. omninò κεφάλαιον, temperaricillorum vero aliqui*, ut Stoici, *non qualitates tantū, sed etiam substantias ipsas existimant. Verum hoc investigare medico supervacaneum est, cū ad medicinæ opus abundè sit definere, quòd* B *qualitates viriutesq. in mistis tota fuerint totis permistæ*, hoc est, illarum quælibet in elementum quodlibet penetraverit, & per omnem substantiam permeaverit. Hoc intelligimus cum Gal. per hæc verba, *per se tota alterari. Nam cum in omnibus corporibus generationis principia, tāquam materia, sint quatuor elementa*, ut mistio vera sit, *per se se mutuò tota misceri oportuit, & simul invicem agere & pati*, per qualitates contrarias. Itaq. cum ex his elementis, & corpora ipsa & corporum partes constituantur, tunc sanè tota per se alterabuntur corpora, quum hæc, quibus constat, contrarijs viribus & facul-

1. de nat. hu. cap. 12. 2. de el. 3. 1. meth. 6. 8

Cardanus.

lib. de sang. mis. cap. 3.

C tatibus vicissim agere cœperint. *Nam totum corpus conspirabile, & connexibile est, omnesque animalis particulæ mutuò à se afficiuntur*, ut ex Hippocrate docet Gal. calidiores enim agunt in frigidas, & contra. Toti enim corpori est cōfluxio cōmunis, & conspiratio communis, quia est à quavis particula in aliam quamcunq. via, confluxus, & trāspiratus, atq. omnia possunt aliorum omnium affectionibus lædi per sympathiam, id est, cognationem naturæ, & quasi consensum, & consentum. Hinc dixit Gal. *corpora nostra per se tota in morbos incidere*,

1. meth. cap. 2. 6. Epid. 6. com. 1.

D quoniam composita sunt ex his elementis, quæ tota per tota patiuntur, & alterantur. Quare cum insectilia, & incompacta corpuscula nihil patiantur, vel nullatenus alterentur per se tota, quoniam neque divisionem in se recipiunt, profectò nihil aliud illis accidere potest, quam varia qualitas compositionis. Vnde si aliquod vitium ex illis nascitur, in sola compositione, & conformatione tantum erit, ut si alicujus corporis compositio constet ex materia adamantina, quam nec alterari, nec posse pati sciamus. Summa est.

EPITOME.

Ergo, cum sanitas sit constitutio secundum naturam, morbus sanitati contrarius cõstitutio erit præter naturam. Vnde quot erunt lapsus à naturali cõstitutione, tot erũt morbi necessario: lapsus & recessus ab ea plures fiunt, quoniam multa sunt, quæ illius compositionem perficiunt, ergo morbi primi & simplices proculdubio tot erunt, quot sunt primæ corporũ constitutiones, & compositiones præter naturam.

CONTROVERSIÆ Pathologicæ.

De nominib. varijs, quibus morbus appellatur.

QVÆST. II.

3 de lo affect. cap. 1. 2. de nat. facult. com. 35. Arist. lib. de respiratione.

ETSI *quæstiones quæcunq. usum transcendunt, qualis est rerum natura, secundum propriam essentiam indagantes, logicæ haud dubiè censentur*, & judicantur, *cum & sine hujusmodi speculationibus rectè sanare quæamus. Medici tamen quicunq. vel diserti, vel diligentes sunt de natura agunt, censentque principia inde petenda esse, atque etiam qui disertissimè res naturæ exponunt in principia ferè medica desinunt.* Investigaturis ergò nobis propriam & veram morbi definitionem, *quæ naturam eius patefaciat, & solvat ea, quæ in dubitationem veniunt, & omnium accidentium, quæ per se insunt, causas proferat*, necessarium quidem est, à nominibus quibus ipse morbus vocatur auspicatis, sic transire ad reliqua. Nam, ut commentarijs de demonstratione tradidit Gale. *non solum principia omnis demonstrationis ea sunt, quæ tum sensui, tum intelligentiæ manifesta exhibent; sed etiam in omni re quærenda, nomen ipsum assumi in disputationem oportet.* Vnde primo de natural. facultatibus priùs distinguendum & explicandum esse instituit, de qua re dicantur singula nomina, quibus in eo opere fuerit usurus. Quod tamen accipiendum non est, ut nomina teneant principem locum in disputationibus. Nam plura occurrunt, quæ nullum habent usum, nisi quis ignarus fuerit linguæ, qua traditur ars, vel scientia quæpiam; alia vero sunt, quorum licet interpretatio, & distinctio maximam afferat utilitatem; veruntamen de illis dicendum non est, priùs quam à rebus breve capiatur exordium. Itaque 1. medendi methodi & lib. de symptomatum differentia, ubi Gal. viam tradendarum artium monstrabat his, qui sunt veritatis studiosi. *Primùm*, inquit, *à rerũ discrimine incipiendum est, non autem nominum. Deinde confirmandum esse* scribit, *neque pinra esse, neque pauciora, quæ in proposita disceptatione continentur. Postremò distincta nomina bis imponenda, quæ maximè sint in usu, ne aliqua in sermone reliquo nascatur obscuritas ex homonymia, indeque sophismata oriantur.* Quod initio sexti de Hippocratis, & Platonis decretis ipse præstitit. Cum igitur docuerit in hoc secundo capite quæ quotq. sint ea, in quibus morbus quærendus est, nimirum constitutio partium & actio, atq. in alijs inveniri non posse, præceptum planè postulabat, ut de nominib. accommodatè diceret. Verum quia in lib. de differentia symptomatum distinguere intẽdebat morbum à sua causa, & à symptomate, quæ similia sunt interse, eoq. minus advertũtur, exconsultò destulit in primum caput illius libri hujus rei longiorem disputationem, satis hìc esse putans, quod observaverit morbum vocari constitutionem præter naturam, vel affectum antiquo nomine, sed prorsus idem significãte. Nos tamen facilioris doctrinæ gratia ijs paucis, quæ hoc loco dixit invitati, *Exordium sumemus a nominum quorũdam explicatione, quibus & superiùs jam usi sumus, & in reliqua dissertatione sæpius utemur, ne enim quicquam aliorsum ac dictum fuerit, accipiatur. Sed omnia in prõptu sint diffinita atq. explicata, maximè necessariũ videtur esse, ut accuratè singula nomina quæ de re dicantur, in præsentia diffinamus. Nam licet ad rerum cognitionem omnino nihil nomina referant; tamen ad doctrinam non parum sunt necessaria, quam sine nominib. complecti impossibile est.* Ergo ad significationes nominum, quib. morb. appellatur nostra conversatur oratio, ut plura in tyrones beneficia conferamus.

Cap. 1. Cap. 1. Cap. 1. 4. de pla. 1. & 2. 3 simp. 4. 1. de diff. puls. cap. 1. 2. Epid. 1 cum 31.

Nῦσος; vel *πάθος* morbus est, qui eò solo, quod præter naturam animalibus contingat *συμπτώμα* dicitur, hoc est, casus vel eventus. Nam symptoma dupliciter usurpatum est. Primò generatim, qua ratione comprehendit morbum, causam morbi & omnia, quæ comitantur morbum. Secundo speciarim & propriè est, id omne, quod sequitur morbum, veluti umbra suum corpus, ut latiùs dicemus.

Νῦσος. Nosema. Symptoma lib. de diff. Sym. cap. 1. *Ibidem.*

Porrò

Diathesis. Porrò morb. à Gal. vocatur *Diathesis*, hoc est, affectus, affectio, dispositio. Est autem id, quod ab alteratione in
Ibidem. corpore manet ac servatur: *cum enim alterans causa cessaverit, illud, quod in eo, quod perpessum est, ab alteratione manet, id diathesis & affectus est.* Vnde omnib. palam fiat, nihil priùs censeri affectum, quam ubi in eo corpore, quod alterationi subiectum est, permanserit, quandoquidem constans permanens ac stabilis est affectus. Dum mutatur & alteratur corpus aliquod, motus & passio fit, ut cum incaluerit, aut cum refrigeratur à calore vel frigore patitur: ubi verò motus desijt & iam incaluit, aut B refrixit, corpus, illud, quod est inductũ & permanet, illius corporis affectus est. Hinc lib. 1. medendi methodi docet
Cap. 9. Gal. morborum nomina, cum ipsi dispositiones sint, denotare naturam permanentem, non autem definire tempus, quandiu permanere debeãt. Verba sunt hæc. *Quippe huiusmodi nomina rei naturæ, non temporis modo sunt indicia, veluti album, nigrum, calidum, frigidum.* Pertinet autem affectus ad omnia corpora, tum sana, tũ ægra, unde duplex tantum est apud G. affectus nominis significatio. Prima cũ refertur ad naturalia, cuius generis sanitas est. Secunda, cum ad ea, quæ præ- C ternaturam, inter quæ morb. Vtraque tamen significatione permanens qualitas est ab alteratione relicta, & subsistẽs, qua notione ubiq & semper usus est Galenus affectus nomine.

Pathos. Pathema. Pathoma. Appellatur etiam morb. *πάθος*, vel *πάθημα*, hoc est, passio à verbo *πάσχω*, quod est patior. Generaliter autem dicitur pathos omnis motus, qui ab altero fit in alterum, non quatenus ab agente procedit, quoniam tunc est actio; sed quà recipitur in passum. Est ergo passio quid quid aliquis perpessus est, ut sensuum alterationes. Quod fusiùs lib. de differen-
Cap. 1. Cap. 3. tia symp. & secundo methodi ostendetur. Cõvenit autem cum affectu passio, quoniam ad utrumq. statum etiam pertinet naturalem & præternaturam, ut colligitur ex locis dudum citatis. Primũ ergo & communiter passio de quacunq. alteratione dicitur. Secundò verò & specialiter de ea tantum, quę in corporib. nostris præter naturam fit, quam significationem aliquando usurpavit G. Veruntamen quocunque horum modorum dicatur passio plurimùm distat ab affectu, quia passio est purus motus:

A affectus verò res constans & permanẽs. Vnde lib. secundo methodi sic locutus Cap. 3. est Gal. *Oedema & phlegmone ex iis sunt, quę absolutè esse dicuntur: actio verò* (de passione similiter dicendum) *ex eorum genere non est, quæ esse absolutè dicuntur: siquidem nullo temporis spacio manent eius partes, sicuti profectò nec sermonis, nec etiam motus vllius; sed horum quilibet in ipso fieri suũ esse obtinet.* Ergo passionis nomen longé latèq. patet. Nam præter motum, & alterationem (quæ propria est eius significatio) etiam significat affectum præter naturam, & ipsum morbum frequentissimè, atq. tam frequens est ipsius usus in B hac notatione, ut penè propria ipsius videatur. Quoniam, ut dixit aliquando Gal. *tantus est usus eorum, quæ improprie* Lib. 1. de gener. c. 21. *dicuntur, & ex vocato à grammaticis abusu inceperunt, ut deinde cum proprij usus vim obtinere videantur, propria dici credita sunt.* Observavit autem Gal. secundam hanc pathematis significationem, qua sumitur pro morbo lib. secundo medendi methodi. *Ac à veterib.* inquit, *privatim* Cap. 3. *de omni extrinsecus moto dicebatur, nunc per abusum etiam affectus, qui ex passione tam provenere, nec ampliùs in motu sunt, pathe, hoc est, passiones appellant.* Quamquam ad- Observatio ditz non sic appellari diuturniores, aut ægrius auferibiles. Quod observandum est diligentiùs, propter intemperies æquales & morbos in partib. confirmatos, quos quidem medici non consueverunt appellare passiones. Idem scribit prima parte in Hippocratis lib. de medica officina. *Nihil interest*, ait, *habi-* Com. 12. *tum nostrorum corporum naturali administrationi contrarium, morbi vel affectus vocabulo*, nuncupare, sicut græci omnes consueverunt, *interdum nosema*, id est, morbum: *interdum pathos, genus hoc universum appellantes*, Capite octauo huius lib. Si Text. 38. *cui*, inquit, *hoc ipsum non morbum, sed pathos aut pathema appellare libuerit, nõ de re,* D *sed de nomine solo contendet.* In initio li- Cap. 12. bri de differentia symptomatum explicans discrimen inter affectum & passionem, docet, *græcos permanentem affectum notare nomine passionis, quamvis exactè loquenti affectus sit passio facta*, hoc est, quid à passione factum & permanens, nõ autem passio, quæ adhuc fit & influxu est. His similia reperiemus innumerabilia loca in Gal. quib. passionis nomine affectum & morbum appellavit, secutus græcorum abusum, interquæ, ne decidat, diligenter observandus est locus

lib.

Cap. 1. lib. primi de locis patientib. vbi ait. *Cum ad permanentem devenerit dispositionem alteratio, morb. nominatur, si autem sit præter naturam dispositio, per abusionem verò aliquando hanc dispositionem appellant pathos,* Observatio id est, passionem. Interpres autem, cum nomen *pathos*, malè convertat, *affectum*, ut interdum facit illis in libris, hominē illum ambitiosum, qui nostro Galeno tam crudeliter inimicus est, in perniciosum induxit errorem.

Sed Hippocratis, Platonis, & Aristotelis testimonio idem confirmemus, qui etiam passione pro affectu vel affectione abusi sunt. Tertio apho. cum illorū F
Aph. 22. sententiam confutasset Galenus, qui existimabant Hippocratem diuturnos dūtaxat morbos pathemata nominasse, sic tandem concludit disputationem. *Manifestum est ex his, quod non solùm in diuturnis, sed etiam in acutis morbis exprimendis*
Pathem. Observatio *solitus est uti Hippocrates nomine natus, seu passionis.* Vbi cave ne confundas cū diuturnis diuturniores, aut ægriùs auferibiles, qui, ut dictum est, nunquam appellantur passiones. Magister Plato libro de lege sic locutus est. *Cruciatus omnis & omnis morb etiam corporis pathema*
Cap. 22. *dici potest.* Tandem Aristoteles libro G
quinto de prima philosophia. *Pathos dicitur uno quidē modo qualitas, secundū quā alteri contingit, ut album & nigrum dulce, & amarum, gravitas & levitas, & quæ alia huiusmodi: alio verò modo harum actiones & alterationes.* Quæ Aristotelis verba plaPathem. nissimè demonstrant nomen *πάθος* philosophis non solum motionem, seu passionem: sed etiam qualitatem, sive affectionem, quæ post motum in corpore orta est, significare.

Quamobrem affectus semper accipitur pro qualitate facta, & permanente, tum in statu naturali, tum in statu præter naturam: passio verò primum solam alterationem significat, in utroq. etiam statu, sed præterea affectum describit, qui post alterationem permanet, atq. inde omnes morbos, exceptis illis, qui habitum contraxerunt. Cuius rei hæc ratio est, quoniā huiusmodi affectus nihil sientis admitunt apud medicos. Quare G. diathesin pro alteratione, vel passione nunquam usurpavit, sed nomine passionis ad significandos affectus, & dispositiones millies est abusus.

Præterea frequenter & rectè morbum appellat cataskeven, constitutionem, E
structuram, apparatum. Quæ quidem nova est appellatio, quoniam ab antiquis Hippocrate, Platone, & Aristotele morb. rectissimè dicebatur affectus, eademq. sententia aptè significabatur cataskeve, ab antiquo interprete dicitur compositio: affectus etiam compositionem indicat ex multorum ordine, vt dicemus. Iam cataskeven appellavit Aristoteles dispositionem materiæ, quasi apparatum quendam in corporib. quæ generantur, quam cum efficiente causa coniungit sole, & luna, quæ alias σύμβολον Symbolum dicitur. Vnde si rei significatæ naturam spectamus, idem nobis indicare putandum, affectum, vel dispositionem & compositionem, vel constitutionem.

Dictus est etiam morbus à Galeno, ἀσυμμετρία, & ἀσυμμετρία, quoniam sanitas, συμμετρία commensio (ut ad verbum exprimatur) appellata est, συμμετρία enim est commensior. Vnde primo libro se- Cap. 2.
cundum locos, quia mensuræ ponderumq. ratione hanc vocem tribuit G. interpres cōmensurationem exposuit. Est vero vagum nomen & latè patens symmetria: omnem enim commensum, & proportionis responsum significat, ideoq. restringendæ significationis causa, prout tractatio exigit, aliquid adiungi solet. Sed latiùs sumptum idem est, quod symmetresis, commensio, vel commensus: cōpressius vero est τῶν ἀναλογίων, Tes analogias. symmetresis, proportionis commēsius. Hinc Vitruvius: *reliqua quoq. membra suos habent commensus proportionis.* Erit ergo Symmet. quid. proprie symmetria partium ad partes, & earundem ad universum totum proportionis commensio. Analogia verò, Analog. quid. seu proportio est comparatio rationū pro rata parte, ut si dicas, quemadmodum se habent quatuor ad duo, sic octo ad quatuor: vel est congruentia rei ad H
aliquid relatæ, ut cum dicimus, cicādam parvas habere alas proportione corporis: nam parvæ sunt alæ, si ad alas papillionum comparantur. Quamvis autem hæc nomina in quantitate potissimum reperiantur: tamen ex propria significatione in hanc sibi finitimā, qua sanitatis, & morbi naturam exprimunt, certa quadā similitudine, transferūtur. Nam symmetria constat numero partiū, ut in corpore, quas minuendo, vel augendo parit concinnitas: magnitudine, idest proportione longitudinis, latitudinis, & altitudinis: tandem collocatione partium recto ordine dispositarum. Obscur.

Ita

Ita in his, quæ sanitatem partium simpliciu-n componunt, reperiri numerum perspicuum est. Reperitur etiam magnitudo, cui respondet intensio, & gradus primarum qualitatum, quantitatē virtutis vocant. Demum collocatio, pro qua substituitur mutuus illarum appulsus. In constitutione instrumentorum, & utrarumq. partium continuitate manifesta res est. Sanitas igitur translatione quadam dicitur symmetria quoniam metitur & terminat ea, in quib. existit. Quod si quandoq. ab Aristotele & Galeno dictum fuerit, sanitatem sitam esse in symmetria, vel nasci ex symmetria considerabant metresin, vel metron, id est mensionem, vel mensuram componentium, ex qua oritur sanitas, ut suo loco dicemus. Tandem μετρέω, metior, non raro sumitur pro moderari. Vnde symmetria moderatio & ametria, vel asymmetria immoderatio dicitur. G. secundo libro de curatione febrium ad Glauconem συμμετρίαν τὴν ὑγιεινὴν, dixit, *moderationem elixationis*, qua significatione potissimum sumitur apud interpretes Galeni, cum sanitas moderatio, & é contrario morb. immoderatio appellatur. Cōstat igitur quib. nominib. morbum appellaverit G. & quæ sint illorum nominum significationes.

Quæst. 11. Metrea.

Cap. 8. Symmetriā ita effert.

Observatio

Hinc vero nos ordiamur abrumpere Galeno mastigen, hominem, inquam, illum malitiosum & ignarum, qui nihil non corrupit antiquæ doctrinæ. Per officiosè observavit noster G. vir clarissimus & singulari bonitate modestiaq. præditus, dispositionem & constitutionem idem significare. At calumniator improbus imperitissimè dixit, distare multum, quando quidem dispositio nascitur ex compositione. Hoc probat, quia dum temperantur qualitates, & componuntur dispositionem efficiunt.

Tex. 6.

Obiectio.

Solutio.

Verum ex eo non sequitur compositionem esse causam dispositionis, quippe si retorseris argumentum apparebit falsitas consequentiæ. Nam dum invicem disponuntur qualitates, compositionem efficiunt: falsum est tamen compositionem nasci ex dispositione. Sanè componi, disponi, constitui, ordinari qualitates, cum dicimus, solùm motum designamus. Quarè dispositio fit ex qualitatum distributione, attemperatione, unione, coitione, vel coniūctione, per quas non intelligimus causā aliquam existentem, & constantem, quæ dispositionem pariat: sed motum tantū prævium mente comprehendimus, quo intermedio qualitates ad expoliendam perficiendamq. dispositionem & compositionem tēdunt. Sed ab homine isto educato in secta pravæ doctrinæ Timotheus Milesius duplò maiorem mercedem exigeret, quam si rudis traderetur.

VTRVM GALENVS in usurpatione nominis affectus dissentiat ab Aristotele.

QVÆST. III.

ETsi G valdè consentit cum Aristotele de nominis affectus significatione: tamen Leonardus Fuchsius, cuius opera interdicta sunt, in expositione huius capitis, quod in manib. habemus, arbitratus est affectum Galeno appellati non ea quidem præcisa argutaq. significatione, quam Aristoteles usurpavit, sed admodum ampla, & multiplici, quæ omnem corporis constitutionem contineat, sive in substantia, sive in qualitate, & temperamento, sive in conformatione, & figura, sive in magnitudine, sive in numero ea consistat. Nam Aristotelem affectum accepisse putat prō qualitate tantùm, quæ facilè à subiecto dimovetur; Galenum verò præternaturā affectum sumpsisse retur pro constitutione, quę naturam partium, temperamentum, & structuram immutat, & destruit, sive idipsum substantia sit, sive ad aliud genus pertineat. Interpretem hūc in secuti sunt plures neoterici consilij præcipites, qui non sensum, vel Galeni mentem, sed verba tantum attenderunt. In quorum numero repono Iacobū Sagarrā virum alioqui doctissimum, cuius cum dogmata redarguo, & aliquando iu sequor, de dictatis, quæ discipulis præbere consueverat, rationem habeo, nam *inimicus* typis mandatum opus spurium iudico.

Epistemadi

Quā opinionē his cōfirmant rationib. Lapis in vesica, suffusio, humor scilicet in oculo contentus, & pterygium, substātiæ sunt: hæc verò affectus & morbos constituit G. octavo capite huius libri, ergo eiusdem sententia, aliqui morbi sunt substantiæ, affectusq. nomen latissimè patet, atq. ad substātiam extenditur. Præterea in fine eiusdem capitis scribit,

1. Ratio.

Tex. 3 5 6

2. Ratio

scribit, morbum in numero, & morbum in magnitudine in genere prædicamenti quantitatis contineri, ergo nomen affectus quantitates etiam, non solas qualitates cõplectitur. Postremò, causæ morborum non raro substantiæ sunt, symptomata verò ad aliud genus, atq. sit qualitas, pertinere solent: at secũdo methodi causas morbosas, & symptomata inter affectus præter naturã connumerat, affectus igitur Galenicus qualitas Aristotelea non est.

1. Ratio.

Cap. 3.

Nos meditemur paulisper, quæ de affectu, vel dispositione ab Aristotele & Galeno dicta sunt, quò possimus deinceps, quæ inter illos fuerit dissẽtio, quæve illorũ cõsensio, palã prædicare. Quinto libro de prima Philosophia differuit Aristeles de affectu, quẽ vocat ordinẽ rei partes habentis, aut secundum locũ, aut secundum formam, aut secundum potẽtiam. Prima dispositio est partium secũdum locum, ut cum exercitum dispositum esse dicimus, propterea, quod equitatus teneat hunc locum, illum peditatus: ordinem etiam partium domus dispositionem dicimus, quæ dispositio constituit Categoriam situs, qui nihil est aliud, quam dispositio partiũ, quatenus referuntur ad locum totius. Altera dispositio reperitur in partibus, ut respiciunt formam, & figurã totius, veluti cum statuam, aut imaginem dispositã esse dicimus, atq. omninò quãlibet magnitudinem permanentem, cuius aliæ partes sunt extra alias, simulque existunt in eodem toto: sic in animali partes habẽt ordinem, ut respiciunt eius formam, & figurã, quomodo sumpta dispositio differentia est quantitatis apud Aristotelẽ in categorijs, cum dividit quantitatẽ in eam, cuius partes situm, & positionem habent, ut linea, superficies, corpus, & locus, & in eam, cuius partes situ, & positione carẽt, ut tempus, numerus, & oratio. Tertia dispositio dicitur ordo, quẽ partes servant, ut totum agere possit, quemadmodum dicim' dispositum esse aliquem virum virtutib. ad agendũ laudatissimẽ. & sanctissimẽ. Quæ dispositio pertinet ad primam speciem qualitatis, de qua in categorijs Aristoteles. Hæc dispositio est qualitas, quæ bene, vel malè afficit subiectum à quo facilè, vel difficilẽ removetur. Eandem putavit esse duplicẽ. Altera est habitus, qui ex propria natura difficulter potest leparari: altera dispositio nomine generis dicta, quæ facile avelli potest: sic enim ibidẽ locutus est. *Dispositiones ea sunt, quæ faciliter dimoveri, & mutari possunt, ut calor, frigꝰ, morb. & quæ sunt hisce similia. Nam his ipsis homo aliquo modo disponitur, & facilè quoq. mutatur, ex calido frigidum subiens, & ex valetudine morbum, & cæteris etiam simili modo. Nisi & harum ipsarum aliqua obdiuturnitatẽ, versa tam in nostram naturam sit, dimoveriq. nequeat, aut summa cum difficultate dimoveri possit, quam quidem hac ratione quispiam habitum nuncupaverit.*

2. Fundamenti auctor.

Cap. 19.

Tres. et hec.

Cap. ii. qualit.

SED illud mirandum videtur, quod calorem, & frigus appellaverit dispositiones, cum tamen revera dispositiones non sint. Cuius rei causa observandum est, omnes qualitates, atq. omninò accidentia omnia posse dici dispositiones, cum benè, vel malè subiectum ad aliquid præparant, ut materiam ad formam recipiendam: eò quod dispositionis rationẽ subeant: dispositiones in modo dicũtur à Logicis. Hęc inter accidentia societas est, quæ tamen substantiæ denegatur, cũ illa nullius sit dispositio, sed illius omnia. Vnde qualitates omnes patibiles, quà benè, vel malè corpus afficiunt, dispositiones sunt: forma etiam, & figura, ut terminant quantitatem, quartam speciem qualitatis constituunt; sed ut subiecti perfectionem, vel imperfectionem dicunt, dispositiones sunt. Idem de reliquis omnib. accidentib. est dicendum, quæ, ut bene, vel malè subiectũ afficiũt, dispositiones dicuntur. Hæc Aristotelis sententia est de dispositione, quam statim copiosius explicabimus.

Obiectio. Solutio. Quæst. 1.

G. autem libro de differentia symptomatum: *omne, quod est, sive id sanũ sive ægrũ, sive neutrũ, quodammodo affici* dixit: *& affectum communem esse, tum eorum, qui sani, tum qui ægri sunt, tum neutro modo se habentium.* Libro secundo medendi methodi, quæ præter naturam sunt, in duo genera diuisit. Nam alia suam essentiam habent in fieri, quoniam tantisper dicuntur esse, dum fiunt: alia verò habent essentiam, quæ post ortum existit, & manet: subsistunt autem affectus, & dispositiones terminiq. omnes, qui ex alteratione consequũtur, *ut album, nigrum, calidum frigidũ.* Cum his concordat, quod in dicavit primo de locis patientib. nimirum alterationem tandem pervenire ad permanentem dispositionem. Declaraturus autem secũdo methodi naturam affectus, *Quidquid*, inquit, *quocunq. modo se habet, aliquo omnino affectu est præditum.* Explicat deinceps

Alterũ fundamentum. Cap. 14.

Cap. 3.

Cap. 3.

Cap. 3.

ceps, quid sit habitus dicens *Quod autem in constanti ægrèq. auferibili affectu est, id habitus tam quodam affectum est.* Quod etiã libello de bona habitudine similiter exaravit, dum scribit. *Habitus autem nomine, in omni re uti solemus, quæ constans est ægrèq. amovetur.* Vnde proximè citato methodi libro verba faciens de nomenclaturis à iuniorib. invectis, passionem non modo de omni extrinsecus motu, sed etiam de affectu, qui ex passione provenit, nec amplius in motu est, dici cõmonstrat: non tamen de diuturnioribus aut ijs, qui ægrius auferũtur. Quib. verbis definitionem, & divisionem dispositionis iteravit. Divisit ergo dispositionem in habitum, & dispositionem signatam nomine generis Quoniã habitus, & affectio tantum differunt in separatione facili, vel difficili, in reliquo autem omninò conveniunt. Quo fit, ut ab illis natura communis abstrahatur in permanentia, quæ primam speciem qualitatis constituit. Nam, ut idem auctor aphorismorum tertio annotavit, quæ similem habent naturam, in ea necessariò conveniunt. Eandẽ tradit divisionem octauo methodi, dum ægritudines distinguit in eas, quæ sunt habitus, quòd ægrè solvantur, & in eas quæ sunt affectiones, eò quod sint solutu faciles.

Quib. optimè intellectis existimamus Aristotelem quinto de prima Philosophia locutum fuisse de dispositione longè latèq. diffusa, nomine cuius complexus est tres dispositiones genere distinctas nimirum primam speciem qualitatis, situm, qui constituit nonam categoriam, & dispositionem quandam quantitatis continuæ permanentis: at in categorijs tantum intellexit dispositionẽ minùs patentem, sed magis propriam, quæ qualitas est benè, vel malè disponẽs subjectum, à quo facilè, vel difficilè dimovetur. Hæc assertio plenè persuadebitur ijs, quæ de sententia Aristotelis dudum dicta sunt.

G. verò non aliter usurpavit nomẽ affectus, vel dispositionis, ac Aristoteles in categorijs capite de qualitate, scilicet concisa & minuta propriaq. significatione. Nam. quæ tradidit exempla secundo methodi, *album, nigrum, calidum, frigidum*, consentiunt cum exemplis Aristotelis capite de qualitate adductis. Præterea, cum dispositionis naturam ibidem exposuit, dicens. *Quidquid quocunq. modo se habet; aliquo omninò affectu est præditum*: & libro de differentia symptõmatum. *Omne quod est, sive id sanum sit, sive ægrum, sive neutrum, quodammodo afficitur*, eandem causam reddit, cur sanitas & morbus sint affectus, quã reddit Aristoteles in categorijs, nempe, *quòd his aliquo modo afficiantur, vel disponantur corpora*, hoc est, benè, vel malè. Admittit etiam secundo methodi in numerum dispositionum, tum qualitates alterius speciei, ut malum colorem; tum alterius generius generis accidentia, ut redundantiã sanguinis, quę quãtitas est. Ex hoc enim proculdubiò Logices ignări captarunt occasionem dicendi Galenum hac in re animum habuisse ab Aristotele alienum. Iam verò Aristotelico more divisit dispositionem, in habitum, & dispositionẽ nomine generis. Similiterq. habitus definitionem cum Aristotelea concordem subtiliter expressit. Vnde si latè patentem aliam significationem dispositionis, intellexisset, utiq. id obseruasset, quemadmodum de contrarietate fecit in decimo libro medendi methodi.

Gal. ergo valde consentit cum Aristotele de significatione nominis affectus proprie dicti, utpote qui utriq. sit qualitas permanens in subjecto, quod bene, vel male disponit, & à quo potest ex se facile vel difficile separari.

Scio aduersarios eius nominis alias significationes adduxisse, quas facilioris doctrinæ gratia prætermittimus alio loco discutiendas.

Oppositæ vero rationes, ut solvantur omnino, patebit in posterum: nunc primæ ac secundæ respondemus, nomine lapidis, suffusionis, & pterygij, numerum præternaturam auctũ Galenum intellexisse, in quo, & in magnitudine, quæ quantitates sunt, veluti in materia dicta, ex qua, reponitur morb. quæ partium constitutio est, & affectus præternaturã: etenim conformatio, numerus, magnitudo, & situs, materialiter, ut in scholijs dicunt, morbi sunt, quemadmodum dicemus infrà. Vt tertiam & ultimam dissolvamus asserimus, omnem morbum esse affectum, nõ tamen omnem causam, vel omne symptoma, sed quæ tantum qualitates fuerint à motu permanẽtes, quod libro de differentia symptomatum in controuersijs narrabo enodatius.

Vtrum

Eadem. — Cap. 11. — Cap. 12. — 1. Assertio. — Probatur. — 2. Assertio. — 1. Ratio. — Cap. 3. — 2 Ratio. — Cap. 1. — 3 Ratio. — Cap. 3. — 4. Ratio. — 5. Ratio. — 6. Ratio. — Cap. 12. — 3. Assertio. — Ratio. — Lib. de diff. sym. in con. tro. quæst. 1 — 1 & 2. Solutio. Quæst. 49. & 50. — Quæst. 15. — 3. Solutio. — Quæst. 24.

VTRVM AFFECTVS ad plura rerum genera referatur.

QVÆST. IIII.

Opinio Iacobi Segarræ.

IAcobus Segarra eiusq. Sectatores, qui tam peruerse de affectus nomine cum Germano interprete philosophari sunt, veluti præterita quæstione diximus, hoc uno dato, cum absurdum sit, devenerūt, aut potiùs inciderunt in innumerabiles errores. Nam, cum duo sint rerum genera, quorum altero res permanentes, & factæ continentur, altero motiones, & alterationes comprehenduntur, & omnino quæcunque non sunt, nec possunt esse, nisi quandiu fuerint, illi affectum rem permanentem faciunt, atq. veluti ens, & eius proprietates summa rerum genera transcendere dicunt. Quod affectus erret, ac vagetur per plures categorias, primùm ex Galeno probant, qui secundo medendi methodi, hoc solo distinguit affectum à passione, quòd hæc obtineat suum esse in solo fieri: affectus autem sit res permanens & subsistens. Vnde sic componitur argumentū. Quæ permanentia & subsistentia sunt in multis categorijs inveniuntur: sed affectus, ut ex Galeno colligitur, in eo solo consistit, quod sit res permanens, vagabitur igitur per plures categorias. Deinde affectus coercet ac continet suo complexu morbi causam, morbum, & symptoma: sed horum aliqua numerantur in substantijs, nonnulla in quantitatibus, quædam in qualitatib. & alijs rerū generib. affectus ergo longiùs evagatur. Postremò quoddam est symptomatū genus à Galeno vocatum, affectus corporis, ut vitiosus color, qui sine controversia est patibilis qualitas, ergo affectus, si non fuerit transcendens, saltem continebit subsè plures qualitatis species, nō solum primam, ut nos cum Aristotele concluſimus. Neq. cedit locum hæc ratio communi solutioni, qua dicitur, colorem, ut color est, patibilem qualitatē esse: ut vero vitiosus est, affectum esse. Nam primo methodi vocatur à Galeno color, corporis affectus, ut est patibilis qualitas, nempe ut ex diuturna in sole mora, niger ex candido quis fuerit factus, ut contra, ubi versatus in umbra fuerit ex nigro candidus: qua ratione albedo, & nigredo cæteriq. colores dicūtur ab Aristotele patibiles qualitates, quia scilicet à passione factæ sunt.

1. Metho. cap. 3.

2. Ratio.

Eodem.

3. Ratio.

4. Ratio.

Communis Sol.

Resutatur hic.

Sed his nihil mihi videtur absurdius: antequam tamen nostram opinionem afferamus, Galeni fundamentum jaciendum est.

In Categ.

Olympicus & eius consortes, per pathos, ideſt, passionem, morbum definiebant: hinc noster G. qui morbum diathesin, nempe affectum perpetuò definivit, primo methodi pollicetur docere, quid sit passio, & quatenus differat à morbo. Id libro secundo exequitur. Primùm res præter naturam assumit, causam, morbum, actionem læsam, & symptoma (cur actionem læsam symptomati non subjecerit prædictū est) quas in duas classes distinguit, in res fientes, & factas, vel permanentes, ut libro de differentia symptomatum, & undecimo methodi. Fientes sunt actiones læsæ, eæquæ excernuntur, aut retinentur: factæ morbi, & plures morborum causæ, atq. affectus corporis. Quib. positis, ut solvat promissa, probat actionem esse ex numero eorum, quæ fiunt. Nam illud obtinet suum esse in fieri, cuius partes nullo temporis spacio manent, actio ita se habet, obtinet igitur in fieri suum esse. De passione idem existimandum esse voluit, quoniā actio & passio re ipsa idem sunt. Sed, ut magis pateret, quid esset passio, & in quo motus genere contineretur, unde constaret distingui ab affectu, docet dupliceм esse motum (simplicem intelligit) lationem, & alterationem. *Iam quē admodū actio motus est activus, similiter passio eius, quod alteratur, alteratio est, quoniam id, quod alteratur, patitur.* Verum longè secùs se habet affectus. Nam, *dum movetur corpus, alteratur quidem, at cum à motu cessaverit, iam alteratum est*, permanet igitur, ac subsistit affectus, cum corpus non amplius alteratur. Ergo, ut etiam libro de differentia symptomatum collegerat, *passio differt ab affectu motu*: cessante namq. motu, affectus est, quod ab alteratione relinquitur, & deponitur in eo, quod perpetiebatur. *Quo fit*, inquit, *ut alteratio sit generatio qualitatis.* Sed cum posset aliquis objicere non propriè dici qualitatem generari, respondet. *Cum absolutè generationem dicimus, viam intelligimus in substantiam*, & in essentiam rei, quæ subsistit per se: *Sed cum dicimus generationem huius, vel illius*, quod quidem accidens sit, hoc est, generationem secundum quid, *tantum intelligimus viam in*

Fortasse tum. 1. Meth. c. 8.

Cap. 3.

Com. 3.

Cap. 2. Cap. 11.

2. Meth. Cap. 7.

Cap. 4.

2. Meth. Cap. 7. Objectio

Solutio

eius

Xpæmin. ejus ὑπόστασιν, hoc est, inhærentiam. His quid sit pathos, vel passio, & quatenus à diathesi, vel affectu differat, satis à se dictum putat, unde ad usurpationes & potestates nominis passionis se confert: ego verò ad propositum revertor, & ad id, quod probandum instituí.

Auctoris assertio. Ergo affectus ad genus qualitatis dumtaxat refertur. Nam, quod ex passione per alterationem acquiritur, qualitas est: sed affectus propriè dictus,

1. Ratio. de quo nunc loquimur cum Galeno, ex passione ac alteratione consequitur, qualitas igitur est. Sumptionem B

2. Method. cap. 3. his verbis confirmat Gale. *Itaque alteratio generatio est qualitatis, aut affectus, aut quomodocunque appellare velis.* Quam

2. Ratio. obrem qualitas est, cujus species sunt qualitates, sed species affectus, vel dispositionis, quæ à passione permanent, scilicet habitus, & affectio sunt qualitates, ergo affectus, vel dispositio qualitas est. Ecce ante omnium oculos posui luce meridiana clariùs affectum definitum, & à passione sejunctum, & permanens, qualitatem esse, idque pro certo habuisse Galenũ quotiescunque fuit illi propositum, affectus naturam aperire diligentiùs, ut

Cap. 1. Exp. 3. Cap. 3. libro de differentia symptomatum, secundo methodi, & primo de locis patientibus.

Nunc brevi dissolvemus rationes

1. Solutio. adversariorum. Primæ respondebis affectum esse rem permanentem, sed præter id, esse qualitatem in prima specie illius, quibus sumptionis falsi-

2. Solutio. tatem in lucem proferes. Secundæ dicas, affectum enuntiari, & dici de omnibus morbis: tantum verò de illis causis, & symptomatis, quæ sunt

Cap. 3. qualitates permanentes, ut dilucidè docet Galen. secundo medendi me-

Lib. de dif. symp. c. 2. thodi, & nos in sequentibus planiùs explicabimus. Vltimæ respondemus D

3. Solutio. colorem vitiosum, quocunque modo proveniat, malè disponere, atque propterea præter naturam affectum dici.

VTRVM SANITAS & morbus ad plura rerum genera pertineant.

QVÆSTIO. V.

DE genere morbi variæ sunt, ac inter se dissidentes opiniones: omnes tamen ad tres potissimũ reducũtur. Prima est Iacobi Segarræ, & sectatorum illius, quibus cum litigavimus dudum. Qui morbum vagari dixerunt per summa genera rerum. Secunda opinio tenet morbum esse ad aliquid. Tertia verò defendit morbum esse qualitatem. Primi ergò, cum affectum in plu- 1. Opinio de gen. mor. ribus categorijs reperiri existiment, nempe in substantia, qnantitate, qualitate, & situ, sanitatem, & morbum in numero trãscendentium reponunt. Quod sic demõstrare conati sunt. Quo- Probatur. niam tum sanitas, tum morbus potest esse substantia, magnitudo, continuitas, connexus, numerus, dispositio, naturalis vis (ad quam sanitas) imbecillitas naturæ (ad quam morbus refertur) patibilis qualitas, forma, figura, atque situs, quod ex Galeno probare facilé est: sanitas igitur, & morbus dispersi per categorias vagabuntur.

Verum nos sanitatem, & morbum C in vno genere semper inclusimus. Id, Auctoris opin. ut commodiùs demonstremus, ad Galenum recurramus, qui ad finem libri secundi medendi methodi pluribus Cap. 2. confirmavit participatione uniùs generis omnes morbos esse unum, de quibus aliqua in hunc locum breviter transferamus. Synonyma sunt, ait, Ratio Gal. quæ unam, & eandem habent substantiæ rationem, cujus gratia unico appellantur nomine, non solum in substantijs, ut homines, equi, verum etiam in ipsis accidentibus ut affectus, actiones, passiones (affectus in accidentibus reposuisse recordator) sed omnes morbi unam, & eandem habent communem substãtiæ rationem, cujus participatione morbi appellantur, ergo synonyma sunt. Propositionem probat argumento à contrarijs petito, scilicet ab homonymis, quorum tantum nomen est commune, ratio tamen diversa secundum illud nomen. Nam omnis animalia, quæ latrãt, & canes dicuntur, unam habent ac eandem naturã, quatenus latrabilia sunt: at rapaces illi pisces marini, quos etiã canes appellamus, unam quidem

naturam habent, quæ terrestribus non ineſt, ita ut his cum illis in canum natura, nulla ſit, niſi tantum nominis convenientia. Aſſumptionem corroborat, quoniam Menodotus phreniticus, & Serapio phreniticus, quatenus phrenitici, unum & idem ſunt, item & quatenus ægrotantes, ergo una res ponenda eſt extra intellectum, quæ una ſit ſpecies phrenitis dicta, ut homo, & rurſus alia generica & communior, quam omnes homines morbum vocant, ut animal. Hæc eſt Galeni, & noſtra firmiſsima demonſtratio. Quod ſi morbus unum genus eſt, non poterit non contineri in una categoria cum ſuis inferioribus.

Opinio Pacij. Sed ecce, dum hæc paro, in noſtras manus pervenit Fabij Pacij commentarius in ſex priores libros Galeni medendi methodi, qui in ſua de natura morbi diſputatione copioſa illa quidem, ſed paulò abſtruſiore, conatus eſt diſſolvere rationem Galeni, eundemque interpretari. Illius hæc ſunt verba. Fateor unam eſſe morbi naturam, ſed dico non eſſe univocè unam, ſed analogicè per prius participatam: ſic enim compoſitio organorum pendet ex compoſitione ſimilarium, & ſimilarium conſtitutio ex elementis, & ſanitas ſingulorum à ſanitate dependet eorum, ex quibus ordine quodam conſtituitur, ita morbus organorum pendet ex mala compoſitione ſimilarium, morbus ſimilarium ex mala conſtitutione elementorum, & morbus utriſque communis ex communi natura continuitatis, quæ ante omnia ad animalis conſtitutionem requiritur: quare natura morbi non æquali ordine in humano corpore habetur, ſed per priùs & poſteriùs. Hæc ille.

Refutatur. Verùm interpretatio hæc non videtur quadrare ad mentem Galeni, cũ eo loco propriè loquatur de ſynonymia & dicat, neceſſe eſſe omnes morbos unius ejuſdemque participatione morbos appellare, veluti hominem & bovem. Vnde paulò poſt docet nomine ſanitatis unum ſignificari veluti nomine hominis unum. Deinde in medio capitis ſcribit, rectè ab antiquis philoſophis dictum eſſe, aliud numero, aliud ſpecie, aliud genere unum eſſe: mox probat phrenitidem eſſe unam ſpeciem, quemadmodum eſt homo, & morbum unum genus, quemadmodum eſt animal. Præterea in fine capitis. *Quæcunque* inquit, *dicta de morbo ſunt, ea mihi & de ſymptomate*, hoc eſt actione, *& paſſione, eſſe dicta cenſeo*: at actio & paſſio genera ſynonyma ſunt. Nec ob- *Objectio.* jiciendum ſymptomatis nomine commune illud intellexiſſe, quod ſub ſe continet actionem læſam, corporis affectus, & excreta, vel retenta, quod quidem commune analogum eſt. Quo- *Solutio.* niam nomine ſymptomatis ſolam intellexit actionem læſam, cui tributum eſt inter ſymptomata principatum, quod ex verbis antecedentibus, & ſequentibus colligere licet. Ex præcedentibus, nam extendens ad omnia genera ſynonymiam, non multò poſt principium capitis dixit. *Nec vero ſubſtantijs modo id in eſſe videtur, verum etiam ipſis accidentibus, vel vt affectus ſunt, vel vt actiones, vel vt paſſiones.* Ex conſequentibus autem, quando quidem ultimis verbis. *Omnia*, inquit, *hæc corporibus inſunt, partim vt affectus, partim vt actiones, partim vt paſſiones.* Iam verò ſi fuiſſet arbitratus *Ratio.* Gale. communem illam morbi naturam non eſſe verè ſynonymam, ſed ex ijs, quæ mediam naturam habent, inter ſynonyma, & ſimpliciter homonyma, non erat tam inops verbis, ut ſilentio prætereiſſet diſtinctione adeo neceſſariam, cujus non erat inſcius, *Comm.* ut ex quarto de ratione victus præclarè conſtare poteſt.

Sed miſſam faciamus interpretationem, & ad morbi homonymiam à Paccio excogitatam veniamus. Diximus nos, quæ dicuntur homonyma, nunc verò producamus ſermonem lõgiùs. Nam hæc duplicia ſunt, quoniam aut caſu nomen impoſitum eſt, aut hominum conſilio, quod capimus, vel ex ſimilitudine, vel ex proportione, vel ex reſpectu, quem ad unum habent reliqua. Horum nomen quidem eſt commune, ſed præter id, ut docet Gal. cũ ſynonymis aliquatenus cõveniunt, quoniam ab uno illo factam habent appellationem, cum quo aliquid illis eſt commune. Nam illud reliquorũ eſt, vel materia, vel forma, vel efficiens, vel finis. Hinc ad has tres conditiones perducuntur. Vnum illorũ principatũ obtinet. Per illud unum definiuntur

omnia

omnia. Ratio illa communis, qualiscunque fuerit, prius uni posteriùs cæteris convenit, exempli gratia. Substantia dominatum habet, per eam tanquam per subjectum, & materiam, à qua fluunt, definiuntur accidentia, atque ipsa priùs entis rationem participat. Similiter vivus homo picti hominis forma est. Ars medica efficiens causa eorum, quæ medica dicuntur. Sanitas finis omnium, quæ dicuntur sana. Vnde græcis, ἀ φνὸς seu πρὸς ἕν, *ab uno*, vel *ad unum*, dicta sunt, nos attributionis analoga vocamus, quoniam analogum commune, ut ens, ratione, & simpliciter dicitur priùs de illo uno principali, ut de substantia, posteriùs, & secundum quid cæteris, ut accidentibus convenit.

Aphæresi, seu prosa.

Quibus explicatis, quoniam morbi nomen omnibus morbis est commune, videamus an communis natura morbi, quæ huic nomini subjicitur, synonyma sit, hoc est, omninò in omnibus eadem, an partim eadem, partim diversa, quod est ab uno, vel ad unum, & attributionis analogum. Primùm ratio & definitio morbi est affectus, vel constitutio præter naturam vitiatæ actionis causa: sed omnium morborum, secundum commune morbi nomen, est hæc ratio eadem, par, & similis. Quilibet enim, quà morbus est, dicitur affectus, vel constitutio, & actionem lædit per se, uno tenore, & æqua conditione, igitur omnes morbi synonymi sunt, & sub uno genere synonymo. Iam si sunt analoga, statim quæro, quis sit ille morbus primarius, ad quem referantur reliqui, & per quem definiantur omnes, & cui communis morbi ratio conveniat simpliciter & priùs. Quod Pacius post longam meditationem respondit, ut verum fatear, non est philosopho dignum, quoniam discretum, ut numerus, pendet ac fit ex continuo, habitus aliquando ex dispositione, & omninò una species solet ex opposita originem trahere, quod ex materia fit (materialiter dicunt) rationes verò sunt oppositæ. Quamvis ergo, ut instrumenta secundum naturam se habeant, multa servare debeant partes simplices, quæ illa componunt: attamen, neque organica structura est morbus per intemperiem;

Morbū esse synonymū.

Alt. ratio.

A neque per intemperiem structura definitur, neque unitas, vel continuitas est alterius constitutionis particeps. Nam in analogia attributionis unum illud, quod primum est, totam rationem communem participat: reliqua verò partem capiunt, & admodum imperfectè, ita ut verè ac proprié pendeant à primo, etiam quà cum illo conveniunt. Quoniam non solùm accidentia pendent à substantia, quatenus sunt accidentia, ut à vera causa, sed etiam quatenus entia sunt. Quamobrem analogia morbi ficta & commentitia fabula est. Vnum
B igitur synonymum existit morbus, & unà cum sanitate in aliquo certo rerum genere continetur. Oppositam rationem faciliùs diluemus & infirmabimus in sequentibus hîc antecedens negamus, cum morbum ad unum genus tantum pertinere monstraverimus.

Soluitur opp. ratio.

VTRVM MORBVS sit ad aliquid.

(·.·)

C

QVÆSTIO. VI.

(·.·)

Secunda opin. de gen. mor.

SECVNDÆ opinionis de morbi genere fuit auctor Christophorus à Vega interpres gravissimus Galeni. Hunc secuti sunt permulti clarissimi viri, in quibus numeratur Onophrius Bruguerius iunior vir acùtissimus, & in disputando acerrimus præceptor meus. Qui arbitrati sunt, morbum esse ad aliquid, ejusque essentiam in ametria, & immoderatione
D consistere, quæ ex aliquo excessu proficiscatur, eamque nihil aliud esse voluerunt, quam quod vulgò relationem realem dicunt, & secundum esse, atque proinde in categoria ad aliquid, propriè collocandam. Itaq. morbos omnes ad aliquid esse existimant, & ipsam morbi rationem genus quoddam esse in ea categoria, dividique in multas alias species, quæ tamen omnes in genere earum rerum sint, quas illi relationes reales appellant, ita ut morb. partium similarium nihil

aliud sit, quam ametria, & relatio in E calido, frigido, humido, & sicco. Similiter de alijs constitutionibus dicunt.

Ad quam sententiam confirmandam subijciunt Aristotelis auctoritatem, qui septimo physicorum docuit sanitatem & morbum esse ad aliquid, propter quam causam ad sanitatem, & morbum non esse per se motum dixerat libro quinto. Addunt etiam hunc Galeni locum, ubi essentiam morbi ex professo investigavit, eandemque in ametria collocavit, non in calore, aut frigore, aut humiditate, aut siccitate: constat verò ametriam, & symmetriam esse nomina respectuum, non qualitatum. F

Auctorita tis. *Cap. 3.* *Cap. 21.*

Ad hæc rationes adjungunt. Habitus & dispositiones ad aliquid sunt, sanitas, & morbus sunt habitus, vel dispositiones; ergò sanitas, & morbus ad aliquid sunt. Assumptio & confirmata est, & in sequentibus confirmabitur. Propositionem scribit Aristoteles in categorijs capite de ijs, quæ sunt ad aliquid. *Sunt etiam*, inquit, *hæc in ijs, quæ cum aliquo conferuntur, ut habitus, ut dispositio, ut scientia, ut situs.* Præterea, sanitas morbo G est contraria, igitur in eodem genere collocantur: at sanitas neque est calor, neque frigus, neque humiditas, neque siccitas, sed moderatio, ergo morbus non erit qualitas aliqua immoderata, sed ipsa qualitatum immoderatio. Demùm in febre non modo consideratur calor excedens, sed etiam quædam relatio in calore, qua in febricitante calor, quam pro natura, maior est: age verò, fingamus homini alicui usque adeò linguam intumescere, ut præ illius magnitudine, vix loqui possit: in hoc statu, non modo linguam tumentem contemplamur, sed etiam relationem, quan- H doquidem lingua maior est, quam oportet. Erit ergo morbus, vel membrum tumens, vel relatio, sed lingua substantia est, morbus ergo erit substantia. Vnde si morbum ad aliquid esse negaverimus, recidemus in absurdum, quod paulò ante damnavimus, & condemnabimus in sequentib. morbosque aliquos substantias esse asserere cogemur. Hæc proposuerunt, qui morbum ad aliquid proprié ac omninò esse opinati sunt.

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.*

In hac quæstione; ut ad facilem exitum rem perducam, liceat mihi de ijs, quæ cum aliquo conferuntur parum dicere, quantumvis cogar à philosophis pauca mutuari, juvat enim sæpissimè in aliena castra, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator migrare. Porrò, quæ ad aliquid referuntur, bifariam distributa sunt. Quædam id, quod sunt, aliorum esse dicuntur, in eo enim tota illorum vis, & natura posita est, quæ relata per se, & secundum esse logici vocant. Alia sunt, quæ quoquomodo aliter cum alio conferuntur, quæ nomine tantum ad aliquid dicuntur, unde relata per aliquid, & secundum dici appellantur. Nam eorum nomina, quæ revera ad aliquid referuntur primò & per se imposita sunt ad significandam relationem, ut pater, & filius, magister & discipulus: deinde verò significant subjectum absolutum, in quo respectus inest. At nomina eorum, quæ ad aliquid referuntur, tantum secundum dici, à primò & per se imposita sunt ad significandam rem absolutam: secundariò verò significant relationem, ut scientia, cujus nomine primùm mente concipimus qualitatem quandam absolutam, posteriùs autem respectu, quem habet scientia ad res, quæ per eam cognoscuntur.

1. Fundamentum. *2. Fundamentum.*

Sed quoniam relatio est interduo, in quibus ipsa inest mediante aliquo ente absoluto, cum exilis sit ejus natura, hinc necesse est in ijs, quæ sunt ad aliquid quatuor reperiri. Primum ipsa subjecta, in quibus relatio inest, ut homo, qui dicitur pater, & homo, qui dicitur filius. Secundum extrema, quæ interse conferuntur, ut pater & filius. Tertium est ipsa relatio, quæ unius ad alterum respectus est, & comparatio. Quartum & ultimum est relationis causa, & fundamentum, quod est ens absolutum, cujus efficiendi, & fundandi ratione extrema mutuò respondent, ac referuntur, ut dicta relationis fundamentum est vis agendi in patre, & vis patiendi in filio, quæ per præteritam actionem & passionem præsentem relationé in illis operata est. Quemadmodum similitudinis fundamentum est qualitas, quoniam vna est in extremis similibus. In virtute & vi-

& vitio relationis causa est cupiditas bene vel male agendi, quatenus in actum, vel perfectissimum, vel turpissimum reducitur illud desiderium. Pulchritudinis autem fundamentum in re quidem arte facta est excellens artificis peritia, in planta verò & viventibus alijs, vis naturalis agentis, quæ certa actione media, pulchritudinis relationem pepererunt.

1. Fundamentum.

Eodem modo quatuor etiam in sanitate, & morbo contemplamur. Primum ipsa subjecta, ut animantis corpus, & ejus partes. Secundum terminos extremos, quorum fit comparatio, ut sanitatem, vel morbum & ea, in quibus ipsa consistunt. Tertium est relatio inter extrema, quæ ad actiones concurrit per accidens, & tanquam causa sine qua non; quamvis enim intendatur calor, nunquam fiet intemperies morbosa, donec deperdatur ille respectus, quem calor, frigus, humiditas, & siccitas habent ad temperiem, quæ ad tales actiones est necessaria quemadmodum, cum dicimus, medicamentum trahere humorem familiarem propter similitudinem: tamen constat actionem à substantia simili promanare, non à similitudine, quæ relatio est. Si quando verò similitudinem dicimus esse trahendi causam, intelligi debet, non efficiens causa, sed accidentaria, & sine qua non, quoniam si non esset similitudo tractio non fieret. Quartum, & ultimum est relationis causa, quæ in sanitate quidem est vis facultatis generatricis, & ancillarum eius, alteratricis & formatricis, quarum alterandi & formandi certo modo, & actione perficitur, & absolvitur relatio inter sanitatem, & ea, in quibus sanitas consistit. Ad has reducere possumus optimos humores, qui nutriũt, ac spiritus, qui partes naturaliter fovent. In morbo autem relationis fundamentum est vis causæ morbificæ certa cum ratione efficientis, & morbum procreantis. Lubrica sanè sunt hæc, & per difficilia, artisque refartricis limites transcendere videntur; sed nunquam de his nisi coactus, & necessariò dicerem.

1. Assertio.

Quare sanitas & morbus dubio procùl ad aliquid referuntur. Quod demonstrare possumus Aristotelis, & Galeni auctoritatibus atque tribus illis rationibus, quas adduximus pro illis, qui sanitatem & morbum proprié referri putarunt.

Nos tamen existimamus sanitatem & morbum ad genus relatorum secundum esse neutiquam posse revocari. Quamobrem ad ea argumenta, quæ ad hanc assertionem demonstrandam sola valent, ducatur oratio. Quæ proprié sunt ad aliquid, absolutè, & sine relatione definiri nequeunt: sed sanitas, & morbus absolutè definiuntur, & sine aliquo respectu, nisi jam ad corpus referri dicas, quod non ad terminum, sed ad subjectum referri est, ut accidentia quæcunque referuntur, igitur proprié non sunt ad aliquid. Deinde morbus res est positiva, ut dicunt, non consistit dumtaxat in comparatione: propriæ autem relationes in comparatione, & veluti imaginatione consistunt, subjectumque non ita, ut reliqua accidentia, pingunt, sive afficiunt. Præterea sanitas, & morbus opposita sunt, & quidem adversa; quæ verò proprié sunt ad aliquid aliter opponuntur. Nec valet, si dicant, oppositionem in esse in ijs, quibus consistunt, nimirum in patibilibus qualitatibus. Nam temperamentum secũdum naturam calidum, & febris adversa sunt, non quidem per qualitates, in quibus potiùs conveniunt. Accedit his, quòd nulla relatio sit principium, & causa motus: at omnis morbus est principium & causa efficiens motus: lædit enim corporis actiones, ergò sanitas, & morbus proprié non sunt ad aliquid. Huic rationi respondebat præceptor meus relationem nõ agere, sed esse primariam causam actionis & læsionis, quando calor immodicus, vel quantitas aucta vitiant actionem, ut cum serra secamus ligna, & tabulas vel tenuissimas, principiũ illius actionis, potissimum serra est, non quia serrea, sed quia dentata: agit quidem serrum, sed ratio agendi est dentatum esse. Veruntamen dentatum esse (ut bona hoc venia dixerim) non est relatio, sed qualitas, forma scilicet, vel figura, quatenus in ferro determinavit quantitatem: dispositio verò est, quatenus serrum ita præmunivit ad secandum. Eadem ratione sanitas est dispositio. Nam quemadmodum affectio

2. Assertio.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Evasio.

Refutatur.

4. Ratio.

Evasio.

Confutatio

illa ferræ, vel cujuscunque instrumenti, præter id, quod est dispositio ad agendum, nihilominus tamen quandam relationem profert ad ea, quæ præparavit, ita sanitas ad illa refertur, quæ ad agendum præmunivit, verum illa relatio propria non est, vel secundum esse, ut illi dicunt.

Erunt itaque sanitas & morbus ex ijs, quæ nomine tenùs ad aliud referuntur. Sic Aristoteles sanitatem & morbum in genere qualitatis apertè reposuit: septimo autem physicorum sanitatem inter habitus enumeravit, quos cum alio conferri est arbitratus. *Atque*, ait, *nec in habitibus alteratio est: habitus namque virtutes ac vitia sunt: virtus autem omnis ac vitium ad aliquid est, quemadmodum sanitas temperatio quædam est calidorum & humidorum aut internorum, aut ad continens. Similiter & pulchritudo, & robur ad aliquid sunt: sunt enim dispositiones quædam eius, quod præstantissimum est, ad id, quod est optimum*, hoc est, naturæ perfectæ ad perfectam actionem. Igitur morbus dispositio est, vel affectio & ametria, quæ ad aliquid dicitur, quemadmodum deformitas, quæ improportio est partium, & prava illarum ad se ipsas coaptatio, est tamen una cum pulchritudine in genere qualitatis. Sed addo rationem, ex qua nullus evadet, aut negliget philosophicas leges, quibus est astrictus. Hoc differunt extrema relata, quæ revera sunt ad aliquid, ab his extremis, quæ nominetenus relata dicuntur, q hæc primo & per se indicant ens absolutum, secundariò verò & per accidens respectum quendam: illa verò primò & per se respectum dicunt, nam secundum quod ipsa sunt, ad aliquid sunt: secundò verò & per accidens aliquod ens absolutum notant: sed sanitas morbus, calor, frigus, humiditas, siccitas, conformatio, numerus, magnitudo, situs, continuitas, primùm rem absolutam monstrant, mox relationem indicant, ergò non sunt ad aliquid proprié, vel secundum totum illorum esse, sed nomine tantum referuntur. Quod perspicuè intellexit noster Gal. cum ipsum morbum primò affectum, deinceps verò ametriam vocavit.

3. Asserit.

In categ. Cap. 3.

Ratio firmissima.

Text. 6. Text. 7.

Quibus perspectis, rationis primæ concedimus propositionem, si loquamur de relatis secundum dici: at si sermo est de relatis secundum esse appellatis, negamus propositionem. Ad probationem respondemus, Aristotelem in initio illius capitis adduxisse definitionem eorum, quæ referuntur ad aliquid ex sententia veterum, quam, ut falsam esse demonstraret, exempla tradidit tanquam incommoda, quę sequuntur ex ea: sequeretur enim, ea definitione admissa, habitum, & dispositionem, & scientiam, quæ collocantur in categoria qualitatis, esse relata, ac præterea situm, qui genus supremum est, & per se constituit categoriam, quoniam ista quodammodo cum alio conferuntur, unde nasceretur maxima categoriarum cõfusio. Vel dicito Aristotelem hæc inter relata numerasse, quoniam in eo capite, non modo disputat de ijs, quæ sunt ad aliquid secundum rem, & secundum esse, sed etiam de alijs, quæ tantum nomine ac secundum dici cum alio conferuntur. Secunda ratio adversariorum nòstræ opinionis est confirmatio: sanitas enim, vel morbus non est aliquid ex componentibus vel qualitas, quæ reliquis temperetur, vel aliunde præter naturam primò intemperetur, sed moderatio, vel immoderatio quædam est, corporisq. dispositio secundum, vel præter naturam, quæ relationem ad componentia significat posterius. Postrema ratio ex parte, qua contra nos est, facile dissolvetur his observatis, quæ capite quarto diximus. Nam calor excedens non est febris, sed intemperies calida febris est; calor similitudinem gerit materiæ, veluti æs; intemperies formam representat, ut statua; quemadmodum ergo figura Mercurij non dicitur æs statuatum, sed statua ænea, sic morbus non est calor intemperatus, vel excedens, sed intemperies calida. Idem est dicendum quando membrum aliquod præter naturam turget, nam morbus est dispositio quædam præter naturam reddita exaucta quantitate. Ergo morbus est dispositio præter naturã, quæ ex componentium sanitatem aliquo præternaturam reddito, potissimum emergit, simulque est ex ijs, quæ dicuntur ad aliquid, non tamen sunt.

Solutio altera.

2. Solut.

Text. Solut.

1. Solutio.

(*)

Sanitas

SANITAS ET MORBus sub quo rerum genere subjiciantur.

QVÆSTIO VIII.

3. Opinio de genere morbi.

NOBIS tertiæ opinionis fautoribus constitutũ est, ut prædiximus, morbum esse affectum affectionem, vel dispositionem, quæ sub prima qualitatis specie continetur. Sed antequam certum consilium capiamus, necessaria fundamenta jacienda sunt, quo certũ sit nobis de natura & conditione dispositionis.

1. Fundamentum.

Qualitas est accidens quoddam absolutum adjunctum ad supplementum perfectionis substantiarum, nimirum, & ut sint, & ut operentur. Nam substãtia nostra maximè restricta est, adeo vt per se nequeat omninò perfici: ad hoc igitur indiguit qualitate, quæ omniũ accidentium perfectissimum est, atque substantiam, hoc ipso, quod talis est, comitatur. Nihil verò refert, quod nõnullæ qualitates sint infestæ ac inimicæ aliquib. subjectis, quæ disturbant, & omninò destruunt: hoc enim præternaturæ propositum, & ex accidente fit, cum illarum oppositæ qualitates per se institutæ sint ad absolutam subjectorum perfectionem. Quamobrẽ qualitas (vt cum philosophis juniorib. loquar) modus substantiæ dicitur, qui iuxta debitam mensuram determinat potentiam illius ad esse accidentarium intrinsecum, & absolutum, & per se ordinatum ad complementum perfectionis formalis ipsius. Nam quemadmodum animal indifferens est ad hominem & leonem: per differentiam verò essentialem contrahitur & determinatur, ut sit tale animal, & homo, ita substantia ex se indifferens plura est, sed per qualitatem determinatur, ut sit alba, vel nigra: & quemadmodum essentialis differentia determinat genus, quod facit essentialiter tale, quæ ratio est substantialis differentię, nõ dissimili ratione qualitas accidentaria dicitur modus substantiæ acdeterminatio qua substantia accidentariò dicitur talis, quæ accidentaria perfectio est. Vnde cum quæritur, quomodo se habeat Petrus, nunquam respondemus, quod sit quantus, vel æqualis, sed quod sit bonus, vel malus, potens, vel impotens: hoc enim respicit illius perfectionem accidentariam.

Præcuptio.

Qualitas quid.

A

Porrò in qualitatib. quæ substantiã rité perficiunt, numerantur dispositiones, sed cum sit ambiguum nomen dispositionis, illud primùm distinguendum. Primò (ut retro dictum est) dispositio est ordo rei partes habentis secũdum locum, ut exercitus, vel domus, cuius tectum est in supremo loco, fundamentum in infimo, parietes in medio. Secundò dispositio est ordo partium alicujus totius secundum formã & figuram, ut in statua & omnino in quouis quantitate cõtinua permanẽte, cuius aliæ partes sunt extra alias, & cũ alijs simul existunt in eodem toro. Tertiò & ultimò dispositio est ordo secundum potentiam, ut in prudentia, cuius prima pars pertinet ad consultationẽ, secunda ad iudicium, tertia ad imperium. Iam dispositio, quæ ordo est iuxta locum, pertinet ad categoriam situs: quæ verò est ordo formâ & figurâ refertur ad categoriam quantitatis: quæ tandem est ordo ex potentia, categoriæ qualitatis est. Probat verò Aristoteles dispositionem esse ordinem, quoniam dispositio ex vi nominis est multorum positio, quæ consistit in ordine eorum, quæ posita sunt. Quod si quis dixerit, ordinem esse relationem, dispositionem verò non significare relationem, sed aliquid pertinens ad quantitatem, vel qualitatem, vel situm. Occurrendum est dispositionem ex vi nominis relationem significare: at ex propria natura, & per se esse ens absolutum, cui conjuncta est huiusmodi relatio. Quamobrem, cum dispositio ab Aristotele dicitur ordo & positio, id quidem non in sensu formali, sed in sensu causali (ut dicunt) accipiendum est: tametsi enim eclypsis lunæ (verbi gratia) dicatur interpositio terræ inter solem, & lunam, revera tamẽ eclypsis est obtenebratio lunæ, quę fit propter interpositionem. Vnde dispositio formaliter (ut dicunt) non est ordo, vel multorum positio, sed est id, quod ex illis sic ordinatis consequitur. Nam ex ordine, ac partium certa, & (ut ita loquar) respectiva positione dispositio emanat. Quoniam, διὰ, idem est quod, ex: ἕσις, idem, quod positio, dicta thesis ergo, id est, dispositio, ex ordinata

B

C

D

1. Fundamentum.

Objectio.

2. Solutio.

Observatio

Fundación

nata positione fit. Itaq. cum dupliciter intelligi possit dispositio, uno modo, ut sit ipse respectus ordinis, qui consurgit inter partes totius: alio modo, ut sit totius constitutio, ac veluti forma consurgens exordinata partium positione, profectò posteriori modo dispositio propriè dicta est. Sic apud rhetores dispositio orationis dicitur conveniens distributio partium eius, cum debita proportione: & apud dialecticos figura; & compositio syllogismi nascitur ex debita terminorum positione.

1. Fundamentum. Iam verò illa dispositio, quæ nascitur ex ordine, vel positione partium subjecti secundum eius vim & potentiam omninò substantiam perficit, atq. propterea ad primam speciem qualitatis refertur. Definitur autem qualitas

Dispositio qualis. insensibilis, qua subjectum benè, vel malè se habet, vel in seipso, vel ad operandum: in seipso quidem, ut est pulchritudo: ad operandum verò, ut est virtus, qua quidem nos sanctissimè agere manifestum est. Quam dispositionem Aristoteles & Galenus diviserunt inhabitum & dispositionem. At cum distinguantur separatione, nimirum, quod dispositio facilè dimoveatur, & separetur à subjecto, habitus autem difficile, observandum est, duobus modis vocari à philosophis dificile separabile. Primùm per se, & sua natura, alio modo peraccidens, & ratione subjecti. Id dicitur difficilè separabile per se, quòd ob suas causas difficilè potest separari, ut scientia, cujus causæ sunt, lumen intellectus agentis, & patibilis, atq. demonstratio, quæ cum dicant firmam inhæsionem, hinc est, quod effectum producat necessariò immobilem & ex sua natura firmiter stabilem in subjecto. Illud autem dicitur difficilè mobile peraccidens, quod ex sua natura facilè separaretur, tamen ratione alicuius extrinseci est difficile mobile, ut cum duo postes conjunguntur, ex se quidem facile adinvicem possunt separari: tamen siglutine jungantur, huius rei externæ ratione difficulter separabuntur. Totidem etiam modis vocatur aliquid facilè à subjecto separabile, nimirum per se, sive ex sua natura, quod scilicet propter suas causas à subjecto potest facile separari, quæ quidem causæ planè transmutari possunt. Secundò aliquid facilè dimovetur à subjecto peraccidens, & ratione subjecti, ut scientia, quæ nequit separari exsecratione individui subjecti facile separatur, cùm quis possit in eã incidere infirmitatẽ, quæ destruet, & corrumpet instrumenta imaginationis, quæ maximè necessaria est ad rerum speculationem. Unde, quod ex sua natura difficile potest separari, peraccidens planè separabitur, & quod ex sua natura separatur proclivius, peraccidens non facile separabitur. Quamobrẽ qualitates, quæ disponunt ad benè, vel malè agendum, & ex sua natura causas habent, quæ difficilimè mutari possunt, habitus dicuntur ex se, & secundum propriam essentiam, ut scientia, & virtus. Verum si aliquando facile dimoveantur, quod per accidens fit, & ratione subjecti, tunc modum inducunt affectionis, qualis est scientia in tyronib. Unde, qui scientię aliquam partem habet, & hanc infirma memoria, non dicitur scientiam habere, ut dixit Aristoteles, sed affectum esse scientia. Insuper illæ qualitates, quæ inclinant ad benè, vel malè operandum, & ex sua natura causas obtinent, quæ facilè mutantur in subjecto, affectiones, vel dispositiones dicuntur: si verò difficilè mobiles judicãtur, quod ex accidenti euenit, & ratione subjecti, habitus secundum modum appellãtur, quamvis proprie mereantur nomen affectionis, & dispositionis. Quod his verbis Aristoteles declarauit. *Dispositiones autem hæ sunt, quæ faciliter dimoveri mutariq possunt.* Et paulo post. *Nisi & harum ipsarum aliqua ob diuturnitatem sit versa in naturæ habitum, dimoveriq nequeat, aùt summa cum difficultate mutari possit, quam quidem* quispiam *esse*, hoc est, *ut habitum, tam nuncupauerit.* Observauit hoc D. Thomas.

Capit. de qual.

Qq. exist. 1. 2. q. 50. ar. 1. ad 1.

Quibus commemoratis asserimus sanitatem & morbum esse qualitates. Nam sanitati convenit definitio qualitatis: est enim modus, qui iuxta certam mensuram determinat potentiam nostri corporis ad statum naturalem intrinsecũ, absolutũ & per se ordinatũ ad supplementum perfectionis illius, ergo sanitas qualitas est. Morb. qualitas est etiã necessariò, utpotequi sanitati maxime adversetur, cõtrariaq. sub eodem genere contineantur. Quod si magnam ruinam corporib. afferre morbum

1. Assum. Ratio.

bum dicas, id quidem peraccidens est, & præter institutum naturæ.

Præterea concludimus sanitatem & morbum nunquam esse habitus. Nam quæ causas habent mutationi obnoxias, ut ex eo facile dimoveantur à subjecto, dispositiones sunt requidem vera, nunquam habitus: sanitas, & omnes morbi hujusmodi sunt, ergo dispositiones erũt. Quinimo animi est omnis habitus, non corporis, ut commuuis est omnium philosophorum opinio.

2. Assertio.
1. Ratio.
3. Ratio.

Deinde asserimus sanitatem & morbum esse dispositiones, atq. ad primã

3. Assertio.

speciem qualitatis pertinere. Nam dispositio tota pendet ex positione, & ordine partium alicujus totius secũdum eam, quam habet vim, & potestatẽ ad agendum: sed sanitas est moderatio calidi, frigidi, humidi, & sicci, quæ nascitur ex illorum ordine, & societate naturali juxta corporis actiones, cujus commodis, & utilitati seruire debent, ergo sanitas dispositio est. Nam in progressu generationis naturalis, cũ partes similares corpori præstò sunt juxta actiones illi exercendas, calido, frigido, humido, sicco: instrumentales verò figura, numero magnitudine, & situ, utraq. tandẽ continuitate, statim cessat alteratio, vel accretio, & decretio, partesq. dicuntur habere naturalem dispositionem, quæ illas ad agendum præfulsit, & præmunit, illisq. non secus ac forma substantialis, post tot præparationes adaptatur. De morbo similiter, sed modo contrario dicendũ. Hoc siquidem est illud quod multis in locis docuit Gal. ut dicemus inferius, non quemlibet affectum præternaturam esse morbum, sed illum, qui aliquam actionem vitiaverit, quia vidit sanitatem esse dispositionem à natura corpiri donatam propter illius actiones: morb. ergo eius contrarium etiam dispositio erit. Rectẽ verò addit Aristoteles in categorijs hominem affectionibus aliquo modo disponi, hoc est, bené vel male. Nam si ordo partium naturalis est, dispositio etiam est naturalis: si cõtrasit dispositio, præternaturam est, hoc autem in sanitate & morbo clarius apparet.

2. Ratio.
3. Ratio.

4. Assertio.

Nihilominus tamẽ fatemur sanitatẽ & aliquos morbos habitus dici posse, non quidem proprie, sed veluti habitus, quia gerunt modum & similitudinem habitus (in modo, logici dicunt.) Nam dispositiones, quæ ob diuturnitatem ac durationem difficulter mutãtur, habitus dicuntur, quamvis ex propria natura & ratione causatũ possint facile mutari: sed sanitas & nonnulli morbi ita se habent, possunt igitur habitus reputari. Sic noster Gal. sanitatẽ millies appellauit habitum: morbus verò in affectiones & habitus divisit secundo methodi, & octauo.

Ratio.
Cap. 3.
Cap. 1.

Sed quoniam, quæ de dispositione dicta sunt, in magnas difficultates incurrunt, multa prorogamus ad librum de differentia symptomatum, quo loco hanc quæstionem de morbi genere institutam ad exitum perducemus, vbi aliqua nobis obviam prodibunt, quæ præter sanitatem, videntur etiam cum morbo genere convenire.

Observatio
In summ. quæst. 2.

DE SANITATIS ET morbi generatione.

QVÆSTIO VIII.

OPTATO venit hæc disputatio. Nam cum in nostro corpore præter quantitates & qualitates, ac situs, consideremus duas dispositiones, nimirum sanitatem, quæ naturaliter, & morbum, qui præternaturam illud afficiũt, necessariò est exponendus modus, quo dictæ dispositiones in illis incidentes generentur. Qui caliditatem, frigiditatem, formationem, numerum præternaturam excedentia morbos esse volunt, generationem sanitatis, & morbi putant esse motum proprie dictum, cujus illa termini sint. Quam sententiam poterant colorare auctoritate & ratione Gal. primo de locis patentib. postquam dixit *morbos posse generari*, quod est, motu generari, quærit, *utrum morb. dum fit, fiens quidã sit, & nondum existat ut domus, quæ cum fit, domus nondum est, sed fiens domus.* Respondet, *res, quæ fiunt, alias esse similares, alias dissimilares. Similares nullam naturalem figuram requirentes, statim ab initio eadem essentia constant: dissimilares verò, & quibus varia figura est, essentiam obtinere possunt generatione posteriorem.* Id exemplo domus, & morbi mõstrat. *Nam cum domus construitur*, quæ res dissimilaris est, *non fiunt simul eius*

Loca. Segata ac Iunio rum opinio
1. Auct.
Cap. 2.

partes, sed in tempore, mox domus in non tempore fit, at vero morb. qui res similaris est, *cum primùm naturalem temperiem excesserit, eandem sibi ipsi naturam habet.* Paulò post verò sic locutus est. *Cũ itaq; duo sint motus genera, alterationis, & lationis, ubi ad permanentẽ dispositionẽ alteratio pervenerit, sitq. dispositio præternaturã, morb. appellatur.* Libro de differẽtia symptomatũ. *Cessante,* inquit, *eo, quod alterabat, alteratio, quæ in eo, quod perpessum est permanet, eius, quod perpessum est, affectus dicitur.* Secundo methodi scribit, *alterationem esse generationem qualitatis, aut affectus.* Demùm ratione, quoniam in morbis ægre patitur corpus, & in putrida febri vehementer movetur, vexatur, affligitur, atq. ratione caloris putridi perpetitur, & alteratur, motus ergo est morbi generatio.

6. Aucto. Cap. 3.

3. Aucto. Cap. 1.

Cap. 3.

Ratio.

Nos in hac quæstione primùm constituemus fundamenta. Deinde requisitis theorematis nostram sententiam Aristoteli & Galeno consonam exponemus. Tandem ea, quibus aduersarij fulciri putantur, corruere ostendemus.

1. Fundamentum. 5. Physic. Cap. 1. & 2.

Aristotelis opinione motus proprié dictus in tribus tantum generib. rerum invenitur. Accretio, vel immi nutio in quantitate. Alteratio in tertia specie qualitatis. Latio in loco. Cujus rei duplicem causam reddit. Vna, quoniam in his tribus generibus reperiuntur contraria propria: altera est, quoniam hæc tria genera subjecto adveniũt per se ac vera mutatione, hoc est, actione & passione propria.

2. Fundamentum.

Vnde habitus & dispositiones, nec in tempore fiunt, nec motu acquiruntur. Quod dilucidè docuit Aristoteles septimo physicorum. *Quoniam igitur,* inquit, *ea, quæ ad aliquid referuntur, nec sunt alterationes, nec eorum est alteratio, nec generatio, nec ulla omninò mutatio perspicuum est, neq. habitus, neque habituum receptiones, aut detractiones alterationes esse, sed fortasse necesse est fieri & corrumpi alteratis quibusdam.* Quod siquerat aliquis, quomodo dispositiones, cum prius nõ essent, oriuntur, & cum sint paulò post intereant; id explicat Aristoteles his verbis. *Quemadmodum forma & figura.* Sicut forma & figura exterior per se, nec generatur, nec corrumpitur, sed alijs quibusdam alteratis, sunt, vel nõ sunt, ita etiam habitus & dispositiones nullo modo per se generantur, corrumpuntur, alterantur, sed alijs quibusdam alteratis existunt, vel nõ existunt. Quænam verò sint ea, quib. alteratis & formæ, & habitus, vel dispositiones sunt, & non sunt, sic declarat. *Vt calidis & frigidis, aut siccis & humidis, aut ijs, in quibus primò insunt,* hoc est, mutata & alterata materia, fundamẽtisq. proximis, circa quæ disponuntur corpora. Vnde homo, vt sanus, aut æger fiat, non alteratur per se secundum sanitatem, aut ægritudinem, sed secundũ calorem, frigus, humiditatem & siccitatem. Sic artifices instrumentis utuntur ad tollendam materię ineptitudinem, qua sublata, species vel figura subjecto advenit in non tempore. Accidit hoc beneficio artis, quæ tollit & resecat impedimenta formam à nobis desideratam occultantia. Quod Aristoteles in animaliũ generatione similiter fieri observavit.

Cap. 3.

Ibidem

3. Fundamentum.

Ex quibus etiam concluditur habitus & dispositiones ferè in omnib. respondere formis substantialibus. Antecedit quidẽ motus, sed dispositio mox introducitur instar formæ substantialis, repente subsistit, perficit, denominat, agendi principium est. Quare quælibet dispositio forma quædam dicitur, non solum ut quælibet forma accidentaria, sed speciali quodam modo. Quoniam verò circa ea, in quibus dispositiones primò insunt, motus, & alterationes fiunt, ideo ea veluti materia sunt. Vnde Aristoteles septimo physicorum probat: in figuris & formis exterioribus non versari propriã alterationem, sed in ijs potius, in quibus consistunt, *veluti materia densata, aut rare facta, aut calida, aut frigida reddita.* Quod in dispositionibus idem apparet, ut dictum est. Quamobrem dispositiones dupliciter accipiuntur. Primùm ratione formæ, nudæ scilicet dispositionis. Secundò ratione materiæ ac fundamenti, hoc est, ratione illorũ, in quibus insidere consideramus. Quod quidem aperte exposuit idem Aristoteles quarto physicorum, ubi, dum perlustraret modos, quib. aliquid in alio esse dicitur, sanitatis formam & materiam subtiliter expressit. *Præterea* inquit, *ut sanitas incalidis & frigidis, & omnino, ut forma in materia.* Voleus significare sanitatem esse formam quandam,

Cap. 3.

Cap 3.

Objectio.

Solutio.

dam, calorem verò, frigus, humiditatẽ & siccitatẽ veluti materiã illius.

4. Fundamentum. Postremò advertendum est, alterationem bifariam dici. Primùm alteratio dicitur omnis motus, qui fertur in qualitatem, qua usurpatione dictum
5 Phy. c. 4. est ab Aristotele ad disciplinam in cõ
7 Phy. c. 2. muni esse motum, atq. sensus alterari,
Ibid cap. 2. cum patiuntur ab objectis. Deinde sumitur pro eo tantum motu, qui fit inter duas patibiles qualilates, ut à calido in frigidum.

His fundamentis positis hac de re
2. Assertio. sic est deliberandum. Sanitas & morb. non generantur motu, vel alteratione per se, sed per accidens, nimirum eorũ ratione, in quibus consistunt, quæ qui
1. Ratio. dem acquiruntur per se. Quandoquidem nulla dispositio comparatur alteratione per se: at sanitas & morb. dispositiones sunt, veluti mõstratum est, ergo non acquiruntur motu. Propositionem sit confirmat Aristoteles. *Cum*
7. Phy. c. 3 *quis eo modo disponitur, quo idoneus sit ad suas actiones rite obeundas, perfici quidem dicitur, non alterari: & cum ad eam conditionem perducitur, qua pessimè agit, perfectionem deponere dicitur, non alterari: corporis autem dispositionum, quædam perfectiones sunt, veluti sanitas, bona habitudo, pulchritudo: quædam imperfectiones, ut morb. mala habitudo, deformitas, quoniam perfectio in re quacunq. est cum maximè fuerit consecuta illud, quod secundum naturam amat, imperfectio & vitium eius corruptio atq. detractio*, ergo nulla dispositio comparatur alteratione per se. Præterea, quod solã
2. Ratio. alterationem subit, non amittit propriam appellationem, sed ea retenta, comparat aliam denominationem, ut quando augetur albedo, nõ desinit appellari albedo, ut dicatur intensa, sed dicitur albedo intensa: at quando febris oritur, quæ in calore præternaturam præcipuè posita est, calor propriã appellationem amittit, quoniã febris intemperies dicitur, eo quod accesserit vitiosa quædam dispositio: denominatur verò intẽperies calida, quod
3. Ratio. accesserit exaucto calore. Postremò, ut voluit Aristoteles physicorum quinto, eorum, quæ sunt ad aliquid, nulla per se alteratio est, quoniam cum alijs fiũt & pereunt: sed morbi omnes & dispositiones quodammodo sunt ad aliquid, ut diximus, ergo nullius erit alteratio per se

A Quamobrẽ sanitas & morb. nõ fiũt in tempore, sed in instanti sunt, & non fiũt. Nã ad sanitatẽ & morbum non est motus, quia dispositiones sunt, ergo ad punctum temporis fiunt, quemadmodum reliqua omnia, quæ ad tria dicta rerum genera referuntur. Iam si dispositiones omnes in instanti existunt, sine dubio morb erit, quod ab alteratione permanet, cessante eo, quod alterabat, ut dixit Gal. lib. de differentia symptomatum. *Assertio. alt.* *1. Ratio.* *Alt. Ratio.* *Cap. 12.*

Accedamus nunc ad id, quod ultimò propositum est. Primæ auctoritati respondemus, nos duob. modis posse loqui de morbo. Si morbum contemplamur eorum ratione, in quibus ineſt (materialiter in scholis) in tempore fit, & protinùs ab initio eandem sibi ipsi naturam obtinet, quoniam partes factæ in similaribus eandem habent naturam cum toto: calor enim, magnitudo, & solutio continui augentur in tẽpore, & in quacunq. parte habent naturam sibi ipsis eandem, similiterq. desinunt. Verum, si mente contemplamur dispositionem, quæ gerit vices formæ (morbum formaliter vocant) in non tempore fit. Nam, cum ponatur in cõmensuratione multorum, veluti domus, dissimiliter cadit, *essentiamq. habet generatione posteriorem*, & in non tempore fit. Gal. ergo primo de locis patien *Cap. 4i* tibus, ut multis alijs in locis, illa respexit, in quibus morbifica dispositio posita est, & ad quæ medic' omnes suas dirigit actiones, tãquam ad materiam, quæ variè mouetur, mutatur, & vertitur: attamen morb. præter materiam hanc aliam conditionem requirit, cujus etiam Gale. coactus ibidem mentionem fecit. Nam postquam dixit, *morbum calidum, frigidum, humidum, siccum protinùs ab initio eandem sibi ipsi naturam habere*, subjungit *Cum primùm corpus temperatura, quæ bonæ valetudini debetur, limites excesserit*: non enim quodlibet augmẽtum caloris morb. est, sed quod limites naturales excesserit, & perturbaverit naturalem ordinem, unde præternaturam dispositio ducit originem. Ad reliquas autoritates diceret fortasse aliquis, Galenum postremam significationem alterationis usurpasse, cum ei constitutum esset passionem à dispositione separare, quæ distinctio maximè patet in patibilib' qualitatibus, *Interpretatur Gal.* *Solvuntur 2. & 3. argu.*

quæ

Cap. 3. quas tanquam exempla supponit se-
cundo methodo. Quæ solutio contem-
nenda non est. Ego tamen existimo cō-
Cap. 1. muniter locutum fuisse. Nam libro de
differentia symptomatum, sensuū pas-
siones alterationes esse dixit cum Pla-
tone; cumq. tremere sit pati, tremo-
rem etiam alterationem vocavit. Qua-
re, si loquamur generaliter de altera-
tione, omnis morbus fit ab alteratio-
ne & passione, nunquam tamen per
se, sed per aliud, & ex accidenti. Nam
sive motus sit accretio, vel imminutio,
ut in morbis quantitatis, sive alteratio
propriè, qualis est morbis in tempera-
mento, sive latio, veluti in morbis ex
situ, quicunq. motus communi nomi-
ne dicitur alteratio, dummodo tendat
Velvitur tarie. ad qualitatem. Rationi respondemus,
in febri pati corpus, & quidem altera
ri per calorem: at per dispositionem
quiescere: ut enim dealbatio primò
fertur ad albedinem, à qua sequitur
similitudo, ad quam non est alteratio
per se, ut neque ad figuram, ita de mor
bis dicendum, qui corpus nullatenus
per se movent: per accidēs verò illud
divexant, agitant, & discrutiant, ra-
tione videlicet eorum, in quibus pri-
mò insunt. Quoniam autem variant
hac in parte affectiones, & morbi, si-
cut ista variant, in quibus consistunt,
hinc attribuimus ipsis morbis (cum
promiscuè loquimur) quæ verius illis
tribui debent, in quibus morbi repo-
nuntur. Similiter locutus est Gal. ferè
semper, materialiter, inquam, quia sic
conveniebat medico Medicinam fa-
cienti, ut dicemus inferiùs.

E tentari posit. Monstratum est sanita-
tem, & morbū esse dispositiones, quæ
ratione potestatis partium nostri cor
poris ducunt originem ex quorūdam
positione. Iam qua ratione dispositio-
nes hujusmodi ab illis distinguantur,
ex quorum positione fiunt, exemplis
confirmandum: sic enim res in lucē col-
locabitur multitariam.

Porrò mistione procedente primæ Sen. & motus ju-
qualitates mutuo agunt, & patiun- niorum.
tur: at ubi qualitas orta ex earum ap-
paratu oportuna est actionibus geniti
obeundis, subitò extat dispositio.
F Quod si paululùm recedat ab exacta
constitutione per aliquam virtutem,
vel aliquas earum, quibus est prædita,
propriè hæc est alteratio, sed quasi im
mota remanet adhuc tēperatura, quo-
niam adhuc secundum naturam dispo-
nit. Vnde sanitas modo melius, mo-
do deteriùs se habet, nunc edit opti-
mas actiones, nunc bonas, sæpissimè
imbecillas, denique vagatur per am-
plissimam latitudinem, quæ sibi ex na
tura præfinita est. Verum si recedat lō-
giùs, ut actionum corporis aliqua vi-
tiosè ac nequiter fiat, quæ non obscu
G rè, sed perspicuè, ac manifestè depre-
hendatur, tunc eadem disponens qua-
litas é contrario vestita, nimirum ex
vitiata positione præter naturam fac-
ta, quoniam malè disponit, sine ulla
mora morbus est, veluti forma con-
traria in eandem materiam denuò in-
troducta. Morbus appellatur à forma,
sed calidus, vel frigidus à materia exu-
perante. Hoc perinde accidit, ut in Exempl.
Musica, quæ acutis, & gravibus sonis,
longisq. & brevibus unà permistis in
diversis vocibus canora, fusa, intenta,
leni, & flexibili, unam ex illis harmo-
niam absolutam reddit. Patibiles qui-
dem qualitates sunt ipsi soni, quorum
H acutus cum gravi, & longus cum bre-
vi, atque primus cum ultimo tempe-
rantur, & ex utroq. medij æquabiliter
respondent; sed ex his consurgens so-
norus consentus, illaque dissimilium
concordia, & compositio, quæ nostras
aures perfectè complet, quoniam be-
ne ac ordinatè disponit, dissimiles vo-
ces, vel sonos, vel fides in lyra, atque
ipsam lyram, vel testudinem, dispo-
sitio est, & illorum affectus laudabilis.
Verum, si propter dissonum quiddam
perturbetur cōsensus aures q. offendat,
quo-

EXEMPLIS CONFIRMATUR sanitatem, & morbum esse dispositiones.

(··)

QVÆSTIO. IX.

(··)

EXEMPLA non modo rem ornatiorem faciunt, verum etiam probabiliorem & apertiorem, cū id, quod obscuriùs est, magis dilucidum reddāt, & ante oculos ponant, atque exprimāt omnia perspicuè, ut res propè manū

quoniam voces, vel sonos, vel instrumentum malè disponit, illorum mala dispositio dicetur, & pravus affectus.

Sanit. & morb. dis similariũ

Præterea partes similares interventu conformationis, numeri, magnitudinis, & positus, instrumenta constituunt, motu quidem auctionis & accretionis, alterationis, & lationis, sive per se, sive per accidens id contingat. Structura hæc, cum illorum actionibus rectè excercendis aptatur, quam primùm dispositio est, & forma quædam, quæ suam etiam latitudinem habet: at si ex particulis componentibus alicujus deficiat, vel abundet numerus, augeatur, vel minuatur magnitudo, pervertatur figura, connexio, vel positus, vbi manifestè læditur actio instrumenti, illud conversum, & mutatum tanquam materia est, sed ipsa instrumenti dispositio præter naturam morbus ipse, vel in numero, vel in magnitudine, in eo sane genere, ob cujus recessum à naturali statu, instrumenti symmetria fuerit in ametriam commutata. Idem in

Exẽplũ.

horologijs contingit, quorum tintinabuli sonitu horæ designantur. Cum enim ex multis particulis componantur, una reperitur in illis, cui primùm debetur pulsatio, reliquæ usum tantum præstant, quæ similitudo ad caput sextum erit oportuna. Requirit autem illud instrumentum partes certo numero præditas, idonea magnitudine, conveniente figura, & quæ invicem commodum habeant situm, & connexum. Quæ ubi juxta munus obeundum fuerint consociata, nova quædam ex omnibus certum ordinem, & positum habentibus, erumpit dispositio ad pensum exequendum oportuna. Veruntamen, si deficiat particularum aliqua, si quid tractu temporis de magnitudine minuatur, vel figura mutationem faciat, denique si ordine, vel positione mutata, mutetur locus, atque particula quæpiam ab alia sejungatur ita, ut propter horum aliquid horæ nequiter designentur, profectò illa structura, sive horologij compositio, erit prava dispositio, vitioseq. pulsationis causa.

Sanit. & morb. cõmunis.

Tandem omnium partiũ vnitas, & continuitas auctione, & latione producitur. Hæc, cum ad unam partem A constituendam, unamque naturalem actionem continuandam contulerit, corpusque unum ex multis benè disposuerit forma quædam est corporis continui, affectio & dispositio, communisque utrarumq. partium sanitas appellatur. Quod si quantitas illa continua dividatur, ut actiones offendat, tunc statim vestitur dispositione præter naturam, ut sequenti exemplo fiet manifestum. Filum ex lino, vel lana trahendo ducitur, & formatur, in quo *Exẽplũ.* partium similarium continuitas adumbratur, mox verò tela probatissima conficitur, cum tenuissimo filo texitur, compactaque existit, æquabiliter continuata, in quo dissimilarium contextus quasi imago describitur. Ergo tela quantùm multis in rebus magno usui nobis est, conveniente potitur dispositione: sed aliquando scissa vitiosa & depravata minùs in usu erit necessaria. Ecce quomodo sanitas, & morbus juxta partium nostri corporis potestates, & actiones, illa quidem secundum, hic verò præter naturam dispositiones repentè sint, ab ijs, longè disjunctæ, quorum mutatione, ac positione fiunt, & constant.

VTRVM MORBVS sit affectus præter naturam, vel contra naturam.

(*.*)

QVÆSTIO. X.

DECIMO quarto medendi methodi, postquã exposuit Gal. quæ secũdum, & quæ præter naturam propriè dicantur, sequentium hortatur, ut memoriam illius rationis conservet, quoniam, si aliquis dixerit, *præter naturam, alter, quod vocet, aut inutile est, ac incommodat actioni, tum fallere varia nomina poterunt inconsideratos, tum discordiæ phantasiam excitare.* Quibus fine dubio præsentiebat aliquem in posterum decipiendum fore hac in re; nec fefellit opinio. Nam Ioannes Fernelius legislatoris munere fungẽs nos cogit hoc loco de eo, quod præter naturã est, certatim dicere, etiã si nulla facta cõtentione in cõmentario quinto

Cap. 14.

Opinio Fernelij.

Cap. 2. idé competenter declaraverimus. Vir ergo ille alioqui doctissimus definitione quadam à se excogitata morbi naturam voluit occultare, cavereque omnia damna & detrimenta, in quæ morbi definitio incidere poterat. Definit morbum esse affectum contra naturam corpori insidentem. Veruntamen Aristoteles libro secundo posteriorum magnâ perspicuitatem requirit in definitionibus: hæc tamé definitio admodum obscura est, quoniã sine ullo euidenti signo morbus cognosci non potest. Præterea morbus si propriè loquamur, contra naturam non est. Nam contra naturam esse dicitur, quod omninò rei naturæ repugnat, & violentum est, ut ignem descendere, & terram ascendere, octavo physicorum: at verò in morbum incidere, naturæ nostræ non repugnat, nec violentum est, immo ex internis principijs nos incidimus in morbos, in senectutem, & tandem ad mortem tendimus, ut legimus quinto physicorum, & primo de sanitate tuenda. Quod si affectus contra naturam idem est, atque affectus præter naturam actionem lædens, ut idem Fernelius concludit, eadem erit hæc definitio cum definitione Galeni ijsdemque subjecta criminibus. Accidit ergo prater ejus opinionem, ut, quæ innovaverit, extra Galenum, & Aristotelem, sine quibus non decebat de nominibus statuere, omnia vana sint, atque illis perverse abutatur.

Refutatur. *Cap. 6.* *1. Ratio.* *Cap. 3.* *Cap. 5.* *Cap. 1.* *3. Ratio.*

Primò. Sed quoniam in hunc locum pervenimus, nõ gravabor more meo quid quaq. de re sentiam brevi dicere.

Secundum naturam dicitur tribus modis. Primò secundum naturam dicuntur, tum corpora naturalia, tum quæ corporibus naturalibus conveniunt per se ac juxta propriam constitutionem, ad quæ habent ipsa corpora naturalem propensionem, & inclinationem, ut ignis ad superum locum tendere, terrá in medio mundi esse. Quam notionem adduxit Aristoteles secundo physicorum ubi posito discrimine inter naturalia, & reliqua omnia, quorum interna principia non sunt natura, ut arte facta, subjungit. *Secundum verò naturam hæc sunt* (corpora naturalia intelligit) *tum, quæ*

Cap. 1.

E *in his per se insunt, ut igni ferri sursum, quod natura non est, neque naturam habet, sed naturaliter inest, & secundum naturam.* Ad hoc genus pertinent ortus, & naturales interitus, ut mors, & putredo, quas Aristoteles naturales vocat: insitæ quoque facultates, quæ totius substãtiæ proprietates appellantur, demum sanitas, & morbus.

Lib. de morte & vita c. 3. *4. meteo. cap. 1.*

Præterea secundum naturam dicuntur omnia, quæ corporis naturalis absolutionem, & constitutionem perficiunt, sive sint intus inclusa, sive extrinsecus accedant. Significationem hanc describit Galen. libro sexto de Hippocratis & Platonis decretis, ubi, cum exponere voluisset, quid esset actio secundum naturam, sic ait. *Cum secundum naturam multis modis dicatur, in eum sensum accipiendum nunc est, ut significetur, quod prima ratione à natura fit. Prima verò ratione illa fieri à natura dicimus, quæ natura amplectitur veluti scopos & fines propositos, non quæ necessariò sequuntur ex aliqua consequentia*, ut motus cordis, qui in pulsibus fit, secundum naturam est, quem conjectat natura tanquam finem: cordis autem palpitatio, cum non fiet

Secundò. *Cap. 1.*

G prima ratione, secundum naturam non est, quoniam tunc motus cordis succedit ex quadam consecutione. Qui verò sint hujusmodi scopi, & fines, qui à natura conjectantur libro de Marcore declaravit. *Natura*, inquit, *stypes, animaliaque fabricatur, omninò sanè generandis ipsis principium quoddam corporeum assumit: nulla siquidem omninò res est, quæ ex nihilo penitus generationis principium habere possit, atque hinc exorsa ad eum perpetuò scopum, ipsi fuit à principio in fabricatione propositus fuerat, ordinatè tendit: hoc q. nihil aliud est, quam perfectum reddere,*

Capit. 4.

H *quod generatur, sive stypsis sit, sive animal.* Vnde *hæc causa est, cur hæc vox, secundum naturam*, ut dixit decimo quarto methodi, *de omnibus dicatur, quæ in corpore ex sententia nostra esse cupimus. Nam, quæ secundum naturam sunt, eadem & convenientia sunt, utilia, conferentia, conducentia.* Ergo secundum naturam hac significatione dicuntur esse quæcũq. à prima naturę institutione illius perfectionẽ complent. Hac ulurpatione secundum naturam dicũtur sa

Cap. 14.

nitas

nitas, habitudo scilicet, & constitutio
5. phy. cap. 6. partium naturalis, generationes fatales, in quibus servatur ordo à natura cõstitutus, septem res naturales appellatæ, atque res non naturales dictæ, dũ tamen sanitati opem ferunt, tum etiã, quæ sanitatis signa sunt, ut lotium, & colores modum naturæ servantes.

Tertiò. Postremò secundum naturam dicuntur, quæcunq. naturalem compositionem, vel constitutionem evertunt, & disturbant, ut morbi omnes, quos Gal. capite quarto appellabit ἐκτροπὰς, digressiones, quoniam deflectunt, & declinant à naturali animantis corporis constitutione. Præterea morborũ causæ, ut putredo, quæ undecimo methodi est mutatio præter naturam, & à putredine naturali, plurimum distat. Tandem hoc modo dicuntur contra naturam omnia symptomata, quæ similiter discessus appellantur. Ad hoc
C etiam genus pertinent generationes intempestivæ, atque non fatales, ut voluit Aristoteles. Quæ quidem significatio eorum, quæ contra naturam esse diximus, minus propria est. Sic idẽ Aristoteles promiscuè, & communiter contra naturam usurpavit in libris de cœlo primo & secundo.

Tertio & ultimo contra naturam dicuntur, quæ ab aliquibus discrepant, quæ secundũ naturam conveniunt, ut inedia picrocholis, nempe amarę bilis hominibus contra naturam illorum est: vomitus ijs, qui angustum habent pectus, & purgatio, quibus extenta, & inflata hypochondria sunt, aut supra modum calida, atque igneas urinas dejiciunt, & hoc ipso in loco aliquam viscerum inflammationem patiuntur: crisis etiã in diebus non criticis præter naturam dicitur ab Aristotele. Atque hæc significatio contra naturam impropria judicatur.

Eadem ipsa, quæ contra naturam dicta sunt, præter naturam dicuntur ijsdem tribus modis. Primò quæcunq. repugnant inclinationi naturali rei ad oppositum impellentis, ut cum aer

Postremò secundum naturam dicuntur, quæcunq. naturali compositioni, vel constitutioni consentiunt, & conveniunt, ut secundum temperiem: sic tertiana secundum naturam est iuveni biliosо, laboribus, cu
2. de dif. feb. c. 1. ris, vigilijs ac solis insendijs dedito, ciborum parcitati assueto præsertim calidorum, & siccorum, quique fuerit immodicè usus medicamentis calfaciẽ tibus, & exsiccantibus tempore æstivo, regione calida & sicca. Similiter
5. apho. 18. secundum naturam est *intemperatura frigida ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medulla.* Item pro ratione ætatis, ut *convulsiones, & alvi profluvia puerilis: aut secundum habitum*, id est, *corporis formam*, vel structuram partium,
3. apho. 25. *quam vocavit Hippocrates naturam*, docente Galeno secundo aphorismorũ,
1. Epid. cõ. 1. 18. ut phthisis hominibus ijs, *qui adeo sunt*
2. apho. 34. *thorace angusto, & restricto, ut à tergo in modum alarum promineat operta scoptula,*
Pterygodes. *quos propterea πτερυγοδη, quasi alatos vocant*: aut ratione temporis, ut gravedines, raucedines, atque tusses hyeme. Nam secundum hæc, & similia solent congruere morbi, ut secundo
3. aphor. 23. aphorismorum, comprobante Galeno, dicebat Hippocrates. Quinimò
apho. 34 & sanationes dicuntur hac significatione secundum naturam Aristoteli, cum ægrotantes in diebus criticis
5. phys. cap. 6. liberantur.

Porrò de ijs, quæ fiunt supra naObserva tio. turam, nihil est dicendum, quoniam in ea non concurrit natura, ut cum
D. Th. 2. sent. dist. 18. q. 1. art. 3. divina virtute homo excitatur à mortuis: dicamus tamen de violento, & contra, vel præter naturam, quoniam in eo, quod violenter, vel contra naturam, atq. præter naturam fit, non nihil operatur natura.

Præter naturã 3 modis. Totidem autem modis dicuntur aliqua contra naturam, quot modis secundum naturam dicta sunt. Primo

A modo contra naturam, & violenta dicuntur, quæ rei accidunt, illius natura repugnante. Nam violentum, & cõtra naturam propriè dictum, ut legimus apud Aristotelem libro tertio de Philosophia morum, id dicitur, quod repugnat inclinationi naturali rei ad oppositum impellentis, ut cum lapis movetur sursum, vel calefit aqua, lapis gravitate sua projectori resistit, aqua igni obsistit frigore, hæc calefit, ille sursum fertur, manente quidem in eis, sed perpetuò repugnante principio contrarij actus. In his ergo agit,
B sed reluctando, natura.

Primò. Cap. x. Secundo. Tex. 14. Ectropas Cap. 8. 5. phys. ca. 6. Cap. 2. et 3. Cap. 3. Tertiò. 2. de vet. vict. cõ. 29. 5. phys. cap. 6. Præter naturam 3. mod. Primò.

deorsum fertur. Qua significatione id, quod præter naturam dicitur, coincidit cum eo, quod contra naturam, & violéter primo modo fieri dictum est: latissimè quidem, & impropriè tunc sumitur præter naturam, contra naturam verò admodum proprié.

Secundò Secundò præter naturam dicuntur, quæ naturalem compositionem, vel constitutionem evertunt, ut morbi omnes, morborum causæ, ac symptomata. In quibus omnibus natura molitur opus & fovet, sed præter ejus usum & ordinem, ut cum arte quadam generantur tanæ, aut veræ serpentes, quales à magis Pharaonis, vel intempestivè oriuntur rosæ, aut fructus, ut in hortis Adonidis, quos aqua calida ad eum finem cultores irrigabant: hæc enim gignebantur concurrente natura, tamen præter propositum illius, ob causam aliquam impellentem. Quare licet in violenter, & contra naturam factis operetur natura, non minùs, quam in ijs, quæ præter naturam, interest tamen plurimùm. Nam violentiæ resistit natura: concurrit verò ad res, quæ præter naturam fiunt, licet præter eius solitam dispositionem. Ad hæc pertinent, ut idem Aristoteles habet *Cap. 6.* secundo libro de cœlo, imbecillitates animalium, senectus, & decrementum, quantùm ad interitum perducunt, nam aliàs secundum naturam dicuntur prima significatione, nempe quatenus sequuntur rei naturam quocunq; tandem abierit. Atque hæc significatio ejus, quod præter naturam, admodum propria est.

Observatio. Sed quoniam hujusmodi à naturali statu eversiones, & casus, trahunt originem ex ijs, quæ nostra corpora perficiunt, scilicet materia, & forma, vel ex ijs, quæ ad vicem illorum propiùs accedunt, hinc factum est, ut in hoc genere præter naturam collocentur ea, in quorum generatione alterutra, id est, forma, vel materia, vel utraque defectum patiuntur. *Cap. 4.* Sic ab Aristotele quarto de generatione animalium monstra dicta sunt παραφθορὰς, hoc est, naturæ *Parecbases.* transgressiones, quoniam præter naturam evadunt, nonnunquam formatricis culpa, ut cum nascitur puer arietini, vel bubuli capitis effigie: sæpissimè vitio materiæ, ut cum nascitur monoculus. Plerumque verò generantur aliqua in nostro corpore materia simùl, & forma omninò alienatis, quæ propterea toto genere præter naturam vocamus, ut lapis, qui neque in substantia, neque in formatione cum partibus nostri corporis conveniunt.

Tertiò. Tertiò & ultimò præter naturam dicuntur, quæcunque discrepant ab aliquibus, quæ naturaliter cõveniunt, quæ quidem contra naturam esse diximus: sed communiter & improprié, cum tamen proprié præter naturam sint.

Epilog. Quare, quæ primo modo sunt contra naturam, propriè talia dicta sunt: quæ secundo modo minus propriè, quæ tertio improprié: quemadmodum quæ primo modo dicuntur præter naturam, communiter & improprié: quæ secundo modo admodum propriè, quæ tandem tertio minus proprié vocantur.

1. Conclusio. Quibus positis, sit prima conclusio. Si communiter loquamur de violento, & contra naturam, morbus contra naturam dici potest. Nam contra naturam minùs proprié, ac præter naturam propriè dicta, in idem cadunt: tametsi enim febris propriè sit præter naturam, tamen contra naturam minus propriè, & communiter dici potest. Verum si propriè loquamur, quæ altera conclusio est, morbus est præter naturam, nulla tamen ratione contra naturam. Quoniam multa dicuntur propriè præter naturam fieri, quæ non possunt dici contra naturam, vel violenter fieri. Nam animus beatus extra corpus præter naturam detinetur, & aliquem defectum patitur (vt D. Thomas dilucidè docet) cum adhuc non fruatur extensa illa perfectione, quam possidebit junctus corpori, ad quod informandum habet naturalem inclinationem: tamen non dicitur impediri violenter, aut contra naturam, sed præter naturam.

Alt. conclusio. *1. 2. q. 4. ar. 5. ad 2.*

VTRVM SANITAS sit symmetria, & morbus ametria.

QVÆSTIO. XI.

CVM naturale symmetron sit, & præternaturam ametron, Gal. vocavit sanitatem symetriam & moderationem, morbum verò ametriam & immoderationem. Quid esset symmetria dictum est. Quod sanitas symmetria non sit, his argumentis probare possumus. *Quæst. 1.*

1. Objectio. 7 phy. c. 3. 1. de nat. hum. 19. Ad Thrasyl. cap. 17 Tum Aristoteles tum Gal. arbitrati sunt sanitatem sitam esse in symmetria, vel ex symmetria nasci, ergo sanitas symmetria non est.

2. Objectio. Præterea sanitas extremum est, & morbo opponitur tanquam extremo contrario, ut statim dicemus, ergo non potest esse symmetria, quæ mediocritas est.

3. Obiectio. Deinde, quod fit ab arte, extremũ est: nam omnis ars reddit opus suum ad ultimum quantum maximè potest: sed sanitas est opus artis, igitur extremum est, non medium.

4. Obiectio. Immò potiùs morbus symmetria, & medium est: nam ubi reperitur plus & minus, ibi etiam reperitur mediocritas: sed in morbis reperitur magis & minùs: aliquis enim magis, aliquis verò minùs febricitat, ergo in morbis reperitur symmetria.

5. Objectio. Iam, si sanitas esset medium, non esset transitus ab uno morbo contrario in alterum morbum contrarium, vt à phrenitide in lethargum, nisi per sanitatem, quoniam ab extremo ad *5. phy. c. 3.* extremum Aristoteli, non fit transitus, nisi per medium: at hoc repugnat experientiæ, ergo sanitas medium non est.

6. Obiectio. Porrò medium, & extrema sub eodem sunt genere, sed utrisque partibus sanitas communis, nempe continuitas, & ejus divisio, non sunt ejusdem generis, ergo sanitas saltem in omni genere non opponitur morbo, ut medium, & extrema. Assumptio valet, nam continuitas est quantitas continua, divisio verò est quantitas discreta, quoniam solutum continuum ad numerum pertinet, cum duplex factum sit, quod vnum erat.

7 Obiectio. Quinimò in hoc proximè dicto genere sanitas semper extremum est, quacunque ratione considereturr, & nunquam medium. Nam continuitas, quæ sanitas, unum extremum est, alterum est continuitatis divisio, quæ sola opponitur naturali continuitati, ergo sanitas non semper symmetria est.

8. Obiectio. Tandem sanitas potiùs dicitur res symmetra, quam symmetria, quoniam Gal. sic argumentatus est. Quod est naturale symmetron est, quod præter naturam, ametron: sed sanitas est quippiam naturale, morbus præter naturam, hinc conficitur, sanitatem symmetram esse, non symmetriam, morbum verò ametron, non ametriam.

Cap. 5. His sufficere possent, quæ hoc capite, & primo sanitatis tuendæ dixit Galen. Verum, ut penitus intelligamus cur sanitas fuerit dicta symmetria, adducamus, quæ de virtute docuit Aristot. licet enim per omnia non congruant affectus animi & corporis, maxima tamen est inter illos analogia. *1. Ethic. c. 5. & 6.*

1. Fundamentum. Virtus Aristoteli in anima est, sed cum in anima tria insint, passio, potentia, & habitus, virtus autem neq. passio, neque potentia sit, concludit esse habitum, qui locum habet generis in definitione virtutis. Differentias investigaturus, docet habitum hũc in medio consistere, atque virtutem esse μεσότητα, mediocritatem. Sed, cum mediocritas sit duplex, declarat in qua mediocritate cõsistat virtus. Medium, vel ex natura rei constitutum est, vel ex ratione, & nostri comparatione. Medium rei dicitur, quod æqualiter distat ab utroque extremo, atque hoc dicitur medium arithmeticũ, quæ ratione numerus senarius medius est inter denarium, & binarium, cum differt æqualiter ab illis, quia totidem unitatibus ab est ab utroque nempe quatuor. Medium rationis, vel cõparatione nostri dicitur, quod ad nos collatũ, neq. exuperat, neq. deficit: positum enim est in æqualitate, non quantitatis, sed proportionis, quod mediũ geometricum vocant. Hac ratione senarius numerus dicitur medius inter quaternarium & novenarium: quem-

Mediocritas.

madmodũ enim senarius includit quaternarium, & ejus dimidium ita novenarius continet senarium & dimidium, quæ sesquialtera proportio est. Vnde, si comedere decem panes nimium est, duos verò parum, medium nõ erit comedere sex: hoc enim esset medium rei, sed medium est id, quod convenit Socrati respectu sui, & pro ejus temperamento. Quare, cum non omnibus sit eadem caloris vis ad decoquendum, sæpe id, quod unius collatione mediũ est, respectu alterius deficit, vel excedit. Hac igitur medij usurpatione virtus mediocritas est, scilicet comparatione nostri.

2. Fundamentum. Sed objiciet aliquis. Virtus & vitium sunt extrema contraria, ergo virtus non est mediocritas. Respondet Aristoteles, cum dicimus virtutem esse medium, id secundum substantiam, & essentiam virtutis intelligendũ est. Nam respectu optimi, & bene se se habentis, virtus ἀκρότης, extremitas est. Consideratur ergo virtus bifariam. Primùm quatenus bonum est, quod opponitur malo, sic dicitur extremum: sunt enim duo extrema opposita bonum & malum, sub quorum uno subjicitur virtus, sub altero vitium, quod deinceps partitur in excessum & defectum. Alio modo usurpatur virtus secundum essentiam suam, tunc mediocritas est inter duo extrema vitia, id est, inter excessum & defectum: neque enim est absurdum, quod idem dicatur, nunc extremum, nunc medium, dummodo diversis respectibus consideretur.

3. Fundamentum. Tandem objicies Aristotelẽ dixisse virtutẽ esse mediũ, q̃ mediũ respiciat, ergo proprié non est medium. Respondeo medium esse duplex, tum quod est inter animi passiones, vel actus extremos, tum quod est habitus inter habitus extremos. Medium inter passiones dicitur passio moderata cum suis justis circunstantijs posita inter duas passiones extremas, ut mediocris timor, quod est medium inter duos extremos timores, scilicet excessum & defectum, qui non vitia, sed passiones vitiosæ sunt, & ejusdem generis cum medio, quod dicitur passio integra, & proba, non virtus. At verò medium, sive mediocritas, quæ est habitus inter habitus extremos, neque est passio, neque actus, sed virtus inter vitia extrema. Vnde quemadmodum sunt tres passiones, vel actus medius, excedens, deficiens sic tres habitus constituũtur, medius, qui versatur circa medias passiones, vel medios actus, & duo extrema, quæ versantur circa illorum extrema. Quando Aristoteles dixit, virtute respicere medium, intelligit medium passionum, vel actuum, circa quos ipsa versatur: cum verò docet virtutem esse mediocritatem, intelligit habitum quendam medium inter extrema vitia, quæ in ijsdem passionibus, & actibus extremis reposita est. Eadem methodo Gal. Aristotelem imitatus colligit naturam sanitatis ex ijs nempe, quæ in sano corpore reperiuntur.

Quamobrem similiter constituendum est ex Galeno, sanitatem esse symmetriam, mediocritatem & æqualitatem. *affirm.*

Nam quemadmodũ virtus ipsa versatur circa passiones & actus, veluti circa materiam propriam, ut ibidem commentatur D. Thomas, sic partium similarium sanitas consistit in calido, frigido, humido, & sicco, in quibus reperitur magis & minus, & mediocre. 1. Ratio. 2. Ratio. cap 3 & 4

Præterea omnis ars, cum perficit opus suum illud ad medium redigit. Vnde in ijs, quæ bene se se habent, operibus dici solet, nec auferri quidquã, nec addi posse: sed natura est præstantior omni arte, ergo sanitas, quæ op' est naturæ, mediocritas est. 1. Ratio.

Tandem habitus omnis, qui fugit utrumque extremum, & respicit medium, mediocritas est, sed sanitas est hujusmodi, ergo mediocritas est. Ex quibus observare possumus similitudinem, quæ sanitati est cum virtute. 3. Ratio.

Quibus positis rationes oppositas dissolvimus. Postò in primam difficultatem incurris etiam Aristotelis doctrina, non secus igitur de sanitate ac de virtute dicendum est. Nam in qualitatibus est medium, & in dispositionibus est medium. Medium in qualitatibus est, quod eædem tenent invicem moderatæ inter excessum & defectum ipsarum: at neque excessus & defectus morbi sunt, neque tenentes modum, sanitatis nomine designantur. Mediũ etiam est in dispositionibus. Nam dispositio naturalis emergens ex moderatis qualitatibus medium est inter duas 1. Solutio.

etiam

extremas dispositiones præter naturã ortas ex qualitatib. excedẽtib. Respondemus igitur, sanitatẽ sitã esse in symmetria, & nasci ex eadem, si loquamur de symmetria & societate, quã coeunt primæ qualitates ad sanitatẽ partium similariũ producendam, ut contẽplati sunt Aristoteles & Gal. Si tamen sermo sit de symmetria & dispositione nata ex copulatione, vel conjunctione qualitatum, sanitas symmetria est, ut hoc capite monstravit Gla. & morb. ametria.

2. Solutio. Secunda ratio nullius momenti putatur, si vtamur ea distinctione, qua vsus est Aristoteles disputans de virtute. Nam sanitas ex propria natura & essentia symmetria est, & mediocritas inter duos morbos extremos, ut naturalis temperies inter morbum calidũ, & morbum frigidum: at respectu optimi, & benè se habentis corporis extremum est, cui opponitur alterum extremum morb. qui è contrario respicit imperfectũ, & malè se habens corpus.

3. Solutio. Tertiæ opus est eadem distinctione. Nam ars redigit opus suum ad perfectissimum, ultimum, & extremum in genere boni, sed hoc extremum ex natura sua medium est inter excessum & defectum.

4. Solutio. Quartæ respondemus, non quodcũque medium competere sanitati, sed medium comparatione nostri, & nobis conveniens, quod in morbos non cadit.

5. Solutio. Quintæ confitemur à morbo calido in frigidum non fieri trãsitum nisi per medium. Verum nõ omne medium sanitas est, sed illud tantum, quod actiones secundum naturam edit manifestò. Nam quum intemperies calida transit in frigidam, medium repente prætergreditur, & vix aduertitur, sed in phrenitide, cum in lethargum transit, multò minus. Etenim, quo tempore transit phrenitis, quæ priùs vnam partẽ, quã aliam deserit, lethargus ingreditur, & unam partem, quam aliam, priùs apprehendit. Quare non datur tempus, in quo cerebrum, vel illius membranę mediocriter affectæ sint. Quod si aliqua particula in trãsitu mediocritate quadam moderata cõsideretur, facile obscuratur, nec apparet, tanta est reliquarum, vel calida, vel frigida intẽperies, quæ graviter offendit actiones.

A Sextę dicamus continuitatem & cõtinuitatis solutionem in uno genere quantitatis contineri. Nam ex cotinuo fit discretum, & revera idem sunt, sola ratione distincta. 6. Solutio.

Septima soluitur, si dicamus, continuitatem esse medium inter duo extrema præternaturam, nempe inter solutionem continui, & continuitatẽ eorum, quæ debent esse divisa, licet Gal. hanc reduxerit ad connexionem; sed hæc infestius explicatè, & distinctè dicemus. 7. Solutio. Quæst. 61.

Vltimæ respondemus formam & paronymum, re quidem vera non distingui. Vnde cui convenit forma, eidem B tribuitur & paronymum: pulchritudo enim & perfectio dicitur, & quid perfectum, similiter sanitas, & symmetria est, & res symmetra. Quamobrem Gal. in propositione sui argumẽti accepit symmetron pro concreto primario, quod cum sit forma concepta ad modum alteri adjacentis, præcio subjecto (ut cum philosophis recentioribus loquar) ratione tantum ratiocinãte à forma abstracta distinguitur. Ergo ex duab. illis propositionibus rectissimè concludit, sanitatem esse symmetriam & morbum ametriam, nimirum à cõjugatis. Exempli gratia. Omne, quod C est rationi consentaneum, rectum est: sed justitia est rationi consentanea, ergo justitia rectitudo est. 8. Solut.

VTRVM SANITAS, & morbus sint contraria.

QVÆSTIO. XII.

D MONSTRAVIT Gal. sanitatem esse partium nostri corporis naturalem constitutionem, unde confirmaret morbum earundem esse constitutionem præternaturam, quandoquidem morbus sanitatis contrarium est, atque sub uno & eodem proximo genere collocantur. Hinc orta est disceptatio de sanitatis & morbi contrarietate. 1. Objectio. Argumentum contra partem 1. 2.

Galeni calumniator existimat sanitatem & morbum non differre specie, & forma, atque vera contrarietate.

Illius

Illius ratio talis est. Quæ distant solo gradu, & tantum intentione, vel remissione, non differunt forma & specie, qua ratione discrepát album & nigrũ, quæ proprié contraria sunt: sed sanitas & morb. solo gradu distinguntur, tantumq. per magis, & minus, quæ nõ possunt speciem variare, quoniam sanitas mediocritas est, morb. excessus, contraria igitur non sunt.

2. Objectio. Nos, ut rem accuratissimè discutiamus, orationem dilatemus. Nam uni unum est contrarium, quoniam natura sagax, cum contrarietas sit causa corruptionis, provisit, ne multa uni opponerentur: at si sanitas & morb. essent contraria, duo essent contraria uni, nempe sanitati duo morbi extremi, ergo sanitas & morb. non sunt contraria.

3. Objectio. Demum contraria primum distant ab ijsdem, quibus contraria sunt: at multò magis adversantur morb. calidus, & morb. frigidus, quæ sunt extrema, quam morb. calidus & sanitas ipsa, quæ inter illa medium est, ergo sanitatis & morbi contrarietas nulla, vel quam minima est. Probatur assumptio. Nam inter morbũ calidum & morbum frigidum maior distantia & dissimilitudo est, quam inter morbum calidum & sanitatem.

1. Fundamentum. Cap. 7. Vt extrudamus hæc, observemus Galenum primo medẽdi methodi, ubi de sanitatis & morbi definitione disputabat contra Thessalum, asseruisse, *hoc vel quemlibet deprehendere, non oportare in altero sanitatem, in altero morbum, sed in eodem omnino genere ambo constitui: siquidem contraria sunt, quæ in eodem genere plurimùm inter se dissident, veluti candidum, & nigrum: etenim unum est horum genus color. Ideoq. si contraria inter se sunt sanitas & morb. in quocunq. genere eorum, quæ naturaliter se habent, statuetur sanitas, in eodem, cum præternaturam se habet, ponetur morb.* Et deinceps. *Nemo tamen adeo fuit stupidus, ut in alio genere poneret sanitatem, in alio morbum. Vnde si in actionibus naturaliter editis constituebatur sanitas, in ijs, quæ præter naturam sunt, statuebatur morb. si in constitutionibus naturaliter se habentibus, in ijsdem præter naturam erat morb.*

Alt. Fundamẽtũ. Præterea notandum sanitatem & morbum duobus modis considerari. Primò, ut sunt corporis dispositiones, E sanitas naturalis, morb. præter naturã (formaliter quis diceret) quæ verá illorũ & magis propria usurpatio est. Secundò ratione calidi, frigidi, humidi, & sicci (materialiter dicunt) circa quæ versantur, & in quibus tanquam in materia, ex qua, reponuntur sanitas & morb. partium similarium: dissimilarium verò in figura, numero, magnitudine, situ: est enim inter hæc non parvum dissidium.

Assertio. Quibus jactis asserimus sanitatem & morbum esse proprié cõtraria & adversa sub uno proximo genere contẽta. Quod auctoritate ac ratione confirmatur. Nam Aristoteles in post categ. cap. de oppositis, Gal. autem hoc loco concordes asseruerunt sanitatem & morbum esse contraria. Postremò contraria sunt, quæ sub eodem genere posita maximé inter se dissident: sed sanitas & morb. sic se habent, proprié igitur contraria dicenda sunt. Sed averamus adversaria.

Auctor. Tex. 5. Ratio.

1. Solut. Calumniatoris improbi, ut Logices imperitus est, ita contorta, & aculeata sophismata sunt argumenta. Licet sanitas & morb. per majorem intentionem, vel remissionem caloris distinguantur (ut dicunt) materialiter: tamen ex propria natura, & qua dispositiones sunt, forma, & specie differunt.

2. Solut. Quæst. 5 ad 2. Præterea, ut supra dictum est, sanitas dupliciter sumitur, vel ut medium, vel ut extremum: item oppositio duplex, scilicet absoluta, in qua tantum unum est uni contrarium, & (ut vocãt) secundum quid, qua unum potest multis opponi. Sanitas, ut extremum, absolutè opponitur uni morbo, tanquã extremum extremo, sed ut medium opponitur multis oppositione secundũ quid. Nam si comparatur cum morbo calido, ei opponitur, ut naturalis frigiditas, si cum frigido, sanitas naturalẽ caloreni representat.

3. Solut. Postremò, si materialiter (ut ita dicam) rem attendamus, major est oppositio, quæ reperitur inter morbum calidum, & morbum frigidum, quam ea, quæ est inter sanitatem & morbum calidum, quoniã magis distat summus calor ab intollerabili frigore, quam summus calor à moderatione calidi: at formaliter (ut dicitur) maxima est oppositio sanitatis & morbi, multòque magis

magis distant, quam morb. calidus, & morb. frigidus, qui conveniunt, quatenus sunt dispositiones præter naturam & morbi. Quæ virtutis & vitiorum exẽplo fient manifesta.

Explic. Liberalitas posita est in moderatione largitionis pecuniarum, quemadmodum partium similarium sanitas in medio calidi, frigidi, humidi, sicci: è contrario prodigalitas sita est in earũdem effusione immoderata, ut in aucto calore calida intemperies: avaritia verò in aviditate nimia, ut intemperies frigida in maximo frigore. Si æstimẽtur hi tres habitus ratione ejus rei, in qua positi sunt, prodigalitas & avaritia, quæ sunt extrema, distant magis, quam avaritia & liberalitas, quoniam nimium & paucum magis distant, quã paucũ & moderatum: tamen, si, ut habitus, considerentur, atque ut animum bene, vel male disponunt, avaritia magis opponitur liberalitati, quam prodigalitati, quia vitium & virtus magis opponuntur, quam vitia inter se.

VTRVM SANITAS distribuatur in plures differentias, veluti morbus.

(***)

QVÆSTIO. XIII.

EX sanitatis & morbi oppositione originem trahit dubitatio, num sanitas sit genus, veluti morb. an species infima. Nam, cũ sint adversa, non existimo satis consonum fore, si alterum species infima sit, alterum genus.

Barbarorum opinio. Tamen ex altera parte barbari nonnulli arbitrati sunt sanitatem esse speciem infimam, quamvis morbus sit genus. Quandoquidem, cum sanitas sit medium, & morbi extrema, potuit quidem morb. in species inferiores dividi, sanitate individua remanente, quod Aristotelis auctoritate probant & rationib.

Aristot. auctoritas. Aristoteles contraria esse putavit, non modo virtutem & vitium, verum etiam species omnes, quæ sub illis cõtinentur: longè secus tamen sentit de sanitate & morbo. *Valetudo*, inquit, *morbo contraria est: at cerus morb. cum sit* *4. Top. c. 3.*

species, nulli est contrarium, ut febris, ut oculorum dolor, & singuli alij.

Porrò in omni rerum genere, quod optimum est, & medium, & secundum naturam habet, unum & simplex est, ut constat ex Aristotele & Galeno: malũ verò, & quod præter naturã, multiplex est, & varium: enimverò sanitas quid optimum est, ac symmetria naturalis, ut demonstravimus, una igitur species & individua est. Assumptio verissima quidem: propositio autem confirmatur. Nam quemadmodũ sagittarij uno modo scopum attingunt, sed omnibus alijs aberrant ab eo, eadem ratione, bené agere unicum est, malé autem agere, varium & penè infinitum. *1. Ratio.* *2. ad Nicom. c. 6* *7. ad Eudem.* *1. de diff. resp. c. 1.* *6. de san. tu. ca. 2.*

Tandem, si sanitas esset genus, vel divideretur, quatenus magis & minus aliquid est, vel juxta partes corporis, in quibus inest, ut accidens in subjecta, vel secundum actiones, quę profluunt ab ea, vel tandem per propriam naturam & essentiam, veluti morb. sed nullo modo potest dividi. Nam magis & minus, ut philosophi voluerunt, non possunt specierum varietatem facere, neque in membris potest inveniri essẽtialis differentia, per quam sanitas distribuatur. Quoniã, ut ea existat, omnia membra debent secundum naturã habere: ubi enim hinc fit declinatio, in manifestam læsionem, jam morbus est. Similiter arbitrandum de actionibus, quippe omnes, quæ secundum naturã sunt, ab una sanitate dimanant. Quod, si aliqua valdè mutetur, sanitas in nihilum occidit. Vnde concluditur non posse dividi ex propria natura, quia si una semper est in partibus & actionib. neq intentio & remissio possunt hanc mediocritatem magnopere discriminare, proculdubio illius essentia erit singularis, & unigena. *Alt. ratio.*

Antequam aliquid definiamus, duo prægnoscenda sunt. Primum est, unicuiq. animaliũ propter ejus actiones, & usus donatam esse mediam temperiẽ sibi propriam atque alterius temperiei longè dissimilem. Quo fit, ut quod in uno corpore sanitas est, alteri sit morb. cum sit extra naturam illius, & actionibus assuetis minùs congruens, quemadmodum unusquisque suum in virtutib. requirit medium, quod fortasse in alio erit extremũ. Quare propter eundem actum, quo alicujus constat *1. Fundamentum.*

tat liberalitas, poterit quispiã in prodigalitatem delabi, ob mutatam aliquã circunstantiam. E

2. Fundamẽtum. Alterum est, non omnem sanitatem summam & perfectissimã esse, sed medium statui cum satis ampla latitudine, ut dixit Gal. & nos inferius explicabimus. Quod etiam in virtute fit manifestum. Virtus licet mediocritas sit, maximam tamen obtinet latitudinem, potestq. illius objectum, nunc perfectiori modo, nunc minus perfecto attingi, ut actio eius, qui ex affectu misericordiæ pecuniam egenti erogat, recta est, quia cõsona rationi: at actio illius, qui ex intensiori actu largitur pecuniã uberiorem, profectò rectior est, & excellentior, cum perfectiori modo exequatur officium virtutis. F

Assertio Probatur. Nunc asserimus sanitatem in plures species dissecari. Nam unum quodque corpus secundum naturam se habens præditũ est constitutione media in sanitatis latitudine collocata, quæ satis ampla est: sed omnis morb. est declinatio à quocunque naturali medio in statutum contrarium, ergo unusquisq. morb. habet aliquam speciem sanitatis contrariam, cujus dicitur declinatio. G

1. Solut. Quod, si dicat Aristoteles aliquas morbi species nulli esse contrarias, eo loco, ubi probabilia tantum persequebatur, ut vulgus locutus est: tametsi enim non habeant contrarium nominatum, contrariũ tamen habent, quod non inficiatur Alexander.

Alt. Solutio.

2. Solut. Præterea sanitas dicitur à nobis medium & unum: tamen non est medium exquisitè unum, sed cum latitudine. Sic virtus omnis medium unum est: cæterum differt medium in actionib. justitiæ ab eo medio, quod est in actionibus temperantiæ: unica etiam virtus in diversis subjectis, varia media conjectat. H

3. Solut. Dividitur tandẽ sanitas in suas species per propriam rationem & essentiam, quatenus dispositio quædam est ex varia mutatione & positione componentium orta, quam sequitur conveniens partium operatio.

(***)

VTRVM MORBVS sit qualitas composita.

(***)

QVÆSTIO. XIIII.

3. Fundamẽto. OCTAVA quæstione monstratũ est, ex Aristotele, in habitib. & dispositionibus præter quandam formam considerari fundamenta, in quibus dispositiones mutari, fieri, aut corrumpi natæ sunt. Probat autem Arist. ad sanitatem, bonum habitum, pulchritudinem, robur, & alias dispositiones corporis non esse alterationem per se, quòd sint quodammodo ad aliquid, & in multorum commensuratione, veluti sanitas in moderatione calidi, frigidi, humidi & sicci. Ex quibus apertè constat sanitatem esse ordinẽ, vel oriri ex ordine partium totius, juxta doctrinã Arist. Nã dispositio, ex vi nominis, multorum positio est: positio autem multorũ est ordo, eorum, quæ posita sunt. Ergo ad generationem sanitatis concurrunt non pauca, propterea symmetria dicta est, & conveniens corporis harmonia, quæ mutuũ multorũ consensum præse fert. Hinc Arist. postquã dixit, caliditatẽ esse sanitatẽ, quasi recogitans addit, aut esse partem sanitatis, aut sanitatẽ ad eã consequi. Et G. lib. de elementis primo scribit, temperamentum, quod, cum inculpatus actiones edit, sanitas est, qualitatem compositã esse ex simplicib. qualitatibus quẽadmodum mistum corpus ex quatuor simplicib. corporib. Quod quidẽ non ita intelligendum est, ut sanitas partiũ simplicium, vel temperamentum sit ipsa primarum qualitatum proportio, vel ipsę primę qualitates sub certa proportione, quoniã sanitas præter quatuor qualitates, & proportionem illarum, quædam qualitas est, non quidem eiusdem generis cum primis, scilicet patibilis, & quinta, ut quidam sunt arbitrati: verum sanitas dispositio est in prima specie qualitatis collocata ex ordine primarum juxta partiũ nostri corporis facultatem, qua præditæ sunt ad agendum. Distat ergo maximè qualitas hæc à primis quatuor qualitatibus. Nam sanitas originem trahit ex ordine & positione primarum. Præterea

Cap. 6.

7. Phy. cap. 3.

rea modum illarũ terminat: tunc enim cessat intensio & remissio primarum, cum temperies dispositio accommodata est ad edendas corporis actiones. Porrò per se motis primis qualitatibus per accidens movetur sanitas. *Neque habitus*, Arist. inquit, *sunt alterationes, neq. ipsorum est alteratio: sed fortasse necesse est fieri & corrumpi alteratis quibusdam, ut calidis, & frigidis, aut siccis & humidis.* Demum partes propriæ naturæ virib. calfaciunt, refrigerant, humectant, & siccant, sanguinem, & spiritum generant, chilum, semen, lac: verumtamẽ propter dispositiones facilè calfaciunt, refrigerant, humectant, exsiccant, generant. Quoniam naturalis vis & dispositio sola ratione formali, ut aiunt, sæpissimè distinguntur. Quamobrem in sanitate duo sunt consideranda. Primùm ea, ex quibus constat, ut caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. Alterum est dispositio ex prædictis emergens, quæ benè vel malè corpus ad facilè agendum disponit. Porrò ea, ex quibus dispositio constat cõpositionem præseferunt: dispositio tamen ex illis consurgens simplex qualitas est. Ergo sanitas formaliter, ut dicunt, qualitas est omnino simplex, & dispositio in prima specie qualitatis collocata: licet virtute quadam composita sit, quod ex multis educatur: materialiter verò, ut sic dicam, composita est, atque aggregatum quoddam ex illis & ens per accidens, qua ratione ad nullam pertinet categoriã. In hoc lapsus est Iacobus Segarra professor Valentinus, qui nulla prẽmeditata distinctione, primo de temperamẽtis dixit, temperamentum esse formam misti, ut mistum est, & compositam qualitatem, à quatuor primis simul sumptis nequaquam distinctam. Hinc in primum de nat. fac. temperamentum in nulla categoria contineri scribit, facilè secutus Petrum Fonsecam, Dominicum Bañez, Franciscum Suarez, & patres Conimbricẽses, parum attendens illos doctissimos viros in hujus rei à suo instituto valdè alienæ investigatione, omnes suas vigilias minimè consumpsisse.

7. Phy. c. 3.

Reprehẽditur Segarra. Cap. 3.

Explicatur lemma, quæstionis.

Iam quemadmodum de sanitate cõstitutum est, num de morbo idem fit statuendum, quærimus hoc loco, an scilicet morb. tametsi ex sua forma sit quà litas simplex: tamen ex propria materia sit res composita, & aggregata, & in febricitante, præter calorem excedentem, concurrant etiam ad actiones lædendas frigiditas, humiditas, & siccitas, totaq constitutio partis, quę incaluit. Similiterq. ad læsionem actionum instrumenti conveniat tota instrumẽti structura & compositio.

Iuniorũ opinio.

Permulti ex ijs, qui morbos in qualitatibus reponunt, solam caliditatẽ, vel frigiditatem, numerum, vel magnitudinem, & solutam continuitatẽ, res, in quam simplices, morbos esse autumant, quoniam ac sola ratione, quod præter naturam corpus afficiant, easdẽ in morbis numeraruut.

1. Fundamentum iniorum.

Quam sententiam antequam probare nitar, sumam quatuor observanda (ostendam enim quam breuissimè, qui sint illorum sensus.) Primum est nomẽ Cathasceves, *constitutionis*, nõ semper rẽ compositam significare, quoniam hac voce Hippocrates solet appellare, *omnem cuiusq. rei formam*, referente Galeno, tertio Epid. par. 3. statim primis verbis, quæ quidem res simplex est.

3. Epid. par. 3.

2. Fundamentum;

Præterea, cum dixit Gal. morbum in ijsdem consistere, in quibus consistit sanitas, ne inde concluderetur morbi compositio similis compositioni sanitatis, observant (vel eosdem observare velle, suspicione ducor) dupliciter dici, *morbum in ijsdem consistere, in quibus reponitur sanitas.* Primò conjunctim, ita, ut morb. partium similarium similiter existat in calido, frigido, humido, ficco simul acceptis & copulatis, atque sanitas consistit. Secundò sigillatim & separatim, ita, ut morb. sit modo sola caliditas exuperans modo frigiditas, nõ nunquam humiditas, aliquando siccitas, quo sanè modo dicatur immoderatio eorum omnium, quorum sanitas moderatio est.

3. Fundamentum.

Ex quo tertium nascitur, quod animadvertunt, nempe morbum sanitati esse contrarium, non tanquam extremũ extremo, tunc enim par esset utriusque compositio, sed tãtum extremum medio. Nam sanitas & morb. similitudinem quandam gerunt & speciem virtutis & vitij: virtus autem mediocritas est, cui adversantur vitia tanquam extrema, etiam si inter se contraria sint. Non aliter sanitas partium similarium cõpositio est ex caliditate, frigiditate, humi-

humiditate, siccitate tanquam mediũ: morb. tamen earundem partium affectus erit tanquam extremum, vel solius caliditatis, vel aliarum qualitatum. De instrumentali structura idem est dicendum. Quod ex undecimo libro meden
Cap. 12. di methodi confirmant, ubi Gal. videtur sanitatem in medio reposuisse.

4. Fundamentum. Vltimò præmittunt in statu morboso constitutionem partium non esse affectum præter naturam illarum, sed esse naturam partium, à qua profluunt omnes actiones: affectum verò præter naturam & morbum nullam actionem edere, sed impedire tantum actionem quæ à partis natura provenit.

Iuniorũ Assertio Quibus jactis constituunt morbum esse rem simplicem, atque in ijsdem sigillatim & separatim reponi, in quib. conjunctim acceptis & copulatis constituitur sanitas.

Auctoritates. Quod primum coloratur auctoritatib. Galeni, qui quandocunq. enumerat differentias morborum, adjungit exempla rerũ simplicium. Sic febrim appellat caliditatem, morbum in numero sextum digitum, morbum communem utrisq. partib. solutum continuum, ut suo loco videbimus, quæ quidem omnia sunt simplicia.

1. Ratio. Rationum monumenta hæc sunt. Primùm, quę ingrediuntur categorias, simplicia sunt, sed morb. constituitur qualitas in prima illius specie collocata, nimirum in dispositione, morb. igitur res simplex est.

2. Ratio. Deinde, si morb. esset qualitas composita, malè divisisset G. morbos in simplices & compositos, quod dicendum non est.

3. Ratio. Porrò cum aliquis æstu, febriq. jactatur, nec laborat intemperie frigida, nec humida, nec sicca, sed solo calore, igitur febris qualitas simplex est.

4. Ratio. Rursus, ad sanitatem concurrunt omnia, quæ corpus nostrum componunt: sed ad corpus ęgrum, tametsi morbo graui, sufficit, quod unum ex componentib. fiat præter naturam, ergo morb. non est qualitas composita. Assumptionem probant facili & per
Exẽplũ. vulgato exemplo. Vt aliquis dicatur studiosus, omni virtutum genere debet esse ornatus: si verò in uno genere deliquerit, non dicitur amplius studiosus, sed vitiosus, quoniam bonum ex integra causa fit, malum verò ex quocunq. defectu. Alij aliter supposuerunt exemplum: nos facilioris doctrinæ gratia quintam rationem faciamus.

5. Ratio. Liberalitas posita est in erogatione, vel distributione peccuniarũ, quæ prędita est justis quibusdam circunstantijs dandi scilicet quantum, quando, quomodo, & quibus oportet. Quod si deficiat aliqua ex his conditionibus debitis, vitium erit, prodigalitas quidem, si plus, quam oportet, vel quib. nulla indigentia est: avaritia verò, si nõ, cum opus est, vel minus, quam decet. Nunc, quæ ratio est virtutis ad vitia, eadẽ est sanitatis ad morbos: sed liberalitas est multorum symmetria & mediocritas: prodigalitas verò unius tantum excessus, veluti avaritia defectus, ergo cum sanitas sit primarum qualitatum symmetria & mediocritas, morbus erit excessus, vel defectus unius qualitatis.

6. Ratio. Tandem, si morb. esset qualitas cõposita, cum pars quępiam laboret, tota eius constitutio esset vitiata, & in statum præter naturam conversa: sed hoc nihil est absurdiùs. Nam quæ pars ægra est per calorem excedentem, adhuc habet partis naturã, ut caro ægrotans caro est: attrahit enim, retinet, concoquit, & depellit, quarum actionum non potest esse causa morb. Dicendum igitur est partis naturam operationes exercere: morbum verò, nempe solam caliditatem, easdem impedire.

Refutatur ista res. Sed homines hujusmodi Philosophiæ imperiti & Aristotelem, & Galenum, & rationem contradicunt. Id, ut pateat, nonnullis proludendum est.

1. Fundamentum auctum. Primùm constituamus Hyppocratẽ nunquã usum fuisse hac voce κατακρασις: quod enim loquitur Segarra de libro tertio Epidemion, melius erat tacuisse. Nam eo loci non κατακρασις, neque Catafit ver. κρᾶσις, sed κατακρασις, dixit Gal. quo nomine solet appellare Hippoc. omnem Catafi sin. cujusq. rei ideam, peculiariter verò dicitur de aere & morbo (quamvis semel intellexit collocationẽ rei in suã 3. de fer sedem, Asianos insecutus.) In aere dicitur constitutio, & temperies præter Com. naturam, ut legere licet apud Galenum secundo, tertio, & quarto Aphorismorum, atque primo de curatione Com. febrium ad Glauconem. Nam, quæ se-

cundum

quoniam voces, vel sonos, vel instrumentum malè disponit, illorum mala dispositio dicetur, & pravus affectus.

Sanit. & morb. dis similariū

Præterea partes similares interventu conformationis, aumeti, magnitudinis, & positus, instrumenta constituunt, motu quidem auctionis & accretionis, alterationis, & lationis, sive per se, sive per accidens id contingat. Structura hæc, cum illorum actionibus rectè excercendis aptatur, quam primùm dispositio est, & forma quædam, quæ suam etiam latitudinem habet: at si ex particulis componentibus alicujus deficiat, vel abundet numerus, augeatur, vel minuatur magnitudo, pervertatur figura, connexio, vel positus, vbi manifestè læditur actio instrumenti, illud conversum, & mutatum tanquam materia est, sed ipsa instrumenti dispositio præter naturam morbus ipse, vel in numero, vel in magnitudine, in eo sane genere, ob cujus recessum à naturali statu, instrumenti symmetria fuerit in ametriam commutata. Idem in horologijs contingit, quorum tintinabuli sonitu horæ designantur. Cum enim ex multis particulis componantur, una reperitur in illis, cui primùm debetur pulsatio, reliquæ usum tantum præstant, quæ similitudo ad caput sextum erit oportuna. Requirit autem illud instrumentum partes certo numero præditas, idonea magnitudine, conveniente figura, & quæ invicem commodum habeant situm, & connexum. Quæ ubi juxta munus obeundum fuerint consociata, nova quædam ex omnibus certum ordinem, & positum habentibus, erumpit dispositio ad pensum exequendum oportuna. Veruntamen, si deficiat particularum aliqua, si quid tractu temporis de magnitudine minuatur, vel figura mutationem faciat, denique si ordine, vel positione mutata, mutetur locus, atque particula quæpiam ab alia sejungatur ita, ut propter horum aliquid horæ nequiter designentur, profectò illa structura, sive horologij compositio, erit prava dispositio, vitiosæq. pulsationis causa.

Exēplū.

Sanit. & morb. cō munis.

Tandem omnium partiū unitas, & continuitas auctione, & latione producitur. Hæc, cum ad unam partem A constituendam, unamque naturalem actionem continuandam contulerit, corpusque unum ex multis benè disposuerit forma quædam est corporis continui, affectio & dispositio, communisque utrarumq. partium sanitas appellatur. Quod si quantitas illa continua dividatur, ut actiones offendat, tunc statim vestitur dispositione præter naturam, ut sequenti exemplo fiet manifestum. Filum ex lino, vel lana trahendo ducitur, & formatur, in quo partium similarium continuitas adumbratur, mox verò tela probatissima conficitur, cum tenuissimo filo texitur, compactaque exilit, æquabiliter continuata, in quo dissimilarium contextus quasi imago describitur. Ergo tela quantùm multis in rebus magno usui nobis est, conveniente potitur dispositione: sed aliquando scissa vitiosa & depravata minùs in usū erit necessaria. Ecce quomodo sanitas, & morbus juxta partium nostri corporis potestates, & actiones, illa quidem secundum, hic verò præter naturam dispositiones repentè sint, ab ijs, longè disjunctæ, quorum mutatione, ac positione fiunt, & constant.

Exēplū.

B

C

VTRVM MORBVS sit affectus præter naturam, vel contra naturam.

(*.*)

QVÆSTIO. X.

DECIMO quarto medendi methodi, postquā exposuit Gal. quæ secūdum, & quæ præter naturam propriè dicantur, Eugenianum hortatur, ut memoriam illius rationis conservet, quoniam, si aliqui dixerit, *præter naturam, aliter, quod nocet, aut inutile est, ac incommodat actioni, tum fallere varia nomina poterunt inconsideratos, tum discordiæ phantasiam excitare.* Quibus sine dubio præsentiebat aliquem in posterum decipiendum fore hac in re; nec fefellit opinio. Nam Ioannes Fernelius legislatoris munere fungēs nos cogit hoc loco de eo, quod præter naturā est, certatim dicere, etiā si nulla facta cōtentione in cōmentario quinto

Cap. 14.

D

Opinio Fernelij.

Cap. 2. idé competenter declaraverimus. Vir ergo ille alioqui doctissimus definitione quadam à se excogitata morbi naturam voluit occultare, cavereque omnia damna & detrimenta, in quæ morbi definitio incidere poterat. Definit morbum esse affectum contra naturam corpori insidentem. Veruntamen Aristoteles libro secundo posteriorum magnâ perspicuitatem requirit in definitionibus: hæc tamē definitio admodum obscura est, quoniā sine ullo evidenti signo morbus cognosci non potest. Præterea morbus si propriè loquamur, contra naturam non est. Nam contra naturam esse dicitur, quod omninò rei naturæ repugnat, & violentum est, ut ignem descendere, & terram ascendere, octavo physicorum: at verò in morbum incidere, naturæ nostræ non repugnat, nec violentum est, immo ex internis principijs nos incidimus in morbos, in senectutem, & tandem ad mortem tendimus, ut legimus quinto physicorum, & primo de sanitate tuenda. Quod si affectus contra naturam idem est, atque affectus præter naturam actionem lædens, ut idem Fernelius concludit, eadem erit hæc definitio cum definitione Galeni ijsdemque subjecta criminibus. Accidit ergo præter ejus opinionem, ut, quæ innovaverit, extra Galenum, & Aristotelem, sine quibus non decebat de nominibus statuere, omnia vana sint, atque illis perversè abutatur.

Resutatur.

Cap. 6. 1. Ratio.

Cap. 3.

Cap. 5.

Cap. 1. 3. Ratio.

Primò. Sed quoniam in hunc locum pervenimus, nō gravabor more meo quid quaq. de re sentiam brevi dicere.

Secundum naturam dicitur tribus modis. Primò secundum naturam dicuntur, tum corpora naturalia, tum quæ corporibus naturalibus conveniunt per se ac juxta propriam constitutionem, ad quæ habent ipsa corpora naturalem propensionem, & inclinationem, ut ignis ad superum locum tendere, terrā in medio mundi esse. Quam notionem adduxit Aristoteles secundo physicorum ubi posito discrimine inter naturalia, & reliqua omnia, quorum interna principia non sunt natura, ut arte facta, subjungit. *Secundum verò naturam hæc sunt* (corpora naturalia intelligit) *tum, quæ in his per se insunt, ut igni ferri sursum, quod naturā non est, neque naturam habet, sed naturaliter ineſt, & secundum naturam.* Ad hoc genus pertinent ortus, & naturales interitus, ut mors, & putredo, quas Aristoteles naturales vocat: insitæ quoque facultates, quæ totius substātiæ proprietates appellantur, demum sanitas, & morbus.

Cap. 1.

Lib. de motu animal. cap. 1.

Præterea secundum naturam dicuntur omnia, quæ corporis naturalis absolutionem, & constitutionem perficiunt, sive sint intus inclusa, sive extrinsecus accedant. Significationem hanc describit Galen. libro sexto de Hippocratis & Platonis decretis, ubi, cum exponere voluisset, quid esset actio secundum naturam, sic ait. *Cum secundum naturam multis modis dicatur, in eum sensum accipiendum nunc est, ut significetur, quod prima ratione à natura sit. Prima verò ratione illa fieri à natura dicimus, quæ natura complectitur veluti scopos & fines propositos, non quæ necessariò sequuntur ex aliqua consequentia*, ut motus cordis, qui in pulsibus fit, secundum naturam est, quem conjectat natura tanquam finem: cordis autem palpitatio, cum non fiet prima ratione, secundum naturam non est, quoniam tunc motus cordis succedit ex quadam consecutione. Qui verò sint hujusmodi scopi, & fines, qui à natura conjectantur libro de Marcore declaravit. *Natura*, inquit, *stypes, animaliaque fabricatur, omninò sanè generandis ipsis principium quoddam corporeum assumit: unica siquidem omninò res est, quæ ex nihilo penitus generationis principium habere possit, atque hinc exorsa ad eum perpetuò scopum, qui sibi à principio in fabricatione propositus fuerat, ordinatè tendit: hoc. nihil aliud est, quam perfectum reddere, quod generatur, sive stypsis sit, sive animal.* Vnde *hæc causa est, cur hæc vox, secundum naturam*, ut dixit decimo quarto methodi, *de omnibus dicatur, quæ in corpore ex sententia nostra esse cupimus. Nam, quæ secundum naturam sunt, eadem & convenientia sunt, utilia, conferentia, conducentia.* Ergo secundum naturam hac significatione dicuntur esse quæcūq. à prima naturę institutione illius perfectionē complent. Hac usurpatione secundum naturam dicūtur sānitas

Secundò.

Cap. 1.

Capit. 4.

Cap. 14.

nitas, habitudo scilicet, & constitutio partium naturalis, generationes fatales, in quibus servatur ordo à natura cõstitutus, septem res naturales appellatæ, atque res non naturales dictæ, dũ tamen sanitati opem ferunt, tum etiã, quæ sanitatis signa sunt, ut lotium, & colores modum naturæ servantes.

5. phy. cap. 6.

Postremò secundum naturam dicuntur, quæ ita corpori contingunt, ut cum aliquibus conveniant, quæ secundum naturam in sunt. Sic morbi, qui aliàs præter naturam sunt, corporibus aliquando congruunt, & conveniunt secundum naturam, ut secundum temperiem: sic tertiana secundum naturam est iuveni bilioso, laboribus, curis, vigilijs ac solis insendijs dedito, ciborum parcitati assueto præsertim calidorum, & siccorum, quique fuerit immodicè usus medicamentis calfaciẽtibus, & exsiccantibus tempore æstivo, regione calida & sicca. Similiter secundum naturam est *intemperatura frigida ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medulla.* Item pro ratione ætatis, ut *convulsiones, & alvi profluvia pueris: aut secundum habitum*, id est, *corporis formam*, vel structuram partium, *quam vocavit Hippocrates naturam*, docente Galeno secundo aphorismorũ, ut phthisis hominibus ijs, *qui adeo sunt thorace angusto, & restricto, ut à tergo in modum alarum promineat operta scapula, quos propterea πτερυγοειδεῖς, quasi alatos vocant*: aut ratione temporis, ut gravedines, raucedines, atque tussis hyeme. Nam secundum hæc, & similia solent congruere morbi, ut secundo aphorismorum, comprobante Galeno, dicebat Hippocrates. Quinimò & sanationes dicuntur hac significatione secundum naturam Aristotelis, cum ægrotantes in diebus criticis liberantur.

2. de dif. feb. c. 1.

3. apho. 25.

1. Epid. cõ. 18.

2. apho. 34.

Pterygoides.

3. aphor. 23.

apho. 34

5. phys. cap. 6.

Porrò de ijs, quæ fiunt supra naturam, nihil est dicendum, quoniam in ea non concurrit natura, ut cum divina virtute homo excitatur à mortuis: dicamus tamen de violento, & contra, vel præter naturam, quoniam in eo, quod violenter, vel contra naturam, atq. præter naturam fit, non nihil operatur natura.

Observatio. D. Th. 2. sent. dist. 18. q. 1. arti. 3.

Præter naturã 3 modis.

Totidem autem modis dicuntur aliqua contra naturam, quot modis secundum naturam dicta sunt. Primo A modo contra naturam, & violenta dicuntur, quæ rei accidunt, illius naturæ repugnante. Nam violentum, & cõtra naturam proprie dictum, ut legimus apud Aristotelem libro tertio de Philosophia morum, id dicitur, quod repugnat inclinationi naturali rei ad oppositum impellentis, ut cum lapis movetur sursum, vel calefit aqua, lapis gravitate sua projectori resistit, aqua igni obsistit frigore, hæc calefit, ille sursum fertur, manente quidem in eis, sed perpetuò repugnante principio contrarij actus. In his ergo agit, B sed reluctando, natura.

Primò. Cap. 1.

Secundò contra naturam dicuntur quæcunq. naturalem compositionem, vel constitutionem evertunt, & disturbant, ut morbi omnes, quos Gal. capite quarto appellabit ἐκτροπὰς, digressiones, quoniam deflectunt, & declinant à naturali animantis corporis constitutione. Præterea morborũ causæ, ut putredo, quæ undecimo methodi est mutatio præter naturam, & à putredine naturali, plurimum distat. Tandem hoc modo dicuntur contra naturam omnia symptomata, quæ similiter discessus appellantur. Ad hoc C etiam genus pertinent generationes intempestivæ, atque non fatales, ut voluit Aristoteles. Quæ quidem significatio eorum, quæ contra naturam esse diximus, minus propria est. Sic idẽ Aristoteles promiscuè, & communiter contra naturam usurpavit in libris de cœlo primo & secundo.

Secundò. Tex. 14. Ectropas Cap. 8. 5. phys. ca. 6. Cap. 2. et 3.

Tertio & ultimo contra naturam dicuntur, quæ ab aliquibus discrepant, quæ secundũ naturam conveniunt, ut inedia picrocholis, nempe amarę bilis hominibus contra naturam illorum est: vomitus ijs, qui angustum habent pectus, & purgatio, quibus extenta, & inflata hypochondria sunt, aut supra modum calida, atque igneas urinas dejiciunt, & hoc ipso in loco aliquam viscerum inflammationem patiuntur: crisis etiã in diebus non criticis præter naturam dicitur ab Aristotele. Atque hæc significatio contra naturam impropria judicatur. D

Cap. 3. Tertiò. 2. de rat. vict. cõ. 29. 5. phys. cap. 6.

Eadem ipsa, quæ contra naturam dicta sunt, præter naturam dicuntur ijsdem tribus modis. Primò quæcunq. repugnant inclinationi naturali rei ad oppositum impellentis, ut cum aer

Præter naturam 3. mod. Primò.

deorsum fertur. Qua significatione id, quod præter naturam dicitur, coincidit cum eo, quod contra naturam, & violenter primo modo fieri dictum est: latissimè quidem, & improprié tunc sumitur præter naturam, contra naturam verò admodum proprié.

Secundò Secundò præter naturam dicuntur, quæ naturalem compositionem, vel constitutionem evertunt, ut morbi omnes, morborum causæ, ac symptomata. In quibus omnibus natura molitur opus & fovet, sed præter ejus usum & ordinem, ut cum arte quadam generantur ranæ, aut veræ serpentes, quales à magis Pharaonis, vel intempestivè oriuntur rosæ, aut fructus, ut in hortis Adonidis, quos aqua calida ad eum finem cultores irrigabant: hæc enim gignebantur concurrente natura, tamen præter propositum illius, ob causam aliquam impellentem. Quare licet in violenter, & contra naturam factis operetur natura, non minùs, quam in ijs, quæ præter naturam, interest tamen plurimùm. Nam violentiæ resistit natura: concurrit verò ad res, quæ præter naturam fiunt, licet præter eius solitam dispositionem. Ad hæc pertinent, ut idem Aristoteles habet secundo libro de cœlo, imbecillitates animalium, senectus, & decrementum, quantùm ad interitum perducunt, nam aliàs secundum naturam dicuntur prima significatione, nempe quatenus sequuntur rei naturam quocunq; tandem abierit. Atque hæc significatio ejus, quod præter naturam, admodum propria est.

Cap. 6.

Observatio. Sed quoniam hujusmodi à naturali statu eversiones, & casus, trahunt originem ex ijs, quæ nostra corpora perficiunt, scilicet materia, & forma, vel ex ijs, quæ ad vicem illorum propiùs accedunt, hinc factum est, ut in hoc genere præter naturam collocentur ea, in quorum generatione alterutra, id est, forma, vel materia, vel utraque defectum patiuntur. Sic ab Aristotele quarto de generatione animalium monstra dicta sunt παρεκβάσεις, hoc est, naturæ transgressiones, quoniam præter naturam evadunt, nonnunquam formatricis culpa, ut cum nascitur puer

Cap. 4.

Parecbases.

E arietini, vel bubuli capitis effigie: sæpissimè vitio materiæ, ut cum nascitur monoculus. Plerumque verò generantur aliqua in nostro corpore materia simùl, & forma omninò alienatis, quæ propterea toto genere præter naturam vocamus, ut lapis, qui neque in substantia, neque in formatione cum partibus nostri corporis conveniunt.

Tertiò. Tertiò & ultimò præter naturam dicuntur, quæcunque discrepant ab aliquibus, quæ naturaliter cõveniunt, quæ quidem contra naturam esse diximus: sed communiter & improprié, F cum tamen proprié præter naturam sint.

Epilog. Quare, quæ primo modo sunt contra naturam, propriè talia dicta sunt: quæ secundo modo minus propriè, quæ tertio improprié: quemadmodum quæ primo modo dicuntur præter naturam, communiter & improprié: quæ secundo modo admodum propriè: quæ tandem tertio minus proprie vocantur.

1. Conclusio. Quibus positis, sit prima conclusio. Si communiter loquamur de violento, & contra naturam, morbus contra naturam dici potest. Nam con- G tra naturam minùs proprié, ac præter naturam propriè dicta, in idem cadunt: tametsi enim febris proptiè sit præter naturam, tamen contra naturam minus propriè, & communiter dici potest. Verum si propriè loquamur, quæ altera conclusio est, morbus est præter naturam, nulla tamen ratione contra naturam. Quoniam multa dicuntur proprié præter naturam fieri, quæ non possunt dici contra naturam, vel violenter fieri. Nam animus beatus extra corpus præter naturam detinetur, & aliquem defectum patitur (vt D. Thomas dilucidè docet) H cum adhuc non fruatur extensa illa perfectione, quam possidebit junctus corpori, ad quod informandum habet naturalem inclinationem: tamen non dicitur impediri violenter, aut contra naturam, sed præter naturam.

Alt. conclusio.

1. 2. q. 4. ar. 5. ad 2.

VTRVM SANITAS sit symmetria, & morbus ametria.

QVÆSTIO. XI.

CVM naturale symmetron sit, & præternaturam ametron, Gal. vocavit sanitatem symetriam & moderationem, morbum verò ametriam & immoderationem. Quid esset symmetria dictum est. Quod sanitas symmetria non sit, his argumentis probare possumus. Quæst. 2.

1. Obiectio. 7 phy. c. 3. 1. de nat. hum. 19. Ad Tiras. cap. 17 Tum Aristoteles tum Gal. arbitrati sunt sanitatem sitam esse in symmetria, vel ex symmetria nasci, ergo sanitas symmetria non est.

2. Obiectio. Præterea sanitas extremum est, & morbo opponitur tanquam extremo contrario, ut statim dicemus, ergo non potest esse symmetria, quæ mediocritas est.

3. Obiectio. Deinde, quod fit ab arte, extremũ est: nam omnis ars reddit opus suum ad ultimum quantum maximè potest; sed sanitas est opus artis, igitur extremum est, non medium.

4. Obiectio. Immò potiùs morbus symmetria, & medium est: nam ubi reperitur plus & minus, ibi etiam reperitur mediocritas: sed in morbis reperitur magis & minùs: aliquis enim magis, aliquis verò minùs febricitat, ergo in morbis reperitur symmetria.

5. Obiectio. 5. phy. c. 3. Iam, si sanitas esset medium, non esset transitus ab uno morbo contrario in alterum morbum contrarium, vt à phrenitide in lethargum, nisi per sanitatem, quoniam ab extremo ad extremum Aristoteli, non fit transitus, nisi per medium: at hoc repugnat experientiæ, ergo sanitas medium non est.

6. Obiectio. Porrò medium, & extrema sub eodem sunt genere, sed utrisque partibus sanitas communis, nempe continuitas, & ejus divisio, non sunt ejusdem generis, ergo sanitas saltem in omni genere non opponitur morbo, ut medium, & extrema. Assumptio valet, nam continuitas est quantitas continua, divisio verò est quantitas discreta, quoniam solutum continuum ad numerum pertinet, cum duplex factum sit, quod vnum erat.

7. Obiectio. Quinimò in hoc proximè dicto genere sanitas semper extremum est, quacunque ratione consideretur, & nunquam medium. Nam continuitas, quæ sanitas, unum extremum est, alterum est continuitatis divisio, quæ sola opponitur naturali continuitati, ergo sanitas non semper symmetria est.

8. Obiectio. Tandem sanitas potiùs dicitur res symmetra, quam symmetria, quoniam Gal. sic argumentatus est. Quod est naturale symmetron est, quod præter naturam, ametron: sed sanitas est quippiam naturale, morbus præter naturam, hinc conficitur, sanitatem symmetram esse, non symmetriam, morbum verò ametron, non ametriam.

Cap. 3. His sufficere possent, quæ hoc capite, & primo sanitatis tuendæ dixit Galen. Verum, ut penitus intelligamus cur sanitas fuerit dicta symmetria, adducamus, quæ de virtute docuit Aristot licet enim per omnia non congruant affectus animi & corporis, maxima tamen est inter illos analogia.

1. Ethic. c. 5. & 6.

1. Fundamentum. Virtus Aristoteli in anima est, sed cum in anima tria insint, passio, potentia, & habitus, virtus autem neq. passio, neque potentia sit, concludit esse habitum, qui locum habet generis in definitione virtutis. Differentias investigaturus, docet habitum hũc in medio consistere, atque virtutem esse μεσότητα, mediocritatem. Sed, cum mediocritas sit duplex, declarat in qua mediocritate cõsistat virtus. Medium, vel ex natura rei constitutum est, vel ex ratione, & nostri comparatione. Medium rei dicitur, quod æqualiter distat ab utroque extremo, atque hoc dicitur medium arithmeticũ, quæ ratione numerus senarius medius est inter denarium, & binarium, cum distet æqualiter ab illis, quia totidem unitatibus ab est ab utroque nempe quatuor. Medium rationis, vel cõparatione nostri dicitur, quod ad nos collatũ, neq. exuperat, neq. deficit: positum enim est in æqualitate, non quantitatis, sed proportionis, quod mediũ geometricum vocant. Hac ratione senarius numerus dicitur medius inter quaternarium & novenarium: quemadmo-

Mesotes.

madmodũ enim senarius includit quaternarium, & ejus dimidium ita novenarius continet senarium & dimidium, quæ sesquialtera proportio est. Vnde, si comedere decem panes nimium est, duos verò parum, medium nõ erit comedere sex: hoc enim esset medium rei, sed medium est id, quod convenit Socrati respectu sui, & pro ejus temperamento. Quare, cum non omnibus sit eadem caloris vis ad decoquendum, sæpe id, quod unius collatione mediũ est, respectu alterius deficit, vel excedit. Hac igitur medij usurpatione virtus mediocritas est, scilicet comparatione nostri.

2. Fundamentum. Sed objiciet aliquis. Virtus & vitium sunt extrema contraria, ergo virtus non est mediocritas. Respondet Aristoteles, cum dicimus virtutem esse medium, id secundum substantiam, & essentiam virtutis intelligendũ est. Nam respectu optimi, & bene se se habentis, virtus ἀκρότης, extremitas est. Consideratur ergo virtus bifariam. Primùm quatenus bonum est, quod opponitur malo, sic dicitur extremum: sunt enim duo extrema opposita bonum & malum, sub quorum uno subjicitur virtus, sub altero vitium, quod deinceps partitur in excessum & defectum. Alio modo usurpatur virtus secundum essentiam suam, tunc mediocritas est inter duo extrema vitia, id est, inter excessum & defectum: neque enim est absurdum, quod idem dicatur, nunc extremum, nunc medium, dummodo diversis respectibus consideretur.

3. Fundamentum. Tandem objicies Aristotelẽ dixisse virtutẽ esse mediũ, q̃ mediũ respiciat, ergo proprié non est medium. Respondeo medium esse duplex, tum quod est inter animi passiones, vel actus extremos, tum quod est habitus inter habitus extremos. Medium inter passiones dicitur passio moderata cum suis justis circunstantijs posita inter duas passiones extremas, ut mediocris timor, quod est medium inter duos extremos timores, scilicet excessum & defectum, qui non vitia, sed passiones vitiosæ sunt, & ejusdem generis cum medio, quod dicitur passio integra, & proba, non virtus. At verò medium, sive mediocritas, quæ est habitus inter habitus extremos, neque est passio, E neque actus, sed virtus inter vitia extrema. Vnde quemadmodum sunt tres passiones, vel actus medius, excedens, deficiens sic tres habitus constituũtur, medius, qui versatur circa medias passiones, vel medios actus, & duo extrema, quæ versantur circa illorum extrema. Quando Aristoteles dixit, virtute respicere medium, intelligit medium passionum, vel actuum, circa quos ipsa versatur: cum verò docet virtutem esse mediocritatem, intelligit habitum quendam medium inter extrema vitia, quæ in ijsdem passionibus, & actibus extremis reposita est. Eadem metho-
F do Gal. Aristotelem imitatus colligit naturam sanitatis ex ijs nempe, quæ in sano corpore reperiũntur.

Quamobrem similiter constituendum est ex Galeno, sanitatem esse symmetriam, mediocritatem & æqualitatem. Assert.

Nam quemadmodũ virtus ipsa versatur circa passiones & actus, veluti circa materiam propriam, ut ibidem commentatur D. Thomas, sic partium similarium sanitas consistit in calido, frigido, humido, & sicco, in quibus reperitur magis & minus, & mediocre. 1. Rat. 2. Rat. cap. 5. 6.

Præterea omnis ars, cum perficit
G opus suum illud ad medium redigit. Vnde in ijs, quæ bene se se habent, operibus dici solet, nec auferri quidquã, nec addi posse: sed natura est præstantior omni arte, ergo sanitas, quæ op. est naturæ, mediocritas est. 2. Rat.

Tandem habitus omnis, qui fugit utrumque extremum, & respicit medium, mediocritas est, sed sanitas est hujusmodi, ergo mediocritas est. Ex quibus observare possumus similitudinem, quæ sanitati est cum virtute. 3. Rat.

Quibus positis rationes oppositas dissolvamus. Porrò in primam difficultatem incurrit etiam Aristotelis do
H ctrina, non secus igitur de sanitate ac de virtute dicendum est. Nam in qualitatibus est medium, & in dispositionibus est medium. Medium in qualitatibus est, quod eædem tenent invicem moderatæ inter excessum & defectum ipsarum: at neque excessus & defectus morbi sunt, neque tenentes modum, sanitatis nomine designantur. Mediũ etiam est in dispositionibus. Nam dispositio naturalis emergens ex moderatis qualitatibus medium est inter duas 1. Solut.

extre-

extremas dispositiones præter naturã ortas ex qualitatib. excedẽtib. Respondemus igitur, sanitatẽ sitã esse in symmetria, & nasci ex eadem, si loquamur de symmetria & societate, quã coeunt primæ qualitates ad sanitatẽ partium similariũ producendam, ut contẽplati sunt Aristoteles & Gal. Si tamen sermo sit de symmetria & dispositione nata ex copulatione, vel conjunctione qualitatum, sanitas symmetria est, ut hoc capite monstravit Gla. & morb. ametria.

2. Solutio. Secunda ratio nullius momenti putatur, si vtamur ea distinctione, qua vsus est Aristoteles disputans de virtute. Nam sanitas ex propria natura & essentia symmetria est, & mediocritas inter duos morbos extremos, ut naturalis temperies inter morbum calidũ, & morbum frigidum: at respectu optimi, & benè se habentis corporis extremum est, cui opponitur alterum extremum morb. qui è contrario respicit imperfectũ. & malè se habens corpus.

3. Solutio. Tertiæ opus est eadem distinctione. Nam ars redigit opus suum ad perfectissimum, ultimum, & extremum in genere boni, sed hoc extremum ex natura sua medium est inter excessum & defectum.

4. Solutio. Quartæ respondemus, non quodcũque medium competere sanitati, sed medium comparationẽ nostri, & nobis conveniens, quod in morbos non cadit.

5. Solutio. Quintæ confitemur à morbo calido in frigidum non fieri trãsitum nisi per medium. Verum nõ omne medium sanitas est, sed illud tantum, quod actiones secundum naturam edit manifestõ. Nam quum intemperies calida transit in frigidam, medium repente prætergreditur, & vix aduertitur, sed in phrenitide, cum in lethargum transit, multõ minus. Etenim, quo tempore transit phrenitis, quæ priùs vnam partẽ, quã aliam deserit, lethargus ingreditur, & unam partem, quam aliam, priùs apprehendit. Quare non datur tempus, in quo cerebrum, vel illius membranę mediocriter affectæ sint. Quod si aliqua particula in trãsitu mediocritate quadam moderata cõsideretur, facile obscuratur, nec apparet, tanta est reliquarum, vel calida, vel frigida intẽperies, quæ graviter offendit actiones.

A Sextę dicamus continuitatem & cõtinuitatis solutionem in uno genere quantitatis contineri. Nam ex cotinuo fit discretum, & revera idem sunt, sola ratione distincta. 6. Solutio.

Septima soluitur, si dicamus, continuitatem esse medium inter duo extrema præternaturam, nempe inter solutionem continui, & continuitatẽ eorum, quæ debent esse divisa, licet Gal. hanc reduxerit ad connexionem; sed hæc inferiùs explicatè, & distinctè dicemus. 7. Solutio. Quæst. 21.

Vltimæ respondemus formam & paronymum, re quidem vera non distingui. Vnde cui convenit forma, eidem tribuitur & paronymum: pulchritudo enim & perfectio dicitur, & quid perfectum, similiter sanitas, & symmetria est, & res symmetra. Quamobrem Gal. in propositione sui argumẽti accepit symmetron pro concreto primario, quod cum sit forma concepta ad modum alteri adjacentis, præciso subjecto (ut cum philosophis recentioribus loquar) ratione tantum ratiocinãte à forma abstracta distinguitur. Ergo ex duab. illis propositionibus rectissimè concludit, sanitatem esse symmetriam & morbum ametriam, nimirum à cõjugatis. Exempli gratia. Omne, quod est rationi consentaneum, rectum est: sed justitia est rationi consentanea, ergo justitia rectitudo est. 8. Solut.

B C

VTRVM SANITAS, & morbus sint contraria.

QVÆSTIO. XII.

D MONSTRAVIT Gal. sanitatem esse partium nostri corporis naturalem constitutionem, unde confirmaret morbum eandem esse constitutionem præternaturam, quandoquidem morbus sanitatis contrarium est, atque sub uno & eodem proximo genere collocantur. Hinc orta est disceptatio de sanitatis & morbi contrarietate. Tit. 3. 1. Objectio. Argumentum contra Galenum parvi momenti.

Galeni calumniator existimat sanitatem & morbum non differre specie, & forma, atque vera contrarietate.

Illius

Illius ratio talis est. Quæ distant solo gradu, & tantum intentione, vel remissione, non differunt forma & specie, quâ ratione discrepât album & nigrũ, quæ proprié contraria sunt: sed sanitas & morb. solo gradu distinguntur, tantumq. per magis, & minus, quæ nõ possunt speciem variare, quoniam sanitas mediocritas est, morb. excessus, contraria igitur non sunt.

2. Objectio. Nos, ut rem accuratissimè discutiamus, orationem dilatemus. Nam uni unum est contrarium, quoniam natura sagax, cum contrarietas sit causa corruptionis, provisit, ne multa uni opponerentur: at si sanitas & morb. essent contraria, duo essent contraria uni, nempe sanitati duo morbi extremi, ergo sanitas & morb. non sunt contraria.

3. Objectio. Demum contraria primum distant ab ijsdem, quibus contraria sunt: at multò magis adversantur morb. calidus, & morb. frigidus, quæ sunt extrema, quam morb. calidus & sanitas ipsa, quæ inter illa medium est, ergo sanitatis & morbi contrarietas nulla, vel quam minima est. Probatur assumptio. Nam inter morbũ calidum & morbum frigidum maior distantia & dissimilitudo est, quam inter morbum calidum & sanitatem.

1. Fundamentum. Cap. 7. Vt extrudamus hæc, observemus Galenum primo medẽdi methodi, ubi de sanitatis & morbi definitione disputabat contra Thessalum, asseruisse, *hoc vel quemlibet deprehendere, non oportare in altero sanitatem, in altero morbum, sed in eodem omnino genere ambo constitui: siquidem contraria sunt, quæ in eodem genere plurimùm inter se dissident, veluti candidum, & nigrum: etenim unum est horum genus color. Ideoq. si contraria inter se sunt sanitas & morb. in quocunq. genere eorum, quæ naturaliter se habent, statuetur sanitas, in eodem, cum præternaturam se habet, ponetur morb.* Et deinceps. *Nemo tamen adeo fuit stupidus, ut in alio genere poneret sanitatem, in alio morbum. Vnde si in actionibus naturaliter editis constituebatur sanitas, in ijs, quæ præter naturam sunt, statuebatur morb. si in constitutionibus naturaliter se habentibus, in ijsdem præter naturam erat morb.*

Alt. Fundamẽth. Præterea notandum sanitatem & morbum duobus modis considerari. Primò, ut sunt corporis dispositiones, E sanitas naturalis, morb. præter naturã (formaliter quis diceret) quæ vera illorũ & magis propria usurpatio est. Secundò ratione calidi, frigidi, humidi, & sicci (materialiter dicunt) circa quæ versantur, & in quibus tanquam in materia, ex qua, reponuntur sanitas & morb. partium similarium: dissimilarium verò in figura, numero, magnitudine, situ: est enim inter hæc non parvum dissidium.

Quibus jactis asserimus sanitatem & morbum esse proprié cõtraria & adversa sub uno proximo genere contẽta. Quod auctoritate ac ratione confirmatur. Nam Aristoteles in post categ. cap. de oppositis, Gal. autem hoc loco concordes asseruerunt sanitatem & morbum esse contraria. Postremò contraria sunt, quæ sub eodem genere posita maximé inter se dissident: sed sanitas & morb. sic se habent, proprié igitur contraria dicenda sunt. Sed avertamus adversaria. Assertio. Auctor. Text. Ratio.

Calumniatoris improbi, ut Logices imperitus est, ita contorta, & aculeata sophismata sunt argumenta. Licet sanitas & morb. per majorem intentionem, vel remissionem caloris distinguantur (ut dicunt) materialiter: tamen ex propria natura, & qua dispositiones sunt, forma, & specie differunt. 1. Solut.

Præterea, ut supra dictum est, sanitas dupliciter sumitur, vel ut medium, vel ut extremum: item oppositio duplex, scilicet absoluta, in qua tantum unum est uni contrarium, & (ut vocãt) secundum quid, qua unum potest multis opponi. Sanitas, ut extremum, absolutè opponitur uni morbo, tanquã extremum extremo, sed ut medium opponitur multis oppositione secundũ quid. Nam si comparatur cum morbo calido, ei opponitur, ut naturalis frigiditas, si cum frigido, sanitas naturalẽ calorem representat. 2. Solut. Quæst. ad 2.

Postremò, si materialiter (ut ita dicam) rem attendamus, major est oppositio, quæ reperitur inter morbum calidum, & morbum frigidum, quam ea, quæ est inter sanitatem & morbum calidum, quoniã magis distat summus calor ab intollerabili frigore, quam summus calor à moderatione calidi: at formaliter (ut dicitur) maxima est oppositio sanitatis & morbi, multòque magis 3. Solut.

magis distant, quam morb. calidus, & morb. frigidus, qui conveniunt, quatenus sunt dispositiones præter naturam & morbi. Quæ virtutis & vitiorum exẽplo fient manifesta.

Exẽplũ. Liberalitas posita est in moderatione largitionis pecuniarum, quemadmodum partium similarium sanitas in medio calidi, frigidi, humidi, sicci: è contrario prodigalitas sita est in earũdem effusione immoderata, ut in aucto calore calida intemperies: avaritia verò in aviditate nimia, ut intemperies frigida in maximo frigore. Si æstimẽtur hi tres habitus ratione ejus rei, in qua positi sunt, prodigalitas & avaritia, quæ sunt extrema, distant magis, quam avaritia & liberalitas, quoniam nimium & paucum magis distant, quã paucũ & moderatum: tamen, si, ut habitus, considerentur, atque ut animum bene, vel male disponunt, avaritia magis opponitur liberalitati, quam prodigalitati, quia vitium & virtus magis opponuntur, quam vitia inter se.

VTRVM SANITAS distribuatur in plures differentias, veluti morbus.

(***)

QVÆSTIO. XIII.

EX sanitatis & morbi oppositione originem trahit dubitatio, num sanitas sit genus, veluti morb. an species infima. Nam, cũ sint adversa, non existimo satis consonum fore, si alterum species infima sit, alterum genus.

Barbarorum opinio. Tamen ex altera parte barbari nonnulli arbitrati sunt sanitatem esse speciem infimam, quamvis morbus sit genus. Quandoquidem, cum sanitas sit medium, & morbi extrema, potuit quidem morb. in species inferiores dividi, sanitate individua remanente, quod Aristotelis auctoritate probant & rationib.

Aristot. auctoritas. Aristoteles contraria esse putavit, non modo virtutem & vitium, verum etiam species omnes, quæ sub illis cõtinentur: longè secus tamen sentit de sanitate & morbo. *Valetudo*, inquit, *morbo contraria est: at cerus morb. cum sit A species, nulli est contrarium, ut febris, ut oculorum dolor, & singuli alij.*

Porrò in omni rerum genere, quod optimum est, & medium, & secundum naturam habet, unum & simplex est, ut constat ex Aristotele & Galeno: malũ verò, & quod præter naturã, multiplex est, & varium: enimverò sanitas quid optimum est, ac symmetria naturalis, ut demonstravimus, una igitur species & individua est. Assumptio verissima quidem: propositio autem confirmatur. Nam quemadmodũ sagittarij uno modo scopum attingunt, sed omnibus alijs aberrant ab eo, eadem ratione, B bené agere unicum est, malè autem agere, varium & penè infinitum. *1. Ratio.* *2. ad Nicom. c. 6* *7. ad Eudem.* *1. de dif. resp. c. 1.* *6. de san. tu. ca. 2.*

Tandem, si sanitas esset genus, vel divideretur, quatenus magis & minus aliquid est, vel juxta partes corporis, in quibus inest, ut accidens in subjecta, vel secundum actiones, quę profluunt ab ea, vel tandem per propriam naturam & essentiam, veluti morb. sed nullo modo potest dividi. Nam magis & minus, ut philosophi voluerunt, non possunt specierum varietatem facere, neque in membris potest inveniri essẽtialis differentia, per quam sanitas distribuatur. Quoniã, ut ea existat, omnia C membra debent secundum naturã habere: ubi enim hinc fit declinatio, in manifestam læsionem, jam morbus est. Similiter arbitrandum de actionibus, quippe omnes, quæ secundum naturã sunt, ab una sanitate dimanant. Quod, si aliqua valdè mutetur, sanitas in nihilum occidit. Vnde concluditur non posse dividi ex propria natura, quia si una semper est in partibus & actionib. nęq; intentio & remissio possunt hanc mediocritatem magnopere discriminare, proculdubio illius essentia erit singularis, & unigena. *Alt. ratio.*

Antequam aliquid definiamus, duo præcognoscenda sunt. Primum est, uniD cuiq; animalium propter ejus actiones, & usus donatam esse mediam temperiẽ sibi propriam atque alterius temperiei longè dissimilem. Quo fit, ut quod in uno corpore sanitas est, alteri sit morb. cum sit extra naturam illius, & actionibus assuetis minùs congruens, quemadmodum unusquisque suum in virtutib. requirit medium, quod fortasse in alio erit extremũ. Quare propter eundem actum, quo alicujus constat *1. Fundamentum.*

tat liberalitas, poterit quispiã in prodigalitatem delabi, ob mutatam aliquã circunstantiam. E

2. Fundamentum. Alterum est, non omnem sanitatem summam & perfectissimã esse, sed medium statui cum satis ampla latitudine, ut dixit Gal. & nos inferius explicabimus. Quod etiam in virtute fit manifestum. Virtus licet mediocritas sit, maximam tamen obtinet latitudinem, potestq. illius objectum, nunc perfectiori modo, nunc minus perfecto attingi, ut actio eius, qui ex affectu misericordiæ pecuniam egenti erogat, recta est, quia cõsona rationi: at actio illius, qui ex intensiori actu largitur pecuniã uberiorem, profectò rectior est, & excellentiór, cum perfectiori modo exequatur officium virtutis. F

Assertio Probatur. Nunc asserimus sanitatem in plures species dissecari. Nam unum quodque corpus secundum naturam se habens præditũ est constitutione media in sanitatis latitudine collocata, quæ satis ampla est: sed omnis morb. est declinatio à quocunque naturali medio in statutum contrarium, ergo unusquisq. morb. habet aliquam speciem sanitatis contrariam, cujus dicitur declinatio. G

1. Solut. Quod, si dicat Aristoteles aliquas morbi species nulli esse contrarias, eo loco, ubi probabilia tantum persequebatur, ut vulgus locutus est: tametsi enim non habeant contrarium nomi-

Alt. Solutio. natum, contrariũ tamen habent, quod non inficiatur Alexander.

2. Solut. Præterea sanitas dicitur à nobis medium & unum: tamen non est medium exquisitè unum, sed cum latitudine. Sic virtus omnis medium unum est: cæterum differt medium in actionib. justitiæ ab eo medio, quod est in actionibus temperantiæ: unica etiam virtus in diversis subjectis, varia media con- H jectat.

3. Solut. Dividitur tandẽ sanitas in suas species per propriam rationem & essentiam, quatenus dispositio quædam est ex varia mutatione & positione componentium orta, quam sequitur conveniens partium operatio.

(***)

UTRUM MORBUS sit qualitas composita.

(***)

QUÆSTIO. XIIII.

3. Fund. mentum. OCTAVA quæstione monstratũ est, ex Aristotele, in habitib. & dispositionibus præter quandam formam considerari fundamenta, in quibus dispositiones mutari, fieri, aut corrumpi natæ sunt. Probat autem Arist. 7. Phy. cap. 3. ad sanitatem, bonum habitum, pulchritudinem, robur, & alias dispositiones corporis non esse alterationem per se, quòd sint quodammodo ad aliquid, & in multorum commensuratione, veluti sanitas in moderatione calidi, frigidi, humidi & sicci. Ex quibus apertè constat sanitatem esse ordinẽ, vel oriri ex ordine partium totius, juxta doctrinã Arist. Nã dispositio, ex vi nominis, multorum positio est: positio autem multorũ est ordo, eorum, quæ posita sunt. Ergo ad generationem sanitatis concurrunt non pauca, propterea symmetria dicta est, & conveniens corporis harmonia, quæ mutuũ multorũ consensum præse fert. Hinc Arist. postquã dixit, caliditatẽ esse sanitatẽ, quasi recogitans addit, aut esse partem sanitatis, Cap. 6 aut sanitatẽ ad eã consequi. Et G. lib. de elementis primo scribit, temperamentum, quod, cum inculpatus actiones edit, sanitas est, qualitatem compositã esse ex simplicib. qualitatibus quẽadmodum missum corpus ex quatuor simplicib. corporib. Quod quidẽ non ita intelligendum est, ut sanitas partiũ simplicium, vel temperamentum sit ipsa primarum qualitatum proportio, vel ipsę primę qualitates sub certa proportione, quoniã sanitas præter quatuor qualitates, & proportionem illarum, quædam qualitas est, non quidem eiusdem generis cum primis, scilicet patibilis, & quinta, ut quidam sunt arbitrati: verum sanitas dispositio est in prima specie qualitatis collocata ex ordine primarum juxta partiũ nostri corporis facultatem, qua præditæ sunt ad agendum. Distat ergo maximè qualitas hæc à primis quatuor qualitatibus. Nam sanitas originem trahit ex ordine & positione primarum. Præterea

rea modum illarū terminat: tunc enim cessat intensio & remissio primarum, cum temperies dispositio accommodata est ad edendas corporis actiones. Porrò per se motis primis qualitatibus per accidens movetur sanitas. *Neque habitus*, Arist. inquit, *sunt alterationes, neq. ipsorum est alteratio: sed fortasse necesse est fieri & corrumpi alteratis quibusdam, ut calidis, & frigidis, aut siccis & humidis.* Demum partes propriæ naturæ virib. calfaciunt, refrigerant, humectant, & siccant, sanguinem, & spiritum generant, chilum, semen, lac: veruntamē propter dispositiones facilè calfaciunt, refrigerant, humectant, exsiccant, generant. Quoniam naturalis vis & dispositio sola ratione formali, ut aiunt, sæpissimè distinguntur. Quamobrem in sanitate duo sunt consideranda. Primùm ea, ex quibus constat, ut caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. Alterum est dispositio ex prædictis emergens, quæ benè vel malè corpus ad facilè agendum disponit. Porrò ea, ex quibus dispositio constat cōpositionem præseferunt: dispositio tamen ex illis consurgens simplex qualitas est. Ergo sanitas formaliter, ut dicunt, qualitas est omnino simplex, & dispositio in prima specie qualitatis collocata: licet virtute quadam composita sit, quod ex multis educatur: materialiter verò, ut sic dicam, composita est, atque aggregatum quoddam ex illis & ens per accidens, qua ratione ad nullam pertinet categoriā. In hoc lapsus est Iacobus Segarra professor Valentinus, qui nulla præmeditata distinctione, primo de temperamētis dixit, temperamentum esse formam mixti, ut mistum est, & compositam qualitatem, à quatuor primis simul sumptis nequaquam distinctam. Hinc in primum de nat. fac. temperamentum in nulla categoria contineri scribit, facilè secutus Petrum Fonsecam, Dominicum Bañez, Franciscum Suarez, & patres Conimbricēses, parum attendens illos doctissimos viros in hujus rei à suo instituto valdè alienæ investigatione, omnes suas vigilias minimè consumpsisse.

7. Phy. c. 3.

Reprehēditur Segarra. Cap. 3.

Explicatur lemma, quæstionis.

Iam quemadmodum de sanitate cōstitutum est, num de morbo idem sit statuendum, quærimus hoc loco, an scilicet morb. tametsi ex sua forma sit qua litas simplex: tamen ex propria materia sit res composita, & aggregata, & in febricitante, præter calorem excedentem, concurrant etiam ad actiones lędendas frigiditas, humiditas, & siccitas, totaq constitutio partis, quę incaluit. Similiterq. ad læsionem actionum instrumenti conveniat tota instrumēti structura & compositio.

Iuniorū opinio.

Permulti ex ijs, qui morbos in qualitatibus reponunt, solam caliditatē, vel frigiditatem, numerum, vel magnitudinem, & solutam continuitatē, res, in quam simplices, morbos esse autumant, quoniam ac sola ratione, quod præter naturam corpus afficiant, easdē in morbis numeratunt.

1. Fundamentum Iuniorum.

Quam sententiam antequam probare nitar, sumam quatuor observanda (ostendam enim quam breuissimè, qui sint illorum sensus.) Primum est nomē Cathasceves, *constitutionis*, nō semper rē compositam significare, quoniam hac voce Hippocrates solet appellare, *omnem cujusq. rei formam*, referente Galeno, tertio Epid. par. 3. statim primis verbis, quæ quidem res simplex est.

3. Epid. par. 3.

2. Fundamentum.

Præterea, cum dixit Gal. morbum in ijsdem consistere, in quibus consistit sanitas, ne inde concluderetur morbi compositio similis compositioni sanitatis, observant (vel eosdem observare velle, suspicione ducor) dupliciter dici, *morbum in ijsdem consistere, in quibus ponitur sanitas.* Primò conjunctim, ita, ut morb. partium similarium similiter existat in calido, frigido, humido, ficco simul acceptis & copulatis, atque sanitas consistit. Secundò sigillatim & separatim, ita, ut morb. sit modo sola caliditas exuperans modo frigiditas, nō nunquam humiditas, aliquando siccitas, quo sanè modo dicatur immoderatio eorum omnium, quorum sanitas moderatio est.

3. Fundamentum.

Ex quo tertium nascitur, quod animadvertunt, nempe morbum sanitati esse contrarium, non tanquam extremū extremo, tunc enim par esset utriusque compositio, sed tātum extremum medio. Nam sanitas & morb. similitudinem quandam gerunt & speciem virtutis & vitij: virtus autem mediocritas est, cui adversantur vitia tanquam extrema, etiam si inter se contraria sint: Non aliter sanitas partium similarium cōpositio est ex caliditate, frigiditate, humi-

humiditate, ficcitate tanquam mediũ: morb. tamen earundem partium affectus erit tanquam extremum, vel solius caliditatis, vel aliarum qualitatum. De instrumentali structura idem est dicendum. Quod ex undecimo libro meden
Cap. 12. di methodi confirmant, ubi Gal. videtur sanitatem in medio reposuisse.

4. Fundamentum. Vltimò præmittunt in statu morboso constitutionem partium non esse affectum præter naturam illarum, sed esse naturam partium, à qua profluunt omnes actiones: affectum verò præter naturam & morbum nullam actionem edere, sed impedire tantum actionem quæ à partis natura provenit.

Iuniorũ Assertio Quibus jactis constituunt morbum esse rem simplicem, atque in ijsdem figillatim & separatim reponi, in quib. conjunctim acceptis & copulatis constituitur sanitas.

Auctoritates. Quod primum coloratur auctoritatib. Galeni, qui quandocunq. enumerat differentias morborum, adjungit exempla rerũ simplicium. Sic febrim appellat caliditatem, morbum in numero sextum digitum, morbum communem utrisq. partib. solutum continuum, ut suo loco videbimus, quæ quidem omnia sunt simplicia.

1. Ratio. Rationum monumenta hæc sunt. Primùm, quę ingrediuntur categorias, simplicia sunt, sed morb. constituitur qualitas in prima illius specie collocata, nimirum in dispositione, morb. igitur res simplex est.

2. Ratio. Deinde, si morb. esset qualitas composita, malè divisisset G. morbos in simplices & compositos, quod dicendum non est.

3. Ratio. Porrò cum aliquis æstu, febriq. jactatur, nec laborat intemperie frigida, nec humida, nec sicca, sed solo calore, igitur febris qualitas simplex est.

4. Ratio. Rursus, ad sanitatem concurrunt omnia, quæ corpus nostrum componunt: sed ad corpus ęgrum, tametsi morbo graui, sufficit, quod unum ex componentib. fiat præter naturam, ergo morb. non est qualitas composita.

Exẽplũ. Assumptionem probant facili & pervulgato exemplo. Vt aliquis dicatur studiosus, omni virtutum genere debet esse ornatus: si verò in uno genere deliquerit, non dicitur amplius studiosus, sed vitiosus, quoniam bonum ex integra causa fit, malum verò ex quocunq. defectu. Alij aliter supposuerunt exemplum: nos facilioris doctrinæ gratia quintam rationem faciamus.

5. Ratio. Liberalitas posita est in erogatione, vel distributione pecuniarũ, quæ prędita est justis quibusdam circunstantijs dandi scilicet quantum, quando, quomodo, & quibus oportet. Quod si deficiat aliqua ex his conditionibus debitis, vitium erit, prodigalitas quidem, si plus, quam oportet, vel quib. nulla indigentia est: avaritia verò, si nõ, cum opus est, vel minus, quam decet. Nunc, quæ ratio est virtutis ad vitia, eadẽ est sanitatis ad morbos: sed liberalitas est multorum symmetria & mediocritas: prodigalitas verò unius tantum excessus, veluti avaritia defectus, ergo cum sanitas sit primarum qualitatum symmetria & mediocritas, morbus erit excessus, vel defectus unius qualitatis.

6. Ratio. Tandem, si morb. esset qualitas cõposita, cum pars quępiam laborat, tota eius constitutio esset vitiata, & in statum præter naturam conversa: sed hoc nihil est absurdiùs. Nam quæ pars ægra est per calorem excedentem, adhuc habet partis naturã, ut caro ægrotans caro est: attrahit enim, retinet, concoquit, & depellit, quarum actionum non potest esse causa morb. Dicendum igitur est partis naturam operationes exercere: morbum verò nempe solam caliditatem, easdem impedire.

Refutatur ista res. Sed homines hujusmodi Philosophiæ imperiti & Aristotelem, & Galenum, & rationem contradicunt. Id, ut pateat, nonnullis proludendum est.

1. Fundamentum auctoris. Primùm constituamus Hyppocratẽ nunquã usum fuisse hac voce κατάστασις: quod enim loquitur Segarra de libro tertio Epidemion, melius erat tacuisse. Nam eo loci non κατάστασις, neque *Cataſtaſis non.* *Cataſtaſis.* ἵστησιν, sed κατάστατα, dixit Gal. quo nomine solet appellare Hippoc. omnem cujusq. rei ideam, peculiariter verò dicitur de aere & morbo (quamvis semel intellexit collocationẽ rei in suã sedem, Asianos insecutus.) In aere dicitur constitutio, & temperies præter naturam, ut legere licet apud Galenum secundo, tertio, & quarto Aphorismorum, atque primo de curatione febrium ad Glauconem. Nam, quæ secundum

3. desit. Hum. *Com. 2.* *Com. 3.* *& 16. Com. 2. Cap. 3.*

VTRVM GALENI OPINIO de tẽperamẽto & facultate, aliqua probabili excusatione defendi possit.

QVÆSTIO XVII.

QVO possimus de anima facultateve illius, & de temperamento inter Philosophos & Medicos pacem conciliare, primùm utrorumq. decretum in lucem veritatis proferendũ est.

1. Fundamentum. Existimant philosophi animam esse actum corporis potestate vitam habẽtis, eamq. triplicem vegetantem, sentientem, intelligentem. Sentientem duplicem statuunt, externam, & eam quintuplicem, atque internam, sensum communem, imaginationem, rationẽ, memoriam. Vegetantem & sentientem corporeas & materiales: intelligentẽ verò incorpoream esse constituunt, quod ita monstrant.

Ratio. Vt unumquodque operatur, ita est: sed anima intelligens exercet actiones, quæ naturam & corporis conditionem superant, igitur incorporea est. Probatur assumptio. Nam anima nostra intellectu percipit naturas communes, & abstractas à singulari materia, ex quibus format conceptus omni dimensione, figura, colore, aliave corporis affectione liberos; præterea voluntate moderatur appetitum sensitivum in materia inhærentem, eique imperat, quæ quidem altioris potestatis sunt omnia, quam corporeæ.

Porrò in corpore animam ita esse volunt, ut nulla corporis pars anima careat, & ita in qualibet parte, ut in singulis in sit tota cũ potẽtijs, quæ ipsi inhærent, quæque similiter immateriales sunt. Quando quidẽ cum anima informet quãlibet vivẽtis corporis partem, necesse est, animam indivisibilem, & partib. carentem in qualibet parte corporis totam esse.

Galeni opinio. Galenus, cũ animæ substantiã ignoraverit, ut dictum est, primùm agens in nobis ab agendi facilitate, facultatem sive potentiã appellavit. Hæc illi statuitur duplex, naturalis, quæ vegetans Aristoteli est, & animalis, quæ, vel

A est princeps, imaginatio, ratiocinatio, & memoria, vel non princeps, sensitrix, & motrix. Quæ omnes illius opinione corporeæ ac materiales sũt. Nam incorporeã substantiam, vel immaterialẽ, seu spiritalem à mundi conditore nobis inditam, neq. novit, neq. nosce probé curavit. Illud namq. quod neq. præsens conservari potest, neque absens restitui, non cadit in medici cõtemplationem: at intelligens anima in corpore, neq. servatur per se præsens, neq. restituitur absens, igitur non venit sub medici cognitionem. *Cæterum,* Galenus inquit, *medicis supervacuam de* B *animæ substantia notitiam esse arbitror. Satis est enim artem medicam cum ratione tractantib. illud nosce quoad scilicet ipsius cerebri, ac spiritus in eius simb. cõtenti naturalis tẽperies inviolata servatur, vivere posse animal: si verò contentus spiritus, aut prorsum corruptus sit, aut à naturali temperatura unà cum ea, quæ in cerebro est, longissimè discesserit, mortem necessario sequi.*

Ratio. *6. Epidi. par. 5. com. 5.*

Vnde, cum nihil noverit Gal. præter calorem naturalem, utpote *quem naturalium operum auctorem esse, Hippocrates testatus sit,* observaverit q. cerebrũ totius corporis regimẽ obtinere, omnesq. facultates animales in capite solo excu- C bare, atque in illis perturbari rationẽ, quorum cerebrum est læsum, hinc putavit hominis animã esse ratiocinatricẽ potentiam materialem, unum scilicet ex sensib. internis à philosophis in cerebro collocatum, qui ab ejusdẽ cerebri tẽperamento, vel calore nativo revera non distinguitur. Atq. hîc est error ejusdẽ, quẽ suxit cũ lactẽ nutricis: existimavit enim cum Hipp. intellectũ nostrum, quæ potentia est incorporea, & immaterialis animæ spiritalis, esse vim illã cogitandi & ratiocinandi materialẽ, quã nos ipsius intellectus corporeum facimus instrumentum.

Observatio. *Gal. ibid.*

D Secundò est observandum, qualitatem, & temperiem, quæ philosophis ultima instrumentorum dispositio est, Galenũ facultatem appellasse. Nã philosophi recognoverũt formã substantialẽ dictam, & animam ejusque latentem facultatẽ in omni corporis parte residentes ab ipsarũ quidem partiũ triplici cõpositione lõgè diversas. Quare dilucidè distinxerunt causam efficientẽ à materia & ab ijs, quæ se habẽt ex parte materiæ cujusmodi sunt omnes

2. Fundamentum.

dispositiones. Gal. autem, neque formam, neq. animam novit, nec ejus facultatem, quæ corporis ubique sunt, ideo ultimam dispositionē scilicet tēperamentum vocavit formam seu animam, vel facultatem. Quoniam nulla res est, quæ ad vicem formę substantialis, atque illius facultatis, cum ignorantur, propiùs accedat, quam vltima dispositio. Vnde si tollas animam, & facultatem illius, nihil restare videtur, quod magis representet agendi principium & vim, quam ultima dispositio, & corporis temperamentum.

3. Fundamentum. Sed rimemur quæso qua ratione instrumenta nostri corporis se tandem actioni accingant, quoniam non omnia uno modo disponuntur. *Nam plurimum differunt naturalia ab animalibus in*

2. de lo. aff. c. 7. *instrumentis: siquidem naturalib. cognata est actionis vis: animalib. verò instrumentis à principio veluti lumen à sole defluit.* Instrumēta naturalia, ut hepar, cor, ventriculus, testes à nullo alio parantur instrumēto, sed insito, atq. innato sibi à principio generationis tēperamento ad actiones suas muniuntur, & ultimo confirmantur, cumq. perenne sit illorum agendi principiū (semper anima ex gremio suo facultatem proferente) omni quoq. tēpore suas actiones exercent. Instrumenta verò animalia ultimò disponuntur ad agendū alteratione quadam à cerebro demandata. Eminvero, cum alteratio sit motus, quo patibiles qualitates acquiruntur, profectò cerebrum non aliā, quam propriā temperiem partitur, & communicat cū illis instrumentis, seu potiùs illorū partib. præcipuis, quib. primū debetur actio, quæq. superiùs instrumenta originis appellata sunt. Vnde licet anima cum sua facultate sit in oculo benè munito triplici constitutione, scilicet tēperamento, structura organica, & cōtinuitate, nunquam tamen videbit oculus, nisi tandem ptæparetur & disponatur ad videndum crystallinus humor: disponitur verò, cum cerebrum per substantiam nerveam sibi continuam mittit ad illum certam proprietatem, id est, totam suam temperiem, quæ ex calido, frigido, humido, & sicco certo modo insitis originem trahit, quæq. in visione magnum habet usum. Sed cum alteratio hæc seu qualitas, quæ hac alteratione fluit, fortasis adjutore, vel custode indigeat, & conservatore, hinc per cavitatem nervorum mittuntur spiritus, qui sua temperie cerebro simili qualitatem transmissam sustentant & fovent. Quæ causa est, cur animalia instrumenta patiantur aliquando per consensum cerebri, unde illis venit ipsa vltima dispositio ad agendum, quæ revera non distinguitur à temperamento cerebri, sed tantum ratione, quatenus temperamentum insitum quidem, illa verò qualitas influens & communicata concipitur.

Quod si quispiam dixerit, cur ex cerebro fluat temperies, vel facultas, cū proprium partium temperamentum sufficere videatur? Oculus enim secundum naturam se habens ad visionem perficiendam, tantum indiget objecti specie, non alio extrinsecus advenien te, unde visio simplex actio cum sit, non potest oriri proximè à multis agē tibus re ipsa distinctis. Respondēdum partium temperamenta sustentari calido & humido nativo, quod perpetuo dissipatur, hinc indiget recuperatione. Quare à jecore, & corde per venas & arterias recipiunt omnes partes ad sui conservationem sanguinem, facultatem, & spiritus, à cerebro autē unà cum spiritib. alterationem, facultatem à medicis dictam, quibus ultimò disponuntur. Iam verò animæ facultas, quæ in oculo residet, simul cum specie impressa molitur visionem: utitur tamen instrumēto, quod, ut præparabat qualitas consumpta, & dissoluta, ita disponit altera descendens: à multis autē causis subordinatis unum & eundē ori rī effectum impossibile non est.

Com. 5. Quare philosophi asseveranter affirmarunt animæ facultates non influere à partibus principibus in alias. Nam, cum anima tota sit in qualibet parte, ubi instrumenta fuerint ad agendum disposita, protinus anima, quasi è sinu suo & complexu, facultatem promit, cujus interjectione instrumenta movet, atque ad actiones excitat, ut cum anima sit in oculo, facultas videndi nō est aliunde petenda, sed ibidem anima tanquā ex suo gremio facultatem profert, quo tempore oculus dispositus videt. Medici verò facultates aliūde fluere arbitrantur, quoniam animæ facultatib. ignoratis, vel omissis, cum ad curationem minimè pertineant, statuunt

4. Fundamentum.

statuunt facultates esse partium principum temperaturas cæteris communicatas. Nam, cum illarum nulla sit in omni parte, sed *toti corpori ex suo quodam veluti fonte quæque distributa*, ut
9. metho. cap. 10. scribit Gal. necesse est, influxum illarum admittere. Quamobrem *naturalis jecur veluti pro fonte habet: canales verò ad hoc in totum corpus sparsos, ipsas venas. Vitalis sedem habet in corde insiti caloris quodam fonte, ab hoc fonte canales arteriæ sunt.* Animalis *tertia in cerebro domicilium habet: utitur & hac particulis quibusdam seu canalibus nempe ipsis nervis, sensum, motumque per hos totum animal transmittentes. Hepar enim*, ut
2. ad Glau. c. 2. idem docet, *cor, & cerebrum universo corpori sunt facultatum principia.*

1. Cœlu. Ergo assertio prima sit, facultatem à Galeno vocatam re ipsa nihil aliud esse, quam temperamentum.

1. Ratio. Quandoquidem ultima instrumentorum dispositio omnium consensu temperamentum est: sed facultas à Galeno reputata est ultima dispositio, ergo facultas est temperamentum.

Alt. ratio. Nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, facultas galenica & temperamentum est ultima instrumentorum dispositio, ergo facultas, & temperamentum reipsa idem sunt.

Objectio. Sed adhuc desiderabit aliquis maiorem assertionis explicationem, & quæ facultas, quod temperamentum planè sit, amplius postulabit. Nam facultas videndi non est temperamentum oculi: facultas movendi non est temperamentum musculi, & sic de multis instrumentis.

Solutio. Respondemus hoc esse manifestum in illis instrumentis, quæ prioribus non indigent. Nam temperamentum cerebri, & facultas imaginatrix, ratiocinatrix, & memoratrix (intelligo sensus internos) revera idem sunt. De jecoris, ventriculi, cordis, & testium temperamento illorumque facultate similiter arbitror. Quæ verò instrumenta sumunt aliunde ultimam dispositionem, facultatemque ad agendum, propriam habent temperiem longè multumq. disjunctam à facultate, quæ de principio delabitur. Vnde oculi, vel musculi temperies plurimùm distat à facultate sentiendi & movendi, quæ descendunt à cerebro.

A Dices, ergo jã aliqua facultas extat, quæ non est temperamentum. Falsa est cõsecutio. Nã licet facultas videndi sit longè dissimilis ab oculi temperamento, veruntamẽ illa qualitas, & facultas, quæ à cerebro in oculũ influit, una & eadẽ res est atq. cerebri temperies. Objectio. Solutio.

Quod si præterea objicias dari temperamentũ, quod non est facultas, nimirum insitum oculi tẽperamentum, cum ejus facultas sit à cerebro. Respondeo, tẽperamentum oculi non esse facultatem videndi, quæ animalis est, sed esse facultatem illius naturalẽ. Quantũvis ergo facultas quælibet non sit quodlibet tẽperamentum, vel quodlibet temperamentum, non sit quælibet facultas: omnis tamen facultas revera temperamẽtum est, & omne temperamentum reipsa est facultas. Objectio. Solutio.

Assertio altera est, facultatem, & temperametum ratione distingui. Nam id propter quod aliquid est, saltem ratione dissidet ab eo, cujus causa operatur: sed partes sunt propter tẽperiem, quoniam *temperamentum propriã partium substantiam complet*: facultas verò tantum respicit actiones, ergo temperamentũ, & facultas, quantumvis revera idem sint, ratione tamen distinguntur, quam formalem vocant. Alt. conclusio. 1. Ratio. 1. de vsu par. c. 9.

Quoniã temperamentũ cerebri videtur esse causa qualitatis, & facultatis, quã cerebrum alterationis interjectu per nervos cõmunicat cũ universo corpore ad sentiendũ, & movendũ, veluti etiam cordis temperamentum videtur causa facultatis vitalis, quam arterijs, & temperamentũ jecoris causa facultatis naturalis, quam venis impartit. Quare, cum mutatur insitum temperamentum alicujus partis, quæ ad subjectas mittit alterationem, mutatur etiam ad proportionem defluxa facultas, quæ idem prorsus est, quod illud temperamentum insitum, à quo defluit. 2. Ratio.

Temperamẽtum ergo solùm habet respectũ ad subjectũ corpus, quod disponit, atq. ita semper cõsideratur à medico, vt qualitas absoluta, & ut natura ex calido, frigido, humido, & sicco constituta: facultas verò, cum sit causa, quæ semper ad effectum refertur, tanquam ad terminum, scilicet ad actiones, vel opera, semper est actionum moderatrix, unde tale nomen sorti- 3 Ratio.

ta est, & illarum causa dicitur.

Hinc temperamentum aliud dicitur
4. Ratio. calidum, aliud frigidum, æquale, vel inæquale: facultatem calidam, vel frigidam non dicimus, quia temperamentum prima ratione mente comprehendimus, quatenus est qualitas absoluta ex primis qualitatib. composita, quarum aliquando nulla, interdum una, nō nūquam duplex antecellit, ex quo nascuntur novem illius differentiæ: at verò temperamentum idem, quatenus relatum ad actiones, facultas est, qua mistum corpus calfacere potest, vel refrigerare, moderatè, vel immoderatè.

Itidem, cum sumimus temperamentum, quatenus ex primis qualitatibus
5. Ratio. est atque partis cujuslibet nostri corporis propriam naturam complet, tot sunt temperamenta, quot partes nostri corporis existunt: verum quando expendimus temperamentū, qua omninò respicit actiones, quo tempore facultas dicitur, & est, profectò discrimen illius in actionum differentijs rectissimè ponitur, atque in facultatem animalem, & naturalem partitur: *fa-*
1. de nat. fac. c. 4. *cultas enim suum esse habet ex relatione ad alterum, quod causa sit alicujus actionis.* Vnde Gal. *Cæterū*, inquit, *potentia ea facultasve in venis, quam sanguificam appellant, atque etiam alia quævis facultas, in relatione ad aliquid intelligitur. Primùm enim actionis ipsius potentia est causa: deinde etiam operis ex accidenti quodā. At verò si causa ad aliquid est (est enim unius cujus, quod ab ea fit, reliquorum nullius) planùm est, potentiam quoque in relatione ad aliquid dici.* Et alibi. *Hanc causam, quæ pulsus*
3. de cau. pul. c. 2. *molitur, quæcunq; illa sit, licet ejus nos fugiat essentia, quod facultatem habeat pulsus efficiendi, facultatem illam vocavimus, ut quamlibet, puto, aliam facultatem à facultate faciendi, cujus habet facultatem, solemus nominare: alicujus enim est facultas, & ejus notio est relationi subjecta.*

lib. quod animi mor. etc. cap. 2. Atque tandem. *At in hoc statim multi philosophi perplexi sunt, haud rectè facultatis notitiam animo conceptam habentes: perinde enim mihi facultates illi in aliquo in esse putare videntur, atque res aliqua substantiam inhabitans, sicut & nos ædes incolimus: singulorum autem, quæ fiant, effectricem quandam causam esse, quæ ad aliquod referri intelligatur, ignorant.*

6. explicatur. Quibus verbis non reprehēdit Gal. E philosophos, quod sic in re aliqua facultates in esse putaverint, ut nos ædes incolimus, vel quod existimaverint facultates ab ijs, quorum sunt facultates, separari posse, ut nos à domo, quemadmodum interpretatur Iacobus Segarra in primum librum de Naturalibus facultatibus non erat e- Capit. 3.
nim hoc ejus institutum. Sed cum dixisset, in pueris animorum & facultatum differentias colligi ex actionibus, utpote quæ ab anima facultateq. dimanent, meritò eosdem increpat, quod, licet facultatis notitiam animò F conceperint, eandemque arbitrarentur in reb. inesse, ut nos ædes incolimus, tamen ignorarunt facultatem esse causam effectricem omnium corporis actionum, & operum, quæ ad aliquod, nempe ad eandem actionem, vel opus, referri intelligatur. Quamobrem, cum scribit Gal. *Hinc verò causa tanquam alicui certæ rei privatim, atque per se appellatio quædam indita est*, rem ab- Ibidem.
solutam, scilicet temperamentum intelligit. Cum verò addit. *In quadam autem a se ipsa ad genitum relatione geniti potestas consistit*, facultatem mente complectitur, quod ita distinguere nostrū G propositum, & consilium est. Nam temperamentum privatim, & per se hoc nomen habet: facultatis verò appellatio nihil aliud indicat, quam illius, quod facit, vel facere potest, respectum quendam ad actiones. Quam- Ibidem.
obrem unumquodque tot dicitur habere facultates, quot potest actiones perficere, ut *alvos, quæ vires habet purgandi, os ventriculi roborandi, cruenta vulnera glutinandi, plana ulcera solidandi, & humidas palpebras reficcandi.*

Ex quibus duo brevia, & acuta Duo ex
oriuntur consectaria. Primum est, unius mihi unum tantum esse temperamentum, facultates verò plerumq. H plures. Alterum est, optimum temperamentum perficere facultatem, corruptum verò magnopere conturbare.

Nam licet in uno misto unam tantum agnoscamus qualitatem, quæ modo facultas, modo temperamentum appellatur, quemādmodū dictū est, verū hęc qualitas, cū sit composita vim. multorū includat, nonnū quā agit solo unius qualitatis excessu, aliquando tota compositione, interdū & frequenti- 1. Cap. Hartm.

una

una compositionis parte. Quoniã hæc temperamenti compositio etiã in uno misto partes habet varias, & quasi multiformes ratione temperamentorum diversarum partium, ex quib. constat, ut theriaca. Vnde, cum qualitas hæc, tametsi una, possit plures actiones edere, hinc mistũ plures dicitur habere facultates, quæ re ipsa non distinguntur à temperamẽtis partium ejusdem, sed sola ratione, quatenus scilicet indicãt, & dicunt respectum ad actiones.

Alt. contra sectariũ. Optimum portò temperamentum perficere facultatem existimamus. Nã, cum temperamẽtũ absolvit mistũ, ita ut omnes numeros virtutis mistum cõ B tineat, tunc temperamentum se ipsum perficere dicitur ad actiones edendas, quarum ratione vocatur facultas. Similiter cum temperamentum corruptum evertit ac destruit mistum, adeo ut ipsum mistum vitiosè se habeat, tũc temperamentum se ipsum quoque infringit, simulque illius promptitudo, & agendi facilitas, ex qua dicitur facultas, protinùs elanguescunt.

Ratio. Nam esse in partib. naturã præcurrit posse, quamobrem id, quo partes sunt, potitur nomine causæ, & id, quo possunt agere, habet effectũ rationem, C quamvis revera idem sint. Potest ergo temperamentum seipsum amplificare, vel imminuere, suique ipsius respectu, modo causæ, modo effectus naturam, & nomen subire, diversis rationibus.

Galenilocus explanatus Quæst. 16 1. Interpretatio. Hoc significavit Gal. libro secundo de ratione victus, cũ scribit, *partis unius tẽperamẽtum propriam facultatem violare.* De quo loco tametsi à me sententia dicta sit, hic tamen delectabor liberè vagari. Nam Galeni verba ita posset quis accipere, ut loquatur de partib. diversis, quarum altera transmittit, altera recipit alterationem, atq. tunc aperta res est. Nam vitiosum temperamentũ cerebri, cum vltimam dispositionem D dictam, vel facultatem à se dimittit, & mandat in subjectas partes, frequentissimè vitiat sensum & motum, quoniam vitiosam, vel diminutam alterationem, & facultatem trãsmittit. Ecce quomodo temperamentum unius partis, potest violare propriam facultatẽ *Alt. interpretatio.* partis alterius. Veruntamen ego potiùs de eadẽ parte locutũ fuisse Galenũ existimo, ac si dixisset, partis unius tẽperaturã, propriam ejusdem partis A facultatem violare, ut cum temperamẽtum cordis corrũpitur, cor tunc in maximã facultatis vitalis offensam incurrit, quoniã temperamentũ vitiatum seipsum frangit, suamq. agendi vim reprimit, ac debilitat, quemadmodum gubernator, quem, cum se turpissimè gerit, seipsum dicimus perditum ire. Iã, si sic se res habet, ut Gal. facultatis nomine, perpetuò intelligat partium ultimam dispositionem, nunquã animã, vel animæ naturalem vim, aut quia eius naturam prorsus ignoravit, aut quia non habuit, quod curaret, profectò legitima excusatione defẽdi potest. Quæ quidem est facilis & prompta Galeni defentio, atq. philosophorũ & medicorũ legitima cõciliatio, quæ licet omnib. fortasse non ad gustum, alliciet tamen doctos ad doctiorem.

ARG. CAP. III.

Tres corporum animantium compositiones adducit. Prima similarium partium ex elementis est. Secunda dissimilarium ex similaribus. Tertia utrarumq. communis.

CAP. III. Tex. XI.

Compositio autem, atque formatio in corporibus animalium triplex reperitur. Prima quidem earum partium, quæ similares appellantur, veluti arteriarum, venarum, nervorum, ossium, cartilaginum, ligamentorum, membranarum, & carnium. Secunda instrumẽtalium, cerebri, cordis, pulmonis, hepatis, vẽtris, splenis, oculorum & renum. Tertia verò totius corporis. Etenim harum una quæque partium instrumentalium, ex alijs quibusdam simplicibus, ut ad sensum, est constituta: illarum verò quælibet ex primis constat elementis.

COMMENTARIVS.

ETSI vsque ad hunc locum fuerit tantùm locutus Gal. de compositione partium simplicium, quæ fit ex calido, frigido, humido, & siccò: nihil ominus tamen, ut variam à qualibet symmetria nostri corporis declinationem commodiùs ostẽdere possit, disputat hoc capite, non modo de compositione partium similarium, sed etiã de compositione organicarum, atque utrarumq. partium, quæ totius corporis dicitur, in quibus non minus consistunt sanitas & morbus.

Quid pars. Sed, ut penitus pernoscamus ea, quę docturus est in hoc capite, quid pars, & quotuplex sit, ante omnium oculos breviter constituamus. Pars, particula, membrum, locus apud Hippoc. & Gal. pro eodem usurpantur, quod ex *Capit. 1.* primo de locis patientib. & primo methodi colligere licet. Porrò corpora, *Capit. 5.* *quæ nec undequaq. propriam habent circumscriptionem, nec undequaq. conjuncta sunt alijs*, ea omnia partes vocamus, ut est *Comm. tex. 5.* *oculus, lingua, nasus, cerebrum.* Vnde pars à nobis probè fuit definita, corpus toti cohærens communique vitæ conjunctum ad illius functionem usumve cõparatum. *Ibidem.* *Partium autem, alia quidem sunt maiores*, ut caput, brachium: *alia verò minores*, ut oculus, digitus, quæ partes dissimilares vocantur: *aliæ verò etiam omninò in aliam speciem indivisibiles*, ut caro, quæ partes dicuntur similares.

Similares partes quæ. Quas quidem, ut refert Gal. libello, *quod animi mores corporis temperamenta sequantur*, Plato primus appellavit primogenia: Aristoteles incompositas, & similares: Gal. primo de elem. & primo *1. de hist. animalib. cap. 1.* de nat. faculta. elementa sensibilia vocat, *quæ*, inquit, *non methodo ulla, sed ex dissectionib. contemplans oculorum inspectio* *Capit. 8.* *Capit. 6.* *Cap. 4.* *ne noscas oportet.* Hoc dixit, eo quod appareant ad sensum simplicissimæ. Octavo de Hippocratis & Platonis decretis corpora interdum similaria, interdum simplicia, & prima nuncupari scribit. Definiuntur ab Aristotele, *Ibidem.* *quæ in particulas sibi similes, & uniformes dividuntur*, ut caro in carnem, quam *Capit. 6.* *Capit. 8.* definitionẽ adduxit G. primo methodi, sed primo de elementis, partes similares esse dixit, *quarum universæ particulæ eandem omninò formam retinent.* Libro sexto de placitis, *quæ in partes di-* *Cap. 2.*

E *vidũtur specie non differentes.* Octavo ejus- *Cap. 4.* dem operis, *quæ cum una circunscriptione clauduntur, omnes particulas inter se, tum toti similes habent.*

Partes similares numero quindecim *Partes similares quot.* sunt, ut colligitur ex præfatione primi commentarij in Hippocratem de natura humana, primo, & secundo de elementis, libro de placitis proximè citato, libello de inæquali intemperie, & hoc capite, quod in manib. habemus. Verum Gal. partis nomine promiscuè usus est. Nam si partis similaris nomen sumatur paulò contractiùs, decem tantum sunt, os, cartila- *Cap. 6.* *Capit. 1.* *Capit. 4.* *Capit. 5.* F go, ligamentum, nervus, arteria, vena, membrana, fibra, cutis, & caro, tũ musculorum, quæ vera caro est, tum viscerum, *quæ parenchima nuncupatur, quasi* af- *Lib. 6. de plac. 8.* fusionem, vel *interfusionem dixeris*, tum caro singularum partium. In partium similarium numero non aggregamus tendonem, cum pars composita sit Ga- *cap. 2. Objectio.* leno primo de motu musculorũ, neq. medullam, pilos, adipem, ungues, cum his non conveniat definitio partis.

Dissimilaris pars, quæ tum organica, vel instrumentaria, tum organum *Partes similares.* vel instrumẽtum à nobis appellata est, secatur in partes diversæ speciei. Nam, G quæ sunt partes similares totius nomen retinent, quælibet enim carnis portiuncula caro est, eique definitio carnis convenit: at dissimilarium partium particulæ nomine carent, ut scribit Theophrastus libr. primo de histo. *Capit.* plantarum: faciem enim si dividas, nulla illius pars vocabitur facies, sed nomine carebũt omnes partes donec perveniat divisio ad similares, simplices, & minimas. Definitur pars dissimilaris juxta Galeni sententiam primo methodi medendi, *animalis pars, quæ potest per-* *Capit. 1.* *fectam actionem edere*, aut quæ sola sibi H propriam, vel peculiarem actionem edit, ut capite præterito dictum est: sic *Cõ. tex. 5.* musculus, & oculus instrumenta dicentur: nam solus musculus movet, solus oculus videt. Siquidem cum similaris actio ea dicatur, quæ à sola partis temperie inchoatur, perficitur, & à qualibet partis particula integra & perfecta editur, ut nutritio, profecto instrumenti actio dicetur ea, quæ à temperie sola nec inchoatur, nec absolvitur, nec nisi à toto instrumento integra, & perfecta editur, ut visio.

Quibus

Triplex compositio. Quibus sic tãquam fundamentis positis, ad Galenum accedamus, qui triplicem esse prodit nostri corporis cõpositionem. *Prima.* Prima est earum partium, quæ similares appellantur, arteriarum, venarum, nervorum, ossium, cartilaginum, ligamentorum, membranarum, & carnium, quarum compositio ex caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate conflata dicitur temperamentum, *quod propriam illarum substantiam constituit: corpus enim tale sortitæ sunt, propterea quod calido, frigido, humido, & sicco sic commixtum est.*

Secunda Secunda compositio instrumentorũ est, cerebri, cordis, pulmonis, jecoris, vẽtriculi, lienis, oculorũ, renũ, & hujus generis cæterorum, quæ ex similaribus componuntur, ideoq. partes compositæ dicuntur. *1. de elemen c. 9.* Nam partib. similarib. coeuntib. prima, & simplicia instrumẽta absolvuntur, quæ unius functionis gratia sunt à natura procreata, ut digitus, mox autem, cum hæc item una componuntur, aliud majus instrumentum perficitur, ut manus, & sic in reliquis est dicendum.

Tertia. Tertiam compositionem totius corporis esse dixit. Nam simplicib. partib. *Ibidem.* & instrumentis *simul coagmentatis universi tandem corporis integritas cõstituitur*, quæ compositio unitas, & cõtinuitas utrarumq. partium est, qua totum corpus constat. Quam triplicem compositionem non comprobavit Gal. quoniam *1. de part. anim. c. 1.* satis confirmata fuit ab Aristotele, à quo eandem ipse mutuatus est, ut statim dicemus.

TEX. XII.

Carnis igitur, quatenus caro est, in compositione tantum quatuor elementorum differentia consistit: at quatenus pars est instrumentorum alicujus, in formatione, & magnitudine. Et ipsorum itaque instrumentorum in eisdem erunt discrimina. Vbi itaq. dixerimus de partium similarium morbis, quot numero sint, & qui nam juxta suppositionem primam, veniemus ad secundam, ad eam scilicet, quæ totam per totam substantiam alterari, & transmutari supponit.

COMMENTARIVS.

Docuit Aristoteles secundo de generatione animalium partium similarium ortum frigiditate, calore ve agi, consistere, & coqui aliàs calido, aliàs frigido. Nam licet omnes qualitates concurrant in ortum mistorum corporum, caliditas tamen, & frigiditas principes & agentes sunt, ut ipse alibi observavit. Gal. autem primo de vsu partium sermonem habens de his, quę primum & maximè corporib. insunt, dicebat, *carnem esse carnem, & aliarum partiũ similariũ, quas id esse, quod sunt, ob qualitatum quatuor certam quandam temperaturã.* Artificiosè igitur hoc loco dixit, carnem, quatenus caro est, id est, quatenus similaris, & simplex, quemadmodum & aliæ partes, quæ sensus judicio simplices tantum ex quatuor elementorũ commistione suis differentijs distribui. Nam pro diversa calidi, frigidi, humidi, & sicci mistione contingit, ut alia caro sit calida, alia frigida, alia humida, alia sicca, & hujusmodi, quoniam, ut legimus lib. de constit. artis, *corporum similarium differentiæ, tum simplices, tum compositæ, tot sunt, quot elementa.* Item ex elementis est, ut alia caro sapore dulci prædita sit, alia minus grata, alia sit alba, alia rubra, quędam mollior, quędam durior, aliqua rara, aliqua densa, levis alia, vel aspera. Vnde alia est caro jecoris, alia cordis, alia pulmonis, lienis alia, scilicet pro varia temperamẽti qualitate. Sed quatenus caro est, & similaris substantia, hæc intellecta esse monet, non quatenus ad instrumenta pertinet, quoniam partes organicę tãtum habẽt dispositionem organicam: partes verò simplices duplicem recipiunt dispositionem, similarem, & organicam. Nam præter id, quod temperamento constituuntur, & discriminãtur, alio etiam modo inter se discrepare videntur, nempe quatenus instrumenta componunt. Hinc in uno instrumento caro lenis est, asperior in alio: in uno rursus perlucida, & transparens, opaca in alio, & spissa. Præterea

Cap. 4. *2. de ortu c. 8.* *1. Meteo. 1. Cap. 9.* *Cap. 10.*

in

in uno instrumento plures, quã in alio partes simplices inveniuntur: magnitudo quoq. illarum varia est, & diversa: positio tandem & connexio multiformis, talis nimirum, qualis decet compositionem variorum instrumentorũ, quæ ab illis suam naturam & conditionem accipiunt. Nam similares partes opem instrumentis porrigunt, illa similaribus persolvere nihil possunt: suscipiunt ergo á partibus similaribus instrumenta, sed nihil eis reddunt. Quare quemadmodum lapis, quatenus lapis est, hoc est, quatenus simplex pars, nullam certam figuram, vel magnitudinem expostulat: verum lapis in ædificio, in magnitudine certa, aut longitudine ponitur, & in quadrũ redigitur, sic pars similaris ex se nihil horum postulat, sed quatenus instrumẽtum componit. Quas duas partium simplicium dispositiones distinguebat Galen. primo de usu par. cum dicebat, *temperamenta secundum substantiæ rationẽ corporib. inesse: alia verò necessariò accidere, scilicet positionem, magnitudinem, connexionem, conformationem*, quoniam temperamenta partib. simplicib. insunt secundum propriam illarum naturam: alia verò propter aliud quidem illis conveniunt, ut propter instrumenta, quorum etiam differentiæ in ijsdẽ positæ sunt.

Cap. 9.

Sed cum postremis verbis de instrumentis mentionem fecerit, docet in fine capitis, prius agendum esse de morbo partium similarium, & meritò. Nã partes similares prima corpora sunt, octavo de Hippoc. & Plat. decretis, & illarum actiones primariæ, lib. de curat. per sang. miss. Vnde is morb. est omnium primus, & ad curationem cognitu maximè necessarius, secundo, & septimo methodi. Instituit verò demonstrare, quot numero, & quales sint omnium similarium partium morbi, de sententia utriusq. sectæ, tam ejus, quæ statuit humani corporis elementa esse immutabilia, & impatibilia, quã illius, quæ per se tota alterari, & transmutari elementa ponit. Nam juxta se positis opinionib. oppositis, cum in hoc opere instituerit nullam redarguere, poterit quisq. ex veritate judicare,

Cap. 4.
Cap. 4.
Cap. 4.
Cap. 2.

Lib. de cauſ. morbo. ca. 2. 2. decan. ſym. c. 3.

(*)

EPITOME.

Nostri corporis compositio triplex est. Prima partium similarium ex elementis. Secunda dissimilarium ex similaribus. Tertia totius corporis ex utrisq. Nam caro, quatenus similaris est, ab elementis sumit differentias, sed ex formatione, & magnitudine, ut cõponit instrumenta, quæ etiam dependent ab ijsdem.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

DE TRIPLICI COMpositione uberior disputatio.

QVÆSTIO XVIII.

CORPVS humanum ex congressu quatuor elementorũ originem trahere, putissima elementa ad eius procreationem attrahente natura, demonstratum á majorib. est, tum philosophorum, tum medicorum præcipuis. Ea verò neq. per acervationem componuntur, sed tota penitus junguntur & commiscentur, atq. unum quippiã, & á se distinctum corpus efficiunt, neque per appositionem rerum tenuissimarũ, ut in tetrapharmaco, efficiũt corpora, sed per mutationem, atq. *τρόπωσιν*, hoc est, substantiarum coagmentationem, concretionem, & unitatem, quia tota per tota miscentur, & alterantur interventu primarum qualitatum mutuò agentium & patientium. Qualitates verò similiter in unam naturam eõeunt, *κρᾶσιν*, vacatam græcis, latinis temperamentum, quod mediocritas primarum qualitatum á nobis appellatur. Quemadmodum enim ex quatuor elementis existit unum corpus, non dissimili ratione ex quatuor qualitatib. emergit una qualitas. Nam, ut dicebat Gal. *Simplex qualitas composita qualitatis, & simplex corpus, corporis compositi, est elementum.* Ergo ubi eò deventũ est in mistione, ut terminus attemperationis primarum qualitatum sit accõmodatum instrumentum ad exercẽdas actiones, cessat mistio, subitò emergentib. & consurgentib. uno corpore misto,

1. de tẽp. c. 1.

Syntheſin.

Craſin.

Lib. 1. de elem. c. 6.

sto, & una simplici qualitate, licet virtute composita. Hæc qualitas quoniã bene ac ordinate disponit mistum, & partes illius ad actiones facile obeundas, partium similarium compositio est, affectio, & naturalis dispositio, illarumq. sanitas existit, specie quidem à patibilib. qualitatib. diversa propter novam, quam induit disponendi rationem. Quamobrem non immeritò qualitas hæc seu temperamentum definitur, *natura ex calido, frigido, humido, & siccoconstituta*, ut ex eodem Galeno Commetarijs in Aphorismos, secundo, & tertio possumus confirmare. Nã cum naturã multis modis dicatur, hoc quidem est principalissimum, & proprium significatum, & maximè secundum ipsam substantiam naturæ. Hæc partium similaris est, & humani corporis prima cõpositio, cujus novem sunt differentiæ, una quidem, quæ optima temperies dicitur, & media: octo ab illa declinant: media semper dicitur temperies: sed octo nonnunquam dicuntur temperies: usitatius vero intemperies, quoniam temperies id dumtaxat habet, quod emergat à mistione, quocunq. modo evadat: in temperies tamen indifferens nõ est, quoniam excessum qualitatis in perpetuum sonat & significat.

Tẽp. quid ex Gal. *Com. 34. Com. 2.* *1. Compositio.* *1. de temper. c 8.*

Secunda compositio in formatione, numero, magnitudine, & compositione consistit. Nam singulæ partium organicarum constitutæ sunt ex partib. simplicib. his quatuor ornatis. Quemadmodum enim, ut Gal. habet, *neq. domus neque navis constructionem, num probata sit, an vitiata, exactè dignoscere possumus, nisi partes omnes, ex quib. constat, optimè fuerimus excutati, & animadverterimus qua forma, & quot numero esse debeant, quãta magnitudine, & quo situ connexuq. appositas esse conveniat*, sic instrumenti cujuslibet nostri corporis integritatem, vel vitium, nulla alia ratione cognoscemus, quam ex partium componentiũ maximè sibi cognata forma, integro certoque numero, terminata, & tanta magnitudine, atq. apta particularum compositura. Quæ in quolibet instrumento dilucidè docet anathome. In his ergo quatuor instrumenti cujusq. cõpositio, & effectus naturalis existit, qui cõgruẽtes illius actiones lustrat, obit, & complet.

Libro de Const. 11 tis medi ca c. 6. *2. Compositio.* *9. de ana to. ad c. 1*

A Διάπλασιν, qua voce utitur Gal. tertio & sexto capite hujus operis, conformatio est partium cujuslibet rei, & externus apparatus, plamatio dicitur à barbaris, à Galeno capite sequenti μορφὴ, hoc est, forma, quæ una cum figura, σχῆμα eidem capite sequenti, & septimo, constituit postremam speciem qualitatis apud Aristotelem. *Numerus*, ut docebit Gal. capite octavo, est quantitas discreta, definiturq. multitudo ex unitatib. composita. *Magnitudo*, ut etiã eodem capite monstrabit, est quantitas continua, atq. ut secundo de differentia pulsuum asserit, est quantitas di

B stentionis, nempe longitudinis, latitudis, & profunditatis. συνθεσις compositio est, & partium alicujus instrumenti constructio, collocatio, & positio. Hæc autem quatuor partib. simplicib. accidunt instrumenta componendi causa, ut dictum est.

Diaplasis. *Morphẽ. Schema.* *Cap 6. & 7.* *Synthẽsis.* *Com. tex 12.*

Nam una pars, quatenus est in instru

C mento, si sumatur sola, magnitudinem habere debet, quoniam omne instrumentum est corpus trina dimensione præditum. At omnis magnitudo necessariò præsefert cõformationem linea mentorum. Vnde pars similaris, pro natura instrumenti, ultra requirit charactèrem, speciem, & formam quandam externam, sive simplicissima sit, ut humor crystallinus, sive aliquantulum composita, ut nervus. Ad hæc partes similares non modo inserviunt instrumentis extrema superficie, sed etiã in intervallis & spacijs quibusdam in intima earum substantia inclusis, quoniam illarum plures, & sanguinem, & spiritum ad instrumẽta deferunt. Hinc conformatio, vel in sola superficie partium posita est, vel in trina dimẽsione, atq. spatio in partib. incluso. Quæ forma sita est in superficie totius membri,

D vel alicujus partis illius, figura dicitur, ut cordis, vel pulmonis: at in minimis quibusq. particulis ejusdem, vel asperitas est, ut in aspera arteria, vel levitas, ut in oculi cornea: si verò forma totum spacium interius & capacitatem amplectatur, cavitas dicitur, ut in ventriculo, vel meatus, ut in arterijs & venis. Præterea pars quælibet in instrumento simul cum alijs partib. etiam consideranda venit. Nam, cum instrumenta ex multis partib. componantur, & in uno plures partes inveniantur, quam

Observã methodã resolutiõnis.

in

in alio pro natura, dispositione & actione illorum, proculdubiò numerus certus illarũ fatalis est, & necessarius, ut mãnui numerus digitorum quinarius. Debet etiam quælibet pars juxta locum totius benè disponi, atq. suum locum tenere, ut cordis valvulæ, quarũ aliæ foris intro spectant, aliæ intus foras. Postremò unamquamq. partem cũ reliquis communionem habere convenit, atq. omnes juxta figuram totius consociationem, & naturalem connexionem inter se, ut partes linguæ, quæ juxtà figuram illius certo quodam modo aptæ, & connexę sunt: sic enim rectè collocatis partib. & verè cohęrentib. instrumentum aptam compositionem nanciscitur, atque in actionibus habile fit.

Observatio. In his ergo quatuor secunda compositio & instrumentorum sanitas cõsistit, hoc solùm interest inter hæc & primam compositionem constituẽtia, quod primæ qualitates mutuò agunt & patiuntur: at inter formationem, numerum, magnitudinem, & compositionem, nulla pugna reperitur, sed accretione, & diminutione, vel ad locum mutatione, varias dispositiones gignere possunt. Vnde quemadmodum sub prima compositione dicebamus, unam reperiri, quæ media dicta est, reliquas ab ea declinare: ita sub secunda una continetur vsq. adeo media, ut nullum excessum, vel defectum patiatur, qui saltem sensib. sit perspicuus. Manifestæ verò ab ea declinationes multæ sunt, simplices, ut ad solam figuram, compositæ, ut ad figuram & magnitudinem, vel ad figuram, magnitudinem, & numerum, vel simul ad quatuor: combinationes enim hujusmodi, cum absit contrarietas, possibiles sunt.

3 Compositio. Tertia compositio, ut Galenus habet, totius corporis est. Nam ad extremum, mistione peracta, mistum corpus ex omnib. suis partib. unum evadit: sed in eo duplicẽ ἑνότητα, *unitatem* in esse percipimus, nempe τὴν συμφυΐαν, naturalem conjunctionem, concretionem, & τὴν συνέχειαν, *continuitatem*. Prior consistit in similitudine naturæ, quam Hippoc. contemplabatur primo de natura humana, cum dicebat, *si unum quid esset homo, non dolituram*. Posterior in cohęsione particularum spectatur. Nec difficile est harum unitatum discimen considerare. Nam sæpissimè conspicimus arborẽ, in qua ramus eius exaruit, nec tamen avulsus est à parte viva. Hic unũ sunt quodammodo ramus mortuus cũ vivente, cohærent enim aliqua continuitate: at non cohærent, nec unũ sunt naturâ, vitâ, temperamento. Duplex hæc unitas partes omnes similares cõstituit, quoniam elementa prima in mistione, non modo alterantur, verum etiam uniuntur, ut rectè dixit Aristot. sed naturæ unitas, & temperamentum est prima, & potissima causa omnium actionum. Duplex quoq. adest in instrumentis compositio, quoniam partes similares, cũ instrumenta componunt, non modo formatione, numero, magnitudine, & compositione exornantur: sed etiam exquisita juxta sein-vicem appositione, & continuatione muniuntur: at principalis compositio posita est in dictis quatuor, quæ instrumentorum vocatur structura, & est præcipua illorum actionum causa. Quoniam autem continuitas, tum in simplicib. tum in compositis partib. invenitur, hinc tertiam compositionem totius corporis esse dixit Gal. quia communis utrisq. partib. unitas totius dispositio est, & quasi consentiens ad totius corporis in columitatem coagmentatio, quæ utrasq. partes illius, secundum actionem, & usum, quib. animanti subserviunt, disponit.

1. de ortu c. nitim.

Tertia compositio cur totius corporis dicta.

Enosin. Tyn Symphian. Tyn Synachein.

Tex. 5.

Continuitas in utrisq. partib.

Sed explicemus utrarumq. partium continuitatem. Porrò continua dupliciter dicũtur. Primò propriè ac simpliciter continua sunt, quæ in unum communem terminum coëunt, seu quorum extrema sunt unum, quo pacto se habent duæ partes ejusdem lineæ, quæ ad unum commune punctum copulantur. Deinde minùs propriè continua dicuntur ea, quorum extrema se tangunt, & quam artissimè cohærent, quæ potiùs attigua, & propriè contigua vocari debent, ut in sitione arboris, cum ramum ramus adoptat. Partes similares prima significatione, & propriè dicuntur continuæ, quoniam termino communi arctè copulantur: minùs propriè verò, & communiter partes dissimilares. Nam, cum ipsæ componuntur, similarib. valdè appropinquant, se cõtingunt, extrema quã maximè conjunguntur, simulq. sunt, hinc cõtinua promiscuè dicuntur. Sed hæc latiùs infra.

Cap. 11. q. 59. & 65.

Enim-

Cõtinuitas ad quos usꝰ

Enimverò, quoniam de usu mentionem fecimus, exponamus, quib. partium commodis, & utilitatib. seruiat continuitas.

1. Vtilitas.

Primùm causa est, ut quælibet pars sive simplex, sive composita, una sit eo, quo diximus modo, quæ quidem summa utilitas est.

2. Vtilitas.

Secundò, ut una sit eius actio. Nam etsi una pars varias exerceat actiones, quælibet enim, vel quam minima nutritur, alimentum attrahit, retinet, concoquit, & excrementa depellit: verũ, quæ una est, unam attractionem instituit, progreditur, & perficit, unamq. retentionem, concoctionem, & expulsionem, tantum, ut tertia compositio continuitatem, & unitatem dicatur tribuere cuilibet actioni. Nam actio ea una est, quæ continua est: continua verò, quæ, cum existat eadem sit ab uno agente, uno & eodem tempore, & circa unam, & eandem materiam. Iam si particula quæpiam divorsium faciat cum alijs, multiplicem & variam actionem sequi necesse est.

3. Vtilitas.

Tertiò continuitas non modo ad unitatẽ actionis, sed etiam ad actionem simpliciter dictam plurimũ valet. Nam inter ea, quæ in animantium corporib. usum aliquem habent, ut

Com. tex. 26.

capite sexto dicemus, quædam partes existunt, quæ causæ sunt, non solum, sine quib. agere non licet, sed etiã cur actiones meliores sint, quod genus causæ in se continere videtur magnam efficientiam, continuitas hujusmodi est, ergo causa erit, non modo, cur una sit, sed etiam cur meliùs exerceatur actio.

4. Vtilitas.

Tandem continuitas, non solùm ad partes, verum etiã ad universum totum maximi momenti putatur, ut non sine causa dixerit Gal. tertiam compositionẽ totius corporis esse. Nam quemadmodum ex partib. similarib. componuntur prima instrumẽta, ex primis secunda, ex his tertia, & ex tertijs quarta, quib. omnib. datæ sunt actiones, ut gradatim dirigãtur ad alias nobiliores, quas exercent magis composita, ita in omnib. simul junctis est & existit unitas, compages & coagmẽtatio cõmunis, ὁμοιομέρειαν vocavit Hippocrates, cujus una est operatio, & finis omnium actionum.

Oylomeliẽ. Lib. de alimento.

A Hoc illud est, quod primo de partibus animalium dicebat Aristoteles nempe *instrumentum omne & partes corporis esse alicujus plenioris actionis gratia.* Galenus etiam primo de usu partium scribit, *particulas corporis omnes sibi invicem compati, & consentire, id est, in famulatum unius operationis omnes conspirare.* Quæ quidem actio aliquib. doctissimis viris est motus localis voluntarius, rationalis seu artificiosus, ut equitatio, digladiatio. Nam, ut eodem lib. Gal. observavit, *pulchrè aliquis dixit nostrum Aristotelem imitatus, rationem velut artẽ quandã ante artes esse.*

Cap. 5.

Gal. 1. de usu par. c. 8.

Ibidem.

1. de usu p. cap. 4.

B Quæ tres corporum animantium compositiones, ut concludamus, opera sunt facultatum alteratricis, & formatricis, quæ in hominis procreatione concurrunt tanquam ancillulæ, ac generatricis pedissequæ. Munus alteratricis est, quod priùs non erat, ex principijs producere, & de potentia in actum transferre propriam cuiq. parti temperiem tribuere, atq. totã substantiam in unum conducere, ministrãtib. quatuor particularib. facultatib. excalfactoria, refrigeratoria, exsiccatoria, & humectatoria. Pẽsum formatricis est, quæ producta, & ad

Observatiõ

C temperiem redacta sunt, efformare, primùm quidem similares partes, ut pote ossa, cartilagines, arterias, venas, mox eadem dilatare, aliquando coãgustare, & coarctare, atq. optimè conglutinare. Deinde singulis quibusq. instrumentis conformationem, numerum, magnitudinem, & situm particularum tribuere, ut simplices ad instrumentorum actiones, & hæc ad totius corporis cõmunem actionem conspirent, ut videantur, *consentientia omnia*, quemadmodum dicebat Hippocrates: *juxta totius quidem corporis naturam omnia, juxta partem verò,*

Lib. de alimento.

D *partes in unaquaque parte ad opus.* Quib. verbis non docet (Gal. ait in Commentario) *omnes particulas, in unam actionem conspirare, & unamquamq. eodem modo, ut omnes ad vitam, & ad omnes corporis actiones consentiunt, sic singulæ ad singulas actiones conspirent.*

Quamobrem sanitas non est absolutè elementorum ex quib. constamus temperies, nec tantum consistit in formatione, numero, magnitudine, & compositione partium, neque

tandem

1. Metho. cap. 9. tandem in sola continuitate omniũ. Sed à Galeno definitur, *affectus & constitutio partium, cuius ope secundum naturam edimus actiones.*

NVM GALENVS ab Aristotele sumpserit triplicem animalium compositionem.

QVÆSTIO. XIX.

1. Opinio. QVONIAM non videtur in omnibus congruere triplex Galeni compositio cum ea, quæ ab Aristotele secundo de partib. animaliũ prodita est, permulti non modo occasionem, sed etiam causam habuerunt dicendi Galenum ex Aristotele non deprompsisse tres dictas corporis nostri compositiones.

Porrò sic loquitur Aristoteles, vel potius eius interpres. Cum itaq. triplex sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordijs conficitur ijs, quæ nonnulli elementa appellãt, terram dico, aquam, aerem, ignem. Secunda constitutio ex primis illis natura similarium partium in animalib. est, ut ossis, ut carnis, & reliquorum generis ejusdẽ. Tertia & ultima numero partium similarium est, ut faciei, manus, & reliquorum ejusmodi membrorum.

Quæ non videtur Gal. transtulisse, aut Aristotelis contextus, quem nos legimus, corruptus, & depravatus est. Nam licet verba, quibus designatur Aristotelis prima compositio, apertissima sint, ac planè declarent copulationem primorum elementorum ad simplices partes constituendas, juxta primam Galeni compositionem: verba tamen, quæ secundam & tertiam describunt, adeo reddunt ambiguam priorem, ut ex ea duæ differentes sententiæ accipi possint. Est enim secunda compositio ex primis illis similarium partiũ natura in animalib. ut ossis, ut carnis. Tertia verò partium dissimilarium, ut faciei, manus. Iam, si prima compositio est partium similariũ ex elementis, secunda profectò debet esse dissimilariũ ex similarib. atq. tertia totius corporis ex omnib. ut scribit Gal. at Aristotelis verba testantur oppositum. Nam, cum secunda compositio sit partium similarium, ut ossis, vel carnis, ex primis illis naturâ, hoc est, ex elemẽtis, nõ videtur distingui à prima. Tertia dissimilarium est, ut faciei, manus, quæ quidem secunda Galeni est: at de compositione, qua totum constat, nulla mentio fit.

2. Opinio. Lib. de morbis prima cap. 1. Quapropter Comes Montanus existimavit sumpsisse quidem Galenum has compositiones ab Aristotele, sed non omnino easdem. Nam Aristoteles dumtaxat locutus fuit de cõpositionibus partium. Vnde primam arbitratur esse elementorum ex materia & forma, quæ elementa etiam appellantur: secundam partium similarium ex elementis corporibus simplicib. tertiam instrumentorum ex partib. similarib. Nam illis in libris susceptum Aristotelis consilium erat tantum disputare de constitutionibus partium: Gal. verò, qui cõpositiones investigabat, & partium, & totius, quę morbis essent obnoxia, priore compositione relicta, utpote à morbis aliena, reliquis duab. tertiam adjungere voluit, quæ ad totum corpus pertinet.

3. Opinio In primum Method. At Fabius Pacius cum Aristotele Galenum sentire putat: veruntamen, ut cõtextum Aristotelicum explicet, nomen compositionis asserit dupliciter usurpari. Primo in ablativo, ut cum parietis compositionem ex lapidib. constare dicimus. Secundò in gignendi casu, nempe cum dicimus lapidum compositionem, qua cõstat paries, quib. semper eandem compositionem intelligimus. Subjicit ergo Aristotelem, cum notat primam cõpositionem, prima usum fuisse compositionis acceptione, altera verò, cum secundam & tertiam compositionem definit. Prior igitur compositio, sine ulla controversia, est ex primis vocatis elementis terra, aqua, aere, igne. Cum verò secundam compositionẽ partium similariũ esse dixit, compagem dissimilarium intelligit, quoniam, si rectè legatur contextus græcus, secunda cõpositio similariũ est,

est,& earum,quas dictum est,cõponi ex primis illis elementis, cum illarũ natura coit, & contrahitur in alicujus dissimilaris partis, vel instrumenti, cõpositionem,ut ossis, & carnis, & aliarum: non, ut ossis, ut carnis, quemadmodũ vertit interpres. Proponit enim in exẽplum Aristoteles plures partes similares, quæ conveniunt in unam dissimilarẽ cõponendã, sumitq. magis manifestas, os, & carnẽ, quia nullus ignorat brachiũ, vel crus,vel digitum,quæ partes sunt dissimilares, cõponi ex osse, & carne.Quando tertiam definit, eandem appellationẽ vsurpans, totius accipit cõpositionem.Tertia, inquit, & ultima dissimilarium est,ut faciei, & manus, & reliquorum ejusmodi mẽbrorum.Quæ quidem compositio,ut dixi, totius corporis est ex dissimilaribus atq.omnium ultima.Dixit autem,non, ut faciei, manus (erravit enim hic etiam interpres) sed, ut faciei,& manus,quæ partes etiam omnibus patẽt,quò significaret compositionem faciei,& manus,& reliquorum ejusmodi membrorum, quæ inter se congruunt, & conveniunt in coagmentationem totius.

Auctoris opinio. Nos verò breviùs, & faciliùs rem hanc expediemus. Asserimus Galenum has tres compositiones ab Aristotele sumpsisse ac transcripsisse.Nã *Capit.4.* octavo libro de Hipp.& Plat. decretis disputans de corporum compositionib. scribit Aristotelem, utpote qui latiùs de animalium partib. & generatione tractaverit, primũ constitutionem similarium nomine insigniviſſe, quas partes simplices, & primas nuncupari tradit, quippe cũ ea postea constituant, quæ cõposita, & instrumentaria solemus appellare,ex quib. postremò totum corpus componitur. Eandem hoc loco sententiam insecutus est,ut prima morborum genera tot fore colligeret, quot essent cõpositiones secundũ naturam à contrarijs deducto argumento.Quod etiã præstitit libello, quod optimus medicus sit philosophus, & *Capit.9.* sexto libro sanitatis tuendæ, ubi status inæquales trifariã fieri demõstravit pro ut triplex erat nostri corporis cõpositio.Libro tamen de oculis *par.3. c.3.* elegantissimé locutus est. Morb. inquit,generaliter triplex est,quia corporis constitutio trina est.Prima corporis cõpositio est in mẽbris simplicib.cõpositis ex elemẽtis.Secũda cõpositio est in mẽbris,quæ composita vocãtur,cõpositis ex simplicib. Tertia est corporis totius ex unitate simplicium,& compositorum membrorum facta.

Quod si non in omnib. cum Aristotele Gal.cõvenire videatur,discrimen in hoc tantum positum esse reor (mitum utriusq. artificiũ magni æstimandũ) quod Aristoteles in illis libris instituerit é directò partes, & constituentia,componẽtiaq. contẽplari.Vndè illi prima compositio est ex elementis,quæ constituunt similaria: secunda partium similarium, ut ossis,& carnis, & aliarum (sic enim quoq. vertendũ arbitror) quæ constituunt dissimilaria: tertia dissimilarium,ut faciei,& manus, & reliquorum. G.contra proposuit considerare hoc loco tota,& constituta, & cõposita, affectusq. illorum investigare. Quamobrem primam cõpositionem scribit esse partium similarium, quæ componuntur ex elemẽtis: secũdã dissimilariũ, quæ cõponuntur ex similaribus. tertiã totius corporis, q̃ ex omnib.quæ quidẽ tota sunt & cõposita, in quib. insidet morb. Vnde cũ iteravit cõpositionẽ partium similariũ,ut similares sunt,exẽplo carnis, cujus differẽtia tantũ consistit in cõpositione primorũ elemẽtorũ, licet videatur sequi Aristoteleũ institutũ: illis tamẽ verbis non respexit elemẽta componentia, sed partium naturam,inqua, vel sanitatẽ, vel morbum quærendum esse dixerat.

Observatio.

NVM PARTES SIMILARES pro sui natura præditæ sint formatione,numero,magnitudine & situ, an pro ratione instrumentorum.

QVÆSTIO. XX.

ETSI, quæ dixit noster Gal.ex arte intima prodita sunt, multũq. firmamenti,& viriũ obtinent: plurimas tamen oportunitates habebit

explicatio aliquarum difficultatum, in quas hæc possunt incurrere, quæ omnes objectiones exorbeat.

1. Objectio. Primùm illud arduũ & difficilè judicatur, quod partes similares, ut similares sunt tantum obtineant congruam temperiem calidi, frigidi, humidi, & siccæ: formationem verò, numerum, magnitudinem, & cõpositionem propter instrumenta, cũ G. undecimo methodi docuerit tres nostri corporis partes, spiritũ, solidam substãtiam, & carnosam, quæ proculdubio similares sunt, *propriam pro natura sua, tum qualitatem, habere, tum quãtitatem.* Per qualitatẽ verò tẽperamentũ intelligit: per quantitatem numerũ, & magnitudinẽ. Nam *quantitatem solidarum partium æqualem semper manere tradit, ijs, qui adhuc crescunt, numero tantum ijs verò, qui adjuncti jam sunt, & numero, & magnitudine.*

Capit. 1.

2. Objectio. Secundo, si partes dictæ pro sua natura præditæ sunt quantitate, formã, & figuram etiam habebunt naturaliter, quoniam figura in quãtitate cõsistit, quod ex Aristotele cõstare potest, qui, cum probat figurã esse qualitatem, tanquam exempla subjicit figuras mathematicas.

In catego.

3. Objectio. Tertio manifestum est partes similares ex propria natura in commodo, & sibi naturali loco sitas & positas esse, ac præterea, cum sint in toto continuæ, debitam connexionem obtinere.

4. Objectio. Postremò quantumvis licet pro ratione instrumentorum habeãt formationem, & magnitudinem: non tamen omnes numero, & compositione instructæ sunt. Hinc scribit G. carnem, quatenus pars est instrumẽti cujuspiam, in formatione, & magnitudine discrimen obtinere, ergo nõ omnes obtinent pro natura instrumentorum formationem, numerũ, magnitudinem, & compositionem, sed aliquæ partes his omnib. quatuor exornantur, aliquæ minimè.

Fundamẽth. Nos, ut ad veritatẽ loquamur, cujus luce hominis menti nihil dulciùs est, observemus quantitatẽ, formationẽ, & cõpositionem partiũ similariũ propriã duplicem esse, vel propriæ naturæ ratione, vel ratione instrumẽtorũ nostri corporis, quæ cõponunt. Prima in partib. inest quatenus sunt E corpora naturalia & vivẽtia, quæ cõtraxerunt ex corporum elementorum mole, quemadmodum qualitatem ex qualitatib. illorum. Quæ quidem infinita, vel interminata nõ est: omnib. enim viventib. certos fines ac terminos constituit natura. Unde Aristoteles primo libro physicorum animalia & plantas, eorumq. partes, ut sunt os, caro, & fructus, statuit esse definita aliquo termino, sive ad maius, sive ad minus. Quæ usurpatione partes similares propriam, & certam debent habere magnitudinẽ, certo q. numero definiri: hæc enim magnitudo dicitur definita, cum extremitatẽ habeat, propria, quia nõ est omnib. reb. cõmunis, sed naturalib. tãtũ non arte factis, & certa, quia non est incerta, vel in casu posita quãdoquidem multifariã esse potest, cũ habeat magnã latitudinẽ, dum tamen cõmunis naturæ terminis contineatur. Nã in generatione à facultate alteratrice conservatur juxta principia naturalia, & illorum dispositiones definitas.

Capit. 4.

Altera conformatio, quantitas, & cõpositio est, quæ partib. simplicib. posteriùs accidit pro natura, & ratione instrumẽtorũ, quæ cõponere debent. Nã facultas formatrix, cũ fingit & format instrumẽta, in ipsis partib. similarib. imprimit, & quasi signat cõditiones organicas, cõtractas partes laxando, & contrahendo laxas. Atq. hæc forma, quantitas, & compositio definita est, & propria ratione instrumẽtorũ, quia talis cõstituta est in instrumẽtali naturæ: itidem certa, quia non qualiscũq. in latitudine naturæ, ut altera prior. De qua formatione, & figura sermonem habuit Gal. primo de locis patientib. cùm dixit, *res similares nullam naturalem figuram requirere.* Ubi per naturalem figuram intelligit propriam & certam figuram rei instrumentariæ, ut est manus, quã figuram non habent ex se partes similares.

Capit. 1.

Porrò sola quantitas instrumẽtalis est, ex qua præter naturã facta constat morb. quoniam ea sola est, quam partes similares obtinent ratione instrumẽtorũ, & à qua possunt recedere in propria natura existentes. Verum ex quantitate naturali morbus

Alt. Fundamẽtum.

nulla-

nunquam fit. Nam partes similares non possunt recedere à termino interno magnitudinis, vel parvitatis à natura præfinito, quin esse desinant.

1. Solutio. Iam verò G. undecimo methodi nō loquitur de magnitudine definita, quæ instrumentalis vocatur, quoniā hæc terminis organicę naturæ minùs patētis circūscribitur, morbūq. multimodis cōstituit: sed verba facit de numero ac magnitudine propria, & definita, quæ partib. similarib. nostri corporis conveniunt, quatenus terminis naturæ humanæ continentur, quæ quidem quantitas est definita, ut ab infinita distinguitur.

2. Solutio. Altera objectio concludit, nō de figura instrumentali, sed de naturali; fateor enim omnes partes similares ex propria natura potiri figura, non quidē instrumētali, sed naturali. Saxa multa reperies in lapidicina figurata, quæ tamen ad domū ædificandā fabricator aliter figurabit. Sanè figurā aliquam in saxo naturaliter inesse fatēdum est: at quæ inditur ab ædificatore artificiosa est. Sic plātæ omnes & magnitudine, & cōpositione certa secundū earū naturam definiūtur, atq. debito ramorum, & surculorum numero, decentiq. figura prædita sunt: sed cū deliciarum causa cōstituimus arbusta foliorum tegmine ornata, vel hortulos amoenos paramus, topicariāq. facimus ex malo medica, myrtho, hedera, byasmino, lupo salictario, buxo, aut smilaci lævi, & hujusmodi, vel vitandi æstus causa, vitib. arbores obducimus, eorum ramos flexibiles, ut sequātur quocūq. torqueas, in certas formas ducimus, & ad usus nostros conjungib. Ecce quomodo præter dispositionē naturalem ars inducit aliā. Non dissimili ratione partes in novā cōstructionē, & quasi structoram quandā adducuntur ad instrumentorum actiones, & usus accomodatam à vi formatrice, quæ perficit facultatē alteratricem, non minus, quā naturam ars ipsa; id circo *facultas artifex* à Gale. dicta est.

2. de temperamētis c. 6. 3. Solutio. Quasi similiter objectioni tertiæ respondendū. Partes similares, quatenus similares sunt, vagè per corpus disperguntur, verum quatenus instrumenta componunt, certum, definitumq. locum, & inter se consensum A obtinent admirabilem.

4. Solutio. Vltimā objectionem dissolvemus, si dicamus, partes similares, quatenus instrumenta cōponunt, tum simplicissimas, ut caro, tū paululum cōpositas, ut vena, cum solæ per se sunt, formationē tantùm, & magnitudinē requirere: numero verò & cōpositioni nullatenus subjici: solus enim nervus, vel vena, & potissimum caro, de qua loquitur G. tantū formatione, & magnitudine laborant sine respectu ad alias partes: at umā cum alijs, & numero & positu affici possunt, quoniam numerus, & positus multas par B tes respiciunt. Lōgè aliter se res habet in partib. quæ dicuntur instrumenta, & nihilominus alia instrumēta, magis cōposita constituunt. Nam quocunq. modo cōsiderentur, nunquam non possunt laborare, vel formatione, vel numero, vel magnitudine, vel situ, quoniam licet sumantur solitaria, semper in illis apparēt plures partes sensui apertissimæ, cujus generis est digitus. Quæ diligentissimè observanda sunt, & ad quæstionē subsequentem servanda.

C

VTRVM ARTERIA, vena, & nervus sint partes similares.

QVÆSTIO XXI.

PRIMÆ compositionis exempla supponens Gal. arteriam, venam, & nervum adnumeravit in partibus similaribus secutus Aristotelem libro tertio de historia, & secundo de partib. animalium. Sed hanc assertionem D hæc videntur improbare. *Capit. 2.* *Capit. 2.*

1. Objectio. Primum similaris pars definita est, quæ nequit distrahi in partes specie differentes, sed in eas, quæ tum inter se, tum toti sunt similes: sed arteria, vena, & nervus in partes sibi dissimiles dividuntur, ergo non sunt partes similares. Assūptionē probat G. septimo de anat. admin. ubi, cum disputare instituisset de vasorum substantia, exorditur à venis, & arterijs, ac docet, ex quibus

particulis sint coagmẽtatę. Primò de naturalib. facultatib. prodit, *arteriã cõstare ex duplici tunica.* Libello de inæquali intẽperie digitũ dividit *in ossa, cartilaginem, ligamentũ, arteriã, & venã, membranam, carnem, tendonem, unguẽ, cutim, adipẽ.* Deinceps profert hæc verba. *Has autem divisisse in aliã speciem nõ est, sed sunt similares ac primæ, exceptis tamen arterijs & venis, hæ nãq ex fibris, & membranis sunt conditæ.* Vnde in præfatione primi de natura humana memi nit libelli de partium simpliciũ differentia, & clarioris doctrina gratia sermonem in eo habitũ repetere volens. *Nẽpe,* inquit, *similare os, cartilago, ligamentũ, membrana, adeps, fibræ, & caro, tam musculorum, quam viscerum:* de vena autẽ, arteria, & nervo, nullã facit mentionem, ergo partes similares non sunt.

Capit. 6. Capit. 2.

2. Objectio. Capit. 1.

Mõstremus nunc instrumenta esse. Nã libro decimo sexto de usu partiũ sic habet idẽ G. *De cõmunib. totius corporis instrumentis arteria, vena, & nervo, priùs quidẽ, dum partes exponeremus, verba sæpè fecimus.* Primo de semine *venã, arteriam, nervum, prima, maximeq cõmunia in animalib. instrumẽta* vocat. Sub sequenti capite hæc legemus. *Musculus enim & vena, & arteria, inter prima instrumenta cõnumerantur.* Capite præterea septimo, *venã, arteriam, & intestina instrumenta* vocabit. Primo methodi *arteriã, & venam, & nervum, tũ instrumenta, tũ partes animalis esse* docuit: *corneam tunicam particulã quidem & partẽ, non autem instrumentum.* Quare arteria, vena, & nervus instrumenta sunt, non partes similares.

Capit. 3. Capit. 4. Tex. 17. Tex. 32. Capit. 6.

3. Objectio. Quò fit ut partes hujusmodi actiones organicas exerceant: vena sanguinẽ generat, continet, defert: arteria pulsat, spiritũ & sanguinem tribuit: nervus facultatem recipit, & in partes diducit, organicam igitur habent actionem.

4. Objectio. Capit. 4. Tex. 17.

Postremò hujusmodi partes laborant morbis partiũ organicarũ: sunt igitur partes organicæ: cõsequentia valet, quoniam capite sequenti postquã dixerit, *musculum, venã, arteriã, & nervum esse ex numero primorũ instrumentorũ, atq. ex partib. simplicib. obtinere, ut vel sana sint, vel ægra,* id magis explicãs adjunget, *simplices partes laborare morbis ortis, ex primis elementis: cõpositas vero, & organicas reliquis, qui utrique sectæ sunt cõmunes,* quales sunt ex formatione, numero, magnitudine, & cõpositione vitiatis: non rarò autem obstruam, venas obstructionib. laborare.

Cõmunis opinio est apud medicos partes hujusmodi simplices esse, non quidẽ ex natura rei, sed judicio sensũ. Communis opinio.

Veruntamen nervi, arteriæ, ac venæ, judicio quoq. sensus, partes compositæ sunt: judicat enim sensus interiorem nervi substantiã nebulosam, exteriorẽ membranosam, nec secus venæ ac arteriæ distinctas fibras, & membranas. Nam, ut legimus primo de nat. fac. nulla methodo singulares particulas dignoscere oportet, sed ex dissectionibus, & αὐτοψίᾳ id est, oculorum inspectione. Refutatur. Autopsia.

Ab hac difficultate citò nos expediremus, si extarent libri, quos Galenus cõposuit, unus de similariũ corporum differentia, cujus meminit in præfatione primi de natura humana, & octavo de Hippocratis, & Platonis decretis, alter de instrumentorũ differẽtia, in cujus mentionẽ incidit primo de elementis, & in hoc libro capite subsequenti. Nã in illis procul dubiò exposuit, tũ quæ partes verè similares essent, tũ quæ exquisitè prima instrumenta, & quæ ab his secunda, & tertia, & quarta statuere cõveniret. Nũc vero, cum nullibi ex instituto de his valdè asseveranter dixerit, immò inconstanter, tum hoc, tum illud, fuerit locutus, aliundè copia diceudi sumenda est. Observa. Capit. 5. Capit. 5.

Vt extricemus hæc, duo sunt observanda. Primùm similarẽ partem dici duob. modis, vel ex rei natura, vel judicio sensus, ut cõmunis opinio revi reſcat. Cui distinctioni principiũ dedit Galenus libro de artis medicæ cõstitutione, ubi docet *inquirendũ esse utrum unaquæq. pars eorũ, quæ simplices, similaresq. vidẽtur, nũ sit, an potiùs ex pluribus cõstituta.* Eandẽ indicavit distinctionẽ libello de optima corporis cõstitutione, & capite sequẽti hujus libri. 1. Fundamentum. Cap. 7. Capit. 2. Tex. 17.

Verum sensus à philosophis bifariam distributus est, nempe in distinctum & confusum, ex quo etiam duplex Anatome. Prima est exquisita & artificiosa, in qua sensus minima quæq. judicat, & ideò distinguit, ut nõ modo differẽtes partes in primis 2. Fundamentum.

mis instrumētis segreget, sed etiā in singulis partibus veré similaribus ac primis, ut decimo methodi scriptum est, apertè dissernat *aliam, portionem substantiæ earum, veluti fibrosam, aliam membranosam* (quas undecimo methodi solidam substantiam appellavit) *aliam carnosam, quam cute calidiorem esse* dixerat secundo de temperamentis, utpote in qua resideat calor nativus. Anatome altera minùs exquisita, accuratave minusque artificiosa est, utpote qua multarum rerum substantia primo obtutu & aspectu intuentibus apparet uniusmodi. Quæ quidem rudior Anatome procedit sensus cognitione confusa, qualis erat (libro de dissectione vulvæ dicente Galeno) Hippocratis, Aristotelis, Dioclis, & Erasistrati tēporibus. Qua plures partes, alioqui dissimilares, primò intuenti similares occurrunt, & tales esse reputantur.

Capit. 11.

Capit. 1.

Capit. 3.

Capit. 9.

Quæ sensus distributio & distinctio à Galeno fuit significata quinto de anatomicis administrationibus. *Porrò*, inquit, *peritonoeum latis arancorum telis simillimum est, simplex, & tenue insigniter, non quidem tendines membranæ modo extensi, qui si clara luce inspiciantur exactè, fibras tenues ipsos intercurrentes repræsentant: sed peritonoeū alter habet: est enim simplex, ut diximus totū sibi cōtinuum unum quoddā ex primis corporib. adamussim similare.* Item libro tertio de naturalib. facultatibus ultimis verbis: *Fibræ sunt veræ alterativæ actiōis, verè sensibilia elementa.* Ecce tendines lati, si luce clara inspiciantur, dissimilares sunt: contra, si confusé & permistè, ut proculdubio fecit Aristoteles, qui partes non conquisivit curiosiùs. Peritonoeum præterea dixit esse similare *κυρίως*, id est, absolutè, aliquæ igitur partes, similares sunt, non absolutè, sed cum cōditione. Tandem fibras verè sensibilia elementa vocavit, aliquæ igitur partes re ipsa tales non sunt. Hanc etiam distinctionē significavit quarto capite, quòd huic proximè succedit. Nam cū de instrumentis generaliter loqueretur, impulsus est ad omniū enumerationē, inter quę *musculū, arteriā, & venā* primos ordines ducere, atq. ex simplicib. partib. cōpositionem deposcunt: sed nervus

Capit. 6.

Capit. 15.

Scribos.

Tex. 17.

A tionē, vel rectā, vel viriatā obtinere sanaq. vel ægra dici exquisitiùs collegit. Mox exacta discutione relicta illud tantū cōsiderandū esse voluit, *nā particula sensus judicio simplex sit, an cōpositra*: si quidē partes sensu crasso simplices, revera, & exquisito sensu cōpositæ sunt, & quæ sensu crasso & cōfuso cōpositę, maxime sunt cōpositę, quas antea intelligerat, cum dixit *cōpositorū vero in nobis instrumentorum ægritudines utriq. sēcē sunt communes.*

His explicatis concludimus arteriam, venam, & nervum, revera, hoc est, ex rei natura, & distincta sensus B cognitione exquisitaq. Anatome, instrumenta esse, quāvis prima, & simplicia. Nam, quæ cōponuntur ex multis partib. similaribus, ex rei natura partes dissimilares sunt: sed arteria, vena, & nervus ex plurib. partib. cōstāt, revera igitur atq. sensus distincta cognitione partes dissimilares sunt.

1. Cōclusio.

Ratio.

Veruntamen nervus, arteria, & vena sensus cognitione cōfusa, & anatome rudiore partes similares sunt. Nam primo de naturalib. fac. partes similares ab alteratrice fieri dixit Galenus, à formatrice instrumenta, atq. inter partes similares nervum, C & venā recensēt, cò quòd harum partiū cōpositio obscurè discernatur. Hoc eodē modo cōsiderat hujusmodi partes in hoc capite, ut ipse mox sese explicans planiùs ostendit, cum ait: *singulæ enim harum partium instrumētalium, ex aliis quibusdam, quæ sensus judicio simplices videntur, cōstitutæ sunt.* Idē innuit capite sequenti: os, inquit, & *caro & singula alia sensus judicio simplicia corpora.* Posteriùs autem sic scribit. *Hoc verò in loco non adeo ad exactū est consideratio redigenda, id enim tantum animad vertere oportet, simplex ne ad sensum crassum intelligatur, an composita sit animalis particula.*

2. Cōclusio.

1. Auctoris. Capit. 4.

2. Auctoris. Tex. 11.

Text. 13.

3. Auctoris. Tex. 17.

D Quamobrē, ut quæstione superiore diximus, hoc interest inter composita instrumēta, & simplicissimas partes, quod hæ, quatenus solæ per se sunt in instrumento, formationem, & magnitudinem tantùm requirunt, ut caro: instrumēta verò composita, ut digitus, licet sola sint, & sine aliorū instrumētorū cōsociatione, formatione, numerū, magnitudinem, & compositionem deposcunt: sed nervus

Ratio.

arteria, & vena conveniunt in hoc cũ partib. simplicissimis, ergo sensus judicio minùs exacto in numero partium similarium haberi debent.

1. *Solutio.* Quib. contrarias argumẽtationes faciũs diluemus. Prior ad veritatẽ persuadet, cùm omnibus illis locis noster Galenus rei naturam perspexerit, & exquisitã artificiosamq. anatomen attenderit. Secundæ par & si-
2. *Solutio.* milis solutio est. Tertiæ satisfecit se-
3. *Solutio.* cundum fundamentum, unde constat multa, quæ sensus distincta, & exacta notione undiq. dissimilaria sunt, si eadem confusa judicentur, dubio procùl similaria fore. Vltimæ respõdemus venam, arteriam, & nervum, ferè nunquam pati morbos instrumentales: sed frequentissimè affligi morbis partium similarium scilicet intemperiebus, tùm nudis, tùm etiam cum fluxione humoris. Quamobrem Galenus maluit indulgere sẽsui, quã eorum, quæ ratiõ eveniunt, hoc in libro præcepta dare. Vnde licet capite sequenti, cum harum partium cõpositionẽ respiciebat, coactu, & impulsu naturæ structuram illarum instrumentalem concesserit, & in ea sanitatem, & morbum organicum reposuerit. Verum postea respiciens magis illud, quod plerumq. fit, sensum crassum, nec omnifariam exactũ insecutus est, sermonemq. illum exquisitam investigationem non requirere protulit. *Simplicis enim* (particulam intelligit) *primæ ægritudines naturalium elementorum differentia determinantur:* partem simplicem sumit confusius acceptam: *ad compositam autem secundæ pertinent ægritudines*, hoc est, sensus judicio cõpositam, quam instrumentum compositum antea vocaverat, ad hoc intendens.

Objectio. Sed quid est, cur Gal. mancipatus, & addictus sit judicio sensus, utpote
Solutio. qui nimium sæpe fallatur. Respondeo medicum semper judicium facere de rebus pro ut sensui apparent, qui nunquam decipitur circa proprium objectum. Neq. hoc medico vitio vertendum est. Nam, quæ sensus cognoscit, maximo usui nobis sunt, cætera, vel supervacua, vel usum in arte nullum habent. Itaq. horum omnium, quæ tractat medicus solus sensus est judex, non ipsa natura rerum, ut lib. artis medicæ scriptũ est. Quamobrem, cum observasset G. venam, arteriam, & nervum frequẽtissimè affligi morbis partium similariũ, scilicet intemperieb. tùm nudis, tùm etiam affluẽtib. humoribus: ferè nunquam verò pati morbos instrumentales, qui saltem possint percipi sensu, maluit indulgere sensui ejus deliberationi & gratiæ deditus. Nam arteriam, cujus duæ peculiares tunicæ existunt, nemo unquam vidit morbo in numerò laborare: affici tamen intemperiebus utriusque generis in dies observamus. Cap. 1.

Sed adhuc illud difficultatem habere videtur, quod de venarum obstructionib. objicitur. Refricat 4. Objectio.

Veruntamen has partes instrumẽta esse concessum est, si ex rei natura loquamur: at, cum vix persentiatur damnum, quod venis infert obstructio, ad jecur referimus lęsionem. Impedit quidem obstructio distributionem sanguinis, quæ licet communis sit, potius tamen jecori adscribitur impedita, & difficilis actio. Vnde obstructio morbus erit jecoris. Quod sine dubio Gal. methodi secundo his verbis docuit. *Si in sinib. venarum, quæ in cavo jecoris habentur, obstructio ex lentis, aut crassis succis subbasit, digestio quidem in corpus per has morabitur, ægritudo tamen totius jecoris seu instrumenti censebitur, nulla similarium ejus partium ægrotante: quod si intemperies venas ejus infestaverit, ipsarum quidem illarum morbus primùm erit, ex accidente verò etiam jecoris* Ecce venas laborare scribit, morbis partium similarium, non organicarum, quãvis de venarũ sinib. quæ in cavo jecinoris continẽtur, potissimùm loquatur, quoniam in illis tota res manifestè deprehenditur, tametsi in alijs par ratio sit. Cap. 1. Solutio.

ARG. CAP. IIII.

IVDICIO prioris sectæ duas esse docet primas differentias morborum partium similarium, ampliationem meatuum, & angustiam, ubi de sanitatis, & morbi latitudine agit, quæ utriq. familiæ communis est disputatio. Præterea quatuor esse trã-

dit

dit alterius sectæ primos earundem partium morbos, calidum, frigidum, humidum, & siccum: ex utraq. verò morbos instrumentorum etiam quatuor. Tandem communem morbum, tum simplicibus tùm organicis partibus unitatis solutionē esse prodit.

CAP. IIII. Tex. XIII.

SVNT autem duæ primæ passiones, altera ampliatio meatuū, altera angustia. Nā si prima elementa supponantur impassibilia, nullæ erūt aliæ præter quā in cōpositione, passiones. Sola autē cōpositio ea, quæ nuper diximus, discrimina recipit. Quare necesse est similarium quamlibet partium, tunc suum habere robur, cum meatuum moderationem obtinet, qua moderatione corrupta, à naturali dispositione digrediatur oportet. Sed quoniam unaquæq. mediocritas duplicem patitur corruptionem, alteram exuperantiam, alteram defectum, liquet, quòd primæ passiones corporum simplicium duplices erunt, quarum alteræ ex ampliatione, alteræ ex angustatione meatuum consistunt. Et os igitur & caro & aliarum unaquæq. partiū, quæ si ad judiciū sensus referātur, simplices sunt, cum aut densitatē, aut raritatem immodicam habuerint, malæ affectæ esse censentur. Quod si in utroq. excessu mediocritatem servaverint, quantum utique earum operationibus fuerit maximè oportunum, tunc utiq. supremum sanitatis gradum obtinere dicentur.

A

B

C

D

COMMENTARIVS.

Themison Leodiceus Syrius sectę methodicæ auctor, & Asclepiadis æmulus, atq. sectator, ubi manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo interclauderent ad strictionem, vel ad strictum nominabat: ad strictionem dicebat esse meatuum densitatem, & necessariorum excrementorum suppressionem: fluorem verò immodicam meatuum rarefactionem & eorū, quæ retineri debuerant excretionem.

Sectam hanc absolvit Thessalus Trallianus, qui duos tātum esse morbos jubebat, fluxum, & clausum: licet enim in sanitate præter figuram cōcurrerent ordo & positus, ut dictum est: tamen, quoniam mutatis his, mutationem faceret figura, propterea morbum in sola figura collocavit. Quamobrem Gal. exorsus ab hac secta, quæ ex atomis, & incompactis corpusculis, ac meatibus corporis humani compositionem esse asseverat, duos tantùm de illius sententia primos morbos exaravit, & si morbū *Com. tex. 8.* *Pathos.* *πάθος, & πάθημα, passionem*, per abusum *Pathema.* vocaverit, ut libro primo de locis patientib. Hippocratem, Platonem, & *Cap. 3.* Aristotelem secutus, veluti nos ob- *Quæst. 2.* servavimus. Vnus morb. est latitudo meatuum, alter eorundem angustia. *Com. tex 9* Quod videtur G. confirmare ratione superius adducta. Nā si prima elementa statuūtur impatibilia, in sola qualitate compositionis vitia erunt, quæ quidē vitia erunt duo jā dicta, latitudo meatuū, & angustia. Quod indicavit his verbis. *Sola autem compositio recipit ea discrimina, quæ nuper diximus*, hoc est, ex sola compositione, quæ absq. mutua componentium mutatione aliqua fit, duæ tantum simplicium morborum differentiæ oriuntur jam dictæ, nempe ampliatio, & angustatio, quum vel patentibus latè meatib. vel præter modū clausis animalium corpus male affici contingit. Vnde simplicium morborum *Tex. 14.* tantummodò erit duplex genus secūdum methodicam sectam. Ergo cum pollicitus fuerit G. in fine præteriti capitis se monstraturum, quot numero & quales essent omnes similarium partium morbi de utriusq. sectæ sententia, primùm judicio prioris familiæ

liæ duob. jam dictis morbis partes similares affici patefacit. Quamlibet enim simplicium partium rectè valere tradit, ubi suorum meatuum symmetria, & moderatio conservatur, & custoditur. Verum si moderatio corrúpitur, à naturali constitutione pars ipsa recedit. Hoc autem ostendit, quoniam omnis moderatio, & mediocritas corrumpitur duob. modis, nempe, vel excessu, vel defectu. Sed partium similarium sanitas juxta priorē sectā est mediocritas in meatib. insensibilib. illarum, ergo primi simplicium partium morbi duo tantum erunt, unus latitudo sive excessus, alter verò angustia seu defectus.

Quare, si vel os, vel caro, vel aliæ partes, quas sensus judicio simplices esse perhibemus (quod propter venas, & arterias dixit) fiant justo densiores ob meatuum angustiā, vel justo rariores, propter eorundem latitudinem, tunc malè affectas esse pronūciabimus: si verò tenuerint mediocritatem, quæ est inter nimium & parum, hoc est, inter excessus latitudinis & angustiæ, quæq. usibus dictarū partium maximè conferat (quia non omni speciei quælibet convenit mediocritas) tunc partes hujusmodi summè sanas esse dicemus.

Reprehēdit Valleriolā

Hic Valleriola, qui primùm hoc opus elucubrandum, & explicandum suscepit, per meatus, Galenum intellexisse credit, non tam illos, qui per cutim extenduntur, quam etiam internos, scilicet venarum, arteriarū, utriusq. vesicæ, atq. intestinorum: consilio tamen lapsus est. Nam Gal. hoc loco ex methodicorum sententia persequebatur morbos partium similarium, ad quos non pertinent patentiores meatus interni, ut constabit inferius.

Interpretatur Galenū.

Quamobrem arbitrandum est Galenum fuisse locutum de partium verè simpliciū meatib. insensilib. & visum fugientib. non solum superficiē occupantibus. Verū per totā etiā carnis, ossium, cartilaginum, nervorū, ligamentorum, membranarum, & cutis substantiam disseminatis, qui non modo externi sunt, & superficiales, sed etiam interni.

Text. 14.

Breves verò à medio ad utrumq. extremorum eversiones, donec partis operatio omninò noxa sensibili caruerit, nequaquam ægretitudines appellabimus. Plurima vero in his majoris & minoris ratio invenitur, utpote in salubri & morbida natura magnum occupante intervallum, cū ab exquisitissimo sanitatis modo, & temperie recesserit. Vnde in hoc spatio omnes sanorum differentiæ locabuntur. Secundum ab hoc, quod sequitur interstitium, in quo sensibilis apparet à mediocritate recessus, obtinēt morbi, donec ad tantam immoderationem natura pervenerit quod membro interitum afferat. Neque enim animalium corpora eam habēt à natura proprietatem, ut, quomocunq. rarescere, aut densescere possint, sed & huic rei limites natura constituit, quos præterire citra dissolutionem corruptionemq. sit impossibile. Et corporum quidem impassibilium suppositio ita se habet.

COMMENTARIVS.

Et si de sententia Asclepiadis sanitatis, & morbi compositionem perscrutatur: tamen locum, quem de illorum latitudine secūdo capite tractaverat, hic retexere & instaurare videtur. Quod minimè mirum videri debet, quoniam hæc disputatio Hippocrati & Galeno cum methodicis conjuncta est & communis. Docet igitur exiguas & breves declinationes à media & exquisita moderatione ad utrumque extremorum, nondū esse morbos, donec aliquam actionē manifestè læserint. Nam, ut scribit secundo aphorismorum, cum sanitas moderatio quedam sit, necesse est omnes immoderationes, quæ plurimum à modo recesserint, ægritudines esse: non tamen omnes id, quod plurimū est, optinent: atq. propterea nō omnes recessus, vel declinationes morbi sunt: si quis enim sanus quidem sit, altero tamen, qui itidem prosperā fruatur valetudine, actiones habeat imbecilliores, nondum tamen læsas, erit sanè is illo intemperatior, nec dum tamen ægrotabit. Ergo plurima in his majoris, minorisq. ratio est, veluti & candoris. Sicuti enim candor nivis ab eo, qui in facie visitur, quatenus

Text. 9.

Com. 4.

tenus candor est,non disidet,sed ma joris minorisq. ratione disidet, ita & Socratis sanitas,ab ea,quæ in Platone est,quatenus sanitas,nō differt, sed est cum ipsa eadem: at differt ab ea majoris minorisque ratione. Vnde recessus & lapsus à media constitutione, intra tamen limites sanitatis permulti sunt, nonnulli paululū ab ea recedunt,longiùs alij: atque in hac ampla latitudine sanorum reperiuntur plures differentiæ, quas supra dinumeravimus, & Gal.lib.artis parvæ latissimè persecutus est:ita,ut per longum intervallum sit interjectum inter moderationem exquisitè sanam, & immoderationem morbosam: *tanta enim est, & sanitatis & morbi intemperici, quæ intra sanitatem consistit, latitudo,quātum interest inter id,quod perfectissimè actiones obit, & id quod manifestè actiones habet obiasas. Est namq. alia sanitatis, alia morbi intemperies:morbi quidem ea, quæ à media natura longissimè abest: sanitatis,quæ paulùm: non possumus autem modum certa mensura definire.Cæterum intemperiei, quæ intra sanitatem habetur, sufficiens signum est, quod nullam functionē animalis manifestè adhuc ladat.*

2. de temp. cap. 4.

Per illam autem latitudinem, quæ sequitur ab actione manifestò læsa, morbi omnes vagantur,donec ad tātam immoderationem perveniat natura,ut animal,vel aliquod illius mē brum intereat. Quamobrem latissimo sanitatis totius campo,certus finis,& terminus propositus est,scilicet noxa manifesta, & actio impedita, quæ sensu percipiatur. Ab hac morb. initium facit,corpus divexat, nonnumquam remissé agit, sed aliquando vehemētius ingravescit:perseverat autem in ista constantia, nisi depellatur,donec particulæ corruptionem afferat.Siquidem quibusdam etiam finibus vitæ spacium circunscriptum est, quos latius excitare, quam termini vitæ ipsius postulant, non licet. Vnde animalium corpora nō possunt quomodolibet,& quovis excessu,vel cōstringi,vel laxari,vel calefieri, vel refrigerari,vel madefieri, vel exsiccari: sed est in hac re terminus,quidā certus cōstitutus,quē nullus evellere potest, quoniā vitæ curriculū partis corruptione, ac animalis interitu terminatur. Hæc est sanitatis, & morbi latitudo,juxta suppositionem elementorum,quæ nihil patiuntur, de qua jam satis superq. dixisse videtur Gal. Quib. tamen comprehendi etiam potest Empedoclis opinio. Nam licet ex eisdem elemētis voluerit,cùm nos, tùm alia etiam corpora gigni, ex quib. Hippocrates: illis tamen omnia constare arbitratur, non mutuo cōtemperatis,sed potiùs per minimas portiones juxta se positis ac contingentibus, ut Gal. in primum de nat.huma. commentatus est.Porrò,ea,quæ diximus de latitudine sanitatis,& morbi,ex illorum secta,quæ nihil pati elementa voluerūt,referenda etiā sunt ad alterā suppositionem, de qua mox dicturi sumus,quoniam, ut dixi, commune judicium & intelligentia est.

Com. 12.

TEX XV.

ATQVI elementa pati supponunt,mutuisq. inter se actionibus per se tota commisceri, ac temperari,quocunq. numero prima cōstare elementa supponant,totidem primas esse ægritudines necessariò fatebuntur. Age igitur, sint prima elementa numerò quatuor, calidū, frigidum, humidum, & siccum, quibus invicem moderatè confusis, sanum sit animal, immoderatè verò ægrotum, erunt consequio ægritudines quatuor. Prima caliditas,quæ naturalē excesserit symmetriam: secunda frigiditas: tertia humiditas: & quarta siccitas. Hi sunt juxta secundam suppositionem morbi universi earum partium,quæ similares appellantur,qui sanè & simplices omninò esse videntur.

COM.

COMMENTARIVS.

Numerum simplicium morborum partium similarium inquirit ex placitis alterius familiæ, quæ prima elemẽta mutuò inter se agere statuit, neq. à secretione & concretione habere, q̃ agant, sed ex eo potiùs, q̃ ipsa fubstãtia per se ipsam totã patiatur, & alteraretur. Porrò hujus opinionis princeps fuit *Hippoc qui primus omnium recta instituit via, quæ cum à posteris absolvenda fuerat, non modo nemo eorum absolvit, sed pleriq. etiam, quæ probè fuerunt inventa, corruperunt. Proximè autem, ut viam, quæ incohata est ab eo, perficerent, Aristoteles & Theophrastus accesserunt,* qui *poteſtate* quidem, ut ait Gal. hoc est, generatim atq. universè, *absolverunt.* Hippocratem ergo peripatetici omnes in omnib. insecuti sunt. Quare cũ hi elementa pati supponant, & in se invicem agere ac per se tota κράσεσιν, cõmiscerí (interpres malè vertit, alterari) necessariò tot esse primos morbos fatebũtur, quot esse prima elementa dixerint. Nam elementorum moderatio sanitatem parit. *Sanum enim imprimis est corpus, cum hæc mediocriter inter se habuerint, ægrotat verò, cum horum quodpiam, aut minùs, aut amplius fuerit cum cæteris temperatum; adeo ut conspicuè lædatur functio.* Quare manifestum est, tot esse partium similarium morborum genera prima, quot sunt prima elementa, quæ dictas partes constituunt. Ea verò quatuor sunt ex Hippocratis dogmate, ut liquet legentibus ejus proprium & legitimum opus de natura humana, calidum, frigidum, humidum, & siccum, quib. inter se moderatè mistis, sanum est animal: immoderatè autem ægrum. *Erunt igitur,* inquit G. *& primi morbi quatuor: unus quidem calor, qui naturalem moderationẽ excesserit, alter frigiditas, tertius humiditas, quartus siccitas.*

Porrò quamvis Plato & Aristoteles Hippocrati consentientes corporis nostri constitutionem ex ignis, aeris, aquæ, ac terræ, vel excessu, vel defectu, morbus fieri manifestè declaraverint: *Ultra tamen hæc sibi progrediẽdum esse putarunt ac solas, quæ in elementis exstant facultates, considerare satis non habuerunt: sed causam quoq. earum generationis investigarunt insecuti speculationẽ philosophiæ cõtẽplativæ, inutiliẽ quidẽ medico.* Accuratius verò de ipsis & medico etiam utilius Hippocratẽ scripsisse constat, quippe qui cum ex quatuor elementis corpus nostrum dicat extitisse, ab effectricib. qualitatibus ea omnia vocavit, calidum, frigidum, humidum, & siccum. Nam ei, *qui de his omnib. primùm pronunciavit & demonstravit,* nosq. in perpetuum obligavit, *justum est, quod invenit,* eadem mensura, qua accepimus, *eidem reddere,* aut etiam comulatiore, si possimus.

Ergo hi sunt primi morbi juxta secundam suppositionem, atq. secundũ Hippocratis decreta, eorum, quæ similaria vocantur corpora, & quæ omninò simplicia esse videntur. Hoc verò loco methodũ, quã secundo capite tradiderat Gal. ornare voluit, ac locupletare, perinde sanè ac si dixisset. In eisdẽ præter naturã se habentibus morbum ponere fas est, in quibus cum naturaliter se habent, statuitur sanitas, quoniam morbus est recessus à sanitate: recedunt autem ab ea solùm, quæ illius compositionem ingrediuntur. Sed sanitas partium simplicium secundùm auctores Hippocraticæ familiæ solùm constat ex calido, frigido, humido, & sicco naturaliter se habentibus. Igitur primi & simplices morbi in his quatuor tantum statuentur, nempe in calido, frigido, humido, & sicco, cum à naturali cõstitutione declinaverint. Nam plurimùm distant à calido, frigido, humido, & sicco ea, quæ in illis reposita sunt. Quoniam sanitas est quædam temperies ex calido, frigido, humido, & sicco naturaliter se habentibus constituta. Hinc proprius partium similarium morb. erit intemperies præter naturam, & in universum quadruplex. Prima intemperies calida, quando constitutionem secundũ naturam excesserit calor. Secunda intemperies frigida, cũ ipsum frigus. Tertia humida, quando humiditas. Quarta sicca, si forte siccitas exuperaverit. Atq. hi sunt universi, primi, & simplices partium similarium morbi, & veluti aliorum elementa.

TEX.

1. de elem. cap. 9. 2. metho. cap. 6.

Cerannyſthæ. Ibidem.

1. de nat. hum. 19. & 20.

8. de Placitis c. 3. et 4

7. metho. cap. 3.

Text. 1.

TEX XVI.

Compositorum verò in nobis instrumẽtorũ ægritudines utri que suppositioni communes existunt. Has igitur brevi sermone exequemur. Sed hoc ipsum præomnibus quemadmodum communes sunt, ostendamus. Cum oporteat membrorum quodlibet ad sensum compositum (quod dissimilare appellant) si rectè opus suum perficere debeat, non ex qualibuscunque simplicibus particulis, neque ex numero, aut magnitudine qualibet non satis oportuna, neque ex quovis modo cõpositionis cõstare, in quatuor his generib. quævis instrumentorum ægritudo cõsistit. Proprias autem unumquodque genus suspicit differentias (id, quod proximo diximus loco) cum forma membro conveniens fuerit vitiata, quoniam scilicet, vel figuram incommodam, vel concavitatem, vel meatum acceperit, aut unum aliquid horum amiserit, quod adesse oportuerat. Ex hoc genere etiam sunt lævitas, & asperitas non commodè permutatæ. Secundi generis, quod ad numerum spectat, in primis ac simplicibus partibus duplex est morborum differentia, aut quia deficiat aliquid, quod haberi erat oportunum, aut superabundet, quod minimè sit necessarium. Tertij quoq. generis, quod consistit in magnitudine, duplex est morborum differentia, si quid, aut nimiũ adoleverit, quod minus esse decuerat, aut minùs sit extenuatum, quod maius esse expediebat: ex quo fit, ut totũ instrumentum non rectè suum impleat officium. In reliquo autem genere morborum secundum compositionem, aut positu variato naturali, aut mutata partium cõmunicatione, differentiæ constituentur.

COMMENTARIVS.

De morbis partium similarium primis hactenus egit Gal. accedit nũc ad morbos quoq. primos & summos partium compositarum, & dissimilarium, quæ organa & instrumenta dicta sunt. Docet verò hujusmodi morbos utriq. sectæ Hippocratis nẽpe, & Asclepiadis esse communes. Sed antequam sigillatim unamquamque rem attingat, priùs quomodo sint communes, & numero quatuor voluit demonstrare. Supponit igitur, quod tum à se aliàs, tum à nobis præterito capite subjectum est, omne corpus judicio sensus compositũ (quod ob venas & arteras dixit, quæ judicio sensus simplices sunt) si functiones suas protinus perficere debet, neq. ex qualibuscunq. & ut fors tulit, simplicib. particulis, neq. ex numero aliquo, vel magnitudine indecente constitui, neque ex quovis modo compositionis constare: sed in his omnib. quatuor generib. omnium instrumentorum morbos unà cõsistere. Hoc ne dubitare possimus; maximo est argumento, quod anatome in quolibet instrumento hæc quatuor apertè ostendit. Hæc est causa, cur Asclepiades, ac veteres fere omnes ab Hippocratis sententia, ac tandem interse tantopere discentirent de prima corporum animalium cõstitutione, quoniam à sensibus procũl disjuncta sunt, pura, & simplicia elementa partes similares constituẽtia, siquidem illorum nullum solum sincerumq. conspicitur in corpore. At instrumentorum compositio palàm omnibus est, & in cõspectu. Hinc dixit Gal. hujusmodi morbos utriq. sectæ

Fundamentum Galeni 1. de usu part. c. 9.

Quæst. 18.

sectæ cõmunes esse, cum usq.eò manifesti sint, atq. ante omnium oculos positi, ut nulli adhuc scrupulum ac dubitationẽ injecerit, vel structura, vel numerus morborum illius.

Objectio. Sed ecce, dices, scrupulus adest, qui quemvis poterit stimulare, ac pũgere. Nam qui statuebãt elementa impatibilia non poterant admittere morbos in asperitate & lævitate. Quippe, quod asperum est, non potest lævigari, neq. quod læve exasperari, sine aliqua passione, quam impatibilia corpora perferre non possunt. Ergo morbi partium organicarum non sunt communes utriq. sectę.

Solutio. Respondi aliquãdo hujusmodi morbos utriq. sectæ communes esse in genere, non in specie.

Alt. Solut. Nunc verò, ut id magis explicem, addo, communes esse in conformatione, numero, magnitudine, & situ, figura, cavitate vel meatu, atque asperitate, & lævitate, sed in eadumtaxat, quæ sine passione oritur, ex ordine scilicet ac situ aliquarum partium ut in dentibus, uteri acetabulis, & capillorum defluvio.

Conclusio. Quamobrem ex communi omniũ medicorum consensu instrumentorum sanitas posita est in perfecta conformatione, æquo numero, debita magnitudine, & apta particulatũ compositione.

Quod si hæc instrumentorum sanitas est, manifestum, quod ejus cõtrarium morb. erit. Age verò tot sunt instrumentorum morbi simplices ac primi, quot modis instrumenta, cum à naturali constitutione recesserint, in actionibus suis impediuntur. Quod ex inventionis methodo seu regula cognitionis, quam secundo capite Gal. tradit, constare certum est. Sed labi tantum possunt instrumenta de sua naturali constitione per hęc quatuor: formam, numerum, magnitudinem, & compositionem, quoniam hæc naturam illorum complent & perficiũt. Ergo quatuor erũt prima morborum genera: quæ instrumentis accidere possunt, in conformatione præter naturam mutata, vitioso numero, inusitata magnitudine, & minime apta compositione.

Tex. 7.

Indecentis conformationis non una est natura. Nam vel depravatur tota partis delineatio, & superficies, nempe lõgitudo, & latitudo, vt pars aliter denominetur, veluti si obliquum fiat, vel quadratum, vel rotundum, quod ex natura rectum esse debet, quod quidem vitium in figura est: vel vitiatur superficies penes partes quamminimas, ut figura quidem varietur, sed pars non consequatur aliam denominationẽ, ut cum intestina lævigantur, vel exasperantur fauces, morb. est in asperitate & lævitate: vel tandem conformationis corruptio consistit in spacijs, quę in partibus includuntur, ut quando cavitas aliqua, vel meatus maximè patet, aut in strictum compellitur. Itaque morbus in conformatione triplex est, in figura, in cavitate, vel meatu, in asperitate, & lævitate. Præterea numerus vitiosus duplex est, redundans, & deficiens. Morb. in numero abundanti est quando ad aliquod instrumentum additur particula præter illius instrumenti naturalem constitutionem, in numero deficienti, cum de instrumento aliqua particula detracta est, quæ adesse oportebat. Rursus magnitudo duplex, aucta, vel diminuta. Morb. in magnitudine aucta fit, cum instrumentum, vel aliqua pars illius in ampliorem molem attollitur, quam pro naturæ modo: in magnitudine diminuta, cum in minorem declinat. Tandem cõpositio duplex, vel situs, vel partium inter se connexus. Morb. in situ, cum naturalem locum mutaverit pars aliqua. In cõnexione, cũ partes interse non cohæresçunt, & aliæ alias apprehendentes undiq. non conveniunt. Sed hæc propriis capitibus explicabimus accuratiùs, cum unusquisq. rei, suppositis exemplis, id, quod diximus, demonstrabitur.

TEX. XVII.

QVemadmodum verò prima quæq. instrumenta aut integrã ex simplicibus corporibus compositionem, aut vitiosam sortiuntur, atq. ex eadẽ causa, vel sana sunt, vel morbida: ita rursus ex his ipsis

sis instrumentis primis coagmentantur secūda. Musculus enim, & vena, & arteria inter prima instrumēta connumerantur: digitus vero inter secunda: atq. hoc magis crus. Vniversaliter enim quæcunq ex similarib partib. coalescētib. unius operationis gratia sunt cōstituta, inter prima instrumenta cēsentur: quæcunq. verò rursus ex his cōponūtur, & si uni totius instrumēti actui quā maximè observiāt, inter secūda connumerātur. Eædē verò & horū instrumētorū erunt ægritudines, quæ dicūtur esse primorū. Sed instrumētorum differentias alibi executi sumus, quæ potissimū prima appellātur, & quæ secūdò post hæc, & quæ tertio, & quarto ordine collocentur: quippe sunt aliqua, quæ ambiguas utrinq. habent notas, ut videātur, tū ad primum, tū ad secundū ordinē pertinere. Hoc verò in loco non adeo ad exactū est cōsideratio redigenda. Id unū tamū animadvertere oportet, simplex ne ad sensum, an cōposita sit animalis particula: simplicis enim, primæ (de quib. diximus) ægritudines naturaliū elementorū differentia determinatur: ad cōpositā autem secundæ pertinent, quæ utriq. suppositioni communes existunt.

A partium dissimilarium morbi, communes sint omnibus instrumentis, propterea G. hic præoccupavit quatuor instrumentorum compositiones, ut ostenderet eosdem esse omnium illorum morbos, quantumvis sint dissimiliter coagmentata. Porrò, ut primo de elemētis Gal. docuit, *Capit. 9.* *partibus similaribus simùl coeuntibus primum id, atq. simplicissimum instrumentum absolvitur, quod unius functionis gratia à natura procreatū est: mox autem, cum hæc item unā componuntur, aliud maius instrumentum perficitur. Et deinde ex alijs simùl coagmentatis, universi tandem corporis integritas cōstituitur.* Libello etiā de inæquali intemperie sic locutus B est. *Manus, & pedes, & ventrem, & thoracem, & caput, nemo est, qui ignoret.* *Capit. 1.* *Dividamus autem earum rursus unamquāq. in sibi continuas particulas. Verbi gratia crus in femur, tibiā, & pedē: ité manum, in brachiū, cubitū, & summā manum. Iā summæ manus ipsius propriæ particulæ sunt carpus, metacarpiū, & digiti. Digitorū verò particulæ sunt ossa, cartilago, ligamentū, arteria, vena, mēbrana, caro, tendo, ungus, cutis, adeps: arteriæ verò, & venæ ex fibris, & membranis sunt conditæ.* *Capit. 2.* Quibus C verbis perspicuum fit multiplex esse instrumentorū genus. Vnde G. quatuor enumerat hoc loco instrumēto rū differētias, & quasi quatuor ordinib. distinguit secūdā præterito capite propositam corporis nostri compositionem.

Primi ordinis instrumēta dicūtur à Galeno primo de elementis, prima & simplicissima instrumenta, quoniam, ut hic scribit, ex simplicib. partib. vel rectam vel vitiatam compositionē sortiuntur, atque ex ipsis obtinent, ut vel sana sint, vel ægra. Hujus generis sunt musculus, vena, & arteria. Primo de semine, ubi hæc instrumenta prima, & maximè cōmunia vocat, nervum addit. Musculus ex carne simplici, & fibris, quæ nervorū, & ligamentorū sunt particulæ, cōstat, teste Gal. secūdo de tēperamētis. Vena autē & arteria, ut ex eodē colligitur, ex mēbranis & fibris cōpositæ sunt. Nervus triplici substātia cōstat, ut idē habet septimo de Hipp. & Plat. decretis, media quadā & intima, arborum medullæ quā simillima, quæ haud dubiè ortum habet à cerebro exterio-

Prima instrumenta.

Capit. 5.

Capit. 4.

Capit. 3.

COMMENTARIVS.

Instrumentorum unum alio magis compositum est, quoniam illorum compositio multiplex est, & varia. Hinc posset alicui in dubium venire, an quatuor illi primi, & simplices

ribus duabus prima, quam è tenui membrana, altera, quam è dura & crassa exoriri compertum est. Iam verò unum quodq. instrumẽtorum unius actionis gratia creatum est. Musculus causa motus voluntarij: vena distributionis sanguinis: arteria delationis proprij sanguinis, & spirituũ vitaliũ: nervus, ut facultas animalis ad propria instrumenta, & sensus & motus transportarentur.

Secunda instrumenta.

Secundi ordinis instrumenta sunt, quæ ex primis instrumentis, musculis, venis, arterijs, & nervis, componũtur, ut digitus, qui ex dictis partib. componitur, & quasi coagmentatur. Observat autem Gal. instrumenta dici primi, vel secundi ordinis, ex natura compositionis, non ex actione. Nam, quæ componuntur ex primis instrumentis, inter secunda, connumeranda esse arbitratur, tametsi uni tantùm actioni dicata sint, ut oculus, qui licet uni tantum visioni sit consecratus, tamen inter instrumenta secundi ordinis numeratur, quoniam ex primis instrumentis proximè constituitur.

Tertia instrumenta.

Ex tertio instrumentorum ordine sunt extrema manus, & pes, quòd ex secundis instrumentis cõstent, manus quidem ex digitis, & subbrachia: pes verò ex pedio, & tarso.

Quarta instrumenta.

Tandem quarti ordinis instrumenta dicuntur ea, quæ ex instrumentis tertij ordinis constituuntur, ut totum brachium, quod conglutinatur ex brachio, cubitu, & summa manu: item, & crus universum, quod ex femore, tibia, & pede conflatur.

De libris propriis c. 3

Verum de instrumentorum differentia, in alio libro à se disputatum esse scribit Gal. nempe in aliquo de anatomicis administrationib. libro illorum sex, qui novem sequũtur, & temporum injuria amissi sunt, vel in alio quodam opere, ubi literis mandavit, quam opinionem habuerit Hippoc. de reb. quæ per dissectiones corporum apparent: in altero enim dictum est, quæ sint exquisitè prima instrumenta, & quæ ab his secunda, quæ item tertia, & quarta.

Musculus cujus generis instrumẽtũ sit.

Aliqua tamen sunt, quæ habent ambiguas notas, & signa dubia, ut tum prima, tum secunda instrumẽta videantur, ut musculus, qui numeratus est in primis instrumentis: tamen cum ex primis componatur, scilicet venis, arterijs, nervis, fibris, tunicis, tẽdine, carne, ad secundum ordinem referendũ esse videtur. Verum musculus dupliciter dicitur. Vno modo, cũ componitur ex revera similarib. nimirũ fibris, & carne simplici, atq. tunc ex primo instrumentorũ numero est. Sic definitur in arte parva, caro ex simplici carne & fibris nervosis composita, & ab auctore definitionum medicarũ, nervosum corpus carne permistum. Altero, cum cõstat ex venis, arterijs, & nervis, quæ sunt instrumenta primi ordinis, tunc numeratur in secundis instrumẽtis, qua ratione libro de motu musculorum primo, musculus partim naturale, partim organum animale dictus est. Naturale, quatenus vena, & arteria constat: animale, quatenus participat nervum, à quo habet, ut motus voluntarij instrumentum sit. *Cap. 50.* *Capit. 1.*

Judicij moderatio.

Sed hoc nimis exquisitum & acre judicium est. Nam transacto capite, & hoc, quod in manibus habemus, præfati sumus partes, tum simplices, tum compositas, sensibus exquirendas esse. Propterea se ipse colligens Gal. docet præsentem tractationem, tam exquisitam de instrumentis disputationem non requirere. Quippe hic agendum est pingui minerva, & hoc unum considerandum, simplex ne sit particula sensus judicio, an composita: sic enim multas partes, quæ revera compositæ sunt, & in ordine primorum instrumẽtorum collocatæ, simplices judicabimus, quod sanè postulat hæc de morbis disputatio. Nam morbi terminantur, & definiuntur læsione sensui manifesta, sed læsiones, quæ proveniunt ab structura vitiata nervi, arteriæ, venæ, & aliarum partium, quæ in primis instrumentis numerantur, vix percipiuntur sensu, vel si percipiuntur, non adscribuntur illis, sed instrumentis, unde trahunt originem, quoniam illarum compositio organica obscure deprehenditur: conficitur ergo, ut pro simplicibus partibus haberi debeant hoc loco, in quo minùs exactus sensus imperium tenet. Hinc partem simplicem

cem judicio sensus, & communiter A consideratam, affligi ait intemperie bus & morbis, qui oriuntur ex differentia naturalium elementorum calidi, frigidi, humidi, & sicci: compositæ verò parti, judicio quoq. sensus consideratæ, accidere reliquos morbos ex conformatione, numero, magnitudine & compositione, quos utriq. sectæ communes esse diximus. Vnde instrumēta primi ordinis, quæ scilicet componuntur ex partibus omninò simplicibus, hoc loco partes quoq. similares judicantur.

Objectio. Solutio. Sed cur vocavit prima corpora B elementa naturalia? Profectò, ut ea dilucidè distingueret ab elementis sensibilib. nempe à partibus similarib. quas tum corpora simplicia, tum elementa vocavit aliquando. Verùntamen similares partes, non quidem naturâ, sed dumtaxat judicio sensus, at prima corpora verè ac naturaliter, elementa sunt.

TEX. XVIII.

NVLLVM vero ægritudinis genus, neque in simplicibus, neque in compositis corporibus, in- C super reperitur, quod utrisq. sit proprium: siquidē via divisionis id impossibile ostenditur.

COMMENTARIVS.

Difficilis locus. DEMONSTRAVIT quatuor esse morbos partium similarium, totidemq. partium organicarum, nunc voluit nos certiores facere de certo numero morborum utrarumq. partium, ut omnium deinde possimus summam facere. Scribit igitur nullū D ægritudinis genus, neque in simplicib. neq. in compositis corporibus insuper reperiri, quod proprium sit ἑκατέρων, *utriusque* ut convertit interpres.

Ecatèron. Quem locum hactenus sine dubio corruptum esse multorū est opinio: omnes enim codices græci, tum impressi, tum manuscripti pro ἑκατέρων, *longiùs*, vel *ultrà*, habent ἑκατέρου, *utriusq.* Locum igitur ita restituendum esse arbitrantur. *Nullum verò morbi genus, vel simplicibus corporibus, vel compositis proprium reperitur ultrà dicta.* Nam cū ex secunda suppositione Hippocratis nempe, quam Gal. cum peripateticis omnib amplexatus est, dūtaxat quatuor sint partium similariū morbi proprij, calidus, frigidus, humidus, & sicc': ex utraq. verò secta Hippocratis nempe, & Epicuri, vel Aesclepiadis, partib. organicis tantùm etiā quatuor peculiares, in formatione, numero, magnitudine & compositione, rectissimè concludit, nullum reperiri morbi genus præter dicta, ꝙ vel simplicibus vel compositis partibus propriū sit. Quasi diceret juxta præcepta secundo capite hac de re tradita. Tot sunt morbi proprij, ꝙ sunt ea, quæ sanitatem partium peculiarem constituunt: sed quatuor tā tum sunt, quæ partes similares componunt, scilicet calidum, frigidum, humidum, siccum, totidemq. dissimilares, formatio, numerus, magnitudo, compositio: igitur quatuor erūt morbi similariū, & par numerus dissimilarium, nullusq. dabitur morbus proprius præterdictos. Quæ sententiæ expositio perspicua & dilucida est.

Alt. interpretatio. Mihi tamen valdé arridet doctissimi Vallesij interpretatio, qui nihil ex græca litera permutavit. Nam ἑκατέρων, & uterque dicitur apud lati- *Ecatéros.* nos, & alteruter, videlicet alter è duobus. Vnde conficitur dictione illa ἑκατέρων, non modo significari, utrasq. *Ecateron.* partes, sed etiam planiùs exprimi alterutras, atq. in hunc modum posse converti locum. *Nullum vero morbi genus, neque in simplicib. corporib. neque incompositis insuper reperitur, quod sit alterutris proprium*, id est, vel his partibus vel illis.

Observatiō. Addit autem Gal. dividēdi methodum demonstrare, id fieri non posse, scilicet quod reperiantur alij morbi, præter dictos, partib. alterutris proprij. Similiter locutus est primo de difficultate respirationis. *Et præterhas*, inquit, *non reperias simplicem aliam difficultatis respirandi differentiam: methodus enim divisionis non aliter demonstrat.* Verùm cum divisionis nulla sit demonstrandi potestas, his locis Gal. divisionem sumit, ut est implicata & permista methodo resolutionis, quemadmodum su-

1. Interpretatio. Ecatéro. Ecatéron. Locum igitur ita restituendum esse arbitrantur. *Nullum verò morbi genus, longiùs*, vel *ultrà*, habent ἑκατέρων, *utriusq.*

perius dictum est, hæc enim methodus est artium ministra, quæ inveniẽdi ejus, quod quæritur, facultatem præstat, ut lib. primo methodi docuit Gal. ubi nullam aliam methodũ intelligebat, cum methodum ac demonstrationem postulabat à Thessalo, qua investigaverit duos in totum esse morbos. Nã ipse controversa genera, & causas rerum obscuras hac methodo perscrutatus est, ut primo de usup. in quo partium omnium utilitates, & duodecimo methodi, in quo doloris omnes causas, pervestigavit. Ergo cum dixit, methodum dividendi demonstrare non esse plures morbos proprios, perinde est, ac si dixisset, methodum resolutionis investigasse: at plures affectus, vel recessus à naturali constitutione partium proprios consecutam non fuisse, quos, ejus ministra divisio in serie morborum collocasset. Quod sanè miro dixit artificio, ut statim demonstret, aliquem adesse, qui utrisq. partib. sit communis, de quo sic fatur hæc verba.

Quæst. 1.

Capit. 3.

Capit. 8.

Capit. 7.

TEXT. XIX.

VNVM tamen commune est omnium, & simplicium, & compositorum corporũ, sive prima sint instrumenta, sive secũda, sive tertia, quod nunc explicabimus. Ad hujus vero inventionem, viã nobis præstat quædam in omnibus dictis particulis natura communis. Si quid enim commune omnib. insit quatenus secundum naturam se habere dicuntur, quod vel usum aliquem, vel actum animalib. largiatur, omnino eo corrupto, communis quidam assidet morbus. Sed quid nã hoc est, quod omnibus commune existat? Suarum unicuiq. unitas partium, quæ cũ affuerit, causa erit, ut pars quælibet una esse dicatur, unumq. actũ, vel usum perficiat: quod si qua solutio contingat, partis illius erit ægritudo. Quamverò appellationem in singulis partibus ægritudo sortiatur, paulo inferiùs dicemus, quando dictorum generum differentias in species secabimus particulares.

COMMENTARIVS.

Vnum esse, ait, commune morbi genus corporib utrisq. simplicibus, nimirum & cõpositis quocunq. ordine instrumẽtorum composita sint, cujus etiam inveniendi methodum erui, & depromi scribit ex quadam natura communi, quæ omnibus prædictis partibus inest. *Methodus vero*, inquit, *etiam inveniendi hunc morbum* est natura communis, quæ omnibus prædictis partibus in est, Καὶ, dixit, hoc est, etiam: accipitur enim veluti, &, apud latinos. Nam quemadmodum ex varia compositione, & natura similarium, & dissimilarium partium propria, comprehendit hucusque, atque concluſit proprios earundem morbos, nixus omnium partium resolutione, similiter hoc loco ex una compositione atque, natura illarum communi, facillimè poterit colligere unicum morbum utrisq. partib. communem. Ergo methodus inventionis morbi communis hæc esto.

E F G

Actionum omnium nostri corporis causa sanitas est: sed, cum utraq. membra naturaliter se habent, præter temperamentum, & structuram organicam, quæ propria sunt, aliquid ipsis inest commune, quod etiam actionem, vel usum aliquem animali præstat, igitur præter sanitatem similarib. partib. & instrumẽtis propriam, sanitas quædam utrisq. partibus communis danda, & concedenda est. Quod si cõmunis sanitas est, profectò ejus contrarium morb. communis etiã erit. Vnde quarũ rerum sanitas moderatio, earundem morb. immoderatio est: sed sanitas est moderatio ejus, quod utrisque partibus commune inest, ergo, cum id ipsum

Methodus resolutiva

H

corrum-

corrumpitur, commune quidem ipsis morbus cõstituitur. *Sed quidnam hoc est*, Gal. ait, *quod omnib. p artib. commune existit?* Respõdet, id esse singularem partium unitatẽ, quod duab. rationibus probat. Primo, quia unitas & cõtinuitas est, qua una quæq. pars, una existit. Secũdo, quia hæc est, qua una quæq. pars unam actionem, vel usum perficit, & absolvit. Hac itaq. unitate soluta, necesse est partis actionem lædi. Quãobrem eius unitatis, vel cõtinuitatis solutio erit morbus utrisque partibus communis.

Observatio. Dixit autem, naturam communẽ, quæ naturaliter inest, actionem, aut usum largiri, vel præstare: at cum videret partes potissimum habere actionem ex proprijs constitutionibus non ex continuitate, sententiam moderatus est, atq. in secũda ratione subjecit, actionẽ, vel usum perficere.

Observatio. Ecce non dividendo: sed naturam partium resolvendo, communem morbum investigavit, & consecut' est. Quid enim est, ab effectu demonstrare, si hoc non est? Si, cum secũdum naturam, inquit, se habent partes, aliquid ipsis inest cõmune, quo interveniente melius agunt, eo sanè corrupto (& si non fuerit prima agẽdi causa) communis quidam illis accidit morb. qui gravem in actiones offensionem concitat: sed unum hoc sic habeamus, quod partib. utrisq. in est communis quædã unitas, qua illarum substantia cohæresc it, & continuatur, cujusq. interventu earundem functiones perficiuntur, ergo si adeo illa cõtinuitas corrũpatur, ut maximẽ debilitẽtur partium actiones, cõmunis quidẽ utrisq. morb. constituetur. Quare ad cõmunis unitatis inventionẽ ductus est ab actionib. quæ impediuntur ob divisionem illius, quæ quidem methodus resolutionis est.

Observatio Hanc demonstrationem accusavit homo ille naturã maledicus & malevolus seq. impunè laturum putavit: injuriam tamen hãc inultam dimittere nefas esset: hac ergo de re in judicium vocatus, causa cognita, con-

Quæst. 67. demnabitur.

Quam autem appellationẽ sortiatur hic morb. cõmunis in singulis partib. docebit Gal. capite undecimo, ubi prius discecuerit propriorũ A morborũ primas differẽtias in suas particulares species. Sed omnia in summam reducamus.

EPITOME.

Si elementa constituantur impassibilia duob. morbis afficientur partes similares, astrictione ac meatuum relaxatione. Sanitas autem absoluta erit, dum elementorũ constitutio fuerit commoderata: sed declinationes ab ea nondum erunt morbi, donec actionẽ manifesto vitiaverint: magna enim sanitatis, ut & morbi, latitudo est. At si corporis elementa patiuntur & implicantur, tot erunt morbi, quot elementa. Hæc quatuor sunt calidum, frigidum, humidum, siccum: quatuor etiã erunt morbi partiũ similarium, calidus, frigidus, humidus, siccus.

Instrumẽtorum morbi, qui utriq. sectæ sunt communes, quatuor etiã sunt. Primus in vitiata forma, cujus differentiæ sunt, figura, cavitas vel meatus, asperitas, & lævitas. Secundus in numero, qui vel redundat, vel deficit. Tertius in magnitudine, quæ vel aucta, vel diminuta est. Quartus in cõpositione, quæ vel in situ, vel in copula consistit. Porro prima instrumenta sunt, quæ cum conflentur ex particulis simplicib. unius actionis gratia sunt facta, ut musculus vena. Ex secundis est digitus. Ex tertijs pes. Ex quartis crus.

Non datur autem aliud morbi genus, quod sit propriũ, vel simplicib. vel cõpositis partib. Est tamen unus morb. cõmunis, quia utrisq. partibus una cõpositio cõmunis est, quæ utrarumq. partium actiones tuetur.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

De latitudine sanitatis.

QVÆSTIO. XXII.

ETSI in omni genere rerum, ut ex Aristotelis & Galeni sententia diximus, unũ sit, quod secundum naturam habet, & optimum est, multiplex autem & varium, quod prætet

naturam, & vitiosum: veruntamen non omnis sanitas moderatio summa existimanda est, vel mediocritas optima: sed medium existit, veluti etiam dictum est, quoad nos, & cum satis ampla latitudine. *Porro Logica est, potius quàm ex usu artis* hæc disputatio: an sanitatis notabilis sit aliqua latitudo. Vnde prætermissis ambagibus Galeni tantum mentem & veritatem aperiemus, hinc capto exordio.

1. *de san. tuen. c. 5.*

Fundamentum.

Sanitas symmetria quædam est: omnis verò symmetria duplici ratione dicitur, aliàs quæ ad summũ pervenit, & verè prorsusq. F *symmetria est: aliàs quæ ab hujus absolutione perfectioneq. paulùm deficit.* Ita & sanitas duplex est, *hæc quidem exacta, optima, absoluta & summa: illa paulò ab hac deficiens, non tamen eatenus, ut animali sit gravis,* sed potius illius usib. accommodata. Sanitas, quæ omninò perfecta & absoluta est, *in animantiũ saltem corpore cogitatione potius usurpatur, quam solidè subsistat. Vnde nec quærenda nobis talis ulla est, sed planè facienda præteredã:* altera, quæ in sanis omnib. apparet, magnam habet latitudinem, ut multis in locis Gal. arbitratus est, tandiuq. persistere putat quãdiu perseverat status, *in quo nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionib. impedimur, sed omni molestia caremus,* quæ sanitatis longè lateq. diffusæ latitudinis descriptio est, in qua multæ reperiuntur ac variæ sanitatis differentiæ maioris minorisq. ratione inter se dissidentes. Quod libro primo de sanitate tuenda tripliciter monstravit Gal. ex rei natura, ex actionibus, & exemplo ab ipsa rei natura petito. *Nam intemperamenti qualitate sanitas cõstituitur, qualitas autem ipsa non permanet eadem, ergo nec sanitatem ipsam eandem servari est possibile:* Sicuti enim album corpus aliud magis, aliud minus album cernitur, ita & quod sanum dicimus, magis minusq. tale esse videtur. *Sed non minus evidens demõstratio ab ipsa sumitur actionum differẽtia. Si quidem nec qui sani sunt, omnes oculis æquè cernunt: sed alij perspicatius, alij obtusius, nec auribus pari modo audiunt: immò hic quoq. magna est in excessu defectuq. diversitas, sed nec pedibus similiter currunt, nec manib. apprehendunt: nec reliquorum denique instrumentorum munia si-* E *militer obeunt, sed hic probiùs, ille deteriùs. Si itaq. actionum diversitas pro temperamenti modo respondet, cogit plane ratio, ut totidem sint statuum sanitatis diversitates, quot sunt functionum differentiæ.* Permagna igitur est sanitatis latitudo, nec ea in omnibus nobis prorsus æqualiter. *Nam licet probabile sit in lyris consonantiam ipsam, quæ summa sit & exactissima, unicam atq. insectilem esse: tamen quæ in usus hominum venit, certè latitudinem habet: sæpe namq. quam percommodè temperasse videaris lyram, alter superveniens musicus exactiùs temperavit.* Quanivis igitur contemplemur individuam quãdam sanitatem optimam & summã, atq. omnib. suis partib. expletam, alia tamen existit, veluti recedens ab illa, nec ita planè absoluta, quæ quidem suam nec parvã latitudinem habet, ad usus vitæ maximè necessaria, & in plures dividua.

Assertio Galeni. Ibidem.

2. *de temp. c. 4. & 6. lib. de opt. corp. const. & de bono habitu. 1. de san. tu. cap. 4. & 5.*

Probatur. Capit. 5.

1. *Ratio.*

2. *Ratio.*

3. *Ratio.*

Quas volens Gal. ad nota & certa capita revocare: primum sanitatem in nostris corporib. subsistentem generaliter divisit in sanitatem, quæ habitus, & in sanitatem quæ affectio dicitur. Quæ habitus est, alia simpliciter est habitus, alia verò bonus habitus, quæ dupliciter dicta est, vel bonus habitus simpliciter, vel summè bonus & optimus habitus. Sanitas autem affectio vocata subdividitur in sanitatem convalescentem, qua potitur qui evasit ex morbo, & in sanitatem decidentem dictam, quod in ea corpora jam jam in morbos decidant. Sed de his differentijs præter ea, quæ retro exaravimus, explicatè & distinctè dicamus.

Sanitatis partitio.

Cap. 2. hujus libri, & lib. de sanit. art. 3.

Inter sana corpora primùm locum obtinet illud, quod est optimo habitu, vel summe bono habitu decoratum, qui habitus, ut dictũ est, definitur optima temperies, & partib. ingenitum nativum robur, cujus beneficio partes causis morbosis acerrimè resistunt.

1. *Pars sanitatis.*

Com. tex. 7.

Secundum locum sortiuntur corpora, quæ habitum obtinuerunt bonum, sed non optimum, quæ alio nomine Gal. appellavit temperata in singulis generibus primo de temperamentis. Qui habitus ad omnes vitæ actiones multum valet, licet summã virtutem non habeat.

2. *Pars sanitatis.*

Cap. 9.

Tertio sequuntur corpora sana non

3. *Pars sanitatis.*

non tamen boni habitus, in quibus corporib. sanitatis temperies reperitur, propter quam nondum sibi aliquis displicet, nec adhuc de valetudine quærelam habet: talis dicitur à Galeno sanitas secundum habitū libello de salubri arte ad Trasyb. quæ mendosa non est, sed ad humanas actiones utilis: tamen laudabile illud atq. perfectum non est adepta. Hujusmodi sanitatem habent homines bilioſi & melancholici, qui licet intemperati sint dicuntur sani.

Capit. 7.

Postremò sanorum ordine collocantur corpora prædita parùm firma valetudine, ob quam aliqui sibi iam injucundi sunt, atq. de valetudine deplorant, & conqueruntur, ut qui diuturnum capitis dolorem habent, vel stomacho languenti sunt, & de digestione acerbè afflictantur. Quæ sanitas capite secundo à Galeno vocata est minus valens: quinto de sanitate tuenda fallax & incerta: libro de salubri arte κατασχέσιν, *secundum dispositionem*: M. Tullius *affectum moventem* dixit, quia plurimum differt à firma & constanti, quæ κατὰ ἕξιν, *secundum habitū* appellatur. Vnde morbo proxima dici potest, quoniam duplex est, vel proxima preterito morbo, ex quo aliquis evasit, vel proxima morbo futuro, & maximè imminēti.

4. & ulti. pars sanitatis.

Tex. 9.
Capit. 4.
Capit. 7.
Catasche sin
Catexin.
Quarta pars sanitatis duplex.

Hanc eandem latitudinem subtiliter expressit Gal. quinto de Hippoc. & Plat. decretis, ubi animæ sanitatē cum valetudine corporis posse comparari est arbitratus. Primò animos prudentium contulit corporibus omni affectu carentibus. Secundò animos hominum in sapientia proficientium, bono habitu præditis. Tertiò mediocrium animos ijs, qui habitu simpliter valent. Quartò & ultimò vulgarium & insipientium animos illis, qui levi causa ægrotant. Qua sæpe sanitatis latitudine clausa, transfert orationem ad morbos: atq. animos iratorum, & excādescentium, vel demum aliqua perturbatione affectorum, morbo iam correptis assimilat.

Analogia valetudinis animi et corporis. Cap. 1.

Quib. sanitatis partib. suæ quoque partes artis conveniunt. Optimo ac bono habitui respondet pars Evectice dicta, quæ integrum & incolume servat corpus ac retinet. Habitui simpliciter, vel in habitu sanitati, ea, quę vocatur, salubris, vel communi nomine conservatrix. Imperfectæ, quæ à morbo proximè liberata est & cōvalescens appellatur, Analeptice, hoc est, vitium recuperatrix, instauratrix, vel resumptrix. Imperfectæ, quæ decidens & in morbum cadens, Prophylactice, idest, pars, quæ causas morborum arcet præcavēdo, præservatoria dicitur. Hæc à nostro auctore apertè & breviter libro de constitutione artis, sed planiùs lib. de salubri arte, sunt exposita.

Partes artis partib. sanitatis respondentes.

Capit. 19.
Capit. 30.

Occurrit verò nobis hoc loco differendi occasio de illis duabus sanitatis partib quæ sunt inter sanitatem in habitu & morb. quęq. uno nomine ab Herophilo cōstitutione neutra vocata est. Sed quæstionem hanc ad librum de differentia symptomatum volui prorrogare, ubi Gal. de hoc statu intermedio fecit mentionem.

6. de san. tu. c. 2.
Quæst. 10. 11.

VTRVM BREVES eversiones ab exquisita moderatione morbi sint.

(*.*)

QVÆSTIO XXIII.

AD sanitatis latitudinem incumbens Gal. docuit exiguas à naturali moderatione declinationes non dum esse morbos, donec inferant sensibilem alicujus actionis noxam: primo verò de locis patientib. docebat ex eo lædi actionem, quod sit effecta pars, quæ illius est causa. Porrò ne quispiam aliquas actiones objectaret, ut dolorem colicum, vel ex dysenteria incipiente excitatum, quem vix, aut omnino non videtur aliqua pars vitiata commovere, ista locutus est. *Morb. verò & calidus, & frigidus, & humidus, & siccus, protinus ab initio, cum primum corpus temperatura, quæ bonæ valetudini debetur, limites excesserit, eandē sibi ipsi naturam habet. Quamvis enim interdum adeo sit exiguus, ut neque à nobis cognosci, neque laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamen propriam habet speciem.* Sanè si quam minimum recessum

Tex. 14.
Capit. 21.
Diff. Gal. locus.
Dubitandi occasio.

sum & lapsum à temperatura, quæ bonæ valetudini debetur, morbum esse constituit Gal. atq. adeo exiguũ, ut laborantium sensu non percipiatur, & sanitatis latitudinem evertit, & quæ hic laboriosiùs docuit, omnia disperdidit, ac dissipavit.

1. *Interpretatio.* Vnde nonnulli clamant testãturq. locum illum de locis patientib. delendum esse: qui tamen exaudiendi non sunt.

2. *Interpretatio.* Segarra dixit nunquam asseruisse Galenum recessum & eversionẽ, quæ vel minimùm deflectit à naturali cõstitutione, morbum appellari, sed tantum scripsisse, morbum statim ab initio suam habere essentiam. Quam sentẽtiam veram esse confirmat, quoniã exiguus calor, qui adhuc morb. non est eandem habet naturam cum calore multum excedenti, qui manifestò lædit actiones. Ita quoq. exiguũ ulcus eandem habet essentiam cum ulcere magno, sed morb. non dicitur usq. ad eum finem, dum actiones lædat.

Refutatur. Quæ quidem omnia transirem, nisi Galeni contextum contradicerẽt. Nam eò res similares à dissimilarib. Gal. distinguit, quod eæ habeant essentiam generatione posteriorem. Vnde, cum domus fit, nondum est domus: similares verò protinus ab initio eadem constant essentia, uti cum frigida intemperies præter naturam sumit incrementum, quantumvis parùm attendatur, vel ulcus adeò, exiguum, ut ob exiguitatem, nondum appareat, nihilominus tamen propriam habent morbi essentiam, atq. à summa intemperie, magnove ulcere sola magnitudine discernuntur. Quib. noster Gal. non comparat parvos recessus, qui adhuc morbi non sunt, cum morbis eiusdem naturæ iã factis, sed confert exiguos morbos, qui non advertuntur, & nihilominus actionem graviter lædunt, cum morbis manifestis, *& ex propria essentia* magnis, docetq. parvitatem non impedire, quo minus illi morbi sint. Videant ergo qui Segarram sequuntur, quam perversè Galenum interpretentur.

7. methodi Capit. 12.

3. *Interpretatio.* Henricus Solanus vir doctissimus, & gravissimus, qui apud cives nostros plurimum auctoritate valuit, duplicem contemplabatur sanitatẽ, unam mediam & optimam, quę primam constituit sanitatis partem: alteram generalem magnamq. latitudiné habentẽ, quæ reliquas tres continet partes. Hoc loco, ubi prodit Gal. breves eversiones à sanitate media nondum esse morbos, donec actionem manifestò læserint, verba fecisse dicebat de sanitate media & optima, quippe solis luce clarius est, declinationes hujusmodi adhuc manere in ampla sanitatis latitudine vagariq. per tres alias partes: Veruntamen libro de locis patientib. primo arbitrabatur Galenũ ante oculos sibi constituisse longé latèq. patentem latitudinem sanitatis, quæ ab optima constitutione pervenit, usque eò, dũ actio manifesto sit læsa. Vnde quam minimum recessum ab hac amplitudine apertè morbum esse, res loquitur ipsa: actio enim manifestè lęditur statim, ut receditur ab ea.

Confutatur. Cæterum, quæ de duplici, tum sanitate, tum recessu dicebat, ad veritatem loquebatur: interpretatio verò ad Galeni verba non quadrat. Nam 1. *Ratio.* tametsi habuerit sermonem hic de recessu à media sanitate: tamen primo de locis patientib. non loquitur de recessu, nec dixit quemcunq. recessum, sed quemcunq. morbum protinus ab initio, cum primum recedit à bona valetudine, candẽ sibi ipsi naturã habere, hoc est, quemlibet morbum primo quoq. tempore morbum esse ritu similarium rerum, quæ factæ sunt quocunq. tempore suæ generationis. Quæ sanè ijs, quæ hic scribit minimè repugnant. Quamobrem distinctio de duplici valeditudine, atq. recessu hoc loco exitu non est. Præterea, sive loquatur Galenus primo de locis patientib. simpliciter de recessu à tota sanitatis latitudine, sive de verò morbo, tamen expediendus erat difficilis nodus, in quem incidit calumniator qui hac in re primum dubitavit: scribit enim Galenus non nunquam adeo esse exiguum morbũ, ut neq. à nobis cognosci, neque laborantium sensu percipi possit. Respõ debis (nam Solanus ipse ita occurrebat, si rectè memini) in specie morbũ exiguũ non cognosci, at in genere facillimè, ut aliquando cognoscit medicus

2. *Ratio.*

Evasio.

dicus eruditatem in ventriculo, sed à qua causa nascatur, nondum assequitur. Veruntamen responsum hoc nullius momenti putatur. Nam Gal. de his morbis loquitur, qui ob exiguitatem non percipiuntur, & de quib. ambigitur, an morbi sint, ergo locutus est de cognitione generica. Præterquamquod sint plures morbi, & quidem magni acerbissimè cruciantes, qui in principijs dumtaxat genera tim cognoscuntur, ut intemperies & tumores interni, immò sæpissimè ipsa febris, tamè Galenus eos morbos percipi non posse dixit, ut illorum essentiæ genericam exiguitatem exaggeraret.

Refutatur. *3. Ratio.* *4. Ratio.*

Excellentes viri, quos Onophrius Bruguerius præceptor meus insecutus est, ut huic difficultati satisfacerent, responderunt multos esse affectus, qui ratione magis percipiuntur, quam sensu, ideoq. negligi à medicis. Nam, si fingamus calorè excedere limites sanitatis, sed adeo occultè, nec à medico, nec ab ægro judicetur, certũ est, hanc intẽperiẽ esse morbũ, nec ab intemperie calida, quę manifestò incõmodat, specie, sed sola magnitudine differre. Philosophus intemperiem hanc, morbum appellabit: medicus verò nunquam, nisi sumat incrementum, & actiones manifestò lædat. Cum igitur Gal. primo de locis patientib. demonstrasset actionẽ lædi, quia pars, à qua editur est affecta, hinc orta est difficultas de morbis insensibilibus, qui nulli actioni sensibile & manifestum incommodum afferunt, quam instar digressionis exagitavit.

4. Interpretatio.

Hanc solutionem ex Galeno desumunt, qui tertio de temperamentis dixit, *illorum dogma, qui nunquam deficientem affectionem solum ratione ipsa æstimant, valente demonstratione non carere.* Primo autem de dieb. decretorijs in hanc incidens disputationem, scribit, *Asclepiadas medicos febres ratione contemplatorias, neq. dignoscere, neq. curare dignatos esse, sed sensibiles, & claras, quæ neq idiotam quemlibet, neq. medicum latere possunt.*

Confirmatur. *Capit. 4.* *Capit. 6.*

Hæc tamen solutio, quamvis doctissimorum virorum sit, mihi nó probatur. Quoniam & si hæc morborum distinctio admittatur, si subtilius ista, & exquisitiùs dicantur, quàm postulat ars medica, ut sonant Galeni verba locis dudum adductis: tamen non poterat ipse magis à proposito declinare, quam si in libris, quibus affectuum cognitionem investigabat diligentiùs, complexus esset eos, qui cognosci non possunt.

Refutatur. *1. Ratio.*

Præterea, si demonstrare instituisset, omnem partem affectam manifestò in actione impediri, ad institutum attineret objectio de affectibus qui tantùm ratione percipiuntur, & à quibus manifestò nulla vitiatur actio: at verò cum illo in capite, eò læsi actionem dicat, quod instrumentũ ipsam efficiens, quomodolibet afficiatur, perfectò difficultas illa nihil haberet propositi: enimverò proponens, an actio manifestò læsa possit originem ducere ab exiguo affectu penè insensibili, Gal. in suscepto cõsilio permanet. Aliter igitur est tollenda hæc dubitatio.

2. Ratio.

Dependet autem facilis verborũ Galeni expositio ex instituto, quod in eo capite persequitur, si illud diligenter advertamus. Demonstraturus contra Erasistratum, nullam actionem lædi, nisi pars quæ ipsam facit, affecta sit, vel per se consensum, tres primos læsionum modos esse scribit. Siquidem pars, vel laborat per propriam affectionem, vel per consensum. Proprio affectu laborare dicitur duob. modis, vel cum ablata causa nihilominus perseverat affectus, vel cum statim solvitur separata causa. Dari affectum, qui simul cum causa tollatur, ut reliquos prætermittam, exemplo doloris colici & dysenteriæ insipientis confirmat. *Nam, ubi vehemens dolor intestinum infestat, firmata in una quapiam parte dolore, ut quasi perforari vocatur, tunc nullum affectum esse in intestino, quis diceret, cum excreto vitreo humore, vel unico temporis momento dolor finiatur. Verum licet vacuatum humorem tantis affectus causam fuisse putandum sit:* at non fuit causa proxima, sed aliqua intemperie, vel continui solutione interjecta, *nondum tamè ex evacuationis ope manifesta.* Similiter dysenteria antequam manifestum ulcus intestinorum sit (quo tempore ne dysenteria quidem vocatur) licet ablata causa, nec perseveret, nec id, quod

Fundamentum auctoris. *1. de loc. aff. eodem capite secundo.*

Uniken

quod factum est ulcusculũ, appareat: nihilominus tamen sub dysenteriæ specie comprehenditur, cum ab acredine eorum, quæ deijciuntur, corrosis intestinis, dolor notatu dignus evenire percipiatur. Nam quando causæ agunt in corpus, ipsa species affectus ab initio est eadem tamen ob exiguitatem non planè cernitur, sicuti neq. in saxo parva concavitas, quam unica stilla produxit.

His sic intellectis, facilè poterimus explicare, quid sibi voluerit G. De morbis quidem locutus est, qui descendunt à causa, qua sublata, vel unico temporis momento finiuntur, quamvis id, quod à causa factum est, non apparuerit, ut solutio continui, vel intemperies à pituita vitrea, seu ulcuscula in principio dysenteriæ ab humore mordaci, quo tempore, neq. affecta esse intestina, quis dixerit. Quoniam autem morborum omniũ generatio est consimilis, quæmadmodum & rerum omnium similariũ, propterea Gal. hanc doctrinam extendit ad omnes morbos, qui ratione materiæ, ex qua potissimum cõstant, similares sunt, docens, *morbum, statim ut est, eandem sibi ipsi naturam habere, ut intemperies præter naturam calida, frigida, humida, & sicca, atq. inflammatio omnis in quacunque animalis parte consiliterit sive maxima, sive minima fuerit, unus atq. idem affectus est, specie quidẽ, licet magnitudine varius.* Quibus apertè loquitur G. de vetis morbis, exiguis tamen & propriæ substantiæ magnitudine quam minimis, adeo ut neq. à nobis, neq. ab ægrotantibus discernantur, percipiantur q. proprijs tamen viribus usi actionem grauissimè lædant. Nam illa verba. *Quamvis interdum, neque à nobis, neque laborantium sensu percipi possit*, non ad actionem, quam manifestè lædit omnis morb. (hoc enim decepit non paucos) sed ad morbum ipsum referenda sunt, quoniam nostrum corpus aliquando acerbissimè afflictatur à morbo, qui vix judicatur esse morb. ut solutio continui, vel intemperies, quæ causa colici doloris existit. Sic interpretatur se ipsum Gal. lib. de temporibus morborum, ubi distingnit generationem illorum ab animaliũ ortu, *quod hæc certum quoddam tempus requirant, quo figurentur, & formentur omnes partes ad vitam necessariæ: morbos verò primo aditu protinus generationem simil acquirere & ad incrementum festinare.* Mox addit: *Nam unumquodq. horum* (inflammationem intelligit, erysipelas, & febrim, de quibus paulò antea) *statim cum primum coeperit initium* (hoc est, *ch primum corpus temperaturæ, quæ bona valetudini debetur, limites excesserit*, ut ait primo de lo. pat.) *videtur habere hujusmodi speciem, qualem habet maximus morb. eius generis, deficit autem sola ab illo magnitudine.*

Explicatur Gal. — Ibidem. — Ibidem. — Concors an Elovitas. Cap. 1. — Capit. 2. — Conclusio. — Argentinus.

Quamobrem exiguas à media moderatione declinationes nondũ esse morbos, donec manifestam noxam intulerint, hoc loco prodit Gal. primo verò de locis patientib. quamcumq. vel minimam declinationem morbum esse non dixit, (quæmadmodum insulsè, ut solet interprætatur ille, cui permulti simplices & crediduli assensi sunt) quod verò liquidò dixit, illud est, quemcumque morbum tametsi magnitudine exiguum, ut ob parvitatem sensu percipi nequeat, ab initio tamen propriam morbi naturam habere, ut demõstraret, quamlibet nostri corporis partẽ pati posse morbum completum absolutum & factum, licet parum duret, ac fiens dicatur, ob præsentiam causæ, illius existentiam occultantis.

VTRVM QVALITAtes præter naturam excedentes caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas morbi sint.

QVÆSTIO. XXIIII.

FRANCISCVS Vallesius, quem Segarra insecut' est, existimat simplices qualitates caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem morbos esse, ubi naturalem modum excesserint. Quod ex Galeno probat, qui hoc capite quatuor esse morbos partium similarium docuit, primum caliditatem, quæ naturalem symme-

4. Contr. Capit. 1. — Anti. Gal.

triam

triam excedit, secundum frigiditatē, tertium humiditatem, & quartū siccitatem. Idem rationib. confirmat. Nam omnis dispositio præter naturam, quæ lædit actionē per se ipsam, morb. est: sed caliditas excedens, est dispositio præter naturam, & hominem per se ipsam offendit, morb. igitur est. Assumptionem probat ex Aristotele, qui caliditatem, & frigiditatem putavit esse dispositiones: & capite de qualitate in categorijs pro exemplis dispositionum subjecit, ergo cum malè disponit caliditas, & actiones primo lædit, morb. est. Secundò, curatio propriè dicta est, quæ fit morbo ipsi objectis contrarijs: sed si caliditas, & frigiditas nō essent morbi, nunquam medicus posset uti vera curatione, immò potius ultima in curationib. operatio esset præcautio, ergo satiùs est constituere primas qualitates esse morbos, & habebunt contraria, quibus curari poterunt. Nam morbo, qui sola est dispositio, vel amettia, sola est contraria sanitas, & naturalis dispositio symmetriave, quarum nulla pugna est.

1. Ratio.

2. Ratio.

Vt ab his nos expediamus, duo sunt præmittenda. Primum est, morbum esse affectum & dispositionem, qua nostrum corpus malè disponitur ad agendum, atq. hanc dispositionem esse quandam positionem, qua ea, quæ infinita, & interminata sunt finiuntur & terminantur. Sunt autem hæc in partib. similarib. qualitates primæ, quæ in nostris corporib. indefinitè agerent, nisi à partium dispositionib, juxta naturam corporis cohiberentur.

1. Fūdamē tum.

Præterea observandum est ex primo de elementis, primas qualitates, ut caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, elementa esse cōpositæ qualitatis, quæ temperamentum est, veluti ignis, aer, aqua, & terra sunt elementa nostri corporis. Vnde quemadmodum quatuor corpora simplicia, sunt materia corporis misti, similiter quatuor qualitates primæ, sunt materia temperamenti, & sanitatis partium similarium. Quoniam autē sanitas, & morb. sunt contraria, & in eodem genere constitutionis partiū consistunt, ita quoque morbum ex eadem materia cōstare necessum est,

2. Fūdamē tum. Capit. 6.

ex qua constat sanitas.

Vnde, quemadmodum in sanitate, sic etiam in morbo, & formam, & materia consideramus. Forma est partium dispositio præter naturam, quam diximus esse qualitatem quandam simplicē, virtute compositam, cujus materia, ex qua, est omne id, quod illi subest, præcipuè tamen qualitas excellens, á qua nomen trahit ipsa præter naturam dispositio, ut febris dispositio partium est præter naturam, calidaq. intemperies & forma quædam: materia verò febris est caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, sed præcipue caliditas, cum ea sola præter naturam excellat, & ex ea potissimum febris dicatur, calida intemperies.

3. Fūdamē tum.

Quib. sic stabilitis, si loquamur de morbo, ut dicunt, formaliter concludimus, qualitates excedentes non esse morbos: sed ipsas intēperies præter naturā productas, ex qualitatib. excedentib. tanquam ex materia vitiosè disposita. Hæc opinio est Galeni. Nam secundum caput sequentis libri sic aggredietur. *Quenam igitur sint eorum dictorum morborum generationis sint causæ, iam consideremus, sumpto initio ab eo morbo, qui in immodicæ caliditatis intemperie consistit.* Præterea primo de febrium differentia, postquam duas hypotheses recensuit, quarum altera in primo de elementis, altera in hoc libro erat demonstrata, hunc in modum mirabiliter locutus est. *Hipotheses igitur ipsorū sunt* (hippocraticos & peripateticos intelligit) *calidum, frigidum, humidum, & siccum esse corporum elementa, & primos morbos fieri ex horum intemperie, é quib. una est, etiam febris, ubi in corde calor quidam præter naturam procreatur.* Ecce primos partium simplicium morbos non esse calidum, frigidum, humidum, & siccum, vel caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem: sed ex harum intemperaturis animalia laborare, cum aliqua, vel aliquæ dictarum qualitatum naturalē statum transgrediuntur. Morbos autem fieri dixit, ex intemperie, ut sanitatem ex symmetria, quod superius jam explicatum est. Portò de Hipp. & Plat. decretis octauo. *Illud*, inquit, *tantum ad sanitatis conservationē morborumq. medelam sufficit, ut noscamus*

1. Assertio

1. Auctoritas Tex. 2.

2. Auctoritas. Capit. 3.

Observatio Quæst. 1 ad 2.

3. Auctoritas. Capit. 3.

ex

ex calidi, & frigidi, humidi, & ſicci temperaturâ ſanitatẽ in animalib. eſſici: mox ſubjungit, *ex horum autem intemperaturis morbos fieri*. Similiter octavo methо. eandem opinionem his verbis exornavit. *Sanè nemo quiſpiam ſecundum intemperiem morborum eſt, & febris ob tantum immoderationem auctæ caliditatis*. Docuit febrim unũ eſſe ex morbis, ſub intemperie, quæ oritur ex aucta caliditate. Excedens igitur qualitas ſimplex morb. eſſ non poteſt.

4. Antitas. Cap. 1.

1. Ratio.

Sed rationibus inſurgamus. Nam qualitas, quæ non eſt poſitio, ſive diſpoſitio, qua proximè diſponitur noſtrum corpus ad male operandũ, nequit eſſe morb. Sed nulla patibilis qualitas quantumvis exuperans eſt poſitio, vel talis corporis diſpoſitio, morb. igitur eſſe non poteſt.

Præoccupatio.

Qualitatem omnem poſitionem habere, hoc eſt, in ſubjecto poſitam eſſe, nullus negat: ſic enim & anima poſitionem habet, quæ tamen ob id nõ eſt diſpoſitio: at ex ordine oriri atq. diſpoſitionem eſſe, nihil aliud eſt, quam definire ac determinare qualitates, vel quantitates, vel ubi, hoc eſt, eſſe in loco, ad quæ movebatur aliquod ſubjectum, ita ut illud moveri & alterari deſierit, & illius partes in ſocietatem & ordinem adductæ ſint, & redactæ, vel ſecundum locum, ut paratus exercitus, vel ſecundũm figuram, ut abſoluta ſtatua, vel ſecundũm poteſtatem, ut homo ſtudioſus, vel ſanus, diſpoſiti eſſe dicuntur. Sic affectus, qui ſanitatis & morbi genus à nobis conſtitutũ eſt, poſitionem notat & deſignat ſecundũm poteſtatem, quoniam ſubjectũ diſpenſat, & diſponit, ut benè vel malè operetur. At nulla patibilis qualitas per ſe ſola, hoc eſt, ut talis diſponit corpus humanum ad benè vel malè agendum, quod perſpicuum fiet, ſi actiones corporis contemplemur: omnes enim profert ac edit multorum conſenſus conſpirans, & certo modo conflatus.

2. Ratio. Chyliſicatio. Sanguiſicatio.

Quoniam ab eodem agente provenit bona actio, & mala actio, ut ab eodem ventriculo bona chyloſis, & mala chyloſis: ab eodem jecinore bona hæmatoſis, & mala hæmatoſis: diſcrimen conſiſtit in ſola partis diſpoſitione naturali, vel præter naturam.

E Iam in homine temperaturâ calido ſola caliditas naturaliter ſe habens temperamentum non eſt, vel actionũ cauſa, ergo eadem præter naturam reddita, non erit intemperies. Vnde cõſtitutio partis quæ naturaliter exiſtens, ſanitas eſt, mõrb. erit præter naturam facta, non minus, quam pater familiãs, qui benè habens accuratiſſimè quidem: tamen idem, cum malè ſe habet, temerè & inconſultè adminiſtrat. Exempli.

Prætetea ſimilis eſt ratio intemperiei ad primas qualitates, atq. figuræ ad utramq. materiam, ſcilicet ad ſubjectum, & ad quantitatem: at ſtatuam nec dicimus æs, vel lignum, nec dicimus eſſe quantitatem: ſed ſtatuam dicimus æream, aut ligneam, magnam, vel parvam: eodem modo intemperiem calidam, vel frigidam, rectè dicimus, caliditatem, vel frigiditatem nõ dicimus. 3. Ratio.

Quemadmodum temperiem hydromelitis, facta mellis & aquę permiſtione, quãdo nimium aquæ injicitur, ſi aquoſam eſſe dicimus, à nullo reprehendimur, quaſi malè ſimus locuti: at ſi aquam eſſe hanc intemperiem dixerimus, omnes nos increpabunt. Ergo redarguendi ſunt, qui dicunt intemperiem eſſe caliditatem, vel frigiditatem, cum diſtent plurimùm inter ſe. Exempli.

Hinc colligitur ametriam nõ eſſe excеſſum alicujus rei, ex his, quæ illius compoſitionem ingrediuntur, quemadmodum harmonia in muſica nõ eſt ſonus acutus, vel gravis: morb. autem Galeno ametria eſt, non minus, quam ſanitas ſymmetria, non eſt igitur excedens qualitas, ſed commotis affectio in omnium inordinato ſtatu poſita, quamvis occaſione unius introducta. 4. Ratio.

Hæc dum commemoro, ſuſpicor ne adhuc adverſarij confidant illa proportione, quam diximus habere ſanitatem, & morbum ad virtutem & vitium. Nam ſicuti liberalitas eſt ſymmetria & mediocritas, in dando: prodigalitas verò & avaritia exceſſus actuũ & defectus, ita ſanitatẽ partium ſimplicium eſſe dicunt ſymmetriam & mediocritatem: calorẽ verò frigus, humorẽ, & ſiccitatẽ exceſſum, vel defectũ. Audio ergo aliquos ſic reſpon- Refugium.

respondere dudum propositæ ratio-
ni. Quemadmodũ prodigalitas & ava
ritia sunt ametriæ ac vitia in erogatione vitiosa, nihilominus tamen dicuntur excessus & defectus, ita caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas ametriæ quędã sunt & morbi, simulq. excessus, vel defectus intẽperameto.

Confutatio. Ego libenter admitto congruentiam affectuum animi & corporis: at quomodo fiat cõparatio considerare oportet. Nam liberalitas, prodigalitas, & avaritia positæ sunt & spectãtur in circunstantijs, quibus, quãdo, quomodo, & quantũ dare oporteat: sanitas & morbi partium simpliciũ in primis qualitatib. Sic igitur progredi debet in proportione comparatio, ut habitus, & dispositiones cũ habitib. & dispositionib. comparentur, & ea, in quib. sanitas & morbi cõsistunt, cũ illis, circa quæ virtus & vitia versantur. Comparemus igitur sanitatem cum liberalitate: intemperiem calidam, & intemperiem frigidam, cum prodigalitate, & avaritia: caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem cum circunstantijs, quibus, quando, quo modo, & quantùm sit dandum. Quibus sic positis illorum solutionis partes in hunc modum disponamus, & vitium illius aperiamus. Vt liberalitas est in dando mediocritas, & prodigalitas excessus, avaritia defectus, ita similarium sanitas est mediocritas in primis qualitatibus, intemperies calida, & frigida excessus, vel defectus. Vnde quemadmodum prodigalitas, & avaritia sunt ametriæ, ac vitia, ita intemperies, tum calida, tum frigida sunt ametriæ, seu morbi, non caliditas, & frigiditas, ut illi fallaciter protulerunt. Si hoc modo fiat comparatio, *ἐφ' ὧν ἀλήθεια, in profundo demersa veritas*, ut dicebat Democritus, in suam lucem prodibit, nosq. tanquam ejus cultores, cõstantissimè defendet.

5. Ratio. Sed liceat mihi arma capere ad no cendũ, quib. dudũ ad tegendũ usus fui. Nam, ut liberalitas, prodigalitas, & avaritia determinant & definiunt, quibus, quantum, quando, & quomodo dare oporteat, & similiter in actibus primò spectantur: ita sanitas & morbus similarium definiunt & circunscribunt primas qualitates, & in his primò inesse intelliguntur. Sed dumtaxat largiri pecunias, quibus non oportet, vel nõ largiri, quib. oporter, unica, inquam, circunstantia mutata, & à debito alienata, vel ipse actus tali circunstantia præditus, & vitiosus factus, re ipsa nõ est vitium: sed ex eo provenire vitium dicimus, & ex eo fieri hominem vitiosum. Ergo dicendũ nõ est caliditatem, frigiditatem, humiditatẽ, vel siccitatẽ esse morbos, sed ex illis morbos provenire, hominesq. morbosos fieri. Propositio ex eo constat, quod quemadmodũ ex frequentata actione dãdi, quib. quantum, & quomodo dare oporteat, generatur liberalitas, & ex erogatione nimia, vel non tẽpestiva, seu excessu in aliqua ex dictis circunstantijs emanat prodigalitas: ex nimis parca verò distributione, seu defectu aliquo earundem provenit avaritia, ita quoq. ex primis qualitatib. congrua proportione concurrentib. constituitur tẽperamentum & incorrupta sanitas, & ex eisdem, una tamen vel altera præter modum crescente, hæc, vel illa morbosa intemperies. Assumptio est Aristotelis: virtus enim, & virium non sunt passiones, vel actus, sed dispositiones, quæ versantur circa passiones, & actus. *2. ethi c. 6.*

6. Ratio. Postremò, ut faciliùs perveniamus ad institutũ cõvincamus adversarios in illo ipso argumento, quod firmissimum illis visum est. Vera curatio est, cum ad ipsum morbum sua contraria objicimus & opponimus: sed, si qualitates patibiles essent morbi, medicus non posset morbis opponere contraria, neq. propriè curare, igitur patibiles qualitates non possunt esse morbi. Probatur assumptio. Nam adversarij, ne Galenum contradicant, arbitrantur, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem non esse morbos, ut patibiles qualitates, sed ut dispositiones sunt: at dispositiones ex se contrario carent.

Alt. assert. Veruntamen, si de morbo loquamur, ut quis dixerit, materialiter, primæ qualitates præter naturã excedẽtes caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas morbi sunt. Nã quemadmodũ morb. formaliter, ut ita dicã, acceptus dicitur ratio, qua offenditur *7. Ratio.*

corpus: ita morb materialiter dict' est, qui actionem revera lædit, corpus divexat, detrimentum infert: caliditas adurit, frigiditas infringit, humiditas laxat, siccitas conficit & exhaurit, ipse igitur qualitates materialiter, ut dicunt, morbi sunt.

2. Ratio. Quippe causæ morbum generantes dispositiones omninò negligunt: solam caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem respiciunt, quas alterant, commutant, adaugent, ex quo protinus dispositiones eliciuntur. Qualitates ergo revera morbi sunt.

3. Ratio. Tandem, curatio similiter contenit dispositiones, atq. tantum caliditatis, frigiditatis, humiditatis, vel siccitatis rationem habet, calido morbo remedium frigidum, morbo frigido calidum remedium adhibens. Quælibet igitur qualitas ex primis præter naturam excellens, qua ratione diximus, morbo considerato, profectò morbus est.

Quibus demonstratis ad argumenta contraria nos conferamus. Porrò cum dixit G. caliditatem excellentē, frigiditatē, humiditatē, & siccitatem esse morbos, materialiter, ut dicunt, locutus est, quæ illi est consuetudo, quemadmodum explicabimus.

Solvitur 1. ratio. Prioris argumēti sumptio falsa est, cujus probationi occurrūt docti asserentes, Aristotelem in exēplis ponendis plerumq. negligentiorē esse: tamen has aliquando qualitates nominasse dispositiones, vel quia suscitant efficiuntve dispositiones, vel quia promanant ab eis.

Alia solutio. Doctiores tamen pulchrè asseverant calorē & frigus nō collocari in prima specie qualitatis, nec afferri ab Aristotele, ut exēpla dispositionū, quasi ad eam speciē per se, ac propriè pertineant, sed ut in eis, quòd sensib. pateant, planè ac apertiùs videamus quo pacto dispositiones, quę sensib. non subjacent, facilè dimoveātur à subjectis.

Aucto. solutio. Nos tamen juxta ea, quæ diximus tertia quæstione, respondemus, qualitates patibiles dispositiones dici posse, non quidē in re, sed in modo, quoniā, quæ revera partiū dispositiones sunt, proximè disponunt corpus ad facilè, vel difficilè, atq. ad benè, vel malè agendū: at dispositiones in modo, disponunt subiectum, ut tale sit, veluti vitiosus color.

Solvitur 2. ratio. Alteri argumēto respōdemus, veram curationē fieri per cōtraria, nō quidē propriè dicta, sed per opposita, quæ latiùs patent: hæc verò intelligenda esse, tum quæ per se contraria sunt, tū quæ cōtraria sunt ex accidēti: quæ autem per se, non modo actu, sed etiam potestate. Sic interpretatur hæc noster Gal. lib. undecimo methodo. Vnde argumenti propositione concessa, negamus assumptionē, quōniam morbi proprié curari dicūtur, etiā si per se non tollantur, sed per accidens, ut intēperies præter naturam per primas qualitates quæ per se vi agendi & patiendi à se mutuò sunt præditæ. Tametsi ergo artificis mens feratur in scopum, quem indicatio suggerit, nempe in ablationem dispositionis præter naturàm, ut febris diariæ (cujus quemadmodum & hecticæ propria curatio est) nihilominùs tamen actio dirigitur ad remissionem caloris, quam consequimur ex remedio frigido, quandoquidē actiones, & passiones suppositorum sunt. Et quamvis febris diaria tollatur ex accidēti: tamē ista febris ablatio propria curatio est, cum sit morbi præsentis, absente causa efficiente, depulsio. Quoniam præcautio non est, nam hæc propriè definitur expulsio causæ efficientis, quæ potest morbum producere, ut evacuatio plenitudinis: neque actio mista, quam curationem quoque appellamus, *quoniam proprio caremus nomine*, ut curatio febris putridę. Quare morbus calidus, vel frigidus, quatenus sunt dispositiones, ut per se non generantur, ita neque per se corrumpuntur. Ad patibiles igitur qualitates referuntur omnes actiones, & admoventur remedia contrarijs qualitatib. affecta, unde illis remissis, & in pristinum statum reductis, sanitas sine mora cōsequitur. Quoniam, qua ratione sanitas corrūpitur, eadē ratione restituitur. Nam reductio ab statu præter naturam ad statum naturalem, ex Galeno, per eandem viam sit, qua fuit factus recessus, sed ex opposito desumptam: eadē enim est via ab Athenis ad Thebas, quæ est à

Solvitur 2. ratio. Cap. 2. 9. 12.

2. Epid. 2.

Lib. de constitut. artis c. 12.

est à Thebis ad Athenas. Ergo sanitas corrumpitur, quia causa calida, ut aer, auget calorem naturalem, & in statum præter naturam mutat: instaurat vero admoto remedio frigido, quod calorem auctum in antiquum statum restituit.

VTRVM CONFORmatio numerus, magnitudo, & compositio, declinantes à naturali constitutione, morbi sint.

QVÆSTIO XXV.

Opinio iuniorum. PERSEVERANT adhuc in errore suo, qui morbum qualitatē simplicem faciunt, atq. similiter formationem, numerum, magnitudinē, & compositionem præter naturam morbos esse putant. Quod primum

Auctio. G. ex Galeno monstrant, qui hoc in li-

Capit. 7. & 8. bro morbos esse dixit obstructionē, quæ revera conformatio, & meatus vitiosus est, sextum digitum, qui numerus præter naturam auctus, immo dicam linguæ magnitudinem, luxationem, & nimium nexum, quæ compositiones sunt. Idem hac ratione persuadent, quoniam hæc sunt affectus præter naturam primò & per se lædentes actiones. Quamobrem sine dubio morbi sunt.

Ratio.

Verumtamen nos, quæ jecimus præterita controversia fundamenta, eadem in hac quæstione subjecta volumus. Primùm sit, structuram organicam secundum naturam constare tam quam ex materia, formatione, numero, magnitudine, & compositione: eandem verò præter naturam se habentem in ijsdem consistere. Præterea instrumentalem morbum esse dispositionem, qua instrumenta nostri corporis malè disponuntur ad agendum, atque hāc dispositionem in instrumentis determinare cōformationē, numerum, magnitudinem, & sitū, quæ quidē aliàs indefinitè se habēt. Postremò sanitatis instrumētalis fōrmā esse instrumētorū naturalem dispositionem: materiam verò, conformationē, numerū, magnitudinē, cōpositionem naturaliter se habentes. Similiter organici morbi materiam esse conformationē, numerū, magnitudinem, sitū præter naturam, atq. ex his præcipuè id, ob cujus recessum reliqua etiā vitiantur: formā verò esse dispositionem præter naturam ex illis emergentem.

1. Fundamentum.

2. Fundamentum.

3. Fundam.

Quib. positis, si loquamur de morbo instrumentali formaliter, ut dicunt, totam organicam dispositionē morbum esse arbitramur.

1. Cōclusio.

Hoc significare voluit Gal. capite sexto hujus libri, ut nos commemorabimus eo loco, cū docuit affectus strumentorum fieri mutatis vel formatione, vel numero, vel magnitudine, vel positu naturali, quamobrē non putavit hæc formaliter morbos esse.

Auctio. Gal.

Tex. 28.

Præterea sanitas, & morb. contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, in eodem subjecto sibi succedentia, mutuo se expellunt: sed instrumenti sanitas non est sola formatio, non sola magnitudo, numerus, vel compositio, ergo morbus illi contrarium erit totius instrumenti structura depravata, quæcunq. illius fuerit depravationis occasio. Patet assumptio. Nam instrumentum, ut Gal. habet primo methodi est animalis pars, quæ perfectam edere actionem potest: actio verò perfecta est, quæ à toto instrumento integra editur, cū jus constitutio est laudabilis structura per totum instrumentum diffusa ex dictis quatuor consurgens.

1. Ratio.

Capit. 6.

Ad hæc instrumenti partes, non ratione sui, sed ratione totius, obtinuerunt aptam figuram, magnitudinem, numerum, atque positum. Verum, cum oculus laboret ob foraminis uveæ amplitudinem, quod græcis peculiariter visus, latinis pupilla dicitur, auctionem quidem præter naturam non oculō, sed pupillæ inhærere manifestum est: at morbum ex amplitudine ortum, oculi morbū esse, cujus lædit actionem, quis negabit? Ergò amplitudo pupillæ morbus non est, quamvis præter naturā sit, sed ipsa oculi constitutio ex pupillæ auctione vitiata. Respondebunt forsasse solam vitiosam formationem, quatenus malè disponit,

2. Ratio.

Cor.

Evasio.

oculi morbum esse, ac illius actionē lædere sine magnitudine, numero,
Refutatur. compositione. Veruntamen morbus subjectum, cui non sit, nequit malè disponere, multò minus actionem illius lædere. Cum igitur figura, vel ampla, vel angusta, secundùm naturam, tantùm inhæreat ipsi pupillæ, non toti oculo, non poterit sola totum oculum male disponere, vel illius actionem lædere. Vnde igitur oculum morbosum nominabimus, actionemque illius vitiatam esse dicemus? Profectò ex amplitudine nimia uveæ depravatur oculi structura, constitutio, compositio, tota dispositio, hæc malè disponit oculum, hæc illius actiones vitiatas molitur, hæc illius morb. est.

3. Ratio. Omnes porrò unius cujusq. instrumenti particulæ ad ejus functionem consentiunt, veluti ad manus apprehensionem omnes digiti, & cæteræ partes conspirant, sua quidem præditæ formatione, numero, magnitudine, compositiode. Age verò amputetur digitus, ut apprehensio manifestè lædatur. Quid erit hic morb. qui est in superstite manu (ut hoc
Text 38. libro voluit Gal.) si non est constitutio reddita præter naturam per numerum diminutum, & malè disponens qualitas? Ipsa quidem morbus est, numerus verò, ad cujus diminutionem sequitur morbus, illius materia. Idem judicandum est de numero aucto, ut si cuipiam sextus expullulet digitus. Nam ideo totius manus dicitur morbus, qui est in numero diminuto, quoniam totam totius manus apprehensionem lædit, quam in aucto numero etiam vitiari monstrat experientia.

4. Ratio. Nam eorum, quæ præter naturam insunt, morbus appellandus est affectus ille, qui primò postulat remedium: sed quando manus se nobis offert cum sexto digito, priùs exigit remedium vitiata ipsius manus tota constitutio, & curari depellique postulat per abscisionem digiti redundantis, illa igitur morbus est, non digitus, vel numerus: etenim primum omnium attēdimus dispositionem depravatam, mox ad causam, & mali occasionem cōvertimur. Quod præclare docet morb. in numero diminuto, qui tota in reliqua manu, cum sit, tota mutilata remedium postulat.

His argumentis convictus Vallesius respondet, hæc nō esse morbos, sed vitia in partib ex his orta, morbos esse: qui tamen confusè locutus est. Nos obscuram caliginem hanc ex pedite discutiamus. Si vitiorū nomine intelligit dispositiones partium redditas in statum præter naturam ex figura vitiata, vel numero, vel magnitudine, vel situ, nulla est inter nos dissentio: atsi per vitia intelligit ipsam figuram, vel magnitudinem vitiatam, vim, vel qualitatem figuræ, vel magnitudinis solius, in eandem difficultatem relabimur.

Refugium. *Confutatur.*

Nam illud est in ore & sermone omnium, totum ædificium, domum, hortum, picturam, musicam, & harmoniam, vel compositionem & constructionem aliquam vitiosam, & depravatam esse culpâ unius tantùm partis, in qua sit aliquid vitij, quamvis reliqua nobis probentur: ea enim sola pars destruit omnem, quam cæteris reddere debebat, proportionem. Pictura in aliqua tabula & pulchritudo ex qualitatibus patibilibus orta, unde vertitur indeformitatem? Ex colore quidem uno, vel intenso nimis, vel extenso, vel demisso, & fracto, vel aliter immutato. Dispositio illa, quæ universam tabulam malè disponit, non est color ille, sed pictura deformis ex colore reddita, quemadmodum harmonia in lyra, cum dissona & absurda fit, non est unius cordæ sonus, sed simul omnium mala dispositio per sonum unius depravata. Similiter instrumentorum actio nequit perturbari aliquo ex illis quatuor, tametsi præter naturam immutato, quin commoueatur & perturbetur conspiratio & concordia, qua omnia quatuor sunt conjunctissima ad actionem defendendam.

Exemplum.

Tamen si de morbo loquimur, ut dicunt, materialiter, conformatio, numerus, & compositio, cum à naturali statu declinaverint, morbi sūt. Nam figura, vel pars figurata est, quæ lædit, quantumvis organica dispositio sit ratio lædendi. Causa morbi-

Assertio altera.

1. Ratio.

ficæ

2. Ratio. ficæ dumtaxat figuram, numerum, magnitudinem, & compositionem
3. Ratio. primò alterant & perturbant. Curatio potiùs refertur ad figuram, numerum, magnitudinem, & compositionem.

Solvuntur auctor. Gal. Solvamus nunc in oppositum adducta. Doctores nostri in hac fuerũt opinione, ut crederent, Galenum conformationis nomine, numeri, magnitudinis, & compositionis perpetuò intellexisse dispositionem ex illis præter naturam ortam, quod ejus verba declarant: nunquam enim dixit morbum esse conformationem, vel numerum, vel magnitudinem, vel compositionem: sed morbum in conformatione, vel in numero, vel in magnitudine, vel in compositione. Quod perinde est ac si dixisset, instrumentalium morborum, alium potissimum consistere in conformatione, alium in numero, alium in magnitudine, alium in compositione: quamvis enim in quatuor omnibus reponatur morbus, veluti sanitas: tamen denominationem sumit ab illa materia, quæ vincit, ac præter naturam eminet, ut fit in naturalibus intemperiebus, quarum alia dicitur calida, & alia calida & sicca, & hujusmodi. Quam ego interpretationem plurimi facio: tamen Galenicæ mentis nó fuisse reor, ut exponam aliàs, sed ad dissolvenda objecta sufficit hæc responsio.

Quæst. 46.

Ratio solvitur. Rationis antecedens falsum est; nullum enim horum perse sumptum agit in sanitate: sed tota compositio, quoniam constitutio instrumentalis est ratio agendi, sed præter naturam reddita est ratio lædendi, unde morbi natura sumit initium. Nam percussione os loco suo movetur, cujus positus, & situs impedit actiones: ratio vero illius impedimenti luxatio & morb. est, qui ab ictu produci non potuit, nisi variato situ & materia, in qua naturalis compositio cõsistebat: per luxationem verò intelligimus, non motum, sed dispositionem à motu permanentem.

ARG. CAP. V.

DVAS differentias morborum in partibus similarib. constituit ex auctorib. elementorum impatibiliũ, astrictionem, & relaxationem. Astrictio duplex est, vel cum totum corpus contrahitur, vel cum soli meatus obstruuntur. Relaxatio itidẽ duplex, vel cum totum laxatur, vel cum soli meatus aperiuntur. Ex altera suppositione in quolibet genere, ex quatuor primis calido, frigido, humido, sicco, duas differentias subjicit. Nam partes interdũ solis qualitatib. alterantur, interdum cum fluxione humorum.

CAP. V. Tex. XX.

ID igitur jam exequamur, rursus à prima suppositione exordientes. Duæ juxta hanc in similarib. partibus erant ægritudines, quæ meatuum immoderatione constabant, vel eorum scilicet ampliatione, vel angustatione. Utriusq. vero earum est differentia duplex: angustationis quidẽ, corporis undiq. in se ipsum compressio atq. ipsorum obstructio meatuum. Ampliationis autem ejusdem corporis ad omnem partem extentio, ac meatuum quædam veluti expansio contingens ex concursu elemẽtorum, quæ propriè corpora appellari asseverant, tum prima ac simplicia sint. Si quidem, quæ ex ipsis fiunt compositiones, vocant syncrimata, id est concretiones.

COMMENTARIVS.

DIXERAT ultimis verbis præteriti capitis, primorum generũ morborum differentias in particulares species se quam primùm dissecaturum: id hoc capite aggreditur, atque differentias morborum simplicium,

quí partibus similarib. accidunt, investigaturus, à priori suppositione exorditur, quam fovebat methodica secta. Porrò superiùs dictum est, ex sola compositione, quæ absq. mutua componentium permutatione fit, duas tantum simplicium morborum differentias oriri, scilicet amplitudinem, & angustationem, quum vel patentib. latè meatib. vel prætermodum clausis, malè affici contingeret animalium corpora. Nunc utrumq. horum duorum generum in duas differentias dividit, angustationem quidem, vel cõstipationem, in compressionem corporis ex omni parte in se ipsum, atq. in ipsorum meatuum obstructionem & interclusionem. Duobus enim modis meatus claudi contingit, vel quando corpus ipsum τρηματῶδες (foraminosum, quis diceret) in angustum contrahitur, ut cum spõgia, cujus corpus est læve, ac molle, in quo raritas inest, contrahitur: vel ubi meatus obstruuntur & obturantur, cum transitiones illorum per vię, aditusve aliquib. excrementis intercluduntur. Ampliationem præterea, vel latitudinem meatuum, duabus itidem differentijs distribuit. Primùm quando similare corpus ad utrumq. discedit, & extenditur, quo tempore insigni expansione ac apertione meatus ex omni parte patentes lati, & maiores fiunt: sic enim fit calvitium laxioribus redditis meatibus ob tensionem cutis. Secundo cõtingit (Gal. inquit) meatuum apertio ex casu elementorum, quæ propriè corpora simplicia & prima (sic vertẽdum) appellari asseverant. Ex elemẽtorum casu, ἔκπτωσιν, græcè, hoc est, lapsu, prolapsione, & concidentia primorum corporum, atque ex propria sede transmutatione. Quid autem sit elementorum hic casus non immeritò postulabit aliquis: at Gal. ipse id videtur explicare. Nam si corporum ex elementis compositiones dicebantur concretiones, tunc profecto, casus elementorum, & lapsus cõtingebant, cum athomi & corpuscula concidebant, & à naturali concretione recedebant, unumq. ab altero ita separabatur, ut meatus patentiores fierent. Vnde antiquus interpres alteram hanc meatuum ampliationem fieri dixit, *retractione elementorum ad invicẽ*, quæ lectio tollit omnem difficultatem: quippe corpusculis ad invicem retractis foramina, quæ inter ipsa sunt, necessum est, maiora & patentiora fieri.

Trematodes.

Ecptosis.

Quæsitum.

Responsum.

Nam Themison & Asclepiades corpuscula & meatus, aut individua, & vacuum, aut deniq. impatibilia, & inalterabilia prima, & simplicia constituerunt elementa, & in symmetria quadam exiguorum meatuum sanitatem: prædictos verò morbos in ametria: reditum autem ad pristinã meatuum symmetriam sanationem putarunt. *Thessalus, cum hæc principia fuit insecutus, aliquid voluit innovare: torà enim exiguorum meatuum statum censet immutandum*, in sanatione. Nam συγχεῖν, miscere, verbum methodicorum proprium est, unde συγχεῖσθαι τὰ σώματα καὶ συγκρίνεσθαι, quasi miscerí secernique, corpora dicebant, ex quo syncrimata, id est, *concreta* vocabant animalium corpora & meatuum miscellanea, quasi ex individuorum corpusculorum mistura constarent. Ex qua opinione processit metasyncriseos nomen, quæ nihil aliud est, quam *exiguorum meatuum in naturalem statum mutatio*. Hinc μετασυγχεῖσθαι, quasi dicas, incorporari, ut loquar verbis methodicorũ, quod est, miscellæ corporis statum præter naturam se habẽtem instaurare, atq. transmutare.

4. meth. cap. 4.

Metasyncrisis quid. Ibidem.

Cæl. Aur. lib. 2. chronic. c.

Nomina sunt hæc ab illis nec elarè, nec prudenter usurpata: *neq. enim sunt aperta, quæ dicunt, neque vera*. Sed quamvis ita sint, enimverò medicamentorum nomen, quæ hinc metasyncrimata nominantur, *ex alto humores evocantia ac transferentia*, licetà methodicis profectum: tamẽ ubi expedit summa eatem relaxari & corruptum humorem evocari, atq. habitum corporis mutari, postea celebres etiam medici usurparunt, omissa quidem obscurorum indicatione à dogmaticis introducta, quam à vitiato meatuum statu desumebant, ut scribit Celsus. Vnde Gal. primo secundum locos, & secundo *in omnibus plurimùm inveteratis affectionibus, hæc metasyncritica medicamenta ex sinapi & thapsia, & similib.* consuluit, *cum nihil profecerint reliqua auxilia*: ignorat tamen, *quâ ratiocinatione priores medici*

Lib. 5. sim. cap. 25.

Metasyncritica medicamenta quæ. 1. sectionis loc. cap. & lib. 2. 1.

Dioscorides lib. 3. c. & lib. 4. 157.

Lib. 2. c. 17. Ibidem.

2. meth. cap. 2. Ibidem.

(me-

Aet. lib. 3. ca. 185. Aeg lib. 3. cap. 63.

(methodicos intelligit) *ad usum curationis metasyncriticæ, quam primùm consuerunt.* Posteriores medici Galenum studiosè insecuti sunt: sed hæc casu quasi prætereiens dixi.

TEX. XXI.

IVXTA verò suppositionem secundam duæ sunt ægritudinum differentiæ, cum videlicet partes similares nonnunquam solis qualitatib. alterantur, nonnunquā verò ad easdem partes aliqua confluente substantia, in qua eædem sunt qualitates. Et secundum quidem modum, ex quo tumor aliquis corporib. advenit, nemo fere medicus ignorat. Nam & erysipelata, & inflammationes, quas græci phlegmonas vocant, & tumorum genera, quæ ab eisdem oedemata, phymata, & phygethla appellantur, & strumæ, elephantiases, scabies, lepræ, vitiligines, tumores duri in hoc genere comprehenduntur. Qui omnes morbi adeo sunt evidentes, ut neminem possint latere.

COMMENTARIVS.

Accedit ad species particulares morborum partium similarium juxta secundam suppositionem, Hippocratis nimirùm, & peripateticorum, qui totam substantiam cum tota substantia misceri statuerunt, quas duas esse sub quolibet primo genere ex quatuor dinumeratis, manifestò cōperit. Demonstravit præterito capite partes similares intemperie calida laborare, cum naturalem corporis constitutionem superabat calor: frigida, cum frigiditas: humida quando humiditas: sicca verò, quotiescunque siccitas eminebat. Nunc docet quamlibet harum intemperierū bifariam distributam esse. Interdū quidem corpora similaria solis qualitatibus alterantur, ac citra humoris alicujus fluxionem, qui solius qualitatis excessus nudam intēperiem vocatam procreat. Interdum substantia quædam & humor prædictis qualitatib. præditus ad similaria corpora confluit, à qua exuperantia qualitatis intemperies cum affluxu à doctioribus appellata producitur. Quæ secunda differentia, quando scilicet ex humoris fluxione intemperies fit, à nullo medicorum ignorari potest, cum à quantitate humoris tumor, & inflatio in partibus frequentissimè concitetur. Extat quidem aliquis in profundo corpore reconditus & penitus abstrusus tumor, sed Gal. loquitur de intemperieb. cum fluxione, quas omni ex parte patentes intuemur, & quæ ut plurimùm contingunt, quemadmodum in exemplis licet observare. Quælibet igitur intemperies duplex est, vel nuda, vel humoris alicujus fluxione septa & circūvallata. Sub hac omnes tumores præter naturā subjecti sunt, erysipelata, phlegmonæ, oedemata, phymata, phygethla, strumæ, elephātiases, scabies, lepræ, vitiligines, & scyrrhi, qui affectus aperte significant humorem vitiosum in laborantem partem defluxisse, ac illorum plures indicant tumidam eandem reddidisse, cumque sensib. expositi sint, tum ratione partis, cui incident, tum ratione humoris, à quo trahunt originem, variam sortiuntur appellationem & descriptionem.

Objectio.

Solutio.

TEX XXII.

AT quos sola intemperies primarum committit qualitatum, ij non omnib. ita patent, nisi cum plurimùm à naturali habitu pars recesserit: tunc enim facilè affectus ipse ab omnib. deprehenditur, veluti qui superante caliditate ac totum obsidente animalis corpus, febris nūcupatur. Eadem verò caliditas quandoq. in singulis animalis partib.

trib. sensui subijcitur, veluti in crurib. cum quis nimium ea ambulando fatigaverit, aut in manibus cũ remigando, aut agrum fodiendo, sive aliquid tale faciendo, ad lassitudinem usq. pervenerit: tunc enim & ijs ipsis, qui labore oppressi sunt, & alijs tangentib fervidiores sentiuntur. Qui, si ex alicujus humoris profluvio magnus quidam tumor parti adjectus sit, erit ex secunda morborum differentia. Ex prima autem erunt, & illa, quæ nuper cõnumeravimus & si qua præterea dispositio aut ex solis adustione, aut ignis calefactione, quemadmodum eæ, quæ squameæ appellantur, in certa animalis parte, aut toto corpore contrahatur.

E *temperies calida præter naturam toto corpore dispersa.* Si verò in partibus calor vehementius excitetur, ut in crurib. cum quis præter consuetudinem in ambulatione se acerrimè exercuerit, aut in manib. cum remigando, vel agrum fodiendo, vel aliquid tale faciendo ad lassitudinem usq. pervenerit, ac defatigationem, quæ solitum officium, & laborantium, & eorum, qui extrinsecus eos tetigerint, judicio, manifestè impediat, non quidem febris, sed tantum calida illarum partium intemperies, eaq. nuda nominabitur.

F Solicitus autem Gal. de discrimine tradito inter nudam intemperiẽ, & eam, quæ humoris præsentia munita est, animum paulò diligentiùs attendit, nequis dubitasset de ijs, quę dudum dixit, titubanterq. loqueretur, unam cum altera confundens. Igitur observat, quòd, si in dictis partib. labore defessis, præter ninium calorem, oriatur quispiam magnus tumor, ob defluentem aliquam *substantiam calidam*, non iam ad primam, sed ad secundam differentiam pertinet, quam intemperiem cum fluxione humoris appellavit. Nam in codice greco *οὐσίαν τινὰ θερμὴν*, *substantiam calidam* lego: in latino, *substantiam* tantũ, nullo adjuncto apposito, nescio cujus culpa.

Observatio

COMMENTARIVS.

Quando substantia qualitatib. prædicta confluit ad partes similares, quæ intemperies cum afluxũ dicta est, á nullo medicorum ignorari asseveravit. Nunc sermonẽ transfert ad alias intemperies, quæ citra humoris fluxionem, in solo qualitatis excessu consistunt, qnas non sic manifestò comprehendi docet, quoniam hæ, sine aliqua manifesta inflatione, externave nota, in occulto latent, nusquamq. prorsus apparent, nisi pars affecta in statum præter naturam fuerit plurimùm conversa: tunc enim facile ab omnibus deprehenduntur, ut in parte ambusta, vel impensè refrigerata, quoniam nudè subsistentes à magno recessu principium ducunt. Harum Gal. exempla supposuit. Primum igitur calida intemperies, vel in toto corpore inest, atq. illud sic apprehendit, ut ejus functiones lædat, vel in una tantùm parte, quam graviter offendit. Si in universo corpore exuperat, actionibusq. illius moram & impedimentum inferat,

G

H

Febrisquid febris nominatur: est enim febris *inflammatio*, & *περίκαυσις*, hoc est, *infusiones*, & *ambustiones*. πύρωσις apud græcos duplicem potissimum habet significationem. Primùm sonat, fumo, fumum excito. Hinc dicta est à Galeno aliquando (quem sequitur Aetius) febris πυρώδης, hoc est, fumans, vel fumosa, dissimilis tantùm ab ea, quæ dicitur ὀμφώδης, hoc est, palustri similis, & humida, quoniam in hac, cum in paulò frigidiore materia accendatur, ægrotãtes etiam à primo die multo sudore manare solent: in illa verò solùm fumus & vapor apparet, utpote qui ex humore

Typhoedes. Pyretodes. Typho. 1. apho. cõ. 12. 7. apho. cõ. 47. Adversus Lycum c. 3 Typhodes. 1. de diff. feb. c. 7. Elodes. Act lib. 5. cap. 89.

humore tenuiori excitetur. Quamobrem illarum descriptiones paulùmoppido inter se differunt, cum utraq. sit febris symptomatica & ajecinoris erysipelate orta, ut λιπυρία ab erysipelate ventriculi, & κρημώδης ab erysipelate, quod pulmonem infestat. Præterea πύρω significat accendo, seu incendo inflãmo, uro: Hesichius enim πύρεται, non solùm exponit κατασφάττεται, fumo infestari, verùm etiam καίεται, accendi, vel incendi, & φλέγεται, quod est inflammari. Porrò πύρωσις à Galeno dicuntur hoc loco incẽsiones, & ardores, calidęq. intemperies, quemadmodum καύσεις, ambustiones, vel exustiones, quę ex ignis ardore nimio relinquuntur. Quas affectiones squameas vocavit interpres. Nã in illis cutis est dura tanquam coriũ, plurimusq. in universo corpore adest squallor, ut habet Gal. libello adversus Lycum: squalleo autem à squamarum crebritate & asperitate, quæ in serpentum, pisciumve corijs visuntur, dictum est, teste Macrobio. Squarosas quoq. has affectiones dicere poterat à squamarum similitudine, cum in his, ob assiduam illuviem, cutis exurgat.

Aet. ibid. Lipyria. Crimodes. Typhoides. Pyretodes.

Quib. explicatis animadvertendũ est, Galenum ab hoc loco exorsum esse definire febrim, ne post hac aliũde petamus definitionem illius, cum libros de differentia febrium exposuerimus, ut nonnulli faciunt. πῦρ, ignis, inde πυρετὸς græcis, nobis febris à februo, idest, faces accendo. Galenus intemperiem calidam vocat, & quadam differentia febri maximè familiari ab alijs calidis intemperieb. hoc loco distinguit, & quotiescunq. voluit ejus naturam circunscribere, ut libro de causis morborum, quarto de causis pulsuum, libro de curatione per sanguinis missionem, & sexto de morbis vulgaribus. Differentia est, quod febris in totum animalis corpus effundatur. Sed cum non possit universum corpus obsidere, quin principium habeat, unde profundatur, hinc dixit primo de differentia febrium, tunc adesse febrim, quando in corde calor præter naturam generatur, & merito. Nam, cum benè habet cor, naturalem temperiẽ cum partib. reliquis partitur, & cõmunicat medio calore naturaliter insito. Cum hic præter naturam redditur, communicat febrim, cujus particeps est. Quare febris definitur *intemperies præter naturam calida in corde accensa, & toto corpore dispersa.* Sed cõmentarijs in primum de differentia febrium hæc à me tractata sunt accuratiùs.

Pyr. Pyretos. Capit. 2. Capit. 7. Cap. 5. Com. 1. 29. Capit. 3.

Febris quid

TEX. XXIII.

CVM verò morb. frigidus est, calido quidem contrarius in extremis quandoq. partib. usque adeo patens dispositio contingit, ut ipsæ emortuæ decidant. Nec minus universum aliquando patitur corpus, sicuti iter agentib. in validò frigore accidit: nam pleriq. ex his in ipsa via commoriuntur: pleriq. verò antequam domum perveniant, ad hospitium algidi ac semianimes deferuntur. In morbo autem attonito, & comitiali (alterum apoplexiam, alterum epilepsiam græci appellant) & tremore, & distentione nervorum (quam græci spasmum vocant) talis sæpe accidit passio. Nam & ij, quos in itinere, vsq. ad mortem frigus oppressit, talib. rigorib. corripiuntur, quales græci emprosthotonos, opistotonos, ac tetanos appellant. Nonnulli autem his passionib. quas congelationes nominant, affligũtur. Alij simile quid, ijs, qui morbo attonito laborant, patiuntur.

COMMENTARIVS.

Intemperiem frigidam, quæ calidę opponitur, etiã vel in toto corpore, vel in partibus inesse docet. In partibus

tibus quidem potissimùm extremis, ut manib. vel pedib. manifestus est affectus, cum aliquando ipsæ mortuę decidant. Nam omnis vehemens in temperies, ut libro tertio de causis symptomatum docet Gal. vires deijcit: virib. prostratis, ut maxima fiat à naturali cõstitutione mutatio, & actiones pereant, necesse est: ubi autem supra modum increscit intẽperies, fit, ut propter magnitudinem frigoris pars emori, adeo q. gangræna vocata incipiat corrumpi, donec tandẽ in totum corrumpatur, quia gangræna, hoc est, partis extinctio, ad sphacelum via dicitur, quæ perfecta mortificatio est. Hic est ille excessus latitudinem morbi etiam egressus, usque ad interitum corporis, de quo loquebatur Gal. capite quarto. Qui quidem in extremis partib. ideo maximè contingit, quoniam longissimè absunt à corde, quod docente Galeno, caloris nativi, quo animal regitur, fons quidam est, & ignis locus. Atq. hæc est causa, cur partes extremæ inchoantib. febrium accessionib. refrigerentur, nimirum calore intus incluso. In universo autem corpore accidit etiam hęc intemperies, quod monstrat Gal. exemplo illorũ, qui per nivem iter fecerunt, quorum plurimi mortem obierunt in ipso itinere, sed alij priùs, quam domum reversi essent, hospitio gelidi & semimortui accepti fuerunt. Horum posteriorum affectus sæpe etiam accidit apoplecticis, epilepticis, tremulis, & convulsis, quib. & frigida intemperies cum illis communis est, & similia symptomata. Nam principio accessionis morbi semimortui & algidi plapẽq. rigidi esse videntur: illi verò, qui dum iter conferrẽt, mortui sunt propter frigus: alij cõvulsionis aliqua differentia correpti: alij congelatione (catalepsin, hoc est, comprehensionem vocant) alij simile quidpiam apoplexiæ perpessi sunt.

Capit. 1.

Gangræna quid. Sphacelus quid.

Tex. 14.

Cor fons caloris 6. de usu p. ca. 7. lib. de feet. for. cap. 3.

TEX XXIIII.

IN *his verò passionib. omnib. in quib. supervenit aliquod accidens, ipsum multorum distrahit intelligentiam, ut accidens ipsum putent ægritudinem, atq. ægritudinem accidentis causam. Nam qui operationum læsiones putant ægritudines, hi non absq. ratione nervorum distentiones, insensibilitates, torpores, & reliqua hujusmodi, ægritudines vocant. Nos verò ab initio de nominib. edocuimus, ne quempiam forte lateret in hisce omnib. non de reb. sed de nominib. tantummodo disceptari. Illos potius quispiam iure meritoque taxabit, qui suam non servant hypothesin. Sed licet aberrent, plus se tamen cæteris sapere existimant: audire enim licet eos, cum interdum distinguere conantur, dicentes, Si nervorum distentio sequatur inflammationem, ipsam esse adventitium quoddam, atq. accidens inflammationis: si verò solam intemperiem, ægritudinem. Hæc de febre ipsa arbitrantur, nimirum, si post sensibilem alicujus membri advenerit affectũ, accidens esse: alioquin ægritudinẽ ac passionem esse censendam. Qui quidem ob id sunt accusandi, quod non expectantes donec ab alijs cõfutentur, ipsi se ipsos revinciunt. Qui verò supponunt operationum læsiones appellari morbos, neq. à primo discedunt instituto vel etiã aliud quoddam simile parum advertunt, in omnib. tantummodo decipi, res verò ipsas rectè assequi, sunt existimandi. Sed de omnib. ad medicinam pertinentib. nominib. est à nobis alibi plenius explica-*

plicatum: & si quis rectè his uti cupiat, librum illum curiosiùs inspiciat. Quoniam verò hic locus rerum cognitionem præcipuè desiderat, ea, quæ deinceps sequũtur (servata, quam diximus nominum ac vocabulorum proprietate) aggrediamur.

COMMENTARIVS.

Differenti Galeno de mo. is; quos, quæ sequuntur, symptomata, palàm prompta sunt, afsistentiumq. animos, ac sensus maximè movent, in memoriam venit illorum dogma, qui symptomata á morbis non rectè distinxerunt. Primùm ad se allicit, & trahit multorum mentes. Nam symptoma pleroſque certé, non vulgares modo, sed & peritissimos quoq. diversè trahit, & fallit, putantes hoc ipsum morbum esse, morbum verò illius causam. Vnde cum actiones vitiatas morbos esse arbitrentur, si cui convulsio accidat, sensus abolitus, torpor, & id genus alia symptomata, non ab re morbos esse putant: intemperiem verò, á qua illa oriuntur, non morbum, sed morbi causam existere.

Antiqua fuit hac de re usq. ad Galeni tempus *dicta controversia dissidentib. inter se, non modo medicis, sed etiam philosophis*, nũ actio læsa, vel affectus, vnde prodit actio, dicatur morb. *Et dissidere viros*, ut ait alibi Gal. *in reb. tam obscuris, non est mirum: non intelligere tamen quod erat de nomine contentio, taxatione dignum est. Quippe si inter omnes convenit, curationem dirigi ad affectum, qui lædit actionem, parum refert litigare, num affectus, qui lædit actionem, an actio læsa, morb. sit.* Vnde quamvis sit rationabilius, affectũ, qui lædit actionem, morbũ appellare: qui verò illũ creat, morbi causam: tamẽ G. aliquãdo nobis dedit libertatẽ & licentiã eligendi *quoniam ad curationem, id nec prodest, nec obest.* Quamobrem hos, qui sic in perpetuum opinantur, hoc loco nõ increpat G. sed observat se ab initio de nominib. dixisse, ut cũ fuerit occasio, quę nũc est, intelligeremus, nõ de rebus ipsis, sed de nominib. esse disẽtionem. Methodicos verò solos reprehendit, utpote qui in suis principijs non constabant, atque eo magis reprehendendos esse arbitratur, quod cũ maximo errore ducerentur, tamẽ putabãt se sapienter agere. Porrò in sua sententia non permanere monstrat, quoniã, cum actiones læsas perpetuò esse morbos statuerint, enimverò deinceps quãlibet passionẽ, sive actio esset, sive actionis causa, symptoma vocabant, dummodo sequerentur alium affectum sensibilem, & manifestum: hinc læsam actionem interdum esse morbum dicebant, quando scilicet contingebat citra manifestũ aliquem affectum: interdũ verò symptoma, cum actio lædebatur ab aliquo affectu perspicuo & manifesto. Quod exemplo convulsionis monstrat. Nã cum ex inflãmatione (de qua liquet) nascebatur convulsio, ipsam dicebãt esse inflãmationis epigennema, hoc est, succedens & symptoma: morbũ verò, si ducebat originem ex intemperie ignota, & latente, cujusmodi sicca est. Idem confirmat exemplo febris. Nam cum sequebatur sensibilem alicujus partis affectum, ut phrenitidem, pleuritidem, peripneumoniã, qui affectus manifesti sunt, symptoma esse dicebant: quum verò citra vulgatos affectus, sed vel ab humoribus, vel ab spiritib. incensis producebatur morbum, & passionem vocabant. Ergo hi meritò accusandi sunt, quod alienam confutationẽ nõ expectantes, á seipsis convincuntur, & urgentur confessione sua. *Nam qui læsas actiones morbos esse tenent*, & in eo persistunt, *quanquam parum convenienter nominent, possunt tamen de rebus ipsis*, ut alio loco dixit Gal. *rectam habere sententiam*, quandoquidem, an corporis affectũ appellare morbum oporteat, an actionis vitium, idest, ut prædiximus, de nomine dubitare: *curatio autem recta non ex nominum, sed ex rerũ rectâ opinione contingit.* Verum de medicis nominib. omnib. abundè proprio libro (qui tamen non extat) se dixisse prodit. In præsentia deliberat rerũ cognitionem persequi, atq. stãdo in dicto nominũ pacto & convẽtu ad eas res, quę sequuntur, progredi.

Reprehendit methodicos.

1. *met c. 7.* 2. *met. c. 1.* 2. *met. c. 6* 1. *met. c. 6.*

TEX-

TEX. XXV.

DIXIMVS de calidis & frigidis affectibus, qui omnis substantia affluentia vacãt. Eadem ratione & humidæ & siccæ consistunt ægritudines, tota alterascente corporum natura, nullam extrinsecus materiam in sese recipientium. Exiguæ itaq. permutationes, non facile deprehẽdi possunt. Magnæ verò manifestissimè patent, in membris præsertim, quæ emoriuntur. Nam quædam veluti salita ac valdè exsiccata apparent, id vero non ita crebro evenire solet: quædã adeo mucosa, & relaxata visu ac tactu sentiũtur, ut si aliquã ex ipsis partem manib. tractãdã accipias, protinus affluat, atq. instar aquæ excidat digitis. Hoc idem in putridis ossibus usu cõtingit: alia enim non lõge ab arena distare videntur, similia his lignis, quæ sunt vetustate corrupta: alia veluti mucida sunt. Quæ omnia humiditatis vel siccitatis immoderata intemperies ad mortẽ perduxit. Omnes verò alij exigui membrorum à naturali temperamento recessus a multis ignorantur, & ab eisdem imbecillitates appellantur. Nam si inflammatio, aut ulcus, aut aliquid huiuscemodi ventriculum infestet, nullam præterea causam, cur cibus non concoquatur exquirunt: si verò nihil horum sit, aiunt esse ventriculi imbecillitatem, tanquã aliquid dixerint præter id, quod sit evidentissimũ, malã videlicet ciborũ coctionẽ: quid enim eos aliud dicere arbitrandũ, nisi vẽtriculi in suo opere perficiẽdo debilitatẽ? Hoc autẽ nõ est, quod quærebatur, sed quæ causa sit eiusdem debilitatis: cur enim vẽtriculus suũ officium debiliter impleat, cũ neq. ulcere, neq. inflãmatione, neq. tumore indurato, neq. simili aliquo morbo afficiatur? Neq. enim illi sine ulla omnino causa, cõcoquendi cibũ facultas eripitur. Quare relinquitur, ut aut immodicos meatus, aut qualitatẽ intẽperiẽ causari sit necessariũ. Ex quo etiã illud facile intelligitur, nulli earũ ægritudinũ, quæ partib. similarib. accidũt, posse unquã rectã curationẽ adhiberi, nisi primorũ elementorũ animadversio fuerit adjũcta. Sed adversus hos alibi, quẽ admodũ expedire videbatur, disseruimus. At quod præsentis interest loci agnoscere oportet ventriculi imbecillitatem aut venæ, aut arteriæ, aut musculi, aut aliorũ (ut simpliciter dicã) instrumentorũ, tum animalium, tum vitaliũ, vel ob meatus immodicos, vel ob qualitatum intemperiem, necessariò provenire. Quo pacto verò tales eorum affectus sint agnoscendi, non est præsentis negocij: non enim indicia explicare, sed ipsas primas enumerare ægritudines in præsenti statuimus. Ego verò jam videor eas omnes commemorasse, quæ partib. similarib. tribuuntur.

COMMENTARIVS.

Abunde disputavit de nuda intẽperiẽ, tum calida, tum frigida, nunc de humida & sicca instituit agere et quemad-

quemadmodum enim solo, vel calore, vel frigore alteratur totum corpus, aut illius pars aliqua, nulla extrinsecus affluente substantia, similiter de humiditate, & siccitate dicēdū: observat tamen humidas & siccas intemperies, ubi exiguæ sunt, non ita facilè deprehendi: magnas verò facillime cognosci, præsertim in partib. quæ propter dictas intēperies emoriūtur. Nam harum aliquæ usq. adeo siccantur, ut sale fuisse conditas putemus. veluti salsamenta, quæ in diutur num cibum, & usum condiuntur, quod tamen rariùs accidit. Quædam verò adeo mucosa, & relaxata visu, & tactu percipiuntur, ut si particulas ipsarum contractare tentaverimus, prænimia humiditate statim defluant, ac veluti aqua è digitis delabantur. Quod non modo partibus carnosis, verum etiam solidis & ossibus contingere solet: aliqua enim ossa non longè ab arena, vel sabulo distant, similia lignis carioſis, & vetustate corruptis, alia veluti mucida sunt, hoc est, mucorem ex putrilagine contraxerunt. Quæ quidem omnia consumpta & emortua sunt ob immoderatam intemperiem humidam vel siccam nudis qualitatibus ortam.

Porrò exiguas intemperies, quas difficiliùs cognosci dixit, cū multos lateant ab ijsdem imbecillitates vocari tradit, hoc est, ab integra functione defectiones. Nam si phlegmonē, vel ulcus patiatur ventriculus, vel similem affectū, ob quem non probè concoquat, nullam aliam cruditatis causam quærunt: si verò nullum affectum hujusce generis patiatur, ex imbecillitate quadam vēntriculum laborare dicunt. Quo loco non methodicos modo, sed aliquos ex dogmaticis & rationalib. accusat.

Hic fuit Erasistrasti error, & ejus sectatorum, qui, cū rationales se nominassent, tamen existimarunt medico satis esse novisse, qualis sit propria cujusq. partis actio: investigationē verò causarum, à quibus actiones proveniunt, ad solum philosophum naturalem pertinere. Quamobrē ratione curabant morbos instrumentorū proprios, ut sunt tumor, inflāmatio, erysipelas, & ulcera, cæteraq. hujusmodi, quæ ante omnium oculos posita sunt: morbos verò, qui in similaribus partib. proveniebant, empiricè curabant, cum solas intemperies non agnoscerent, nec animos ad actionum causas attenderent. Vnde cum phlegmone ventriculus laborabat, atque inde adeò concoquere non valebat, quærebant quænam esset illa phlegmones, & remediorum copiam ratione conjectabant, spreta empiricorum inventione. Cum verò citra phlegmonem, vel similem alium manifestum morbum, concoquere non valebat, quæ solius intemperiei illis ignotæ culpa erat, tunc remediorum facultatem ab experientia petebant, & illum affectū imbecillitatem vocabant. Hinc noster Gal. aliquando appellavit hos medicos ex dimidio empiricos, aliquando ex dimidio dogmaticos, multisq. carpit multis in locis, quæ longum esset commemorare. Hic tamē tribus rationibus illorum dogma refellit. Prima ad incōmodum. Si nāq. ita nominant vēntriculi debilitatem, infirmitatem, vel impotentiam ad naturale opus, *nihil proferunt diversum ab eo, quod manifestum est, & à plebe intellectū, quam dicere audias imbecillum sibi ventriculum esse, nec concoquere vel minima & leviſsima, quæ sumpserit.* Secunda ex natura rei. Cum ventriculus laborat imbecillitate ex phlegmone, scyrrho, vel ulcere, ab his affectibus nascitur imbellicitas, ergo cum illis affectib. non infestatur, aliqua alia causa est investiganda, unde imbecillitas oriatur: non enim est verisimile, quòd ventriculus sine causa privetur actione propria. Vbi advertendum est, interpretem sine occasione his immiscuisse facultatem, cujus non meminit Gal verba illius sic convertenda sunt. *Neque enim sine ulla causa privatus est* ventriculum intelligit *) proba concoctione.* Tertia est ad hominem. Partium similarium actionum causa, vel est moderatio meatuum, vel calidi, frigidi, humidi, & sicci: morbus in ijsdem consistit, vt superiùs demōstratum est, ergo causa vitiatæ concoctionis ventriculi, & imbecillitatis illius, erit, vel meatuū immoderatio, vel intemperies, *quæ cum octuplex sit, totidem erunt*

1. *meth. c. 4. & 5. & 3. cap. 2. & 3. & 7. c. 2. 2. de natu. fac. cap. 9. 6. de lo. aff. cap. 1.*

1. *Ratio.*

Secunda.

Observatio.

3. *Ratio.*

7. *met. t. 3.*

viæ ac rationes imbecillitatũ cujuscũq. partis curandarum. Ex quib. manifestum fit, nullum primorum morborum, de quib. hactenus egit Gal. posse methodo curari, sine perfecta primorum elementorum contemplatione. Sed de primis corporib. adversus methodicos, & hos semidogmaticos primo de elementis ex Hippocratis sententia, quemadmodum primis comentarijs in primum de natura hominis, copiosé disseruit Gal. Hoc verò loco, ad refutationem prædicti dogmatis, plus etiam satis sit demonstrasse omnis imbecillitatis ventriculi, aut venæ, aut arteriæ, aut musculi, aut aliorum instrumentorum, tum animalium, tũ vitalium, causam esse necessariò, vel meatuum immoderationem, quę partium similarium erat compositio ex illorum sentẽtia, vel intemperiem calidi, frigidi, humidi, & sicci ex Hippocratis opinione. Quibus autem signis horum instrumentorum & partium affectus cognoscatur, in libris de locis patientib. docuit: hoc verò primos morbos inquirere Galeno propositum est: eos verò, qui partib. similaribus accidũt, omnes hactenus commemoravit.

EPITOME.

Prima genera morborum partiũ similarium primùm divisit in latitudinem meatuum & angustiam, quæ sectæ prioris erant summa genera: meatuum quidem angustiam in corporis undiquaq. in se ipsum concessum, & ipsorum meatuum obstructionem: latitudinem verò in extentionem corporis ad omnem partẽ & meatuum expansionẽ. Mox alterius sectæ morbos quatuor partitus est in nudam intemperiem, & eam, quæ alicujus humoris præsentia fovetur, ad quam pertinent omnes tumores præter naturam, arguens obiter eos, qui symptoma morbum, & morbum causam appellabant. Postremò autem occasione intemperiei humidæ, & siccæ, quæ, ubi fuerint exiguæ, deprehensu difficiles sunt, veteres aliquos reprehendit, qui, cum partium nudas intemperies ignorarent, imbecillitates appellabant.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

EXAMEN EORVM, Quæ antecedenti capite Docuit Gal.

QVÆSTIO XXVI.

VT nostram commentationem in lucem veritatis proferamus, aliqua sunt examinanda, momentoq. suo ponderanda, quæ plaudentibus nobis capite quinto G. locutus est.

Primùm libro secundo de compositione medicamentorum secundum locos visus est denegare partibus similarib. intemperiem cum fluxione, quod dixerit, in illis *solum affectiones juxta intemperiem simplicem fieri*, quam nudam intellexit, ut paulò antea fuerat interpretatus. Cumque dicat hoc loco in partib. similarib. dupliciter fieri intemperiem, nudã, & cum fluxione humorum, videtur sibi non constare. 1. Objectio. Capit. 1.

Præterea non paucos subringi video, quòd hoc capite dixerit, pertinere ad secundam differentiam morborum partium similarium, *si ex alicujus humoris profluvio, magnus quidam tumor dictis partib. adjectus sit.* Nam, ut quid dixit, tumorem magnũ? Nõ ne sive magnus, sive parvus sit tumor, ad secundã intemperierũ differentiã refertur, cũ ab humoris ptæfẽtia procedat? Imò si plurimũ creverit, i morbis partiũ similarium, nequibit numerari, ut in sequentib. docebit Gal. 2. Objectio. Cap. 12.

Adhæc mirandum est discrimen, quod inter convulsionem, & apoplexiam constituit, cum asserit, *eos, qui ob ingens frigus in itinere mortui sunt, vel cõvulsione correptos fuisse, vel simile quippiam apoplexiæ perpessos.* Nam si de cõvulsione idẽ esset cõmentatus, quod de apoplexia, fortasse dixisset accuratiùs. Cõvulsionis causas in duas tãtũ contulit Hipp. *inanitionem & repletionẽ.* Quare convulsio in illis hominib. non potuit oriri à sola frigiditate externa, quemadmodum apoplexia. 3. Objectio. 6. aph. 39

Rursus injustè vitio vertit veterib.

4. Obiectio. ribus duplicem febris usurpationē, qua nonnunquam morb. dicebatur, nimirum cum sola erat & per se, nōnunquàm verò symptoma, quando Comm. 66. sequebatur inflammationes. Nam Comm. 43. quarto & septimo aphorismorum ipse videtur eandem opinionem recepisse.

Postremò negligenter tractasse videtur de intemperiebus humida & sicca. Nam corruptelas, quę nequeūt emendari, describit potius, quam morbos: corrupta enim sensu, & vita carent omnisque morbi expertia sunt.

5. Obiectio.

Sed hæc non poterunt, quam fecimus cum Galeno, societatem labefactare. Nam illius verba, quibus nititur obiectum primum, longè secus interpretanda sunt, quam usq. ad huc intellecta fuerint: ordiamur altiùs. De dolore capitis disputatūrus, in initio, sex illius causas enumerat, quarum tres priores ad nostrum attinent institutum. *Prima est intemperies simplex*, hoc est, *citra humorum complexum: alia humorum qualitas: tertia multitudo ipsorum humorum. Vehementissimi*, inquit, *capitis dolores fiunt à calore & frigiditate: moderati à siccitate: ad humiditatem nullus consequitur dolor. Eodem modo cum ob redundantes humores dolor contingit, vehementior quidem ob calidos & frigidos: moderatior autem ob resiccantes exoritur.* Quibus positis restabant humidi succi, qui, cum læsionem inferre possint, & qualitate propria humectando, & magnitudine, vel mole partem amplificando, ac distendendo, observat, eosdem *penitùs nullum dolorem inducere sua qualitate: sed tantum magnitudine aucta*, quæ solis instrumentis affectio est, non partibus similaribus quemadmodum his *solis* intemperies nuda. Interpres non intellexit Galenum, unde pro *μόνων*, *solis*, suppositi *μονὸν*, *solùm*, & multos induxit in errorem.

1. Solutio.

Monon. Monon.

2. Solutio. Megan.

Secundò aliqui opinantur vocem illam *μέγεθος*, id est, *magnum*, redundare, atque propterea expungendam esse, quibus videtur assentiri noster interpres, ut quadam nota ad illam oppositā, voluit significare. Enimvero Gal. hoc loco non intelligit tumorem vsquequaq. magnum, sed comparatē. Nā corporis membra, quæ nimio motu & exercitatione recalescunt, adventu sanguinis inflammati, & spirituum per id temporis celeriter impetum facientium, quam primùm turgescunt ac tument. Hinc voluerunt aliqui febres diarias, quæ nudæ sunt intemperies, *pēphingodees* appellari ab Hippoc. hoc est, *inflatas, & spiritib. plenas, nec non terribiles, aspectu quidem*, cum tales appareant, non tamen sint. *Sentimus enim plerumque*, ut Gal. ait, *per febricitantium cutem aereum quendam halitum effluentem.* Quare, cū partes magnis laboribus defatigatæ calidiores fiant, atque sanguine & spiritibus calore excitatis, & eò perductis intumescant, ut magis distingueret, ac separaret duas differentias dictas voluit commostrare hanc partium inflationem, quantumvis ex humore, non esse intemperiem cum fluxione humoris, vel tumorem præter naturam dictum, sed tunc solū, cum tumor quispiam magnus in partibus suboritur, ob affluentem aliquam substantiam calidam, quæ scilicet *à maioribus ad minores minimasq. venas, atque ab his, ad spacia ipsa vacua, quæ sunt inter partes simplices transfundi apparet, donec omnia omni ex parte farta sint & repleta. Tumorem* igitur *magnū* dixit, non simpliciter, sed facta comparatione cum illa exuberatione, & inflatione totius corporis, vel alicujus partis, quæ laboriosa exercitatione defessa, nuda intemperie calida acerbissimè agitatur.

4. de sa. tu. cap. 6. 3. aphor. com. 20. 2. de sym. cau. c. 5. 6. Epid. 1, 29. Ibidem, De inæqua. intemp. c. 3.

Vt tertiam obiectionē diluamus, observandum est, quid sit convulsio, congelatio, & apoplexia. Convulsio est musculorum ad suum principium involuntaria contractio. Hujus differentiæ universales tres sunt, Emprosthotonos, cum totum corp. in anteriora curvatur. Opisthotonos, cum in posteriora: & Tetanos cum in utramq. partem æquabiliter. Congelatio, vel concretio est diffluētis humidi determinatio, quam, docente Gal. vehementes algores efficiunt. Nam, ut idem alibi scribit, non sunt idem congelari & refrigerari, tametsi illud maximè à refrigeratione proveniat. Nā refrigerari est, frigidam accipere qualitatem: at congelari

3. Solutio. Convulsio quid. Differentiæ

1. de diff. feb. cap. 7. 1. simp. 17.

Congelari quid. gelari est durescere præ frigore. In ea igitur afflictione corpus talem figuram servat, qualé obtinebat, quo tempore congelavit. Vnde immobile redditur corpus ipsum, quoniam propter ingens frigus exiccatæ ac induratæ partes inhabiles fiunt ad facultatem animalem recipiendam.

Apoplexia quid. Apoplexia vel attonitus morb. est obstructio vêtriculorum cerebri, sensum & motum omnib. partib. corporis repête adimês, & principes actiones offendens. Ejus causa est vitiosus humor frigidus præsertim in cerebro citra putredinem & febrim con

Apoplexia causæ. p sistês. Quare apoplexia frigidus morbus est, qui spiritus intercludit, ne possint corporis partes permeare, unde sequitur privatio sensus & motus. Rectè igitur dixit Gal. ex ijs, qui ob frigoris vehementiam é vita excesserunt, nonnullos aliquid apoplexiæ simile perpessos fuisse. Nam quemadmodum in apoplexia est abolitus sensus, & motus ob causam frigidam, similiter in illis hominibus sensus & motus aboliti fuerunt, spiritibus vi frigoris interceptis & impeditis. Respondemus igitur convulsionis causas latiùs patére, quam causæ apoplexiæ. Nam hæc semper habet intus inclusam causam suæ originis: illa verò, & ab internis causis, quas tantum memoravit Hippoc. orditur, & ab externis etiam. in quibus numeratur

Sol. altera. extranea frigiditas. Quòd si aliquis verbis Hippocratis constrictus, & addictus voluerit convulsionem illam ortam fuisse ab altera causa internarum, nempe inanitione, tametsi ab externo frigore initium duxerit, permitto libenter. Quoniam maximum frigus, quale quandoque

4. simplic. cap. 12. sustinuit Gal. contrahit, violenter H condensat, & mordicatione lacerat. Nervosæ autê partes plurimùm coactæ & expressæ omnem humiditatê à se pellunt, vnde vacuæ & exinanitæ facilé convelluntur. Verum apoplexia semper habet interiorê exortum incrementum & complementû. Quare non dixit eos homines, qui per nivem iter fecerunt, ex hac vita migrasse correptos apoplexia, sed affectu simili apoplexiæ. Quoniam apoplexia est obstructio principij communis nervorum, & ideo nequit à frigiditate externa produci, quæ sola illos homines perdidit.

Quartò respõdemus Gal. primo ad glauco. sic locutũ fuisse. *Reliquæ febres nõnullæ ex inflãmationib. nonnullæ ex humorib. accenduntur. Et quæ ex inflammationib. fiunt, sunt veluti quædam accidentia partium inflammatione laborantium.* Ergo similitudinem admittit, quam febris ex inflammatione orta symptomati habet, quòd morbum necessariò sequatur: symptoma tamen omninò esse, vel rectè dici negat. 4. Solut.

Objectionis ultimæ, solutio apertissima est in contextu. Nam exiguas mutationes deprehensu difficiles esse prodit Galenus: magnas verò manifestê patére, præsertim in partibus, quæ jam emortuæ sunt. Hæc igitur est causa, cur exempla tradit partium humiditate & siccitate nimia ferè corruptarum, ut ex illis veniamus incognitionem intemperierum, quæ non ita multùm processerunt. De his, cum ventriculum infestant, septimo methodi egit accuratè. In temperiei autem humidæ in toto corpore perspicuum exemplũ habemus libro de præcognitione ad *Capit. 8.* G Posthumum, veluti siccæ libro sexto *Capit. 11.* de sanitate tuenda. 5. Solut.

VTRVM DETVR SIMplex intemperies.

QVÆSTIO XXVII.

(***)

Tex. 15. EX capite præterito, & præsenti *Tex. 21.* H præclarè collegimus similares partes intemperie simplici laborare, cum vel caliditas, vel frigiditas, vel humiditas, vel siccitas é limitibus naturalibus discesserint. Nunc autem non nihil habet quæstionis, an debeat hic recessus tantum considerari in una qualitate cæteris excellente, vel etiam in opposita remissa, hoc est, utrum intemperies orta ex intensione unius qualitatis, altera remissa existente, non simplex, sed composita ex intensa, & remissa

Fundación

remissa dicenda sit, nō minus, quam ex intensione duarū. Nam primæ qualitates omnes, nisi se mutuò quadantenus agunt, ut si una illarum suas vires intenderit, pariter & altera remittit suas. *Sic partium extremarum frigiditas fit ob magnitudinem inflammationis in viscerib. fit etiam propter animæ defectum, vel quia calor nativus extinguatur, vel propter multitudinem suffocetur, tum præcipuè, cum* multitudo *frigida fuerit: fit insuper & propter dolorem vehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in se ipsam contrahitur, & ad eam consequitur sanguis, non solum extremas corporis partes derelinquens, veluti pedes, & manus, & caput, sed & cutim universam.* Igitur, cum partes similares ex frigoris excessu laborant, non minùs caloris naturalis defectum patiuntur. De humiditate & siccitate similiter existimādum. Quare unius qualitatis intemperies videtur nunquam dari: sed composita ex unius qualitatis excessu, & defectu alterius contrariæ.

Ratio dubitandi.

7. aph. com. 26.

Communis opinio.

Communis opinio est, ob excellentiam unius qualitatis intemperiem fieri simplicem: ex defectu verò alterius oppositæ, nihil præter naturam corpori accidere, quod sensu percipi possit. Nam recessus tantum ille morbus est definiendus, qui vitiaverit actionem: sed defectus alicujus qualitatis non est sufficiens lædendæ actioni, ergo simplex intemperies ex sola qualitate excellente constituenda est, absq. aliquo alterius intemperiei comitatu. Quis enim putaverit febricitantium naturales actiones ab alio lædi, quam ab excellēti calore? Hydropicorum verò ab alio, quā à serosa humiditate, vel intemperie frigida & humida?

1. Rat.

1. Fūdamē.

Nos aliquibus theorematis rem hanc diligentiùs explanabimus, si primum ex Aristotele supposuerimus, in quolibet genere rerum dari unā primam contrarietatem, quatenus unumquodque genus per contrarias differentias dividitur. Quoniam verò harum differentiarum una alteri excellit, quia species rerum sunt sicut numeri, & omne id, quod deterius est, privationem, vel quasi privationem nobilioris in se habet, fit inde, ut omnium generum contrarietas ad oppositionem dictam privativam, tanquam ad aliquid communius & prius, reducatur.

1. phys. t. 6.

8. metaph. cap. 3.

10. metap. cap. 7.

2. Fundam.

Porrò quatuor primæ qualitates prima contraria nuncupantur, quia non habent alia priora, é quorum permistione originem ducant, sicuti habent candor & nigredo, quæ exprimis qualitatibus oriuntur. Iam caliditas, quoniam fortiter agit, habitus dicitur, frigiditas privatio quædam. Similiter humiditas magis actuosa, quam siccitas, habitus quidam est, siccitas illius privatio. Ex quo fit, ut extinctio caloris sensui nota sit, & medicos solicitet, angatq. ut in congelationibus: remissio autem frigoris, & minùs officiat, & vexet minùs, ut in febre: itidem defectus humiditatis ante omniū oculos positus, corpori gravius periculum intendat, ut in hectica febri: demissio autem siccitatis vix persentiatur, ut in hydrope.

3. Fundam.

Quod, ut intelligamus, notandum est, primas qualitates dupliciter à tactu cognosci. Primùm positivé, ut quando tactus percipit corpus calidum in excessu, eo quod plus caloris habeat, quam frigoris, ut ferrum candens. Secundo negativè, ut quando tactus percipit calore deficere corpus, quod est redditum præter naturam ex caloris imbecillitate, propter solam negationem & privationem alterationis, quam antea moliebatur abundans calor: hoc enim perspicuum est in qualitatibus, quæ obtinent rationem habitus, & formæ. Vnde tactus cognoscit præsentem calorem, vel humiditatem potissimum excellentem positivè, cognoscit etiam calorem, vel humiditatem, quum deficiunt, sed negativè: frigiditatem verò & siccitatem dumtaxat cognoscit positivè, nimirum, cum excedentes sunt, ut patet.

4. Fundam.

Postremò diligentissimè observandum est, multa naturæ ipsius ratione planè fieri, quæ tamen ad artem non admittuntur. Hinc noster Gal. tertio aphorismorum disputans de simplici aeris intemperie ficca, docet eandem compositam fore, quando frigiditati, vel caliditati adjungetur. *Quamquam* (ad-

Comm. 16.

dit quasi dubitando) *& simplex*, nimirum sicca intemperies, *videbatur quodammodo composita. Nam miscebatur bene temperatæ constitutioni media inter immoderantiam utramq. eam, quæ est secundum caliditatem, & eam, quæ est secundum frigiditatem.* Respondet tamé, *concessum esse in doctrinis, simplices quidem intemperaturas esse eas, quæ secundum unam qualitatem a modo naturæ recesserint: non simplices autem,* id est, compositas *eas, quæ secundum plures.* Quando igitur siccitas sola dominatur, & mediocritas est incaliditate & frigiditate, licet à veritate non sit alienũ, intemperiem esse compositam ex moderata, vel media & immoderata, nõ minùs, quam fuerit composita ex calida & sicca: nihilominus tamen asseruit Gal. in disciplinis usum obtinuisse, ut simplices intemperies sint, in quibus unius tantum qualitatis est excessus: non simplices verò, & compositas, in quibus excellunt plures qualitates. Cujus rei ratio est, quoniam ars tantùm admittit eas intemperies, quibus tactus manifestè afficeratur, quas à qualitatum primarũ excessib. oriri manifestum est.

1. *Cõclusio.* Quibus jactis fundamẽtis, si ex rei natura hac de re judicamus, nullam dari simplicem intemperiem arbitramur.

1. *Ratio.* Nam, cum aliquis laborat frigida ventriculi intemperie propter imbecillitatem caloris, quæso, in quo genere rerum præter naturam statuetur ille humilis & demissus calor? Similiter, cum adest intemperies sicca, ut in marasmo simplici, quid erit defficiens & exausta humiditas? Præter naturam quidem est, igitur morb. vel causa morbi, vel symptoma. Languidus calor, vel humiditas quasi consumpta, non est causa morbi, quoniam neque in ventriculo tunc conceditur calida intemperies, quam solam calor præter naturam alit, neq. in marasmo intemperies humida, quam solam fovet præter naturam humiditas. Neque est symptoma, tum quia non sequitur morbum, tum quoniam nulla qualitas prima, quantumvis præter naturam remissa, dicitur à nostris junioribus symptoma, morbus ergo est.

Præterea, ut ad rem magis & propriùs accedamus, affectus præter naturam, qui lædit actione primò morbus est: sed hæc intemperies calida ex infirmo ventriculi calore, lædit primò ciborum mutationem, morb. est ergo. Valet assumptio. Nam causa mutationis ciborum est quædam temperies, & ventriculi proprietas *calore*, cum naturaliter ineſt, *plurimũ conferente*, ut scribit Gal. Ergo si quando calor langueſcit, concoctio ciborum in vitiũ delabitur. Primò quidé naturâ demittitur calor, mox frigiditas augetur, probabilius verò ac verisimilius est, imbecillitatem concoctionis propriùs sequi ad imbecillum calorem, quam ad augescentẽ frigiditatem, cum illius robur calori potissimum debeatur. Idem dicendum puto de humiditate. Nam hæc, dum secundum naturam se habet, *ad nutritionem maximè est accommodata*: si deficiat, ut in marasmo, læditur nutritio, quæ quidem priùs sequitur defectum humiditatis, quam excessum siccitatis.

2. *Ratio.*

3. *de cau. sym. 1.*

Ibidem. cap. 4.

Tandem, si diminutus calor satis non esset lædendis actionib. vel id ei contingeret, ut calor est, vel ut diminutus est: sed calor nulla ratione istarum est insufficiens, ergo diminutus calor satis est ad lædendas actiones. Negabit nemo calorem sufficere, ut calor est, omnes igitur culpam conferent in ejus diminutionem. Verumtamen instrumẽtorum numerus, vel magnitudo cum insigniter diminuuntur, actiones lædunt, quatenus diminutionem fecerunt, ergo multò magis eadem, vitiabit diminutus calor, quâ diminutus, cum idem naturaliter auctus actiones amplificet cumulatius, quàm numerus, vel magnitudo. Discrimen est quod quando numerus, vel magnitudo ab instrumentis detrahuntur, nihil augetur, cui possimus adscribere læsionem, cum non habeant contrarium: at minuto calore, vel exausta humiditate, exaggeratur, & introducitur frigiditas, vel siccitas, quarum excessus positivè, ut diximus, cognoscit tactus: hinc frigiditatem, vel siccitatẽ sensus culpat, caliditatem verò, aut humiditatẽ minimi facit, utpote quas dumtaxat assequatur negativè.

3. *Ratio.*

Observatio.

Sed

Objectio. 3.met.c.3. & 11.c.12

Sed dicet aliquis, morb. curatur contrarijs, sed in imbecillitate ventriculi, quo tẽpore statuitur duplex intemperies, scilicet frigida extensione frigoris, & calida ex remissione caloris, frigida illa intemperies curatur contrarijs, nempe calidis, calida verò similib. ergo intemperies frigida tantum morb. est, calida neque morb. neque intemperies reputanda.

Solutio.

Respondeo in curatione contraria esse duplicia, contraria per se, & contraria per accidens: calidis curamus intemperiem frigidam per se, ijsdem verò, sed per accidens, curamus intemperiem ex calore languido. Nam quemadmodum vomitum curamus vomitu, & fluxum fluxu, remedio contrario per accidens, quòd vomitus & fluxus causã removeam', ita per accidens curamus calidis intemperiem calidam ex imbecillitate caloris, quoniam calidis removemus id, quod calorem extinguit.

Alt. Solut. Curatio quid. 11.met.c.9. 6.Epid. 2. 9.

Vel dicas, intemperies, quæ proveniunt ex remissione qualitatum, per se curari similib. Quoniam curatio est reductio recessus præter naturam in statum naturalem: recessus autem per diminutionem facti, similib. rediguntur in pristinum statum. Quotiescunq. verò Gal. docet morbos curari contrarijs, dumtaxat loquitur de morbis, quos pariunt excessus, non de remissione ortis.

2 Cõclusio.

Enimverò, si hac de re judicamus ex sensu, tantũ datur duplex intẽperies simplex, scilicet, cũ caliditas, vel humiditas præter naturam excedũt: non autem cum excedunt frigiditas, & siccitas.

1. Ratio.

Nam simplices illæ intemperies tantum admittendę sunt judicio sensus, quas tãtum sensus cognoscit esse simplices: at sensus tantum novit esse simplices intemperies ex caliditate, vel humiditate excedentib. non autem ex frigiditate & siccitate superantib. ergo tantum concedendæ sunt, esse simplices illæ duæ intemperies. Probatur assumptio. Nam in corporibus sanis potissimum cognoscit sensus caliditatem, & humiditatem, quoniam, cum in illis consistat vita, perpetuò sunt excellentes, vel in gradu, vel in virtute; quod ex actionibus cognoscimus. Vnde caliditas, & humiditas in ægris cognoscuntur, non modo cum excellunt, verum etiam cum diminuuntur, quandoquidem, cum diminutæ sunt, negativè cognoscuntur, propter solitæ mutationis absentiam, tunc enim sensum non alterant.

Alt. Ratio

Porrò frigiditas & siccitas (ut cõfirmemus alteram assumptionis partem) in sanis corporibus parum cognoscuntur, & ita licet positivè percipiantur, cum in ægris debitos limites excedunt: tamen vix advertuntur, cum præter naturam diminutæ sunt, & caliditas humiditasq; sunt intensæ. Quamobrẽ, cũ in ægris prẽter naturã excedunt frigiditas, vel siccitas, sensus nõ modo cognoscit frigiditatem, & siccitatem, sed etiam caliditatem, & humiditatem: frigiditatem quidem, & siccitatem cognoscit positivè, sed caliditatem & humiditatem negativè, cum non alteretur ab his, quæmadmodũ antea solitus erat alterari. Quò fit, ut cognoscat intemperiem compositam ex unius qualitatis excessu, & alterius defectu. Veruntamen, cum præter naturam excedunt caliditas & humiditas, illas quidem positivè cognoscit tactus, ut patet: at tunc frigiditatis & siccitatis absentiam vix percipit: tantum igitur cognoscit esse simplices intemperiem calidam, & intemperiem humidam ortas ex caliditate & humitate excedentib.

3. Cõclusio.

Demum, si tantum ad artem respicimus, quatuor dantur intemperies simplices.

1. Ratio.

Nam ars tantum admittit intemperies, quæ originem trahunt ab excessu qualitatum, veluti ex Galeno dictum est: sed in humano corpore sæpissimè excedit una sola qualitas ex quatuor qualitatibus primis, ergo secundum artem quatuor simplices intemperies admittendæ sunt. Propositio est Galeni adducta in tertio fundamento. Vnde hoc & multis alijs in locis, in quib. omnes differentias morborum partib. similaribus proprias adducit, enumerat octo intemperies, quatuor simplices, & quatuor compositas.

2. Ratio.

Quod & confirmat hæc ratio. Quoniam ars medica sensui addicta, & constri-

constricta est, præsertim cum sensus notabiliter movetur à proprijs objectis, atq. propterea tantum admittit perspicuas, & manifestas alterationes, quæ dumtaxat ducunt originem ex sensationib. positivis dictis: hæ verò solùm ab excessib. qualitatum. Ergo, cum una qualitas excellit (quælibet illa sit) simplex quidem intemperies, cum verò excellit duplex, composita intemperies est.

1. Solutio. Solvamus nunc rationes oppositas. Primæ negamus assumptionem, arbitramur enim, si ex rei natura loquamur, calorem diminutum actiones lædere, non minùs, quam lædat auctus calor.

Alt. Solut. Alteri respondemus in febri ex natura rei lædi actiones, & á calore excedentl, & à frigiditate diminuta, quemadmodum in hydrope ab humiditate aucta & à siccitate diminuta. Veruntamen est, cum sensus non advertat diminutionẽ frigiditatis & siccitatis, judicat simplices intemperaturas ex calore, vel humiditate, ars autem pedissequa ita reputat. Sed hæc disseptatio, ut alerentur ingenia, & ars amplificaretur, à me probabiliter exposita est.

VTRVM DETVR *simplex intemperies ex humoris fluxione orta.*

QVÆSTIO. XXVIII.

2. Sec. lo. Capit. 1. APVD Galenum simplicem intemperiem & nudam aliquando idem esse, vidimus quæstione vigesima sexta: hoc tamen loco simplex intemperies est, quæ ortum capit ex unius tantum qualitatis excessu, ut intemperies calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, de qua nunc quærimus, utrum possit reperiri cum fluxione humoris. Iacobus Segarra, qui reconditos Galeni sensus tenere putat, arbitratur non posse dari simplices intemperies cum fluxione humoris. Quod primùm illius auctoritate probat, qui hoc eodem libro, postquam adduxit quatuor intemperies

Opinio Segarræ.

Capit. 12.

E compositas nudas, calidam simùl, & humidam, calidam & siccam, frigidã, & humidam, frigidã, & siccã, his verbis locutus est. *Profluente verò ad ipsas aliqua substantia, erunt pariter aliæ compositæ ægritudines quatuor, quæ ex earundem qualitatum conjunctione proveniunt.* Idem duabus rationib. confirmat ex eodem loco depromptas, quæ in honore & prætio habendæ sunt, propter dignitatem auctoris.

1. Ratio. Prima est. Quando partes laborant intemperie cum fluxione humoris, necessariò debent afflictari omnib. qualitatib. illius: sed unusquisq. F humor duab. qualitatib. præditus est, ergo partes non possunt laborare intemperie simplici cum affluxu materiæ. Assumptio constat. Quoniã sanguis est calidus & humidus, pituita frigida, & humida, flava bilis calida & sicca, bilis atra frigida & sicca.

2. Ratio. Secunda. Cum partes laborant ex materiæ fluxione, ratò aut nunquam fluit simplex aliquis humor: sed alijs humoribus perpetuò commistus: at tunc non potest fieri simplex intemperies, cum à multis humorib. diversæ proveniant intemperies, simplex igitur cum affluxu materiæ non dabitur.

Auctoris opinio. G Doctores nostri arctè semper tenuerunt, accuratêq. defenderunt, intemperiem ex fluxione simplicem.

1. Auctoritas Gal. Nam Gal. hoc capite proposuit differentias morborum simplicium partium similarium ex Hippocratis dogmate, protulitq. duas esse intemperies, alteram, cũ una & simplex qualitas excedit: alteram, cum aliquis humor ad partes fluit, in quib. eandem producit. Et verbis ultimis capitis undecimi scribit, se ad eum usq. lo- H cum disputasse de universis morborum simplicium differentijs. Respon- Evasio. det tamen Segarra Galeni hanc intemperiei distributionem non esse depromptam à natura & essentia illius, neq. esse generis in species contrarias divisionem, quoniam intemperies nuda, & intemperies fluxione humoris comitata, nõ sunt cõtraria, sed una intẽperies calida, modo causam habet, à qua sustinetur, modo nõ habet, sed se ipsa subsistit, ergo ratione causę dumtaxat distinguntur.

2. Auctoritas.

O utinam bonus Segarra, ut arte Lo- Refutatur. gica

gica hîc abutitur, aliàs, ubi opus est, prudèter uteretur. Sanè quæ ipse respõdet mirificè laudo: solutionè non laudo. Nos cum Galeno concluſimus intemperiem ſimplicem dari, ut calidam cum materia juncta: num verò differentia ſit eſſentialis, an ipſe humor ſit illius cauſa, qua ſubſiſtat, & á nuda ex accidente diſtinguatur, vel non, hic non curo. In hanc eandem opinionem adductus eſt Gal. ſecundo methodi. *Similares partes*, inquit, *octo quidè ſecundum nudas qualitates intẽperies habẽt, octoq. rurſus cum fluxione.* Quæ verba concordant cũ contextu græco. Hinc antiquus interpræs eo etiã loco intemperiẽ partium ſimilarium ſedecuplicem fecit. Præterea Galenus ſeptimo ejuſdem operis his verbis locutus eſt. *Sæpe igitur in ipſo ſinu ventriculi contentus humor, qui aut calfaciendi, aut perfrigerandi, aut humectandi, aut ſiccandi, aut etiam horum aliqua per conjugationem efficiendi naturam obtinet, intemperiem creat.* Tandem octavo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos docet, octo eſſe in ſingulis partib. corporis intemperaturas, atq. has omnes aut circa ſolas nudas qualitates, aut cum alicujus humoris complexu fieri.

Porrò eadem opinio, tametſi autoritatib. Galeni confirmata, rationib. perſuadetur. Humor calidus & ſiccus ſiuat in os frigidum & ſiccum: oſsis frigiditas caloris bilis fortiter reſiſtet, ſiccitas verò ſymbolam & conſimilem ſiccitatem admittet ac maiorem faciet, dabitur igitur ſimplex intẽperies a ſiccitate orta, priuſquã ſocia caliditas vincat frigiditatem. Idem dicendum eſt, cum ſit decubitus bilis in hepar calidum & humidum. Caliditas hepar reddit calidius, ſiccitas, ut poteſt, exiccat: credẽdum tamen non eſt, hujuſmodi alterationes fieri æquali tempore, quoniam inter ſymbola facilior eſt tranſitus, citius igitur intemperatur calore calidum hepar, quam ſiccitate, quia natura humidum eſt.

Præterea miſceantur ſanguis, qui calidus & humidus eſt, atq. pituita frigida & humida: ſanè ad quamcunq. partem defluxerint, priùs tempore producetur intemperies humida. Nã uterq. ſuccus eſt humidus: caliditas autem ſanguinis à frigore pituitæ retuſa, non poterit patere intemperiẽ calidam: neq. frigus pituitæ frigidã, utpote quod à calore ſanguinis obtundatur: ſola igitur utriuſq humiditas ſoluté movebitur & liberé.

Reſpondebis utriq. rationi. Caliditas bilis & ſanguinis, præterea frigiditas pituitæ, quamvis impeditæ, generabunt intemperiem inæqualem, unde non erit ſimplex ſicca intemperies à bile orta, vel à ſanguine & pituita intemperies humida. Verum impeditas moveri tardiùs, quis non videtur? Subſiſtet igitur aliquo tempore ſola intemperies ſimplex.

Sed hæc controverſia ſic tota ſe dabitur Gal. ſexto libro de ſanitate tuenda hæc locutus eſt. *Sanè dictum à nobis in libro de temperamentis eſt* (nimirum primo) *fieri non poſſe, ut intemperies qualibet ſola diu duret, quando ipſa ſibi ipſi alteram ex neceſſitate adſciſcit. Indeq. factum, ut pleriq. medicorum quatuor tantum eſſe intemperantias putarint, eaſq. compoſitas, ſimplices verò ne eſſe quidem. Nam & calidam, dum humiditas ſemper conſumit, parere ſiccitatem, & frigidam, dum nihil abſumit, humiditatem ſubnutrire.*

Ex quibus concludendum eſt, ſimplicem intemperiem cum fluxione humoris, utiq. fieri poſſe concediq. debere. Quę aſſertio ijs confirmatur, quæ pro noſtra opinione adducta ſunt.

Veruntamen intemperiem hujuſmodi ad exiguum tempus durare planè putandum eſt. Quod auctoritate & rationib. quas iuniores produxerunt perſuadebitur, quoniam ſimplex intemperies ſibi ipſi ſtatim adjungit alteram, ut de ſimplici naturali G. voluit, cum ſcribit, ſolam diu durare non poſſe.

Galeni autem verba ſic interpretabatur Solanus. *Profluente ad partes aliena ſubſtantia, erunt pariter aliæ compoſitæ ægritudines quatuor*, quæ ſcilicet ex qualitatum conjunctione primo quoq. tẽpore proveniẽt: nam quę nõ proveniunt ſtatim ex conjunctione, ſed ex una tantũ qualitate, non erunt compoſitæ, ſed ſimplices. Ego verò breviùs: *erunt* tandem *pariter aliæ compoſitæ ægritudines quatuor.*

Vtraq. ratio veriſsima eſt, atque con-

Perſugium

Confutatur

Fundamentum.

Capit. 2.

1. Cõcluſio.

Alt. Cõcluſio.

Explcatur Gal.

Auctoris explicatio.

Solutio rationum.

3. Auctoritas.

4. Auctoritas.

5. Auctoritas.

1. Ratio.

2. Ratio.

concludit, fluente quolibet humore ad extremùm fieri cõpositam intẽperiem, cujus ibi generationem investigabat: sed non excludit simplicem, quæ in principio produci potest & manére aliquandiu.

VTRVM DENTVR intemperies cum fluxione humoris, sine tumorib. præter naturam.

QVÆSTIO. XXIX.

INVITVM & huc atq. illuc tergiversantem ad hanc quæstionem me appulit quorundam hominum ignorantia, verens ne illorum opera fortuitò incidant in manus nostrorũ adolescentium. Qui, cum viderent Galenum demonstrasse intemperies cum fluxione, tumorũ præter naturã exemplo, temeritate quadam, & sine judicio, vel modo ducti sunt ad credendum, præter tumores, non dari alias intemperies cum affluxu. Vnde omnes intemperies, quæ cum substãtiæ influxu damnum inferunt, tam simplices, quam compositas, tumores esse arbitrati sunt.

Quorundã opinio.

Quam sententiam verbis Galeni cõfirmant, qui in hoc capite duas differentias intẽperiei esse monstravit, alteram, quam nudam, vel sine materia vocant: alteram, quæ cum fluxione substantię, vel cum materia fit, quam à tumorib. præter naturam cõstitui dixit. Eius verba sunt hæc. *Et secundùm quidem modum, ex quo tumor aliquis corporib. advenit, nemo ferè medicus ignorat.* Explicata nuda intemperie calida, subjũgit. *Quod si ex alicujus humoris profluvio, magnus quidam tumor parti adjectus sit, erit ex secunda morborum differentia.* Insuper libro de cau. morb. causas investigans intemperierum, quæ humorum influxu producuntur, non aliarum, quam tumorum præter naturam, causas memorat. Præterea lib. quarto de præsagatione ex pulsib. disputaturus de mutationib. in pulsu factis ob intemperies, quæ humorum profluentia contingunt, dumtaxat meminit tumorũ præter naturam.

Auct. Gal. *Tex. 21.* *Tex. 22.* *Capit. 6.* *Capit. 2. 3. & 4.*

Quod si aliquis nova quæstione in admirationẽ raptus, postulaverit ab eis, quæ sit causa, cur Gal. præterierit alios modos, quibus ad similares partes cõfluere solẽt humores absq. eo, ut tumores in illis præter naturã efficiant. Respondent Galenum non præterijsse. Nam multos modos retulit, quibus humores defluunt in partes: fluxio tamen illa dumtaxat constituit intemperiem cum humoris affluxu, qui tumorẽ excitaverit, quod si tumorem non elicit, ad causas tantum spectabit, non ad morbos.

Dubitatio. *Responsio.*

Id, cum ratione probare non possint, quibusdam auctoritatibus malé intellectis, nobis persuadere conantur. Dixit Gal. primo de loc. pat. *ventriculum affici, cum à vitiosis molestatur humorib. agrotare verò aut per propriam intemperiem, aut cum inflammationem, vel ulcus, vel abcessum præter naturam habet.* Tertio autem de caus. sym. excrementorum immodicam copiam coctionem lædentem, in causis externis collocat: in morbis verò ipsos tumores. Ecce, inquiunt, humores in ventriculo coacti & coacervati, quãtumvis diu præstiterint, nullum tamẽ tumorem promoverint, causæ tantum morborum sunt: at si ventriculus ab illis intemperatus intumuerit, tunc intemperiem cum fluxione humoris, verè sustinebit.

Auctoritates. *1. de loc. aff. c. 1.* *Capit. 5.*

Commentum hoc ex illo monstro ducit originem, quod imperitè dictitant, quum tuentur in morbis non dari causam, quam conjunctam, vel continentem appellamus. Nam cum illos fugiat, illius opinionis defensio, si humor in tumoribus præter naturam contentus, ab intemperie fuerit diversus, eundem humorem morbum esse palàm profitentur, atq. in sanguinis missione, qua pleuritidi subvenimus, non causam, sed ipsum morbum, exauriri é vena impudenter dicunt.

Observatio.

Sed hæc somnia sunt falsa & inania. Nam quando Gal. intemperiem distinxit in nudam & cum materia conjunctam, per humoris vel materię confluxum non intellexit solos tumores præter naturam, licet eosdẽ exempli

Refutatur superior opinio.

exempli causa suppoſuerit, ut evidē-
tiorib. exemplis rem declararet: ſed
omnem cujuslibet humoris fluxio-
nem, qui corpori humano intempe-
riem invehere poſsit. Quod lib. ſecū
Auct. Gal. do de ſym. cau. apertiſsimè his verbis
Cap. 5. explicavit. *Intemperies igitur, aliàs ex*
nudis provenit qualitatib. ipſis corporib.
aut calidiorib. aut frigidiorib. aut ſiccio-
rib. aut humidiorib. redditis, aut etiam ex
horum conjugatione affectis: interdum ve-
rò unà etiam in ipſis veluti ros, id quod in-
temperatum eſt, diſpergitur. Præterea
Alt. auct. manifeſtè deprehenditur id ex Gale-
ni exemplis. Nam inter tumores prę
ter naturam numeravit etiam vitili-
gines, quæ certè nullam habent auc-
tam quantitatem. Ex quo facilè ſub
odorari debebant, quantumvis ho-
mines hebetes ac rudes, Galenū vo-
luiſſe, non ſolùm illum humorum in-
fluxum, qui tumores ſuſcitat, intem-
periem cum materia efficere, ſed &
eum, qui abſq. tumoris generatione
intemperiem creat.

Siquidem intemperies, quam de-
1. Ratio. fluxus aliquis humor incerta parte
produxit abſq. hoc, ut tumorem in
eadem excitaverit, veluti cum aliquis
acerbiſsimo coli dolore conflictatur
intemperie frigida conjuncta cum pi
tuita vitrea, vel intemperies eſt cum
afluxu humoris, vel nuda: nullus pro
fectò, quamvis jocosè, audebit dice-
re nudam eſſe, erit ergo cum fluxio-
ne humoris: non enim poterit ali-
quis homo ſapiens, & conſideratus
probabilem rationem ſimulare, cur
illi humores, qui aliquo tempore cō-
cluſi, partem alterant, potiùs conſti-
tuant ſpeciem intemperiei, quam il-
li, qui extra tumorem ad partes ad-
hæreſcunt & eaſdem etiam alterant.
Nam utriq. humores partib. adhęrēt,
eodem modo alterant, eodem intem
perant: diſcrimen in eo tantùm poſi-
tum eſt, quod humores, qui extra tu-
morem, intemperiem producunt, in
patentiorib. meatib. continentur, &
liberiùs vagantur. Ergo quis erit tā-
to errore inflatus, ut arbitretur in
inflationibus humores morbum eſ-
ſe: in aliis verò intemperieb. cauſas fieri? Tanta ne vis eſſet in cauſis accidentarijs? Nam locus, qui dumtaxat eſt cauſa, ſine qua non, rei naturam immutare non poteſt. Quare A dicamus confidentiùs intemperies, quę ab humore, ſed extra tumorem, in aliqua parte generantur, intempe ries cum fluxione vocati.

Quandoquidem membrum tumi- *2. Ratio.*
dum ac turgidum non efficitur intē-
perie cum afluxu propter tumorem,
quatenus tumor eſt, ſed quatenus or-
tus eſt ab humore vim alterandi in ſe
habente, vel calfaciendi, vel refrige-
randi, vel humectandi, vel exſiccan-
di, ut lib. de cau. morb. Gal. indica-
vit.

Igitur ſtatim ut humor extra tu-
morem, partem aliquam alterando
intemperatam reddit, illa intempe-
ries eſt cum fluxione humoris. Quod
B autem humores in varias partes fluē
tes eaſdemq. alterantes, tumores nō
excitent neceſſariò, Galeni teſtimo-
nio poſſumus confirmare. Nam tum *1. de lo. aff.*
ad ventriculum & inteſtina, ut primo *c. 2. & 4.*
de lo. pat. ſexto de ſan. tuen. & ſep- *Capit. 10.*
timo meth. conſtat, tum adjecur, ut *Capit. 12.*
octavo ſecundum locos; ſuperfluen- *Capit. 6.*
tes humores ruere ſolent, atq. ſine
tumorib. vel illorum ſpatia, & cavi-
tates infarcire, vel ſubſtantias ipſas
irrigare ac intemperare: irrigare, in-
quam, roris inſtar, ut ex Gal. diximus, *2. de cau.*
C non minùs quam, cum tumores pro- *ſym. c. 5.*
ducunt, veluti decimo quarto meth. *Capit. 2.*
dictum eſt.

Porrò quæ in his libris exaravit *3. Ratio.*
Gal. omnia ſe ſcripſiſſe fatetur, ut in- *Capit. 12.*
ſervirent curationi: at in libris me-
dendi meth. multas intemperies cu-
ravit, quæ ab humorum influxu tra-
hunt originem citra tumorem. Polli- *Cap. 5.*
citus eſt primo meth. omnium mor-
borum curationem traditurum, idq.
illi eo in opere propoſitum præ-
monſtravit. Hinc in fine libri noni *Cap. ultim.*
repetens diviſionem intemperiei nu
dæ & cum afluxu, addit ſe *in ſeptimo*
D *nudas intemperies pertractaſſe: in duobus*
verò deinceps libris ad earum curationem
perveniſſe, quæ in totum corpus extenſæ
ſunt, ut febres. At quoniā harū, alia pendēt
à ſuis cauſis, ut putridæ: aliæ abſq. cauſis
ſubſiſtunt, ſatis viſum fuiſſe, dixit, *primo*
loco de illis agere, quæ cauſam nō amplius
habent, ſecundo loco de illis, quæ à ſuis cau-
ſis adhuc pendent. His addequæ initio
libri decimi tertij locutus eſt. *Duo* in- *Cap. 1.*
quit, *morborum genera quemadmodum*
quis methodo ſanet, docuimus, alterum in
intem-

intemperie positum, alterum continuitatis solutionem, de quo tertio, quarto, quinto, & sexto horum librorum percepimus. Post eã, de ijs, quæ in intẽperie consistunt, usq. ad duo decimum egimus. In hoc verò totius operis tertiodecimo de tumorib. præter naturam differere incipimus. Cũ igitur in illis libris instituerit tria morborum genera persequi, atq. in solutione continui & morbis instrumentalibus (ad
13 met. c. 1 quos tumores referuntur) non modo communem solum scopum curationis, sed etiam omnes particulares, qui ex illis oriuntur, se indicasse nono metho. scribat, aperte concludere possumus in tertio genere, nempe in intemperieb. idem præstitisse, omnesque differentias attigisse. Ergo intemperies cũ materia conjuncta, quæ non occupat totum corpus, de qua egit à capite undecimo septimi libri ad finem usq. ac febres ab humore effervescenti vel putrido, de quibus nono, & undecimo, intemperies erunt, ut sic loquar, materiatæ, ac unum cum ea, quæ in tumoribus gignitur, constituent intemperiem cum affluxu humoris, quæ ab intemperie nuda præterito capite à Gal. disjuncta est.

Objectio. Quod si voluerint cavillari asserentes Galenum in febrium curatione tumorum fecisse mentionem, ut phlegmonis, unde possit aliquis arbitrari Galenum eas intemperies cũ fluxione in tumorib. etiam demonstrasse. *Solutio.* Dicendum est de phlegmone solum disseruisse, quoniam una est ex causis febrium, vel eodem attestante *Capit. 1.* libro decimo quarto. *Ac dictum quidem*, inquit, *non nihil fuerat in febrium curatione, inter cæteras earum causas, etiã de phlegmone.*

Interpretatur Gal. Quæ cum ita sint, interpretemur Galeni auctoritates, quæ pro adversarijs adductæ fuerunt. Primum igitur respondemus, Galenum hoc libro, & de causis, alibiq. passim exẽpla tumorum induxisse ad explicandas intemperies cum fluxione, quia plerunq. humores intemperiem invehentes, tumorem pariunt. Deinde quia res in tumorib. est manifestior, quam in illis, qui tumorem non faciunt, quod ex febrib. patet. Vnde Gal. exempla illa supposuit, non propter tumores, ut tumores sunt: tunc enim ad instrumenta pertinent, videlicet ad magnitudinem, ut ex decimo tertio meth. colligimus: sed *Capit. 1.* propter intemperies ipsas, quæ in tumoribus clariùs apparent. Ergo *Capit. 3.* primo de loc. pat. cum arbitrarentur aliqui partem non pati, quę nõdũ habeat præter naturam permanentẽ dispositionem, quantumvis actione sit impedita, veluti ubi propter humores in ventriculo contentos caput dolet, Gal. permittit nominari passionem brevem affectum, vel qui consensu alterius partis oritur, vel à causa in parte nondum insidente, sed per eam transeunte, producitur: fixũ verò atq. permanẽtem, morbũ appellari, modo res ipsæ non confundantur. Verum hoc nec ad institutum attinet, nec proficit hilum. Tertio de *Capit. 1.* sym. cau. excrementorum copiam immodicam inter causas externas dinumeravit, quod libenter concedimus, quoniam intemperiem, quæ illorum præsentia fovetur, producunt in ventriculo, quæ cum materia vocabitur: tumores verò morbos instrumentarios esse statuit. Quod nostræ opinioni favere quis non videt?

Epilogus. Concludamus igitur intemperiem, quæ morb. est partium similariũ proprius, duplicẽ esse: altera sine humore ac nuda persistit: altera humore seu causa fovetur. Hæc rursus duplex est, una, quando humor tumorem efficit, altera, cum sine tumoris productione partes irrigando intemperat. Quod si dixeris Galenum hic de *Objectio.* causis agere non debuisse. Respon- *Solutio.* deo Galeni hoc loco tantum propositum fuisse, inquirere omnes morborum differentias, sed causarũ obiter mentionem fecisse, quatenus aliquando cum, aliquando sine illis cõsistit intemperies: est enim utilis omninò hæc divisio, quoniam maxima est discrepantia harum intemperierum, quòd ad curationem attinet.

VTRVM

VTRVM DETVR ALIquod morbi genus partibus similaribus proprium, præter dicta.

QVÆSTIO. XXX.

(***)

CAPITE quarto Gal. generaliter definivit simplices morbos omnes proprios partiũ similarium addiditq. nullũ alium reperiri, præter dictos, qui partib. simplicib. sit propriũ, deinde hoc capite particulatim omnes enarravit, atque subjunxit, se omnes commemorasse, qui partibus similarib. tribuuntur. Veruntamen, cum aliqui sint, quib. idẽ semper rerum status displiceat, Gal. ab omni calumnia, vindicandus, & liberandus est. Vir ille gravis, quẽ latorem legis superiùs appellavimus, alios morbos imaginatus est in partib. similarib. præter eos, quos noster Gal. recta methodo pervestigavit. Hunc sequitur lividus ille Zoilus, cui Galenum utcunq. carpere glorioſum est. Subjiciunt ergo similares partes, ut similares sunt, nõ sola intemperie tã quam proprio morbo laborare, sed, tum materiæ, tum formæ ratione, alios morbos pati. Hoc probant & auctoritate, & ratione.

Fernel. 2. de ab. re. cau. cap 9. & 1. Patho. c. 7. Quæstio. 10. Argenteri de generib. morb. c. 4.

Antho. Gal. Cap. 2.

Secundò de curatione febrium ad Glauconem. *Quæ*, inquit Gal. *immoderatè laxant, solvunt robur, quare & partis virtutem: quæ autem supra modum refrigerant, nativum calorem extingunt, qui fortassis, ut non nulli arbitrantur philosophi, ac medici summi, substantia virtutum existit, aut si non hoc, saltem primũ & maxime necessarium earum instrumentum. Iã verò & qualitates quædam extraneæ virtutes dissolvere possunt.* Qua oratione Gal. læsarum virtutum causas tres fateri videtur, relaxantia, refrigerantia, & alienas qualitates, atque relaxantia materiam, refrigerantia temperamentum, extraneas qualitates facultatum substantiam demoliri. Ex quibus tria in similari parte morborum genera discludũt novorum dogmatum, invẽtores, intemperiem materię immoderationem, & totius substantiæ corruptelam.

Ratio.

Ratio imitatur Galeni methodum resolutoriam. In eisdem, cum præter naturam se habuerint, reperitur morbus, in quibus naturaliter se habentibus constiterit sanitas: sed partium similarium sanitas consistit, nõ modo in illarum temperamento, sed etiam in earundem materia, & forma, ergo plura statui oportet similarium morborum genera, quam constituerit Gal. Vnum temperamẽti, alterum materiæ, tertium formæ, quam totam substantiam illi vocant. Propositio vera est: assumptio monstrabitur in duabus subsequentibus quæstionibus.

Fundamen.

Sed vanitas hæc novatrix opinionum jam pridem cessit veritati, in cujus lucem, ut proferam, quæ sum dicturus, & in hac, & in tribus, quæ subsequũtur, quæstionibus, tria sunt mihi breviter summatimque describenda. Quid proprié sit pars similaris. Quid proprie actio similaris. A quo proximé dimanent actiones similares. Pars similaris ea dicitur, cujus omnes particulæ habent eandem rationem cum toto, definitionem, & nomen. Hujus actio tres habet conditiones. A temperamento suæ partis inchoatur. Ab eodem absolvitur. A qualibet ejus particula integra editur, & perfecta, ut appetitio, attractio, retentio, alteratio, seu concoctio, assimilatio, appositio, unitio, expulsio. Quæ omnes actiones, & nullæ alię, in omnibus partium similarium particulis, quantum vis pusillis æqualiter insunt. Actio præterea generatim, simpliciterq. dicta debetur animæ, seu ejus facultati: sed actionis species partium cõstitutioni: bonitas, vel vitium actionis, aptæ, vel ineptæ partium constitutioni & dispositioni. Hæc igitur erit actionum omnium causa proxima quantũvis remotè pendeant aliũde. Quæ quidem satis superq. in superioribus dicta sunt.

Pars similaris quid.

Quæst. 15.

Assertio.

Quibus positis concludimus solam intemperiem præter naturam esse morbum proprium partium similarium. Quod primùm ex Galeno probamus, qui hoc loco, & quotiescunque de morbis partium simi-

Antho. Gal.

larium proprijs disputavit, alterius morbi nunquam meminit. Vnde capite tertio recte dixit. *Carnem, quatenus caro est, ex quatuor elementorum commistione suæ compositionis differentias obtinere.*

Text. 12.

1. Ratio. Deinde omnes actiones partiũ similariũ inchoantur, absolvuntur, & perficiuntur à temperamento, igitur sola tẽperies est propria sanitas partium similarium, & intemperies contraria morb. Præterea perinde ut sanitas est causa naturaliũ actionũ, ita morb. est causa actionum præter naturam, cum sint contrariæ: sed sola tẽperies naturalis est causa proxima, & propria actionũ secundũ naturã partiũ similariũ, ergo sola intemperies præter naturã est causa proxima & propria actionum præter naturam partium earundem.

2. Ratio.

3. Ratio. Postremo quælibet actio similaris vel bona, vel mala est, bona quidem ex naturali partiũ dispositione, mala ex dispositione præter naturam primo profluit: sed propria dispositio partiũ similariũ est sola tẽperies, naturalis quidem, cum naturaliter se habent, intemperies verò morbosa, cum præter naturam, igitur omnes actiones illarum profluunt ex temperamento.

Explanatur Gal. Satisfaciamus ergo his, quæ in partib. similarib. alios morbos præter intemperiem introducere videntur. Scribit Gal. secundo ad Glauc. immoderatè laxantia itemque calfacientia, & frigefacientia, deniq. qualitates quasdam extraneas virtutem dissolvere. Non dubito, quin pluribus modis vires debilitentur, ac dissolvantur: at ob id Gal. tres morbos partium similarium non constituit, sed tres causas imbecillitatis, quas ad solam intemperiem quam mox reducit. Laxantia & alienæ qualitates, nempe insignes primarum excessus, & qui nos latent, omnino partis robur dissolvunt, quia dissipant, & resolvunt, aut extinguunt, & suffocant iusitum calorem facultatum principum instrumẽtum, qui re ipsa non distinguitur à temperamento, ut nos aliquando monstravimus. Contrariæ rationis falsa est assumptio. In similaribus ergo partibus nullus alius proprius morbus in est, quam præter naturam intemperies.

Quæst. 15. & 16. Rationis solutio.

VTRVM SIT ALIQVIS materiæ morbus.

QVÆSTIO XXXI.

Eorundem opinio. SANITATEM partium similarium præter primas qualitates, quas obtinuerunt per temperiem, etiam materiæ qualitates requirere, leves autores arbitrati sunt, ex quibus, cum præter naturã fuerint, morbos materiæ constituunt.

1. Ratio. Primùm partes similares requirũt duritiem, vel mollitiem, quoniam videre licet per multos optimo temperamento præditos, qui neq. calorem, neq. frigus, neq. laborem, neque ullam exuperãtiã tollerare possunt, hac sola ratione, quod molli sint corpore: plurimos è contrario videmus intemperatos, ut rusticos & agrestes, qui tamen validi sunt, & multò faciliùs externas injurias sustinent, quoniam partes singulas ossa, nervos, tendones, omnesq. fibras solidas habent atque duras. Hinc libris de sanitate tuenda, duras frictiones artus corroborare tradit Gal. quòd illorum substantiam, atque materiam compactiorem firmioremque reddant.

2. Ratio. In arte parva cap. 11. Secundò postulant crassitudinem vel tenuitatem. Nam qui cerebri substantia tenui sunt, ingenioſi, qui verò crassa, tardi sunt, ut voluit Gal.

3. Ratio. Tertio densitatem, vel raritatem, quando quidem certorum hominum ventriculi, neque acetum, neque sinapi, neque piper, neq. deniq. quidquã acre, aut mordax perferre possunt. Quod quidem provenit ex raritate membranarum ventriculi, ut cerebri, propter quam causam aliqui nequeunt citra offensionem odores ferre, quib. aliqui magnopere delectãtur. Quartò adstrictionẽ, seu tensionẽ, vel laxitatem, unde morbis vẽtriculi, & jecoris ut illorum robur servetur, adstringentib. perpetuò memur, à relaxãtib. verò abstinemus, quæ vires dissolvere solent.

4. Ratio.

Quintò

5. Ratio. Quintò requirunt sensum & acutiem illius: siquidem illi, quibus exquisitior & acutior sensus est, dolores graviùs ferunt: quibus verò hebetior, atque obtusior, multò leviùs.

6. Ratio. Nec valet, si dicas omnes morbos qui ex dictis qualitatibus proveniunt, reduci ad intemperies, cum ex temperamento, non ex materia proveniant, quoniam, inquiunt, nonnullæ partes conveniunt temperamento, & tamen his materiæ qualitatibus discrepant, ut cor & pulmo: aliæ verò materia conveniunt, & temperamento discrepant, ut jecur & renes. Vnde partiũ similarium sanitas, non modo intemperamento: sed etiam in materia, ejusque qualitatib. reposita est.

Nos tamen existimamus nullum dari materiæ morbum. Nam propter materiam, cum nullius actionis causa sit, ut ex Aristotele accepimus, partes dumtaxat patiuntur: at propter qualitates in ea inhærentes, agendi vi præditæ sunt, materia igitur non est causa actionum, quas partes moliuntur, sed sola temperies.

Auctoris opinio.

1. Solutio. Evertamus ergo fundamenta, quæ posuerũt adversarij. Primũ durities & mollities, vel symptomata sunt alicujus intẽperies, vel inter instrũmentales morbos numerantur. Quod æquis põderib. examinabitur protinus. Aliqui verò alijs faciliùs, vel difficiliùs ferunt frigus, calorem, labores, & alias exuperantias, non propter duritiem vel mollitiẽ: sed propter adstrictionem & meatuum laxationem, neque harum ratione tantum, sed multò magis ob temperamentum, consuetudinem, calorem e corde ampliorem, aut parciorem influentem. Frictiones autem consulit Gal. secundo sanitatis tuẽdæ duram, ut corporis meatus adstringantur, mollem, ut laxentur.

2. Solutio. Cap. 15. & 16. Cap. 9. Secundò, crassitudo & tenuitas ad magnitudinem instrumentalẽ pertinẽt, ut legimus decimo quarto methodi, & videbimus in sequentibus. Nam si humor aqueus vel cornea tunica fiant consistentia crassiores, visionem lædunt, ut primo de causis, symptom. à Galeno dictum est. Celeritas ingenij, cerebri, cum temperaturam, tum cõformationẽ, naturãq. spi-

Capit. 2. A rituũ sequitur: crassitudo verò ac tenuitas sequũtur tẽperiem, & ingenij acutioris vel hebetioris signa sunt.

3. Solutio. Tertiò densitas & raritas passiones sunt in compositione instrumentorum, ut secundo de sanitate tuenda & hoc libro docuit Gal. Qui libro secundo de causis sympto. enumerat inter naturalia facilem, vel difficilem sensum. Tertio libro scribit, *hominis naturam ad symptomatum generationem, tum facere, tum repugnare. Nam, quibus hebetis sensus ventriculus est, ij nec vehementer mordentur, nec dolent, nec multa excernunt, sed nec cardialgia laborant, nec facilè capite infestantur: quibus boni est sensus, his omnia hæc ex facili superveniunt.* Hinc secundo ad Glauconem: *in indicatione*, inquit, *quæ habetur ex virtute partium, quispiam etiam reponeret, & facilitatem & difficultatem ad sentiendum. Nam, quæ facilè sentiũt, acria medicamenta non tolerant, sicuti, neq. etiã humores. Nam, cum acris humor inventriculo continetur, sæpius syncopa corripiuntur.* Ergo, si vẽtriculo exactissimo sensu prædito acria ingeras, singultum excitabũt, aut vomitu rejicientur: at hic nullus aderit morbus, sed vitium erit in re oblata dumtaxat. Quare cõstat partes aliquas exquisitum magis, minùsq. habere sensum, non propter raritatem, vel densitatem, sed tẽperamenti proprietatem. Eadem est reddenda causa, cur aliqui certos quosdam solùm, vel sapores, vel odores, abominẽtur. Nam si propter materiæ raritatem offenderẽtur, omnia vitarent, eandem ob causam.

Cap. 3. B

Cap. ultim.

cap. 2.

C

2. Solut. Quartò, ejusdem generis sunt laxitas, seu extẽsio & adstrictio, hoc est, amplitudo meatuum & angustia, ut libro hoc patebit. Vẽtriculo autem & hepati adstringentia conveniunt, non quatenus similares partes, sed quatenus instrumenta sunt.

Cap. 7. D

5. Solutio. Quintò, sensus acumen vel hebetatio imbecillitates naturales existimãtur. Acutus, vel obtusus sensus est propter eas causas, ob quas diximus superiùs, labores facili' vel difficili' tolerari, tũ ob qualitatẽ à cerebro magis minusq. cõmunicatam. Quare omnia hæc à temperamento proveniũt, quia de secũdis qualitatib. nõ est ferendum judicium ex sola materia, sed ex varia primarum copulatione;

quæ multiplex est, ut temperamenta partium multiplicata.

6. Solutio. Sextò & ultimò, quod duæ partes habeant aliquantulum simile tẽperamentum, possibile est, sed habere idem, est omninò impossibile. Cor membrum omnium calidissimum est, ut scribit Hippocrates libro de principijs, & Gal. primo, & secundo de temperamentis, quo loco, & tertio de alimentorum facultatibus siccam etiam esse vult ejus carnem, quoniam duram, & solidam esse constituit. Contulit verò ibi nõ cor cuti, sed carnibus reliquorum viscerum, ut lienis, renum, pulmonum, & hepatis, veluti ejus verba declarant. Pulmo autem calidus est, sed multò minus calidus, quam cor. Vnde Hippoc. libello de corde *pulmo natura sua frigidus est.* Quo loco sine dubio confert pulmonum temperiem ad cordis temperamentum: & sanè pulmo collatus cordi frigidus est, non secus ac aer æstivus. Iam verò libro primo de temp. Galeno, *minus humida, quam adeps, est pulmonum caro.* Secundo libro, *ipsum*, inquit, *cerebri pulmonisq. proprium corpus humiditati proximum est adipi*, quoniam *caro lienis*, ut quarto de usu partium, *quamvis mollis & laxa sit, à pulmonis tamen carne magno intervallo relinquitur, molliss. enim ea est, laxissima, & levissima*, atq. ut durities siccitatem, ita mollities humiditatem testatur.

Cap. vlt. Capit. 3. Cap. 12. Cap. vlt. Capit. 3.

Similiter impossibile est, invenire duas partes in nostro corpore eadem omninò materia, vel substantia præditas, hoc est, ijsdem qualitatib. secundis affectas. Quod enim de corde, jecore, & renibus asseruerũt, profectò contra est, ac dictum sit. Nam cordis caro dura est, densa, & solida ex triplici fibrarum genere constata, quæ duritie, contentione, robore, ac pariendi difficultate ab alijs omnib. differũt. Hinc Hippocrates cor musculũ appellavit κατ' ἐξοχήν, abusive, non quidem nervo, tendine-ve, sed κατὰ ἀναλογίαν, hoc est proportione quadam, nimirum quia rubra, & fibrosa intuenti apparet cordis, ut musculorum caro (ita singultum sæpe convulsionem vocat, per similitudinẽ motus) item propter carnis densitatem: hanc enim duritiem & robur carnis exigebat vis fervens innati caloris, spirituum tenuitas & perpetua, necessarij motus agitatio. Quamobrem Gal. *cordis caro*, inquit, *liene renibus, & iecore tanto est siccior, quanto est durior. Renum verò caro densissima est, & post hanc hepatis caro.* Quamvis autem substantia illorum rubra sit, verum *cordis substantia simile exquisitè nullum mẽbrum aliud reperiri potest.* Præterea *iecur maximè rubrum cernitur perinde ac sanguis: adeo ut nihil quidquam tam simile sanguini possimus invenire, quam jecoris substantia est.* Et cum *unam quodq. instrumentum proprium quiddam in substantia ita adeptum sit, ut nihil aliud in universo animalis corpore simile reperiatur*, proculdubio *renum natura* materia & substantia *ab omnibus alijs diversa habebitur.*

8. de usu p. cap. 8. Catachresticos, Cata analogian. 1. secũdum analogian. 2. de temp. cap. 3. 2. ad Glau. cap. 2. 6. de Plac. Hip. & Plat. cap. 8.

VTRVM FORMAE sit aliquis morbus.

QVÆSTIO. XXXII.

FAVTORES morborum à tota substãtia in duas sectas divisi sunt. Alij sẽper se Galeni sectatores fuisse gloriantur, quorum dogma quæstione sequente diligenter examinabimus. Alij vero magis audacter, quã perite contra Galenum materiæ morbos ac formæ defendunt, qui quidẽ nomine totius substantiæ, nihil aliud, quam alterum rei cujusq, naturalis principium constitutionis, nimirum formã intelligũt. Quare morbos formæ, vel totius substantiæ ita conantur attingere, quibusdam priùs jactis fundamentis.

1. Fund.

Partes nostri corporis, cum naturaliter se habent, non solùm exercent actiones calfaciendo, refrigerando, humectando, vel siccãdo, quæ sunt opera primarũ qualitatũ, & temperamenti, neq. solùm agunt ope secundarũ qualitatũ, quę materiæ assignãtur, laxãdo, adducendo, attenuando, condensando: sed chylum generant, sanguinem, lac, semen, quarũ substantiarum generatio multùm abest à temperamento, & materia: est enim hoc opus formæ substantialis, quæ corporis constitutionem

3. de temperamentis nem ingreditur. Vnde Gal. verba faciens de nutritione, inter alimentum & corpus, quod nutritur, perpetuò statuit familiaritatem, & totius substantiæ similitudinem. *Omne animal*, inquit, *conveniente sibi nutritur alimento: conveniens autem cuique alimentum est, quidquid assimilari potest corpori, quod nutritur. Oportet igitur toti nutrientis substantiæ cum tota nutriti natura communio aliqua similitudoq. sit, prorsus hic quoque non parvo excessus defectusque subsistente in ipsis discrimine, cum alia magis consentientia similiaq. sint,* 2. de temperam. cap. 6. *alia minus.* Et alibi scribit se, *tum in commentarijs de temperamentis, tum autem in libris de medicamentorum facultatibus, copiosissimè exposuisse à totius substantiæ proprietate suum cuiq. animantium generi cibum esse familiarem.*

Adhæc permulti morbi extant, 2. Fundam. qui quidem non solùm calfaciendo, vel refrigerando, laxando vel adstringendo nostrum corpus afficiunt, sed ex vi quadam occulta & penitus abdita graviùs agunt. Nam Hipp. morbos alios à victus genere, alios ab spiritu, quem trahimus, fieri docet, hùc idcirco in omnes publicè grassari putat, quòd omnes attingat inspiratus aer, qui morbi dum in se quoddã excrementũ habet, ad cujus præcautionem & curationẽ jubet loca mutare, in quibus morbus grassatur, & quam pauciſsimum spiritum ducere. Gal. in commentario sic scribit. *Rectè igitur, quum halitus sola potiùs substantiæ proprietate, quam simplici aliqua qualitate corporibus noxij sunt, curandi rationem explicuit, rem hanc in duos referens scopos, locorum mutationem, ac usum modicæ respirationis.* Hinc scribit in arte medica, *nostrum corpus affici ab aere ambiente, quia aut calefit: aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, vel secundum horum conjugationem aliquid patitur, aut in tota alteratur substantia.*

3. Fundam. Postremò aliquibus morbis medemur medicamentis, quæ agunt à tota substantia, non calore, frigore, humiditate, siccitate. Docuit hoc Gal. quinto de simplicium med. fac. & libro sexto Epid. ubi quatuor enumerat corũ genera, quæ corpori nostro commodum, vel incommodum per occultam nobis vim adferunt medicinæ purgatoriæ, alimẽta, & ea, quæ Hippoc. malefica nominavit, atque ipsorum remedia. His utendũ esse hortatur, cum in corpore maleficam materiam contineri cognoverimus, quam vel alterando impedire, vel evacuando tollere volumus.

Mox rationib. insurgunt. Vt naturalis partium constitutio posita est in forma, quæ illarum substantia, perfectio, & integritas est, qua ipsæ consistunt, & ad quasdam actiones permultùm valent, ita si forma hæc immutetur, & de perfectione decedat, partes continuò perfringuntur: illa verò decessio de optimo statu, substantiæ totius corruptionem, vel corruptelam vocamus: perfecta corruptio, & confirmata interitus est: atque nondum confirmata fuerit, morbus formæ dicetur. 1. Ratio.

Item quemadmodũ accidens pugnat cum accidente, non dissimili ratione, substantia cum substantia decertat: sed plerunq. pestilens aer, vel medicamẽtum venenatum, quæ agũt à tota substantia, cõtra nostrum corpus congrediuntur, ergo in totã corporis substantiam invadunt, morbusq. hinc ortus non temperamenti, vel materiæ, sed totius substantiæ morbus dicetur. 2. Ratio.

Docet hoc sanatio. Nam si medicamenta introducit Gal. ad partium similarium nonnulla propellẽda mala, quę quidem medicamenta, non ob suas evidentes qualitates: sed ex tota substantia, & forma, remedia sunt, igitur ejusdem sententia necessariò sunt concedendi morbi similiter ex forma, totaque substantia, quibus illa medicamina medeantur, simplicibusq. partibus laborantibus succurrere possint. 3. Ratio.

Etenim frustrà natura dedisset, Galenusq. distinxisset medicamẽta, quorũ alia manifestis qualitatib. alia proprietate quadã formæ, ac totius substantiæ hominum incommodis mederentur, si morbis tantum à qualitate manifesta, ut febris quartana, non autem morbis totius substantiæ, ut pestis est, afflictaremur. 4. Ratio.

Quibus cõpositis argumentis, si de Galeno quæritur, cur horum morborũ ex professò non meminerit, eundem statim accusant, quod in hoc libro genera morborum universa & Observatio.

primæ, mox verò & ex illis composita se investigaturũ promittit: è memoria tamẽ fuerint elapsi morbi hujusmodi à tota substantia, quos ipse necessariò cõcessit & per plures passim commentarios dispersit.

Auctoris cõclusio. Nos autem repudiãtes novitates, observatis primùm ijs, quæ de similari parte, & ejus actione tanquam fundamentum jecimus quæstione vigesima sexta, concludimus, nullos esse morbos formæ.

1. Ratio. Quando quidem morbi formæ, nec sunt morbi similares, nec instrumẽtales, nec communes, ergo nulli: non esse communes, vel instrumentales, ab horum inventoribus conceditur: quod nec similares censeantur, monstrandum est. Nam similares morbi actiones partium similarium primo & per se lædunt: sed actiones similares consistunt in proprio partium similarium temperamento, atque lædi nequeunt illæso temperamento, consequitur ergo idem esse temperamẽtum, & totam substantiam, vel totã substantiam non æquè primò actiones lædere.

2. Ratio. Præterea nihil est in parte similari, quod actionibus præsit, præter formam & temperamentum: nam materiæ qualitates aliæ nulli actioni, quam instrumẽtali, utiles esse possunt, cum ipsa non sit principium efficiens actionum: sed forma nullius actionis est causa proxima, ergo partium similarium morbi omnes, sine alicujus interjectione, originem trahunt à temperamento. Vera est assumptio, quoniam formæ omnes utuntur facultatibus ad agendum, adeo ut dixerit Aristot. ignem non calfacere quatenus ignis est, sed quatenus calidus.

3. Ratio. Iam hujusmodi morbi, vel fiunt quando dicunt formam in formam agere, vel cum mutuò pugnant qualitates: substantiarum neque pugna est, neque contrarietas, neque motus, ergo in qualitatibus erunt tantum morbi, atq. proinde intemperamento.

4. Ratio. Deinde si forma sine interjectione instrumenti corporei, hoc est, absque partium dispositionibus agere posset, nempe absq. temperamẽto, structura organica, vel solutione continui, perperam fuisset definita sanitas, dispositio corporis, à qua primò eduntur actiones; deinde anima nostra esset actionum proxima causa, & eodem modo ageret, quoniam agendi varietas oritur à vario instrumento: præterea non fatigaretur, nec in agendo pateretur, quoniam de fatigatio & passio instrumenti est: deniq. actiones essent componentium, nõ compositorum, quę absona omnia & absurda sunt.

5. Ratio. Ad hæc in omnem morbũ via est alteratio, vel loci mutatio, vel accretio aut diminutio, ut dictũ est, quoniam cũ morbi non acquirantur mõtu, necessarium est, ut motu quodam alterius accidentis præcedenti sint, vel non sint: unde præcedenti motu locali, vel accretione aut decretione, gignitur morbus instrumentalis, vel communis, si præcedit alteratio succedit vitium in temperamento, ergo nullus est morb. à tota substantia. *Nam quæ absolutè generatio nominatur via est in substantiam*, non in accidentia, cujusmodi morb. est. *2. met. c. 3.*

6. Ratio. Item, cũ fiunt morbi, quos vocãt à tota substantia, vel simul corrũpũtur forma, & tẽperamẽtũ, vel corrũpitur aliquando forma illæsa tẽperie remanente. Non potest corrũpi forma, temperie remanente intacta, quoniam tunc aliqua partis similaris actio esset læsa, manente secundum naturã constitutione à qua ipsa profluit. ergo unà simul, & forma & temperies vitiantur: sed forma primò & per se nullius actionis causa existit, cõcludamus ergo in illud tantũ cadere morbi partium similariũ rationẽ, quod actionis est causa propinquissima, cujusmodi tẽperamentum est.

7. Ratio. Postremò nulla substantia corporea potest imprimere passionẽ permanentẽ in alieno corpore absque opera qualitatũ, hoc est, nisi calfaciat, refrigeret, humectet, siccet, laceret, dissecet, contundat, ẽtinuũ dissolvat: sed aer pestilens, vel medicamentũ venenatum, & alia multa, quæ à tota substantia dicuntur agere, sunt substantiæ corporeæ, ergo non possunt agere in nostrũ corpus absque intemperie, vel solutione cõtinui, ergo morbi formæ distincti à tem-

temperie, vel solutione cõtinui nulli sunt.

Nunc rationib. oppositis satisfaciamus Primæ respõdemus in anima lib. duplicẽ esse naturalẽ constitutionem. Prima est ex internis principijs materia & forma, cũ qua constitutione nullum habet commercium sanitas. Altera constitutio ducit originẽ ex principijs ab essẽtia externis, quę quidem est sanitas ipsa, cujus contrarium morb. in ijsdẽ reponitur. Quare cũ ad nihilũ recidit forma substantialis, vel evolat anima, & foras excurrit, corruptio sequitur & mors: sed cum valetudo ægra est, introducto morbo, corpus dicitur ægrotare, tũcque forma, vel anima incolumis & salva omninò permanet. Morbi ergo pathemata sunt corporis & externæ constitutionis illius, non substantialis formæ. *1. Solutio.*

Propositio secundæ falsa est. Nam substãtiarum non est pugna. Vnde licet aer pestilens, vel medicamentum venenatũ sint inimica nobis tota substantia, non sequitur, quod introducant morbum totius substantiæ. Nã calfaciendo, putrefaciendo, erodendo nos offendunt, & qualitatib. quæ cum nostris congrediuntur. Profectò sic in nos agunt, quemadmodum noster ventriculus in alimenta, ventriculus autem agit calore ac proprio temperamento. *2. Solutio.*

Ad tertiam respondemus, quædam esse medicamenta ex Galeno, quę nõ propter suas manifestas qualitates, sed ex tota substantia, remedia sunt. Verum inde non sequitur, dari morbos formæ. Nam substantia, quam in medicamentis cognovit Gal. forma non est, sed totum temperamentum, quam totam substantiam ipse vocat. Vnde non rectè aliqui totius substantiæ morbos à temperamenti morbis sejunxerunt. Quippe totius substantiæ partes secundum Galenum sunt materia & temperamentum: at materia nullius actionis causa est, sed temperamentum, quod solum oportet lædi, quoties similaris actio læsa est. Quamobrem ijdem sunt morbi totius substantię & temperamenti. Eadẽ ratio locum habet, si formam tanquam tertium addas, quod cum Aristotele & rectè philosophantib. faciẽdum esse reor. Nam hæc tametsi prima & princeps causa sit, proxima tamen non est, sanitas autem & morb. actionum proximæ causæ sunt. *3. Solutio.*

Idem ad quartam rationem respõdendum est, dari quidem medicamenta, quæ proprietate quadam & tota substantia malis medentur: at totam substantiam formam non esse, sed potius temperamentum. Quid verò per totum temperamentum cum Galeno intelligamus, sequente quæstione explicabimus deligentiùs. *4. Solutio.*

Porrò qui dubitant, quid censerit Gal. cum in hoc opere de morbis formæ, vel totius substantiæ nullam fecerit mentionem, sibi persuadeant tantum virum, vel omninò negasse morbos à tota substantia, vel in numero morborum partium similariũ definito reposuisse. Nam in hoc lib. morbos omnes partium nostri corporis ita investigavit & penetravit, ut latebras nullas omisisse circunspectaverimus. *Observatio*

VTRVM SINT ALIqui morbi à tota substantia.

QVÆSTIO. XXXIII.

PERGAMVS reliqua, & videamus quid statuat de hujusmodi morbis Iacobus Segarra, qui alterã sectam secutus est, seq. in hoc interpretem Galeni fuisse arbitratur. Porrò sic explicat, quid sit tota substantia.

Temperamentum primo sumitur apud Galenum pro duarum qualitatum primarum, vel unius excessu. Præterea pro toto temperamento cum certa substantiarum elementorũ proportione unicuique mixto propria. Hanc ipse Gal. totam rei substantiã creberrimè vocat, quandoquidem non solum qualitatum temperiem, sed etiam substantiarum mixtionem amplectitur. Nam, ut qualitates certum habent temperationis modum; ita substantiæ certum habent mõdũ mixtionis. Hoc igitur totum & qualitatum certum temperamentum, & certum substantiarum mixtionis modum *1. Fundamẽtum.*

dum, licet hæc nobis incerta sint, E Galen. totam substantiam appellavit.

Alt. Fundamentum.

Hinc naturalem corporis constitutionem dupliciter posse corrumpi asseverat: uno modo qualitatum manifestarũ occasione: alio modo quãdo id abditæ cujusdam causæ ratione accidit, qua illa temperamenti proprietas ex omnib. qualitatib. procedens corrumpitur atq. in totius temperamenti decessionem & detrimẽtum prolabitur. Primum genus intẽperiei, quæ dicitur manifesta, curandam esse docet per medicamenta, F quæ manifestis qualitatib. illam oppugnant: alteram verò, quæ occulta est, curandam tradit per ea, quæ tota substantia, & temperamenti proprietate illi adversantur, ut ad manifestum morbum, manifesta remedia, & ad occultum affectum, occulta medicamina proportionem & comparationem habeant.

Assertio.

Quibus jactis, unã cum illis fundamentis quib. morbi formæ præterita quæstione cõstituti sunt, totius substantiæ morbos dari fatetur, & fortiter tuetur.

1. Ratio.

Nam tunc conjectamus morbum totius substantiæ, quum non solùm qualitates, verum etiã tota partium G similarium substantia perpetitur: sed cum aliquo veneno cruciamur & cõsumimur, non modo qualitates, sed tota substantia partium affligatur, & patitur, ergo tunc adest morb. à tota substantia. Probatur assumptio. Quoniã omnis actio fit ex cõtrarijs sub uno eodemq. genere comprehẽsis, fieriq. nõ potest, ut vel qualitas in substantiam, vel substantia in qualitatem primum & per se agat: sed venena magis totius substantiæ pro- H prietate, quam nota qualitate nocent, ergo cum nos afflictant & torquent, non modo qualitates, sed etiã tota substantia patitur & maiore malo mactatur.

2. Ratio.

Hinc medicamentorum alia, docente Galeno, manifestis qualitatib. alia tota substantia faciunt contra nos: verum, quæ manifestis qualitatib. agunt, morbum manifestum inducunt, ergo quæ tota substantia pugnant, similem sibi morbum generabunt.

3. Ratio.

Quamobrem, cum venena essent productura in nobis hujusmodi morbos occultos, communis parens natura sagax & provida remedia multa machinata est, quæ similiter prædita occulta vi, tanto malo mederentur. Hoc autem ad quid præstitisset natura, si nullum totius substantiæ morbũ extimuisset?

Defendit Gal.

Veruntamen cum auctores morborum materiæ ac formæ Galeno crimini dederint, quod hic nullam de morbis à tota substantia fecerit mentionem, respõdet Segarra, hosce morbos nulla ratione constare, illorumq. medicamenta nulla ratione posse inveniri, sed utraq. sola experiẽtia cognosci. Vnde Gal. in hoc libro, ubi methodo, & ratione morborum partiũ similarium numerum tradidit, tacitas intemperies tacitùs præterijt, nõ certé, quòd nullas esse putaverit, sed quòd eas methodo non subjacére existimaverit.

Refutat opinio Segarræ.

Mihi tamen, ut exprimam intimos animi sensus, explanatio hæc totius substantiæ nunquam placuit. Nã cujusq. rei definitio evolvit involuta Ratio. opertarumq. rerum patefactio est: at cum definitur tota substantia certus modus temperationis qualitatum, & mistionis substantiarũ, definitio hæc definito quidem est obscurior, certusq. ille modus profectò incertus, & plurimum dubitationis habens, unde si quem totius substantiæ nomen confundebat, non minus, & quidem fortasse magis conturbabit qualitatum & substantiarum implicata confusio.

Alt. Ratio.

Præterea, si perlustrari voluerimus actionis occultæ causam primam, in multis magnisq. laboribus versabimur. Nam hæc causa, vel est solum temperamentum, scilicet natura ex calido, frigido, humido, & sicco constituta, vel certus modus mistionis, vel utrũque. Non potest esse solum temperamentum. Nam hoc etiam ad quamcunq. actionem concurrit: nulla enim fit actio in nostro corpore similari, quæ proximè non proveniat à temperamento. Neq. causa hæc est certus mistionis modus. Quoniã is nullã molitur actionem, quia mistio, quomodocunq. facta sit, tantum est corporum unio, quæ nullam actionem

edere

edere potest. Demùm neq. utrunq. Nam temperamentum, quantum est ex se, obscurè non operatur: si ergo aliquid abditi, & occulti subest in actione, à certa mistione provenire debet: at mistio, ut dixi, nihil agit, sed usum præstat dumtaxat, & temperamento ministrat. Quamobrem tota substantia sic explicata nullius actionis occultæ propria causa est.

Observatio

Ego verò licet exploratum habeã in explanatione totius substãtiæ vix posse me sejungi à certo qualitatum temperamento, ratoq. attemperationis modo, tamen maiorem, & faciliorem rei explicationem inquirã, remq. hanc à natura involutam valdeq. obscuram patefaciam, & quantùm maximé potero illustrabo. Igitur ad id aggredi par est, atq primum de abdita facultate dicere subtilius.

1. Fũdamẽtum.

Dari latentem facultatem, quam animus noster firmè concipere nequeat, à patribus maioribusq. nostris iam olim statutum est, atq. ab experientia rerum matre firmius comprobatum. Quam proprietatem occultam, & coecam, vim specificam, substantiæ proprietatem, & naturam nominarunt. Est autem duplex proprietas, vel facultas hęc. Alia tribuitur formæ, quod in suo sinu eandem repositam habeat, veluti est in homine facultas ridendi, de qua superiùs ex Aristotele diximus. Alia consequitur modum mistionis, atq. materiæ temperamentiq. proprietas dicitur, utpote orta ex diversis temperamentis diversarum partium misti, ut rhabarbari purgandi vis, quæ nõ in formæ substantialis essentia, sed in proprietate materiæ proximæ ac temperamenti consistit. Quæ duæ substantiæ facultates plurimum distant inter se & potissimum quintupliciter. Nã, quæ formæ dicitur esse, nequit separari à re, cujus est facultas, quamvis ejus actus secundi possint impediri. Deinde quoties convenienti occurrit objecto, secundos actus promit absq. adminiculo externo. Præterea tanto melius agit quanto subjectum perfectius & melius dispositum est. Item in omnibus speciei individuis necessariò inest. Postremò vix habet usum in medicina. Quæ quidem causa est fortassis, cur eandem, eiusq. stir-

Quæst. 16.

Discrimen in duas facultates.

A pem formam substantialem dissimulandas putaverit Gal. octavo de Hippocratis & Platonis decretis. Alia vero, cum temperamenti certum gradũ comitetur, nonnunquam deleri potest subjecto incolumi permanente. Rursus externo principio indiget ad hoc, ut actus secundos proferat. Quos quidem tunc ferè solum perfectissimè promit, cum subjectum quodammodo corruptum est. Vnde non inest necessariò in omnib. speciei individuis. Verum in Medicina magno usui est, de qua nos hoc loco dicere instituimus. *Capit. 3.*

B Facultatem hanc noster Gal. in partib. corporis & alimentis vocavit *familiaritatem, familiaritatem qualitatis, naturæ similitudinem*: in partib. & medicamentis ἀλλοτριότητα, id est, *dissentionem & naturæ dissentionem* (alienationem convertit interpres.) In omnib. verò *proprietatem, proprietatem substantiæ, proprietatem totius substantiæ, proprietatem temperamenti*, sæpissimè *totam substantiam*, & aliquando *naturam*, cujus nomine, non solum intelligit purum temperamentum ex mutua primarum qualitatum actione, & passione ortam, & in abstracto, ut dicunt, C consideratam: sed unà cum hac, subjectam quoque materiam comprehendit, nimirum materiam propinquam unà cum temperamento, sive cujusq. rei materiam propriam, cum suo temperamento, materiam secundam nonnulli vocant, vel (& quidem rectè) secundum temperamentum. Hoc illud est, quod expressit Gal. tertio de temperamentis, cum scribit. *Sanè naturam, cum dico, universam substãtiam & temperiem significo, quæ ex primis elementis conflatur, calido, frigido, humido, & sicco.* *1. sim. c. 3. & 3. c. 6 et 4. c. 9. et 15 5 sim. c. 1. & 16. 10. sim ca. de cancro rũ cinerib. 6. Epi. 6. 5. 13. met. c. 6. 5. de aff. c. 7. 3. de sym. caus. c. 1. In arte parva 85. 2. de nat. hu. com. 4. 3. de temp. c. 4. Ibidem.*

D Sed propiùs accedamus, & observemus diligenter ex Galeno *insingulis simplicium ac primarum partium, aliã portionem substantiam carum esse, veluti fibrosam, aliam membranosam, aliam carnosam.* Quod in unica venarum tunica demonstravit. *Medicamenta verò ferè omnia, licet sensu appareant simplicia, naturã tamen esse composita: quin & subinde quoque adversissimas in sese continere facultates, nempe excernendi, & sistendi, incrassandi, & extenuandi, rarefaciendi, & cõdensandi, illinendi, atq. abstergendi, con-* *10. meth. c. 11. 3. sym. cap. 14. & 16.*

trahendi;

trahendi, & laxandi, cæteraſq. oppoſitiones univerſas. Quod non debet nouum videri cum unâ & eidem medicamento vim calfaciendi, & refrigerandi ineſſe appareat, aut exſiccandi, & humectandi aut tenuium partium & craſſarum: quippe viſi primæ efficaciſſimæq. virtutes hoc pacto complicarentur, haud ſane quæ ex illis ſequuntur ſimiliter complicata forent. Hæc, quæ commemoro, illuſtrantur ijs, quę lib. quod animi mores &c. idem Gal. indicavit, cum ſcripſit, *ſimilare ſimplexq. corpus nullam ſenſui evidentem inſtrumentariam compoſitionem habere.* Quib. ſanè ſignificavit ſimplicia & ſimilaria cór pora, aliquam, licet latentem, inſtrumentariam compoſitionem obtinere.

Capit. 3.

Ex quibus concluditur partes noſtri corporis, alimenta, medicamenta, & miſta feré omnia, tametſi judicio ſenſus reputentur ſimplicia, ex varijs tamen ac diverſis naturâ partibus conſtare, quarum unaquæq. ſuum habet temperamentum à reliquarum partium temperamento maximè diſjunctum, & aliquando contrarium. Quo fit, ut ex toto miſto, vel omnibus partibus illius ſimul ſumptis, colligi poſsit unicus exceſ ſus duarũ qualitatũ, vel tãtũ unius, ex quo miſtum dicitur calidum, & humidum, vel frigidum, & humidum, vel calidum, vel frigidum. Quod quidem temperamentum qualitas eſt nobis manifeſta, & à materia abſtracta, hoc eſt, ſine materia conſiderata, qua miſtum illud ſolùm calfacere dicitur, vel refrigerare. Verum, ſi cõtemplemur idem temperamentũ, quatenus multiplex eſt, nempe concretum ex temperamentis diverſarum partium ejuſdem miſti, quarum una proprio temperamento calida eſt, alia frigida, alia magis vel minus calida, alia magis vel minus frigida, & alia tandem longé aliter, qualitas quidem illa ex tot qualitatibus compoſitis conſtata, occulta eſt, & miſtum, quod eius ope contendit, abditè & ex occulto ad actionem aggreditur. Hæc tota ſubſtantia eſt. Nam temperamentum vulgata ſignificatione, manifeſtam qualitatem vocamus ex primis ortã: hæc tamen, de qua nunc loquimur, á natura involuta eſt: illa nota nobis & ſenſibilis, atq. tantum vis qualitatum ſuperantium, quæ ſine ſubjecto intelligi poteſt: hæc ſenſibus non percipitur, & omnium ſimùl invicem poteſtas quædã eſt: tamen ſine peculiari & propria materia non concipitur animo, *quippe qua propriam partis ſubſtantiam complet. Nam carnem eſſe carnem, & nervo nervum, & aliorum uniuſq. id eſſe, quod eſt, ob qualitatum quatuor certã quandam temperaturam contingit:* certã, inquam, hoc eſt, in tot ac talibus materiæ vel miſti partibus inſidentem, ſive ex tot ac talib. temperamentis particularum materiæ proprię ac ſecundæ conflatam. Quam temperaturam abſtruſiorem conſideravit Gal. cum dixit noſtræ ſubſtantię ſimilitudinem eſſe cum alimentis: cum venenis verò & morbis venenatis maximam diſſimilitudinem: nam à tota ſubſtantia agunt venenum & peſtifera lues, neq. hac ſola, ſed etiam temperamento & qualitatibus manifeſtis calfaciendo, putrefaciendo, erodendo, quemadmodum in alimenta noſter ventriculus, *in quo mutationis ciborum eſt cauſa certa quadam temperies, quæ proprietatem corporis ventriculi efficit.*

1. de uſu. c. 9.

3. de cauſ. ſym. c. 1.

Ergo tota ſubſtantia (ut ſummam ſubducamus) nihil aliud eſt, quam multiplex & varium temperamentũ in totum miſtum partesq. omnes, ac diverſas illius diſtributum occultas actiones edens. Tota verò ſubſtantia dicuntur agere, quæ non una dumtaxat, duabus-ve qualitatibus in miſto cæteras ſuperantib. agunt, ſed quæ nos afficiunt virib. totius materiæ ſecundæ ex tot & talib. partib. miſtæ ac concretæ. Sic & totis ſubſtantijs pati affirmamus, quæ non tantum caleſiunt, frigeſiunt, humectantur, exſiccantur, dividuntur, comminuuntur, extenuantur, aut ſimile quippiam ab inſito in nobis calore patiuntur: ſed quæ ab eodem tota permutantur, & in aliam ſpeciem tranſmutantur: ea enim, in quibus aliquid manſit retinens nomen & definitionem prioris ſpeciei, qualitatibus quibuſdam, nõ totis ſubſtantijs perpeſſa ſunt.

Ex quib. nihil negocij erit tempe ramenti, & totius temperamenti, vel totius ſubſtantię, tũ diſcrimen, tum convenientiam exquiſitiùs colligere. Nam temperamentum nihil aliud eſt,

Temp. nũ temp. & to ta ſubſtantia, quo diſ ferant,

est, quam nuda, sola, & manifesta qualitas orta exprimis qualitatibus excedentib. tota verò substantia temperamentum est constans ex varijs tẽperamentis partium, quæ sunt confusæ, concretæ, atq. mistæ in materia secunda: quasi temperamentum sit qualitas constans ex caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate una vel duab. ex his manifestò excellẽtibus, totum verò temperamentum sit qualitas constans ex caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate in diversis partib. totius misti varié ac dissimiliter distributis. Atq. ut uno verbo dicam, unum & idem sunt re ipsa tẽperamentum, & totum temperamentum, solum ratione distinguntur (rationem formalem dicunt) quoniam temperamentum aliquando sumitur pro nuda qualitate, quæ manifesta est, aliquando pro qualitate conflata ex disparib. temperamentis partium dissimilium subjecti, quo tempore idem temperamentum nomine materiæ, & tẽperamenti conjunctim effertur, & à Galeno tota substantia nominatur. Nam licet tunc solas etiã qualitates primas intelligat, tñ cum easdem sumat, quatenus varié diffusæ ac dispertitæ sunt in partib. materiæ, simùl connotant modum substantiæ tenuis crassæ, lentę, friabilis, densæ, rarę. Qui modus quantumvis ducat originem à qualitatib. primis, quoniam illæ universam substantiam alterant, & transmutant, veruntamen illæ ipsæ in qualitatib. secundis, & tertijs varias facultates habent, atq. inde varias actiones exercent, & vario modo sensum nostrũ afficiunt. Quãobrem Gal. talem tot qualitatũ concursum in omnib. materiæ partibus subsistentem totam substantiam appellavit. Quæ quidem, ut existimo, est illa uniuscujusq. rei *Idiosyncrasia* ab empiricis decantata, ideſt, corporum proprietas & cujuslibet peculiaris temperatura. Quam si quis meliùs cupit intelligere, attentè legat, quæ hac de ré quarto de simpli. medic. facultatib. noster Gal. reliquit scripta, ubi docet, duo posse in mistione cõsiderari. Primum, quod dominatur, ratione cujus mistum dicitur, vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum. Alterum est proportio & comparatio, quam habent qualitates ad qualitates. Nam ex eo, quod in varia mistione varia sibi proportione respondent qualitates, mox contingit mista variè operari.

Idiosyncrasia. 3. *meth. c.* 2. & 7. *Capit.* 15.

Sed aliquib. exemplis rem apertiorem reddamus. Lac temperaméto frigidum & humidum est, sed cum ex aqua, & caseo, & butyro componatur, partibus quidem notis, ex illis mistis nascitur in eo certum temperamentum diversum à temperamento manifesto frigido & humido lactis. Cum agit lac, proculdubio semper agit suo temperamento: verum aliquando tantum refrigerat & humectat temperamento nobis manifesto, quod ex primarum qualitatum victoria in mistione contraxit: aliquando tamen agit, vel potiùs patitur toto temperamento, quando nõ solùm refrigerat, & humectat: sed etiam ex tota substantia convertitur in nostram, qua cum habet certam familiaritatem ratione partiũ, quæ præditæ sunt certis temperamentis conformib. temperamentis partium nostri corporis. Nã quãtò plures partes sunt in alimento, quę cum nostris cõveniunt, tantò magis dicitur alimentum familiariare. Ecce temperamẽtũ lactis, si sumatur pro qualitate illa cõposita ex dissimilib. aquæ, caſei, ac butyri temperamentis, non distingui tur à toto lactis temperamento: ac si tantum consideretur unius vel duarũ qualitatum excessus, plurimùm distant temperamentum, & totum lactis temperamentum.

1. *Exẽplũ.*

Quamobrem facilè fiet, ut duo corpora, quorum alterum ex elementis, alterum ex partibus jam ante mistis conflatum sit, æqualiter, vel calida, vel frigida sentiantur: attamen non eadem erit utriusq. forma, consistẽtia, sapor, calor, odor, potestas. In causa est, quod illa duo corpora, licet temperamento manifesto conveniant, tamen partes materiæ, atq. adeo illarũ temperaturas omninò dispares habent.

2. *Exẽplũ.*

Vnde alimenta per simplicem temperiem non sunt alimenta: lapides enim & ligna possunt habere temperiem manifestam aliquib. alimentis similimam: at alimenta esse non possunt, quoniam ex longé alijs partibus

3. *Exẽplũ.*

bus coalescunt. Sunt ergo alimenta, quod sunt, ex toto temperamento.

Idem in medicamentis licet inveni
4. Explic. re, nam in capra generari poterit ex certis plantis lac temperamento manifesto simile ei, quod ex scammonio vel thithymalo genitum sit, si gustus consulatur, nihilominus tamen purgabit hoc, illud non purgabit, idq. propter vim temperiei occultam, licet in qualitatibus primis excedentibus discrimen percipi non admodum possit. Hoc inde evenit, quod non idem est totius temperamentum manifestum, atque temperamentum in singulas partes distributum, quod nobis incertum, & à natura involutum est.

Non dissimili ratione pestilens aer
5. Explic. temperamento manifesto ferè semper calidus & humidus est: sed tota illius substantia conflata ex tot ac talib. partium temperamentis à nobis alienata & offensa est, nostrisq. partibus non perinde mistis insensa & inimica.

Quod & in rebus arte factis simili-
6. Explic. ter contingit, cum possit aliquis medicamentum componere in calidita te, & frigiditate simile theriacæ, & ex simplicibus non modo diversis naturâ ijs, ex quibus theriaca facta est, sed etiam numero paucioribus at medicamentum virtute simile non componet, nisi ex eisdem pharmacis conficiat, ex quibus totum theriacę temperamentum originem ducit.

Quid sit tota substantia, postquam
Alt. Fundamentum. noverimus, observemus duo nos significare posse, cum morbum à tota substantia vocamus. Primùm propriè morbum in sua essentia occultum, & abditum, qui neq. sit intemperies aliqua, ex illis, quas adduxit Galen. neq. morbus instrumentalis, neque solutio continui, sed morb. quartus ab illis tribus prorsus diversus. Secundò appellatione morbi à tota substantia minus propriè intelligimus morbum manifestum, cujusmodi est intemperies calida, vel ulcus, quæ originem trahunt à causa occulta, hoc est, à causa, quæ agit à tota substantia, nimirum materia proxima vel temperamento dicto secundo, non solo calore, ut ignis, nõ solo frigore, ut aquâ, non tãtum duritie, ut lignum, vel acumine, ut gladium.

Quibus ita prestrictis, si propriè in 1. Conclus.
verbis eloquamur, firmissimè asseverandum reor, nullum esse morbum à tota substantia.

Quoniam partes similares, tot 1. Ratio.
morbis afficiuntur, quod modis ex primis corporibus componuntur, quia morbi sunt digressus à naturali Text. 14.
constitutione, ut dictum est: sed partes similares dupliciter componuntur ex elementis interse mistis, ergo duobus tantum morbis afficiuntur. Probatur assumptio, quandoquidem mistio est corporum alteratorum unio: exalteratione, quæ fit mutua actione & passione primarum qualitatum, emergit temperies: ex corporum unione continuitas, ergo partes similares dupliciter tantum componuntur, & ex consequẽti duobus tantum morbis, ijsq. manifestis afficiuntur, & dissolvuntur.

Nam hæc intemperies (quoniam, 2. Ratio.
ut intelligo, juniores ad morbos temperamenti reducunt morbos à tota substantia) vel est qualitatum, vel substantiarum: profectò intemperies qualitatum non est, cujusmodi sunt sexdecim illæ à Galeno recensitæ, quæ manifestæ sunt: est ergo substantiarum: veruntamen nullum est temperamentum substantiarum, ut etiã illi arbitrantur. Quod si tale temperamentum admittatur, cum substantia nunquam agat primò & per se, sed interjectu qualitatum, non poterit præter naturam reddi absq. intemperie qualitatum, quę actionib. proxima est, hæc igitur est morb. & quidem manifestus.

Postremo, si aliquis esset morb. 3. Ratio.
à tota substantia, ex actionibus cognoscetetur, quoniam ex ipsis venimus in cognitionem morborum, sed omnis actio partium similarium læsa profluit á morbo manifesto, ergo nullius est morbus totius substantiæ. Assumptio verisima erit, si singulas partium actiones percurramus.

Nam in febri pestilente improvi- Praocupatio.
sum & inopinatum animi deliquium originem trahit ex magna intemperiè, vel morsu acerrimo, quos cæca, & abdita, concitatissimaq. causa repentinò

pentino progenuit: illa enim intemperies perspicua palàm prõpta est, sed, cum admiremur de repentî syncopes adventũ, non modo causam, sed etiam intemperiem clandestinam esse reputamus.

Alt. Concl. Verum, si minus propriè dicamus de morbis à tota substantia, eosdem esse plures arbitramur.

1. Ratio. Nam pestis morbus est à tota substantia, si minus propriè loquamur, quoniam licet pestis aliquando sit febris, nonnunquam inflammatio, interdum ulcus, ut dysenteria, qui morbi patent, & noti sunt omnibus, utpote non distincti à morbis, quos adduxit Gal. hoc libro. tamen causa pestis occulta, & à natura involuta est, atq. totius substantiæ virib. cum nostris corporib. congreditur. Vnde aer pestilens totâ substantiâ corruptus, & in corpora ingressus, aut per se calorem auget aut continuum dissolvit, aut (& quidem frequentiùs) interjectione humorũ, quos inficit, putredinis quodam seminario, intẽperiem producit.

2. Ratio. Similiter venena morbos in nobis pariunt à tota substantia, quiquidem sunt, vel intemperies, vel ulcera, morbi quidem ante omnium oculos positi: at illorum causa minus patet, quoniam venena ex tota substantia sua intẽperiem pariunt, carnesq. dilacerant & disperdunt.

Reprehenduntur juniores. Ex quib. poterimus Iacobi Segarræ opinionem refutare liberiùs, qui arbitratus est cum aliquib. juniorib. Galenum hoc libro totius substantiæ morbos silẽtio prætermisisse, quòd methodo & ratione inveniri nequeant. Nam in memoria mihi est, nos in præfatione hujus operis contra illius opinionem animadvertisse, Galenũ hic investigasse omnium morborum differentias, nullasq. prorsus excepisse. Quoniam, ut retro dixi, partes similares non possunt laborare, quin manifesta intemperie, aut solutione continui afficiantur, vel ipsa docente experientia.

1. Solutio. Nunc solvamus juniorum oppositas rationes. Propositio primæ falsa est, si propriè loquamur de morbis à tota substantia, quoniam licet patiantur qualitates, & tota substantia partium, non sequitur inde tale morbum dari. Nam quando venena cum nostra substantia similari congrediuntur, illam conantur destruere, & ad sui naturam convertere: non possunt autem id præstare, quin prius corrumpant illius constitutiones, quarum præsidio munitur, quæ sunt unitates duæ, de quibus supradictum est, temperamentum & continuitas. Totius ergo substantiæ nostræ passiones à venenis inductæ morbi manifesti sunt, nempe intemperies, vel corrosio, & dilaceratio: causa verò, unde nascuntur, occulta est, utpote veneni substantia tota, quæ multis, vel omnib. suis partibus est disjuncta, & à nostra substantia tota longè diversa. Quare, sicut à nobis alimenta, sic nos à venenis vincimur, ventriculus autem semper agit suo calore naturali.

Objectio. Dices alimenta patiuntur ex tota substantia, quando ventriculus cum ipsis congreditur, ergo nos patimur ex tota substantia, quando nobiscum venena dimicant. Ex morb. à tota substantia.

Solutio. Respondeo, partes ventriculi varias cõvenire cum alimentorum partibus varijs proprio temperamento, ut diximus de lacte: & quamvis aliquæ partes discrepantes sint: tamen in concoctione convertuntur familiares, reliquæ verò tanquam excrementa relinquuntur: in symbolas ergo & domesticas agit noster ventriculus primis qualitatibus certo modo consistentibus in ejus partibus, quod sanè totum ventriculi temperamentum est concretum, & quasi coagmentatum ex temperamentis diversarum partium materiæ, unde natæ sunt in partibus secundæ vel tertiæ qualitates. Quamobrem simulatque partes alimenti calidæ vel frigidæ fuerint, uno, & eodem modò, atque partes ventriculi, vel humidæ, vel siccæ, crassæ, densæ, albæ, ijsdem, inquam, dispositionibus præditæ, quibus ventriculi caro, ac tunicæ confectæ sunt, illicò ventriculi & partium animalis vivẽtium forma vltima in alimenti partes introducitur, ventriculique substantia fiunt. Quæ omnia primis qualitatib. deberi pro varia illarum in materiæ partib. actione & passione, quis nõ

-videt? Similiter venena toto temperamento contra nos decertant. Verum, quia temperamenta partiũ veneni cõtrario modo destinata sũt, & distributa, atque partes substantiæ nostræ, venenum, cum habeat maiores vires à propria natura, conatur nostram substantiam, ad se cõvertere, quemadmodum noster ventriculus alimenta. Quod quidem omne procul dubiò ex temperamento est, quà certo modo in diversis partibus est constitutum. Nihil ergo mirandum, quod Gal. tantum tribuat primis qualitatib. ut in multis locis observare licet, & potissimùm primo de elementis, cum scribit, *manifestum esse, quod calor, frigus, humor, & siccitas cujusq. rei substantiam constituunt.*

Cap. 9.

Secundæ rationi respondemus, verum esse medicamentorum aliqua manifestis qualitatibus agere, aliqua verò abditis & occultis: negamus tamen occulta qualitate prædita occultos morbos gignere, quoniam partes nostri corporis nõ possunt pati, nisi temperies, vel organica structura, vel continuitas, in quibus consistit illorum sanitas, corrumpantur. Quid ergo prodest ex occulto agere, si ad morbum constituẽdum, necessariò debet corrumpi aliqua ex illis tribus constitutionibus, unde morbus fit manifestus?

2. Solut.

Ob.

Ad quid ergo noster Gal. sedulò distinguit hæc medicamenta? Non sanè, quod ex occultis medicamentis morbos occultos oriri arbitretur, sed, ut nos, inter alia, doceat, quid agendum in curatione horum morborum, quorum causa occulta est, adversus quam alexipharmaca sunt adhibenda, quæ intrò sumpta contra deleteria medentur.

Solut.

Hinc rationis ultimæ patet solutio. Nam medicamenta, quæ tota substantia morbis medentur, contra venenorum totam substantiam agunt, quæ morborum causa est. Quamobrem causas morborum profligando, vel partes corroborando, & confirmando, morbis à tota substantia venenorum genitis remedio sunt. Quod videre licet in illo affectu, quem ὑδροφοβίαν, aquæ timorem, vocant, ex morsu canis rabidi, in quo spuma canis morbi causa est: morbus verò intemperies calida & ficca. Nos causam primùm extrudimus, ex ijs, quæ manifestè trahunt, & ijs, quæ à tota substantia operantur. Deinde adversus intemperiem morbum manifestum, cum apparuerit (plerunque retardatur) pugnamus medicamentis contrarijs, & manifestis: nam huic malo præstantissimum remedium est aquæ frigidæ potus. Sed de his satis.

3. Solutio.

Τὰ ὑδροφοβῶ.

ARG. CAP. VI.

INSTRVMENTORVM nostri corporis anatomen quandam & dissectionem adminístrat. Mox docet, quis affectus particularium instrumenta componentium sit appellandus morbus, & quis morbi causa. Tandem simplices instrumentorum morbos repetit.

CAP. VI. Tex. XXVI.

PROXIMVM est, vt eas jam exequamur, quæ instrumentalium sunt propriæ. In his igitur aliquam omninò esse partem operationis causam, reliquas verò ad usum aliquem huic parti subministrandum à natura creatas, alibi ostendimus.

COMMENTARIVS.

PRÆclarè ab Hipp. dictum est, primò de usu partium referẽte Galeno, *partes nostri corporis universas sibi invicem consentire, hoc est, omnes in mynisterium unius operationis conspirare. Magnæ quidem & totius animalis partes uti manus, pes, oculi, lingua, creata sunt actionum totius animalis gratia. Minores autem particulæ omnes interse congruunt, atq. tales, & tam magnæ sunt ut mirabiliter consentiant in unã organi totius actionem. Quam,* secũdo de locis patientib. docẽte Galeno, *per alias partes, ut instrumenta fieri impossibile est.* Habet igitur unũ quodque instrumentorum præcipuam, & sibi propriam actionem, quæ uni soli parti simplici debetur, per quam distin-

Capit. 8.

Cap. 9.

distiuguitur ab alijs instrumentis.

Quadruplex partiũ genus. Porrò simplicium partium, quæ organa componunt, genus quadruplex est, juxta quadruplex illarum munus. Quædam enim sunt, per quas actio fit, quibus quidem, ut decet positis, ponitur facultas, propterea principes dicuntur organi partes: talis est in oculo crystallinus humor, solus enim à coloribus alteratur, & visilium imagines excipit. Quædam sunt, sine quibus actio non potest exerceri, quæ non actionem primò & per se, sed actionis necessitatem respiciunt, cujusmodi sunt in oculo nervus opticus, vitreus, & albugineus humor. Aliæ partes sunt, per quas actio melius fit, quæ ad actionis perfectionem referuntur, ideoq. juvantes vocantur, tales sunt oculorum tunicæ, ac musculi undequaq. mira volubilitate oculum versantes. Reliquæ partes ad harum omnium tutelam, & custodiam sunt conditæ, atque ad actionis perseverantiã spectant, nã ad actionem diriguntur, nõ quatenus actio est simpliciter, sed ut perseverare debet, cum faciant, ut cæteræ omnes tuto agant: ejusmodi sunt in oculis palpebræ, & interior orbita. *Si quis verò partium unius cujusque instrumenti necessitatem & utilitatem diligenter voluerit examinare, ante oculos sibi constituat illius instrumẽti actionem: ejus enim cognitio usum, & utilitatem particularum præcedit, cum sit principium simul & inquisitionis, & examen eorum, quæ jam inventa sunt.* Iam verò os, cartilago, ligamentum, nervus, arteria, vena, membrana, fibra, tendo atque cutis, *communis utilitatis causa instrumentis indita sunt*, quoniam hujusmodi partes communes sunt, ac ubiq. similes, cum naturam non mutent pro locorum, vel instrumentorum diversitate.

1. *de usu. cap.* 8.

Ibidẽ cap. 9. & 10.

6. *de placit. cap.* 8.

2. *metho. cap.* 7. *Enim verò quodlibet instrumentum habet propriam quandam substantiam, & carnem, præter dictas partes communes, ex qua propriam functionem in instrumento in esse concluditur.* Nam ex peculiari, & propria partis substantia, quæ una tantum in unoquoque instrumento invenitur, actionis propriæ notitiam habemus: *in singulis enim instrumentis ex substantiæ unius tantum partis proprietate, propria quædam actio consequitur.* Vnde illorum caro, præter alias omnes, præcipuam quandam, obtinuit proprietatem, substantiam, misturam, compositionem. Quare inter partes simplices, quæ unumquodque instrumentum componũt, una invenitur, quæ ut uni instrumento est propria, sic propria illius instrumenti actio profluit ab ea: reliquæ verò partes, ut sunt communes, utpote quæ multis deserviant instrumentis, sic communem functionem dicuntur exercere.

A

Ex quibus concludere licet cum Gal. in omnibus instrumentis, aliquam omnino particulam esse, quæ sit actionis prima causa: reliquas verò partes omnes creatas fuisse, ut huic quendam præstarent usum. *Quæ instrumentorum constitutio*, ut secundo de anat. administ dixit, *compositioni respondet omnium exteriorum, quæcunque homines substantijs sibi diversis, in idem collectis effingunt.* Quemadmodum ergo in instrumentis arte factis, quæ ex multis partibus sunt composita, ut serra, dolabra, una est omnino, cui actio potissimùm adscribitur, reliquæ usum tantum præstant, ita in nostri corporis instrumentis, una reperitur pars, cujus ope ad exitum quammaximè pervenire dicitur ipsius instrumenti actio: cæteras verò ministratrices & comites appellam⁹. Quod alibi à se demonstratum esse Galenus docet, nimirum primo de usu partium. Quid sit actio mihi jam satis superque secundo capite dixisse videor. Quid sit actio propria, & quid communis breviter enarrandum, similiter quid usus & quotuplex. Sed hæc in controversias distulimus.

Cap. 111

Exemplum

C

à primo capi. ad 10. usque, & lib. 4 cap. 12. & 6. de placit. cap. 8. Comm. 5. Quæst. 34.

D

Porrò, quod unumquodque instrumentum unam partem principem habeat, cui propria debeatur actio, & reliquæ partes usum præstent, loco fundamẽti jactum est, atq. tanquam isagoge huic disputationi de morbis instrumentorum præfixa. Nã cũ hactenus omnes similariũ partiũ morbos Galenus recensuerit, docere sibi constituit, qui sint affectus dissimilarium, & instrumentaliũ. At quoniã instrumẽta cõponũtur exmultis partibus similaribus inter quas hoc interesse videtur, quod aliquando

unius partis affect' morb. est, alteri' verò causa morbi, par erat præfari, singulis instrumẽtis unam inesse particulam simplicem, quæ actionis instrumenti sit præcipua causa & domina, reliquas famulas, & ministras, ut inde nos condisceremus, quis affectus in partib. instrumentalib. sit appellandus morb. & quis morbi causa. Methodus autem principis partis inveniendæ tradita fuit lib. quarto de usupar. & sexto de Hipp. & Plat. decretis. Sed quoniam aliquib. abundè non satisfecit Gal. expositionem sententiæ suæ in controversias rejecimus, ne cohærens illius contextus interrumperetur, quem semel fractum difficile contexeremus.

Cap. 12. *Cap. 8.* *Quæst. 35.*

TEX. XXVII.

TOTIVS autem instrumenti operatio, tũ maximè atq. præcipuè detrimentum patietur, cum pars illa ægrotaverit, quæ operationis est causa. Sed & aliarum immodici affectus impedient operationem. Quæcunq. igitur non per se ipsas impediunt, sed ea ratione, quod primò operationis instrumento officiunt, causæ morborum sunt, non ipsæ morbi. Sed in aliquo non lædentes primum operationis instrumentum, ipsam operationem impediant, jam tum hujuscemodi affectus, ægritudines sunt appellandæ.

COMMENTARIVS.

ADMIRABILI compositione instrumentorum ante oculos posita, aggreditur ad affectus illorum. Quoniam autem principalis actionũ causa sita est in parte principe, meritò ac jure profert totiùs instrumenti functionem, maximè ac præcipuè vitiari, ubi pars ipsa ægrotaverit, quæ actionis est causa. Verbi gratia, princeps visionis organũ est humor crystallinus, reliquæ oculi partes, illius causa factæ sunt, ut secundo meth. docet G. quarũ partium omniũ usus se narrasse scribit decimo de usup. Ergo tum præcipuè visio lædetur, cum crystallinus humor ægrotaverit, sive mutetur ejus diaphasis, sive figura, sive à sua sede dimoveatur, potisimumq. sursum vel deorsum inclinaverit. Nam si uni crystalloidi adscribitur videndi actio, certè quidem ea ipsa noxam subeunte, vitiari totius quoq. instrumenti actionem necesse est. Verum non solum læditur instrumentorum actio ab effectib. præcipuæ partis, quæ actionis est causa, sed & reliquarum partium illi inservientium immodici affectus, instrumenti actiones impediunt. Accuratè dixit, *immodicos*, ut parvos statim intelligamus facere id non posse. Nam pterygiũ, qui affectus est partis usum habẽtis, nempe tunicæ adnatæ, ut capite octavo docebit, visum non impedit, nisi cum plurimum increverit. Affectus igitur partis præcipuæ, qui moram & impedimentũ infert actioni, perpetuò morb. est. Tamẽ de alijs partib. quæ ad usum adjunctæ sunt, longè secus est judicandum: illarum enim affectus immodici nonnunquã instrumentorum morbi sunt, nonnunquã verò causæ. Quod aperté & breviter exponit Gal. *Quicunq.* ait, *partiũ usum habentium affectus instrumenti actionem impediunt, non per se ipsos*, hoc est, non primò & proximè, *sed quatenus principi actionis parti nocent, neutiquam morbi sunt, sed morborum causæ*, eorum, inquam, morborum, quos in parte principe produxerunt. *Vbi verò primæ functionis parti nihil incõmodant, sed per se ipsos*, & proximè, *functionum impedire possunt, hujuscemodi affectus morbi sunt.* Quippe morbus cum sit constitutio præter naturam, ut pote sanitati contrarius, suapte naturâ lædit actionem: causa verò non dicitur actionem lædere suapte ratione, sed interventu morbi.

Capit. 6.

Exempla rẽ hanc apertiorẽ facient, ac magis dilucidã reddent. Inter partes, quæ in oculo usum habẽt mẽbrana est adnata dicta, cujus inflãmatio dicitur ophtalmia græcis, latinis lippitudo. Subjiciamus ergo tunicã hãc intẽperie affici cũ sãguinis nõ immodica fluxione, quæ partis similaris nimirum

mirũ ipsi' adnatę actionib. impedimẽ to sit, attractioni, retentioni, coctioni, & expulsioni: functionẽ autem videndi nondum adhuc impediat, nihilque humori crystallino incommodet, nullam ejus substantiæ inferat noxam, nullam ve læsionem. Hæc modica inflammatio non est affectus instrumenti, sed partis simplicis dumtaxat. Vbi tamen ab ipsa inflammatione augescente interjectu vaporis calidissimi, intemperies crystalloidi communicetur, ejus substantiam vitians, unde videndi functio impediatur, vel perspicuitatis depravatione, vel aliter: inflammatio quidem ipsa erit causa morbi, eo quòd actionem instrumenti, scilicet visionem, lædet, non sanè per se ipsam atque proximè, sed interposito novo affectu in primo visionis organo generato. Ecce affectus partis subministrãtis usum immodicus, causa morbi est, quòd impediat actionem instrumenti, non per se ipsum, sed interjecto, & medio altero affectu, quem in parte principe sui similimum produxit. Sed adjungamus ad hæc inflammatione depulsa & dissipata atq. humore crystallino ab omni macula vel minima liberato, nervosam tamen excrescentiam adnatæ circa tuniculam corneam relinqui, quæ granditate sua pupillam operiat, ut nimium sæpe fit, præsertim si lippitudo fuerit scabra vel fluxiones assiduæ (pterygium, vel unguis appellatur) profecto is affectus adnatæ, qui crystalloidi nihil incommodet, potest tamen per se functionem impedire, pupillam obcæcando, morbus appellandus est. En affectum partis usum præstantis magnum, qui citra ullam partis primæ læsionẽ, sed per seipsum, impedit actionem instrumenti, nimirum oculi, atq. propterea illius morb. est.

Æt lib. 7. cap. 58.

Hanc igitur habeamus regulam, & à Gal. præscriptam legem, qua instrumentorum morbi, & illorum causæ judicentur. Omnis affectus partis principis, qui lædit actionem morb. est: affectus autem magni partiũ, quæ sunt ex usu, interdum morbi sunt, interdũ morbi causæ: morbi sunt, quãdo lædunt actionem nulla in partem principalem illata noxa: causæ, cum

Galeni regula.

A vitiant actionem interventu affectionis, quam in parte principe imprẽsserunt. Tametsi verò hæc regula Galeni ex communi doctorum sententia fuerit interpretata: adhuc tamen in magnam difficultatem incurrit, à qua cum non possem me breviter extricare obrutus verborum serie, qua ex alijs alia nectuntur, decrevi hanc litem in alium locum prorogare, ut retrò significavi.

TEX. XXVIII.

FIVNT autem, ut diximus, vel naturali formatione, permutata, vel non servato numero partium oportuno, aut unicuiq. parti cõvenięti magnitudine, vel quod non, ut naturalis positus expetebat, ipsæ cohæreant.

B

COMMENTARIVS.

DE morbis compositorum in nobis instrumentorum capite quarto præfatus, edocuit nos omne corpus judicio sensus compositum, quò probè munere suo fungi possit, non ex quibuslibet, & ut fors tulit, particulis simplicib. neq. ex numero aliquo, aut magnitudine indecente cõstitui, neq. etiam pro fortunæ arbitrio cõpositionis modum habere, sed in his quatuor generib. naturæ congruentibus omnium instrumentorũ morbos consistere. Hæc eadem repetit hoc contextu, & magis explicat: est enim usitata Galeni consuetudo in repetitione addere nonnulla, quæ doctrinam uberiorem reddant. Dixit dudũ instrumentorum actionem graviùs & vehementiùs offendi, ubi pars princeps ægrotavetit: at affectus partiũ, quæ sunt ex usu, si lædũt actionẽ interjecto partis principalis affectu, causas quidẽ, sin autẽ per se ipsos impediũt, morbos esse. Nũc ortũ hujuscemodi affectuũ instituit declarare. *Fiunt*, inquit, hoc est, *erũt autẽ* hi morbi, ubi vel naturalis conformatio permutabitur, vel decens particularum numerus, vel uniuscujusq. conveniens magnitudo non servabitur, vel non

C

Galeni consuetudo.

D

Ortus morborum instrumentalium.

ut oportet, ipsæ compositæ fuerint. E

Quibus verbis præclarè constat
Observatio. conformationem, numerum, magnitudinem, & compositionem non esse morbos, sed tum morbos instrumentorum fieri, & esse cum illa mutationem faciunt. Nam sanitas instrumentorum non est partium illius conformatio, numerus, magnitudo, positus, sed structura quædam cõstans ex partibus, quæ servant formationem, numerum, magnitudinem, & positum, ut decet. Ergo morb. qui ex eodem genere sanitati est contrarius, neque erit formatio, neque numerus, neq. F magnitudo, neque situs, sed eadem structura præter naturam reddita, quæ illorum actiones pravè dirigit ac disponit.

Observatio. Quæ cùm dixit Gal. ad morbi essentiam traduxit animum, non ad rem, quam parabat. Nam hoc loco omni cogitatione, & cura incumbit in curationem, in qua dumtaxat innitimur, ut cõformatio, numerus, magnitudo vel situs præter naturam in pristinum & naturalem statum reducantur. Constitutio autem præter naturam nihil solicitat, cum necessariò sequatur ad proportionem eorum, G in quib. reposita est. Sed involucam
Quæst. 37. orationem hanc evoluemus inferius.

TEXT. XXIX.

CVM enim, ut jã demõstravimus, illa animãtiũ natura opifex, nullã partẽ corporis temere affinxerit, atq formaverit, sed ob eum finem omnes, ut vel melius, vel tutiùs totum instrumentum proprium exequatur officium, necessarium omninò earum oblæsiones, quæ, vel penitus operationem prohibent, vel saltem impediunt, ægritudines putari, quæ verò ad offensionem tendunt, primi instrumenti operationi accommodati ægritudinis causas, ut nuper dicebamus. H

COMMENTARIVS.

IVRE ac meritò dixit philoso- *Cap. 13.*
phorum princeps Arist. secundo & *Cap. 11.*
quarto de partibus animalium, & *cap. 4.*
causis, atque secundo de generatione illorum, multisq. alijs in locis, naturam nihil machinari, quod supervacaneum sit, aut usum non habeat, sed omnia causa finis agere & moliri.

Nam quæcunq. fiunt, aut casu, & *1. Ratio.*
fortuitu, aut alicujus boni gratia fiunt. Quæ natura molitur, non possunt incidere temerè & fortuitò, cũ semper, aut plerunq. fiant, igitur alicujus causa erunt.

Quoniam unaquæq. rerum natu- *2. Ratio.*
ralium, ut agitur, ita nata est agi, & è contrariò, ut agi nata est, ita agitur, nisi aliquid impedierit: agitur autẽ rei alicujus gratia, igitur nata est hujus gratia.

Quin etiam causa finis suum per- *3. Ratio.*
ficit munus omnis ars: est autem naturæ ratio eadem, quæ artis. Vnde si domus esset res naturalis, & fieret sua sponte, ut arbor, eodem sanè modo fieret, quo fit ab arte: atq. si res naturalis, ut homo, arte fieri posset, non alio modo fieret, quam fit à natura: nullus enim modus est, quo fieri posset ad suas actiones magis accommodatus: neq. si Deus alicui cõcederet, ut hominem formaret figuraret, atque ut ei libuerit, animaret, posset meliorem compositionis, & dispositionis modũ excogitare. Quã do quidem natura consultrix, & provida utilitatũ, & oportunitatum cõmunium, quid quid genuit, suo quoq. genere perfectum esse voluit. Initiũ est hoc, & fundamentum considerationis & contemplationis, quã Arist. ipse in libris de partib. animalium, & Gal. in libris de usurpatium persecuti sunt. *Natura*, inquit Gal. *fru-* *1. de usu.*
stra nihil facit, quippe solicita est æquè, ut *23. & 16.*
ne deficiat aliquid, atque ut superfluum & *cap. 6.*
supervacaneum nihil assumatur, quoniam sine causa non agit. Quod ab Aristotelis doctrina fatetur accepisse primo *Cap. 5.*
de seminẽ: atque hoc idem à se millies fuisse monstratum nono de usupartium literis consignavit. Consul- *Capit. 16.*
tò igitur, & cogitatè hic scribit, verba faciens de partib. quæ organa cõponunt, *jam demonstratum esse naturam*
nullam

nullam harum casu & temerè fecisse : sed ad eum finem omnes, ut totum instrumentum, vel melius, & commodius, vel tutius & magis custodité suum officium & munus exequeretur, & tueretur. Melius quidem, ut pupillæ foramen, si non laxatur, neq. plus æquo pateat, visioni accommodat longius emittendæ. *Tutius* autem, ut cornea & palpebræ, quæ tanquam vallo pilorum munitæ sunt: quarum partium usus cum multis alijs præstat, ut oculus tutissmé agat munusq. proprium rité perficiat.

Quæ cum ita sint rectissimè con-
Galeni cõclusio. cludit Gal. *necessum esse, ut obleſiones earum partium vocẽtur morbi, quæ nullo medio interjecto actionem penitus omninoq. prohibuerint*, cujusmodi sũt, quæ á maximis causis oriuntur, vel si non prohibuerint actionem, *saltem eidem fuerint impedimento*, ut quæ à lævioribus causis ortum trahunt. *Sed quæ oblæsiones concitaverint offensionem in parte, cui attribuitur actio, morborum causa, ut paulò ante dictum est, appellentur.* Nam cum hæ partes ad necessarios usus fuerint à natura in instrumentis fabricatæ, sine ulla controversia, illarum vehementiores affectus erunt perpetuò, vel morbi, vel morborum causæ. *Affectus* dixi, quando quidem per *obleſiones*, vel noxas hoc loco, non actiones læsas, sed affectus noxam partib. inferentes, & actiones lædentes intelligit.

Verum é divisione vitiatę actionis
Observatio tripartita, duas tãtũ partes transfigit G. scilicet prohibitę seu abolitę ac impeditæ, huic tertia restat, quæ dicitur actio diminuta, sed illius non meminit in morbis partium demonstrandis, cum non ita aperta, & manifesta
lib. de diff. sym. c. 3. esset, primo loco integram partitionem adducturus.

EPITOME.

Quare ad partium instrumentaliũ morbos discutiendos conversus, totius instrumenti actionem, tum præcipuè vitiari dixit, cum pars ipsa, quę actionis est causa ægrotaverit. Quanquam & reliquarum partium inservientium vehemẽtiores affectus etiã actionem impediunt. Affectus igitur illarum partium, qui per se prohibẽt A actionem totius instrumenti, vel saltem impediunt, morbos vocat. Verum si minimè id per se moliantur, sed quod officiant parti principi, causæ morborum sunt, non item morbi. Tandem repetit simplices instrumentorum morbos, quos tradiderat capite quarto.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

B

DE ACTIONE ET usu capite sexto à Galeno usurpatis.

QVÆSTIO XXXIIII.

VT scientissimé interprætaremur hypothesin, quam noster G. prælocutus est, disputandum erat, tum de actione propria & communi, tum C de usu, quem habent partes ministrãtes, verum ut narratio foret dilucidior in hac appendices prorogavimus. Actio igitur duobus modis pro *Actio propria duplex* pria dicta est.

Primùm actio propria dicitur ea, *1. Significatio.* quæ unicuiq. parti convenit, sive sit instrumentum, ut oculus, cui tantum convenit visio, sive pars similaris, ut os, cui soli convenit ossifici alimenti attractio, ejusdem retentio, concoctio, assimilatio & propriorum excrementorum expulsio. Qua significatione utitur Gal. primo de nat. *Capit. 6.* fac. sed potissimum septimo metho. *Capit. 3.* cum scribit unamquamque animalis D particulam propriam actionem edere, quę tantum ab alijs actionib. differt, quantum ipsa particula, ab alijs partibus quæ illas edunt, est diversa.

Secundò dicitur actio propria ea, *2. Significatio.* quæ uni soli convenit composito instrumento, quæq. in uno tantum corporis loco exercetur, ubi proprium eius instrumentum existit, vel in eo loco, in quem vires eius cõferuntur, ut gustatus, qui linguæ soli proprius est & habitat in ea tãtum parte oris, atq. hæmatosis, quæ tantum debetur *Sanguificatio.* hepati

hepati, in cuius cavitate fit, vel in locis, per quæ jecur suas vires diffundit. Hanc significationem usurpavit
Capit. 9. Gal. lib. de loc. pat. secundo, cum ait. *Proprias autem actiones dico, quæ per nullam aliam partem, ut per instrumentum fiunt, quemadmodum visio, & auditio:* etenim oculi, & aures, cum dicantur fratrare, unius instrumenti rationem obtinet.

Totidem dicitur modis communis actio. Primò quidem ea, quæ omnib. nostri corporis partib. communis esse dignoscitur, quam in libris de nat. fac. percurrit Gal. ut attractio, retentio, concoctio & nutritio.

Communis actio duplex. Prima.

Secundò ea, quæ reperitur in multis nostri corporis locis, ut actio arteriæ, actio venæ. De qua actione loquitur Gal. lib. sexto de placitis, cũ docet, *arterias, nervos & venas esse cõmunes instrumentorum partes, sicut membranas & colliganina. Nam in communi, communis sit functio necesse est: neq. enim,* inquit, *fieri potest, ut ex corporis locis, aut arteria, aut vena, aut nervi functio immutetur: sed sive in calce, sive in cerebro arteriam consideres, continuò etiam communem omnium arteriarum actionem simùl concipis. Idem in vena, & in alijs facies.* Igitur communis actio est, quæ in communib. instrumentorum partib. continetur, quas partes communem etiam usum præstare dictum est.

Alt. Significatio. Cap. 8.

Nomẽ usus tripliciter video usurpari. Vsus est ante actionem, in actione, & consequens actionem, ut calãmi consideramus usum ante scriptionem, qui nihil est aliud, quam aptitudo quædam ad scripturam. Deinde, dum scribimus, usum habet. Tandem, postquam scripserimus, calami usum, & captam utilitatem magni æstimamus. Vnde, usus, qui sequitur actionem, est utilitas, quam ex actionib. capimus.

Vsus triplex.

Hæc utilitas prima & potissima est, quæ ab actionibus animalib. accedit, ut decimo septimo de usup. scribit Gal. nullam enim partem propter se ipsam habere cupimus: supervacanea enim esset, si actionem esset orbata, & abscindenda potius, quam optanda.

1. Significatio. Capit. 1.

Vsum in actione utendi actũ appellavit Arist. dum frequẽtem usum desiderium expedire arbitratur. Iuxta

2. Significatio. 4. Prob. 21

E quam significationẽ dicere solemus, cui primò auditus negatus est, huic & sermonis usum ablatum esse.

Plin. lib. 11 c. 69.

Vsum ante actionem usurpavit G. citato libro de partium usu, quẽ appellavit ὠφελίαν, ideſt, utilitatem, utendi cõmoditatem & *aptitudinem quãdam ad utendum.* Quam utilitatem, quę animãlibus advenit à partib. secundam utilitatem vocavit, quæ duplex est. Aut enim sunt partes, per quas primò fit actio, aut sine quib non fit, aut per quas melius fit, aut tandem quib. reliquæ usquequaq. conservãtur, ut supradictum est. Hac usurpatione usus est libro primo de loc. pat. asserens, *actiones partium esse quidẽ motus actuosos, sed usum inesse partib. etiã nihil agentib.* Nã actio in sola est operatione, usus & utendi commoditas etiam in membri otio. Quod videtur magis explicare libro, quem dudum memoravimus de usurp. post inducta verba, cum sic loquitur. *Si adesset aliqua in corpore pars absq. omni actione, nullus quoq. illi esset usus.* Hinc incidit in sermonem de elephantis proboscide, quam utilissimam esse, atq. magnum & mirificum usum animali præstare scribit, cum respirationi subministret. Qua significatione usus est toto in opere de usupartium inscripto, in quo uniuscujusq. particulæ utilitates, & commoda in lucem protulit, quò summum & diuinum ingenium ostentaret.

Euchresiã 1. de usu. c. 8.

Capit. 1.

Capit. 1.

Iam cum dicimus hoc loco, in omni organo perfecto partem esse quãdã, cui tãquam principi debetur actio illius organi propria: partes verò reliquas, tũ actiones cõmunes in illo instrumento exercere, tum actioni propriæ usum præbere, actionis propriæ & communis secundam significationem, usus verò tertiam, cum Galen. usurpamus. Nam *propria specie substantia* instrumenti, ut eiusdem verbis utar, oritur actio propria & completa, quemadmodum ex communi, cõmunẽ etiam actionem & multis locis inventam, provenire oportet. Partes autem cõmunes, sed actioni propriæ inservientes, cũ præstò sint, & ad suũ munus paratæ, hinc usum præstare dicuntur, antequam instrumenta propriam operationem aggrediantur.

Quam act. vel usum usurpaverit Gal.

DE.

DE METHODO INveniendi partem principem in quolibet instrumento.

QVÆSTIO XXXV.

Capit. 12. INVESTIGATVRVS Gal. quarto libro de usu partium, quænam esset in hepate princeps particula, cui proprie attribueretur hæmatosis (sanguificationem nostri vocant) hac usus fuit methodo resolutionis. *Oportet,* inquit, *in corporib. compositis, quibus actio aliqua commissa est, præscrutari per anatomē ejusmodi particulam, cui nusquam in corpore alia sit similis: ea enim propriè totius instrumenti actionis auctor erit, cætera vero partes communes.* Cum igitur, *neq. venis, neq. arteriis, neq. nervis, causam hanc tribuere licuerit, quoniam hæc sunt communia totius corporis, restitit carnem hepatis, quæ sanè est propria substātia visceris, esse potissimum hæmatosis organum & principium.*

Galeni methodus.

Quæ resolutionis & inventionis demonstratio, tametsi valdè nobis arrideat, & ijs, qui sapientię Galeni libenter assentiuntur, tamen vehementer displicuit Iouberto & Iacobo Segarræ, qui diminutam & imperfectam esse arroganter dixerunt.

Redarguitur Galeni Methodus.

Primùm, quoniam musculorum caro, musculis propria est, nec usquam in alijs instrumentis eadem potest inveniri, quoniam omnia instrumenta sui generis carne prædita sunt: alia enim est cordis, alia hepatis, alia splenis, alia renum: & exanguibus etiam sua est caro, glādulis, cerebro, ventriculo, intestinis, & utero. Verū carni musculosæ vim motus voluntarij nunquam detulit Gal. sed potius, vel nervo, vel tendoni. Ergo non erit pars in instrumento princeps ea, qualem nullam aliam in toto corpore invenies.

1. Ratio.

lib. de plenitudine c. 5.

1. de motu musc. c. 1

Deinde sententiam eandem infringunt, quandoquidem humores duo proprij oculorum aqueus & vitreus, quibus alias partes in nostro corpore non inveniri similes, manifestum est, non sunt visus instrumenta. Præterea caro mollis, rara, laxa, & spongiæ instar, linguæ peculiaris est, qualem in corpore reliquo nullam reperias: ea tamen non est gustatus organum princeps.

2. Ratio.

Vnde membrana tenuissima, quæ dictam carnem linguæ tegit, quæque ori & palato communis est, præcipua in lingua censetur pars, cui gustum acceptum referimus: veruntamen in plerisq. alijs partib. reperitur assimilis substantia.

3. Ratio.

Hinc Segarra partem instrumento rum principem aliter describendam esse putavit, ac sentit Gal. sed ne videatur ab eodem universa re, & tota sententia dissentire, supplementum descriptionis ex lib. sexto de Hippocratis & Platonis decretis depromere voluit. Quo loco non satis fuisse Galeno putat, eam partem similarē præcipuam esse causam actionis, quæ instrumento fuerit propria, sed eam esse voluisse, quæ cum propria sit, tēperamentum etiam obtinuerit aptū & idoneum ad talem actionem exercendam.

Regula Segarræ.

Capit. 8.

Verum Segarra immoderatè abutitur facilitate Galeni. Quarto enim de usu par. principem in instrumento partem inquirebat ea methodo, quæ facilem haberet cognitionem, & ex instrumentorum anatome, & resectione ipsa facillimè assequeretur. Vnde postquā dixit eam principem hæmatosis partem existimandam esse, quę organo peculiaris esset, nec alijs partib. communis, ut sunt venæ, arteriæ, nervi & membrana extrinsecus hæpati circumfusa, quæ à peritonęo trahit originem, reliquum esse concludit, hæmatosis causam esse, vel meatus cholidochos, qui bilem continent, aut carnem hepatis, aut utrūque. At ridiculum esset existimare poros illos generandi sanguinis principiū esse, utpote, qui orti sūt à vesicæ bilē susceptrice, cum quæ eandem naturam ostendunt, bilemq. non sanguinem continent. Supereſt igitur, inquit, hepatis carnem esse primum hęmatosis principium.

Culpatur Segarra. Capit. 12.

Observatio

Hæc est facilis Gal. demonstratio, quæ à posteriori deprompta dicitur à Logicis. Quare illos, quib hæc regula non probatur, mirari satis non queo, quod subtilissimam hîc rei definitionem & inquisitionem exposstulent;

tulent, ubi Gal. desiderabat facilitatem rei apertiùs significandæ, cum eundem aliquãdo inculté & horride dicentem (non enim semper ad exactum considerationes rediguntur) libentissimé recipiant, nostrasq. interpretationes & moderationes verborum illius, tanquam subtiles nimis, ac spinosiores, rejiciãt, & aspernentur.

Regula Segarræ examinatur.

Sed regulam illorum scrutemur diligentiùs, quando quidem Segarra palàm negat methodum Galeni, & aliam introducit, quod quidem nec obscuré fert, nec dissimulare potest.

1. Ratio.

Nam adjecto eo, quod ipse supplet, ad rem nihil interest, quod princeps pars debeat esse instrumento propria, quæ methodus est Galeni. Quoniam si pars princeps est ea, quæ temperamentum habet congruens, & accommodatum ad actiones instrumenti exercendas, profectò præter rem est definire, quòd pars princeps debeat esse propria: etenim quę pars hoc temperamentum habet, cõtinuò propria est, quia instrumenti actio non potest á parte communi originem trahere.

2 Ratio. cap. 7.

Veruntamen quemadmodum libro de cujusq. animi peccatis cognoscendis & curandis scribit Gal. ut Aristotelem omittamus, *discere laborandum est, ut à per se notis ad ignota trãseamus*: at docere partem principem in quolibet instrumẽto eam esse, quæ temperamẽtum habuerit accommodatum ad actiones illius instrumenti, est ab ignotissimis procedere. faciliùs enim est ex membrorum incisione investigare partem principem, quam definitè perscrutari, quod tẽperamentum, quibus actionib. conveniat. Nam inter omnes philosophos & medicos optimè convenit, humorem crystallinum esse principem oculi partem: an verò sit igneũ vel aqueum corpus, id est in controversia.

3. Ratio.

Vnde neque semper temperamẽtum, quantumvis notum, dare potest certissimum indicium partis principis, tum quòd non omnium instrumẽtorum actiones propriæ primo debentur temperamento, ut subsequẽte quæstione demonstrabimus, tum quòd sæpissimè constet de temperamento partium alicujus instrumenti, de principe verò parte sit dissentio. Nam temperamentum calidum & humidum hæmatosi convenire omnibus est manifestum: nec verò de jecoris tẽperamẽto, aut venarum quispiam dubitavit. At de parte principe, cui adscribatur hæmatosis, tanta fuit inter veteres, & nunc tanta impendet inter juniores cõtentio, quãta nulla unquam in disceptatione versata est. Hinc noster Gal. abjecta lubrica atq. ambagiosa conjectatione, confugit ad dissimilitudinem sensu perceptam, quam habet ab alijs omnibus partib. pars princeps. *4. de usu. cap. 12.*

Verum quoniam amphibolia nominis proprietatis hos homines decepit, nos ambiguitatem hujus verbi distinguamus, atq. hinc adepti occasionem, octavum caput libri sexti de Hipp. & Plat. Dec. (quod maximè interest) summatim exponamus. *1. Fidem tum ante*

Porrò proprietas, vel substantiæ proprietas dupliciter dicitur apud Gal. Vno modo vocatur facultas peculiaris & propria cujusque rei, ut insita ventriculi facultas, à qua fit chylosis, & propria facultas hepatis, à qua hæmatosis. De qua proprietate locutus est Gal. quinto de lo. pat. prope finẽ, & tertio de sym. cau. quib. locis propriam facultatem partis peculiaris, temperamenti proprietatem vocat, secundum quam tota particula semper agit. Quid autem sit agere secundum totius substantiæ proprietatem quarto de sim. med fac. dilucidè satis exposuit, nos verò planiùs quæstione trigesima tertia. *Proprietas substantiæ duplicem dicitur. 1. Significatio. Cap. 7. Capit. 1. Cap. 15.*

Altero modo proprietas est accidens quoddam proprium visui, & aliquando tactui subjectum, maximum rei signum atque vestigium. Qua significatione utitur Gal. quinto de lo. pat. cum scribit, *per quam necessarium esse in morbo regio considerare excrementorum proprietatem*: & sexto ejusdem operis, cum docet, *vocatum ramentũ ulceris, essentiæ verò proprietatem, affectæ partis proprium indicium esse. Nam partes à vesica evulsæ, lamis, à renib. verò caruncul is, sunt similes.* Præterea quinto meth. sumens à partib. indicationem. *Siquidem*, inquit, *instrumentis aliquando utimur pro partis ipsius proprietate*, *2. Significatio. cap. 7. Capit. 4. Cap. 5.*

tate, alijs ad uterum, alijs ad vesicam, alijs ad omnia intestina crassa. Intelligit verò per partis proprietatem præcipuè figuram & situm, quæ in curatione utendi modum variare possunt. Eandem nominis potestatem usurpavit decimo quarto ejusdem operis, cum prodit, *in abscessib. cum scalpello sunt divisi, proprietates quasdam reperiri non paucas, nec humorum modo, sed etiam solidorum quorundam corporum.* Explicans autem in quo consistat hæc proprietas. *Siquidem*, ait, *unguium, pilorum, ossium, testarum, lapidum, callorum, fragmentis similia corpora quædam in his inveniuntur.* Hac eadem notione usus est nono de anat. ad. & primo de loc. pat. ubi exaravit, *anatomen nos docere cujuslibet partis essentiæ proprietatem.*

Capit. 12.

Cap. 1.

Cap. 1.

Erit igitur hæc substantiæ proprietas (si quis descriptionem designare voluerit) nihil aliud, quam cumulus, vel acervus accidentium, ex quib. anatomes ἀνατομὴ, hoc est, proprio sensu & occulata fide monstratis, partium simplicium temperamentum & compositarum structuram actionesq. studiosè rimatur & investigat: ut, cum in dissectione ante oculos nobis obversatur pulmonum caro levis, rara, spongiæ similis & velut ex sanguine spumoso concreta, substantiæ proprietatem comprehendimus, ex qua temperiem eius causam, deinceps agnoscere curamus. Præterea cum perspicimus cordis figuram, magnitudinem, numerum partium & situm carnisq. propriam substantiam, fatemur planè talem esse hujus cõpositionis proprietatem, qualem in nullo alio instrumento liceat reperiri: atque item ex illa substantiæ proprietate, propriam quandam functionem dimanare, conjecturam facimus, quemadmodum ex communi substantia, communem actionem similiter concludimus.

Quid proprietas substan. 1. sig. Autopsia.

2. Fundamentum.

Hæc est substantiæ proprietas, de qua loquitur Gal. sexto de Hippoc. & Plat. decretis toto illo capite octavo, in quo cum statuisset ab initio demonstrare, jecor venarum & hematosis principium esse, denuò sermonem repetit & idem novissimis rationib. demonstrat.

Galeni ratio.

Nam si id, quod mutatur in similem pervenit speciem, hoc est, similem substantiam, *cum eo, quod mutat, profectò jecoris carne nihil ad sanguinis generationem reperiri poterit accommodatius. Quoniã sanguis, si fuerit incrassatus*, tum calore, tũ consistentia *exacta jecoris caro efficietur.* Unde si humor, qui ex ventriculo in jecur distribuitur, fieri sanguis debeat, necessum est, ut à propria hepatis substantia fiat eius mutatio. Quãdoquidem ipsæ venarum tunicæ ex sua ipsarum natura nequeunt sanguinem generare: *non enim rubrum illum humorem, sed candidum, & viscosum procreare consueverunt, unde & generatio ipsius est, & incrementum, & nutritio.*

Porrò quemadmodum ventriculus circa cibos sui tantum ipsius gratia contractus, proprium sibi ex ipsis humorem sugit, *non dissimili ratione jecur redditum à vēnæ sacco per venas trahit, ac sibi ipsi similem efficit, hoc est, carni substantiæq. suæ.*

Alt. Gal. Ratio.

Hæc est summa demonstrationis Galenicæ. Quoniam autem sermonẽ habuit de actionibus naturæ, generatione inquam, & assimilatione (quæ nutritio quædam est) quas videtur adscribere instrumentis, cum potius partib. simplicib. debeantur, eosque redarguerit, qui partib. similarib. scilicet venarum tunicis, concoquendi sanguinis munus deferrent; postulabat res ipsa, ut modum, & rationem patefaceret, qua instrumenta propria munera sustinẽt & exequuntur. *Omnia igitur animalis instrumenta, cum ex partibus simplicib. consient, omnino peculiari quadam ejusmodi parte, inter alias, prædita esse tradit*, cui potissimùm debetur actio, cujus partis simplicis cognitionem à signo capiendam esse commẽdat. *Nam unumquodq. instrumentum proprium quiddam in substantia nactum est, ut nihil in uni verso animalis corpore simile reperiatur.*

Potetat quidem Gal. ex hac proprietate substantiæ tanquam ex signo, & indicio, proprietatem interiorem, peculiarem scilicet temperiem, & propriam facultatem simplicis carnis instrumentorum odorari, quemadmodum in dissectionib. conjectamus, atq. deinceps propriam actionẽ concludere. Verùm tamen ubi de actione disputabat, conabatur q. probare sanguinis generationem hæpatis carni esse adscribẽdã, relicta longiore

Observatio

giore ac latebrosa via, errantib. comiter monstrare voluit proximam, directam, & quasi compendiariam, quæ ex uno effectu perspicuo, & ante oculos posito, colligeretur alius, qui minus aptus & manifestus erat. Is quidem est actio propria, quam instrumētis inesse cōcludimus ex unius partis simplicis unigena proprietate, videlicet specie substantiæ, coagmentatione, charactére, colore, formatione figura dispari, & ab omnib. partib. dissimili. Vnde præter adducta verba ex quarto de usu partium transcripta, sic in eodem capite libri sexti de placitis Gal. locutus est. *Vnūquodque instrumentarium animalis membrum compositum cum sit ex alijs simplicioribus partib. proprium quiddam in substantia ita adeptum est, ut nihil in universo animalis corpore simile reperiatur.* Et paulo post. *Porrò qualis est pulmonis substātia, talem nullam aliam invenies: cerebri item corpus ideſt, quale nullum aliud: cordis substantiæ simile exquisitè nullum membrum aliud reperiri potest.* Et uno versiculo interposito. *De oculo*, ait, *quid dicam? Quam eximius est, quam nulli ne minimum quidem similis glacialis humor?*

Capit. 12.

Cap. 8.

Ne quis verò novitiorum decipe- *Observatio*
retur, ut decepti sunt adversarij, arbitrareturq. locutū fuisse de similitudine temperamenti, adjicit, quæ sequuntur. *Nihil itaq. mirandum, si iecoris etiam corpus ex propria sua natura functionem propriam consecutum est: maximè rubrum enim cernitur, perinde ac sanguis: adeo (quemadmodum habet inferiùs) ut nihil quidquam tam simile sanguini invenire possimus, quam iecoris species est.*

Ambigua tamen illa verba interpretemur, quæ videntur habere aliquam dubitationem. Nam post illa, quæ proximè scripsimus, hæc facit Gal. *Quo circa in singulis ex substantiæ proprietate, propria quædam functio consequitur.* Iam si actio instrumentorum nullam aliam proprietatē sequitur, præter principis partis temperiē, & instrumentorum structuram, vel facultatem, quæ ambab præsidet, ex quib. actio tanquam ex primo principio profluit, non est dubium, quin ex ijs verbis intelligamus substantiæ proprietatem esse temperiem vel facultatem, & potestatem, intimamq. vim, non designationem & apparatum externum. *Objectio.*

Enimverò tametsi principium dicatur id, ex quo aliquid cōsequitur: bifariam tamen id contingit. Vno modo, cum ex eo sequitur ipsa natura rei: altero cum sequitur sola rei cognitio (principium rei, vel cognitionis dicunt.) Substantiæ proprietas, quæ nobis in Anatome ante oculos obversatur, non est principium generationis, vel causa, propterquam actio fit, sed est principium, ex quo actio propria cognoscitur: licet enim à posteriori argumētetur Gal. ut dictū est: tamen illud posterius in illa demonstratione semper est prius cognitione aliqua, ut similitudo, quā habet caro hepatis cū sanguine, principium est, ex quo venimus in cognitionem hæmatosis, & generationis illius. *Solutio.*

Quamobrē in instrumentis nostri corporis, illa particula est princeps & auctor actionis propriæ, cui nulla est in nostro corpore similis: cæterę autem partes communes sunt. *Assertio.*

Nam ex proprietate substantię actio propria & instrumētalis colligēda est, quemadmodum ex substantia communi actio cōmunis. Igitur quæ pars edit actionem propriam alicujus instrumenti, necessariò in illo princeps est, quemadmodum, quæ communem actionem exercet, pars cōmunis: sed illa pars, cui nulla similis est in toto corpore, molitur actionem propriam, cæteræ verò, quod similitudinem habeant interse, communem habent actionem, ergo illa pars, cui nulla similis, princeps est, reliquæ verò sunt communes. *Ratio.*

Quibus explicatis ad singula, quæ supersunt respondeamus. Tendo primum voluntarij motus organum esse nequit, tum quia pars simplex non est, quamvis musculi propria, tum quia non omnes musculi tendines habent. Ergo non est comparatus ad motū simpliciter, sed secundū quid, hoc est ad validiores motus, & graviores artus agitandos, ut primo de motu musculorum voluisse Galenum existimamus. Neq. nervus princeps organum motus statuendus est, quia pars cōmunis, tū etiā quia si esset primū organū motus, ubiq. moveret: at in *1. Solutio.* *1. de mot. musculo. 4. & 5.* *Capit. 5.*

in ventriculo, inteſtinis, & viſceribus non movet: libro verò proximè adducto tantum docuit Gal. muſculum proprium eſſe motus voluntarij inſtrumentum, ipſiq. motus principiũ eſſe ex cerebro per nervos. Libro de plenitudine, præter quã quod ſub cõditione loquitur, nõ dixit motũ primo deberi nervorũ fibris, ſed eaſdẽ primũ ad motum concũrrere. Quare neq. nervus, quæ pars cõmunis eſt, neq. tendo, quæ pars cõpoſita, ſed propria muſculi caro princeps pars in muſculo conſtitui debet. Quod Hipp. indicaſſe videtur dũ muſculum abſolutè carnẽ appellat: atq. etiam Gal. dũ quinto de locis patientibus rectos abdominis muſculos à nullo muſculo, id eſt, carne tegi, exaravit, quos tamen tendine ac denervatione obliquorum veſtiri manifeſtum eſt.

Capit. 5.

Lib. de arte nu. 17.

cap. 7.

Ad objectam de oculi humorib. difficultatẽ reſpõderet aliquis Galenũ in ſua methodo partes uſurpaſſe, quæ omniũ conſenſu, & applauſu partes viventes ſunt: at de vitreo & albugineo humorib. inter medicos peritiſſimos ambigitur, utrũ ſint animati. Quin etiã vitreũ cryſtallini eſt alimentũ. Albugineũ ejuſdẽ excremẽtũ eſſe veteres omnes arbitrati ſunt.

2. Solutio.

Nos verò id reſpõdemus, quod de meatibus cholidochis protulit Gal. Humor cryſtallinus, vel glacialis, qui ſic lucet, ac ſplendet, ut lumine, & perſpicuitate cryſtallum, glaciemq. pellucidam verè referat, idolũ, ſimulacrumq. viſionis meritò vocatur: eũdem enim, dum ſecamus oculum, libentiſſimè cõtemplamur. Nam ſplẽdore ſuo, & eximia pulchritudine oculos, & animum recreat, & delectat. Humor vitreus qualitatib. à chryſtallino multum diſſidet: ſiquidem albedinis perfectionem habet adulteratam, ſubalbus igitur eſt, ac penè fuſcus. Aqueus, vel albugineus liberè fluitat, circunſcriptionem propriam non habet, toti non cohæret, neque in ſeſe nutibus ſuis conglobatur, ut partes reliquæ, ſed ob vulnera frequenter effunditur, & aliquando inſtauratur, ut teſtis eſt Gal. Ergo ridiculũ fuerit duob. illis humorib. vel illorum alteri, videndi principium dare abjecto & neglecto cryſtallino, qui ſitus in oculi medio velut in centro, anima oculi dictus eſt, ut amicus Laurentius eleganter ſcripſit.

Alt. ſolut. 4. de uſup. cap. 12.

1. de ſym. cau. cap. 2.

Pars demũ princeps guſtatus in lingua nõ eſt mẽbrana cõmunis *ventriculo, gulæ, linguæ, ori, & palato* ſed linguæ ſubſtantia, quæ verè ac propriè pars ſimilaris exiſtit: mẽbrana verò tenuis eſt, ut per eam ſapores facilè permeent, ac tranſeant, atq. linguæ pulpã celeriter ſubeant. Vndè præclarè colligitur ſenſus diſcrimẽ ſimpliciter poſitũ eſſe in ſubjecta ſubſtãtia, quæ ſola poteſt eundem terminare, & in propria ſpecie collocare.

3. Solutio.

3. prog. 30.

VTRVM PARTES, cum principes, tam habentes uſum, deſerviant inſtrumentis ratione ſui temperamenti, an ratione diſpoſitionis organicæ.

QVÆSTIO XXXVI.

PERDIFFICILIS, & perobſcura quæſtio eſt, nũ pars in inſtrumento, cui potiſſimum adſcribitor actio, eandem perſolvat, quòd tali prædita ſit temperamento, an quia tali ſtructura ſit fabricata. Idem quæritur de his partibus, quæ inſtrumentis uſui ſunt. Gal. hoc loco, primo, & decimo de uſupartium, libello de optima noſtri corporis conſtitutione, tertio de locis patientib. primo methodi, & libro de curatione per ſanguinis miſſionẽ, in quolibet inſtrumento particulam unam præcipuam conſtituit, quam per ſuã temperiem agere viſus eſt aſſeruiſſe. Idem ſuadere videntur rationes ſequentes.

Capit. 1.
Capit. 1.
Capit. 2.
Cap. 5.
Cap. 6.
Cap. 4.

Prima ratio.

Vẽtriculi, jecinoris & cordis actiones inſtrumẽtales ſunt: ſed hæ proveniũt à tẽperamẽto, partiũ principũ, ut cõſtat inter omnes, ergo inſtrumẽtales actiones ad temperamentum partis præcipuæ referendæ ſunt.

Secunda ratio.

Deinde (ut de inſtrumentis animalibus idem demonſtremus) reſiccato humore cryſtallino, perit viſio: perfrigerato nervo, vel multum intemperata carne muſculi motus impe-

ditur : cerebro nimium excalfacto, naſcitur delirium, ergo ratione tẽperamenti partis principis exequuntur inſtrumenta ſuas actiones.

Tertia rat. Poſtremò actiones omnes primũ, & maximè propriè dimanant à partib. ſimplicib. ab inſtrumẽtis autem ex accidenti, ut voluit Gal. ſed in figura, numero, magnitudine, vel ſitu, quibus prædita ſunt partes ſimplices propter inſtrumenta, non ſunt virtutes efficientes, ergo pars princeps propriam actionem miniſtrabit ratione temperamenti.

Lib de cõſt. artis cap. 5.

De partib. uſum habentib. idẽ ſit judiciũ. *Nam cor pulmoni præparat alimentum*, plexus arteriolarũ labyrinthæi ſpiritum animalem cerebro : venæ lac mammis glandulosis : meſeraicæ ſanguinem jecori : capreoli, & anfractus vaſorum ſpermaticorum ſemen teſtib. exiles cujuſq. particulæ venulæ proximum alimentum ipſius ſubſtantiæ. Quin & *epiploon, id eſt, omentum ex duab. tunicis denſis, & ſubtilib. ſibi ipſis incumbentib. quam plurimis verò arteriis, & venis pinguedineq. non pauca eſt conflatum, ut ventriculum, & inteſtina foveret.* Quas partes ad hujus uſus conjunctas eſſe ratione ſui temperamenti, probare ſupervacuum eſt.

Quarta ratio.

6. de uſup. cap. 17.

4. de uſurp. cap. 9.

Ibidem.

Veruntamen ego longè aliter ſentio : antequam tamen ſententiam aperiam, quam exiſtimo veriorem, principio aliqua fundamenta ſubjiciendа reor. Primo fundamento erunt Galeni verba hæc tertio capite conſcripta, quorumquidem occaſione hac de re controverſia eſt. *Carnis quatenus caro eſt, in compoſitione tantum quatuor elementorum differentia conſiſtit : at quatenus pars eſt inſtrumentorum alicujus, informatione, & magnitudine.* Quibus declarare voluit partes ſimilares, quatenus ſimilares ſunt, calfacere, refrigerare, humectare, & exſiccare, actioneſque tãtum exercere, quæ à temperamento primò trahunt originem : eaſdem verò, quatenus deſerviunt inſtrumentis, dumtaxat miniſtrare actiones, quarum organica ſtructura principium eſt.

Auctor. opi.

1. Fũdamẽ.

2. Fundam.

Porrò plurimùm differunt naturalia ab animalibus inſtrumentis quadrifariã ſcilicet. Primum, quoniam inſtrumẽtis animalibus ita propria eſt ſtructura inſtrumentalis, ut ea ſola utantur, fruantur, & exornentur. Vnde illorum actio perpetuò organica, nunquam ſimilaris concipitur : inſtrumenta verò naturalia dupliciter contemplamur. Nam, ſi ad hæc ipſa per ſe ſola reſpicias, verè ſimilares actiones exercent, ut hæmatoſin, chyloſin, quæ tunc à doctiſſimis viris concoctionis ſpecies conſtituuntur. Veruntamen, cum non ſolùm ſibi concoquant, ſed etiam alijs partibus præparent alimentum, ad hoc munus exequendum indigerunt inſtrumentali apparatu, figura, magnitudine, certo numero partium, & ſitu : ut, ventriculus licet alteret cibos, ac mutet propter temperiem : tamen tot ſimùl continet cibos propter capacitatem : non enim ſufficit, ut benè ſit temperatus ventriculus, ſed opus etiam habet juſta capacitate, & ut convenienter dilatetur, & contrahatur, & circa cibos conſtringatur. Vnde chyli generatio, quantum ad ſolam ſubſtantiam ventriculi ſpectat, actio puré ſimilaris eſt : at chyli tanti ac talis generatio ex ſimilari, & organica miſta eſt.

1. de lo. aff. ca. 7.

Primo.

Secundò.

Ex quibus originem ducit alterum diſcrimen, quod animalia inſtrumenta tantum patiuntur morbos inſtrumentales : naturalia verò laborare poſſunt, vel morbo tantum ſimilari, vel tantum organico, vel utroq. ſimùl, & ſimilari, & organico, ut cũ jecoris ſubſtantia intẽperie afflictatur, morb. ſimilaris eſt : cũ autem vena in jecinore phlegmone laborat tanta, ut cavitas intercludatur, tumor impediens diſtributionẽ mediante obſtructione, inſtrumentalis affectus eſt, intẽperies, quam fervens humor progenuit, ſanguinis generationem vitiãs, morb. ſimilaris. Quod ſi à temperato aliquo ſtatu vena diſtenta eòuſq. ſit, ut cavitas ejus, nulla intẽperie in venã inducta, claudatur, vel ab humore craſſo intercludatur, jecur tunc ſolo affectu inſtrumẽtali afflictatur. Similiter dicendum de ventriculo, qui ſæpiſsimè laborat intẽperie, aliquando intẽperiè, & tumore, nõnũquã cõprimitur ab aliqua parte vicina tumeſcẽte, unde cavitas illius vitiatur, ex qua læditur concoctio.

Tertiò.

Tertio diſcrepant hæc inſtrumenta,

ta interse, quod *in naturalib.* ut scribit Gal. *cognata inest actionis vis, ut magneti vis, qua ferrũ attrahere potest*, unde semper idiopathicé, hoc est, proprio affectu laborant: *animalib. verò instrumentis à principio desinit, veluti lumen à sole*, quamobrem sympathicé, per cõsensum, laborare solent. *Ibidem.*

Quartò & ultimo differunt, quoniam actiones instrumentorum naturalium voluntatis expertes sunt: animalium verò ad arbitrium conferuntur. *Quartò.*

Quib. jactis rem hanc suis theorematis exornemus. Sit primum. Instrumentis naturalibus partes principes proximè ac præcipuè deserviunt ratione sui temperamenti. Assertionẽ hanc scripsit Gal. primo de usu partium, cum ait. *Nostri corporis instrumenta maiori ex parte actionẽ fuisse nacta per propriã substantiam & tẽperiem*, quod sine dubio de instrumentis naturalib. intelligit, quæ lõgé plura sunt, quam animalia. *1. Cõclusio.* *Gal. auctor.* *Capit. 9.*

Nam partes principes, quæ nõ suscipiunt aliunde agendi vim, sed solo tẽperamento vltimò disponuntur ad agendũ, proximé serviunt instrumentis proprio tẽperamento: at partes principes instrumẽtorum naturaliũ, ut caro jecoris, cordis & ventriculi, nullã agendi vim suscipiunt ex alia parte, cum tẽperies illis insita sit, ergo partes principes instrumẽtorum naturalium proximè deserviunt illis proprio temperamento. *1. Ratio.*

Quoniã instrumẽtorũ naturaliũ actiones sunt attractio, retẽtio, concoctio, nutritio, expulsio: sed hæ omnes proveniunt primò & proximè ab insita vi, nẽpe à temperamento partis principis, ut ferri pertractio à temperatione magnetis, igitur omnes actiones instrumentorum naturalium primò fiunt à temperamento partis principis: sanguis enim fit à carne jecinoris, veluti chylus à tẽperamento ventriculi, & spiritus vitalis à cordis temperamento, vt voluit Gal. *2. Ratio.* *4. de usu p. cap. 12.* *3. de sym. cau. cap. 1.*

Secundum theorema sit. Instrumentis naturalib. partes principes itidé proximè, sed minùs præcipuè, deserviunt ratione dispositionis organicæ. Quoniam instrumenta naturalia præter id, quod sibi concoquant, qua ratione nullam requirunt formationem, veluti caro simplex, quæ suo tẽperamẽto cõtenta est: tamen aliud illis munus est impositum, quo toti corpori præstò sunt. Nã tantam cibo rum copiam alijs partib. præparant, quãtã debent. Age verò partes principes instrumentorum naturaliũ, prẽter vim concoquendi, debent cõvenienter dilatari & cõtrahi, alimẽtaq. cõplecti, & circa ipsa cõstrigi, altera taq. cõmodè expellere: sed hæc omnia præstare nequeunt absq. justa capacitate instrumentaliq. structura, ergo partes principes proximè quidẽ tametsi minùs præcipuè, & quasi naturale munus adjuvando, instrumentis naturalibus deserviunt dispositione instrumentali. Quamobrem non est purè similaris actio chyli tanti, & talis generatio, ut superiùs dictum est. *2. Concluſ.*

Tertium theorema. Instrumentis animalibus partes principes proximé deserviunt ratione solius dispositionis organicæ. Galeni conclusio est, qui primo de usu partium postquam dixit, *nostri corporis instrumenta maiori ex parte actionem exercere propria substantia*, qualia sunt instrumenta naturalia, ut diximus dudum, statim retulit actionem instrumẽtorum animaliũ ad organicam structuram, ut visionem ad colorem, motum ad ossium duritiem, quas qualitates organicas esse, ut sunt asperitas & levitas, Galeni opinio est. Eandem assertionem probare possumus ex libro de tremore, palpitatione, convulsione, & rigore. Quo loco docet Gal. motum principaliter ab anima proficisci: à musculo autem proximè, quemadmodum cautus ab artifice interjectione tibiæ. Vnde concluditur Galenum existimasse animalium instrumentorum actiones, remotè quidem agi per animam & facultatem: proximè verò per organicam structuram. *1. Auct. Galeni. Capit. 9.* *Laurentius lib. 1. q. 3.* *2. Auctor. cap. 5.*

Sed argumenta subjungamus. Actionum purè instrumentalium nulla proximè fit à temperamento, sed à sola dispositione instrumentali: sed omnis actio animalis est purè instrumentalis, ergo fit proximè à sola dispositione instrumentali. Valet propositio. Quoniam actiones, quæ proximè fiunt à temperamen- *1. Ratio.*

to, sunt actiones naturales, attractio alimenti, retentio, & concoctio illius, assimilatio & excrementorum expulsio, sed nulla functionũ animalium talis est, ergo nulla fit à temperamento. Sumptio patet. Nam actio puré instrumentalis non incoatur à sola temperie, nec absolvitur, nec perficitur, sed à sola instrumentali structura, hujusmodi est actio animalis, ut motus, qui efficitur à musculo, non quatenus musculus hoc modo, vel illo temperatus, sed quatenus est particeps hujus organici apparatus.

2. Ratio. Præterea, quæ proximè proveniũt à temperamento actiones, voluntatis expertes sunt: ventriculus enim, hepar, cor, invitis nobis, benè vel malè, citò vel tardè concoquunt chylũ, sanguinem, & spiritus gignunt: sed actiones animales arbitrariæ sũt: etenim naturaliter nos habentes, sentimus, movemur, imaginamur hoc, vel illud, cum volumus, & quamdiu volumus, ergo animales actiones proximènon proveniunt a temperamẽto.

3. Ratio. Demum pars princeps propriam ministrat actionem instrumentis animalibus ratione illius, quod sibi omninò necessarium est ad dicta instrumenta unà cum alijs partib. componenda: sed parti principi, ad hanc instrumentalem compositionem, opus tantũ est organica dispositio, proximè quidem, non tẽperies, ergo pars princeps ratione dispositionis organicæ ministrat propriã actionẽ. Probatur assumptio. Nam carnis, quatenus caro est, varietas, id est, quatenus est pars similaris, tantum intemperamẽto cõsistit: quatenus verò est pars instrumẽti cujuspiã in formatione, & magnitudine. Quamobrem humor chrystallinus, caro musculorũ, deniq. partes omnes principes reliquorum instrumẽtorũ animaliũ proximè non incumbunt ad actiones illorum, ut similares sunt, siue quatenus hoc modo temperatę, calidæ, vel frigidæ: sed illis propriùs præsto sunt, quatenus tali decoratæ formatione, tãtaq. auctæ magnitudine.

Observatio. Hoc argumentũ idẽ concludit de partib. principib. instrumẽtorũ naturaliũ, quę similiter certo modo cõformatæ deserviunt suis instrumẽtis, ut instrumẽta sunt, quãtũvis minùs præcipuè, quemadmodũ dictũ est. Vnde caro jecinoris erit generationis sanguinis causa, & ratione tẽperamenti, & ratione organicæ dispositionis. Quoniã si consideramus jecoris solius nutritionẽ, quando potius est corpus similare, quã organicũ (veluti considerauit Gal. aliquãdo) parenchyma, & caro illius solùm agit, ut hoc, vel illo modo temperata est: si verò ad jecur spectemus, quatenus alijs partib. alimentũ parat, quo tẽpore officina hæmatosis dicitur & est, organicamque structurã includit, tũc ejus caro non modo ut tẽperata, sed etiã ut pars instrumẽti còcipitur, & in formatione quoq. & magnitudine propriã naturã quadam ex parte positam habet. 1. de nat. fac. cap. 6.

Vltimũ theorema est. Omnes partes vsum habẽtes, quorũcunq. instrumẽtorum sint tantũ deserviunt illis ratione dispositionis organicæ Nam unicuiq. instrumẽto præter propriã substantiã, quæ propriæ actionis est opifex, partes reliquæ totius utilitatis causa inditæ sunt: sed hęc partium utilitas & oportunitas posita est in organica structura, ergo partes usum habentes instrumẽtis omnib. deserviunt dumtaxat dispositione organica. Os utilitatis fructum præbet, quia veluti, stabilimentũ est, ac partib. subjecta sedes, nonnunquã propugnaculum quoddã ac murus: cartilago tegit, ac defendit: ligamentũ ex osse in os insertum cõmune vinculũ fit: nervus facultatem sensus & motus deducit: arteria sanguine, & spiritu nativum caloré custodit: vena sanguinem continet, ac defert: membrana tegit, munit, & ornat: fibræ attractioni, expulsioni, ac retentioni maximo usui sunt: musculus movet. Quas quidem actiones cõmunes, & usus, commoditatesq, tribui organicę dispositioni, ante omnium oculos positum est; ergo illius ratione partes omnes ministrant, quæ instrumentis usui sunt. Quarta conclusio. Ratio. 6. de plac. 6.

Solvamus nunc difficultates objectas. Auctoritatib. concedimus censisse Galenum particulam inquolibet instrumento primariam causam esse instrumentalis actionis, verum id semper ratione sui temperamenti proximè præstare negamus. Solutio auctoritatum

Prima

Prima ratio solvitur ex ijs, quæ dicta sunt, nimirum, instrumentorum naturalium actiones provenire à tẽperamento, licet, quatenus instrumẽtorum actiones sunt, non nihil pareant dispositioni organicæ. *Solvitur. 1. ratio.*

Secundæ rationis negamus consequentiam: quamvis enim temperamento mutato, mutentur actiones, tamen non sequitur, temperamentum esse causam proximam actionis. Quod perspicuũ fit in illo exemplo superiùs proposito. Nam exausto, & siccato fonte, vel secto aquæductu non servantur pisces in piscina: ex eo tamen non sequitur, fontem, vel aquæductum esse causam proximam illius usus impediti, quandoquidem constat inter fontem, vel aquæductũ, & piscium conservationem interjectam esse piscinam. Visorius nervus à frigiditate compactus nõ fovet facultatem animalẽ, ut condensata nubes non transmittit solis radios propter crassitudinem. Quare temperamento mutato mutatur actio, quia mutatur organica dispositio nervi & oculi interjecta inter temperamentum & actionem. *Solvitur. 2. ratio.*

Tertia ratio nullius est momenti. Nam Gal. lib. de const. artis duplex assignat actionum genus, unum sanè primum, maximèq. proprium, quod ascribitur simplici particulæ ac præcipuè operãti, quam propterea nos instrumentũ originis retrò appellavimus: *alterum verò ex accidenti* (explicat se ipsum Gal.) *aut secundariò, vel nõ primò, aut quomodocunq. appellare libeat, totius est instrumenti.* Hoc nos libenter concedimus: primũ enim exorditur actionẽ pars simplex: secundariò autem actionẽ perficit totũ instrumentũ. Sed in instrumentis naturalibus exorditur pars simplex suo temperamento, ut jecoris caro sanguificationem: at in instrumentis animalib. solũ & proximè organica structurâ, ut crystallois in oculo visionem, caro simplex in musculo motum. *Solvitur. 3. ratio.*

Præterea cor nõ est pulmonis pars: hîc autẽ loquimur de instrumentorũ partib. Quinimmò cor, cum dicitur præparare alimẽtũ pulmoni, sanè nõ id, sed aliud intendit, nempe spirituũ vitalium generationem, quâ prægreditur sanguinis attenuatio. Nam, ut docet Gal. omnes partes nostri corporis ad propriam nutritionẽ imperpetuum incumbunt. Porrò spiritus animalis, lac, sanguis, semen & proximũ alimẽtũ in venis, & arterijs apparantur, formâ verò, & ideâ consequũtur, cum fuerint ad partem apposita: utrumq. verò, nimirũ & præparationẽ, & perfectam elaborationem molitur partis substantię vis concoctrix, quæ ad prævia vasa præmittit alterationem. *Alia solut.* *5. aph. 39. 3. de nat. fac. c. 17.*

Sed dicet aliquis, semen Galeno fit in arteria, & vena, quæ ad utrũq. testem decendunt, non recto itinere, ut reliquæ omnes, sed instar capreoli, aut hęderæ varijs modis involũtæ: in illis enim capreolis, & anfractibus quos faciunt, antequam ad testes perveniant, albescere paulatim sanguinem videre licet. *Objectio.* *1. de sem. cap. 12.*

Respondendum, sanguinẽ in vasis illis dictis spermaticis albũ reddi ab alba substantia ipsorum vasa tamen id facere pro sui nutritione, non ut testib. paratam materiam subministrent. *Nam, si alia in parte animalis arteria & vena ita essent involutæ, ibi quoq. hujusmodi humor conspiceretur,* ut docuit Gal. Tamen præparatio seminis, quamvis in ipsis vasis fiat, ab ipsis non fit, sed à testium virtute illuc perfluentẽ. Quod in hepate clariùs apparet, cujus alteratrix vis in ejus pòrtis inducit in chilũm rudem quandam delineationem, obscuramq. speciem sanguinis, prius quam ad ipsum deferatur, ut suo loco dicemus, quod in reliquis instrumentis similiter arbitror. *Solutio.* *Ibidem.* *Cap. 13. & 14. de usu sp. cap. 10.* *Quæst. 41.*

Tandem respondemus nullam nos duxisse controversiam de his partibus quæ vicinis usui sunt. Ventriculo calorem subministrant præter omentum, jecur, splen, spina, spinales musculi simul cum pinguedine ipsis agnata, ut auctor est Gal. quod sanè per accidens est. Hic tantum discepramus de partibus, quæ componunt aliquod instrumentum, atque parti principi ad actionem adjumento sunt. Omentum ergo non est pars vẽtriculi, sed ejus usus maximus est, ut venæ pòrtæ ramos quoquò versus protẽsos, sibiq. implexos fulciat, & arterias pariter, nervosq. proximis ipsis partibus inserendo tuto *Alia solut.* *4. de usu par. cap. 9.*

Ibidem. deducatur *et ingeniosa natura*, ut scribit Gal. *propè ventriculum idem posuit, & veluti caloris fomitem quendam constituit.*

VTRVM AFFECTVS partis principis semper: partium verò usum habentium non nunquam, morbi sint.

QVÆSTIO XXXVII.

TOTIVS instrumenti functionem maximè vitiari docuit Gal. ubi pars princeps, quæ functionis est prima causa, ægrotaverit: ut vidēdi sensus tunc offenditur, cum crystallois suo loco dimovetur, atque in sublimem, vel imam oculi partem transfertur: reliquarum verò partiū usum habentium vehementiores affectus, qui actionem impediunt, non per se ipsos, sed quatenus parti principi nocent, morborum sunt causæ, ut arachnoeidis tumor præter naturā, qui visionem non per se lædit; sed quòd dejiciat crystalloidem de sua sede, ut sursum, vel deorsum feratur: qui verò parti principi nihil incommodant, per se tamen possunt functionem impedire, hujusmodi affectus morbi sunt habendi, ut hypochyma, id est, suffusio, gutta, in quā, illa caliginosa, vel pterygium, hoc est, unguis, qui morbi in aucto numero à Galeno constituti sunt.

Capit. 8.

Objectio. Veruntamen obscurum illud & difficilem habet explicatum, quod affectus aliquis partium, quæ subministrant usum, possit quamproximè instrumenti functionem vitiare. Nā, ut primo de locis patientibus scribit Gal. singulæ corporis actiones peculiaria fortiuntur organa, quibus obeuntur, eoque lædi actionē, quòd instrumentum ipsam efficiens quomodolibet affectum sit. Iam suffusio, vel unguis, si totius actionis auctorem non corrumpit, neque poterit actionem impedire. Etenim sanitas, & morbus quatenus circa unam eandemq. actionem versantur, unum idemque instrumentum vicissim occupant. Quare necessarium est, ut sicut manus cultro acuto benè, eodem verò hebeti, & obtuso malè secat, ita facultas videndi bonas actiones edat, cum oculus naturaliter est dispositus, & eadem actiones malas producat, cum idem oculus malè est affectus. Non potest igitur affectus alicujus partis usum habentis visionem lædere, nisi priùs offendatur instrumenti dispositio, à qua sumit initium omnis actio.

Capit. 2.

Solu. interpretum. Pro his interpretes sine ulla dubitatione sic respondent. Vt quippiam in organicis partib. morb. dici debeat, non oportet principi functionis parti læsionem inferre, quum citra hanc, impediri actio possit: sed abunde satis est, totum organicum, cui actio tribuitur, ab eo affectu lædi. Nam in ungue oculi, vel suffusione, etsi crystallois præcipua visionis pars non vitietur, totus tamen oculus noxam dicitur sustinere, valdēmutatis nonnullis ejus partib. quæ visioni magno usui sunt, nempe adnata, & cornea membrana, in quibus unguis, vel humore aqueo, in quo suffusio consistere dicuntur. Egregie explicatur, quid sit id, quod ungue, vel suffusione offenditur. Quoniam visio, cum actio secūda & perfecta dicatur, ut Galeni fert opinio, licet debeatur uni parti ex componentibus oculum: tamen à toto nascitur instrumento, ut idem alibi est arbitratus, quoniam non modo princeps pars, sed etiam cæteræ usum habentes, non ut similares, sed ut certò modo conformatæ, ac in unum conveniētes visioni præsunt. Quam rem hūc etiam produxerunt nostri consummati professores.

1. meth. 6 & lib. sang. ad cap. 4.

Difficilis objectio. Tamen ex hac responsione (nisi me fallo) in majorem difficultatem incidimus. Nam si proxima læsæ visionis causa est instrumentaria oculi structura & dispositio, cujus intervētu suffusio, hoc est, ille detentus humor, & auctus numerus, visionem lædit, sanè suffusio morbus non est, sed morbi causa: morbus autem erit organi constitutio per suffusionem vitiata. Vnde nullus affectus partium, quæ ad usum optimæ sunt, quamvis magnus, morbus est, sed morbi causa. In eandem difficultatem delabitur,

tur, quod dictum est de affectib. partis principis. Nam inter eos & actionem interjecta etiã est organica dispositio, ut inter crystalloidis mutatum, situm, vel formationem corruptam, & impeditam visionem: ex situ enim, vel formatione debitis limitibus egressa, vitiatur tota structura instrumenti, ad quam proxime accedit actio læsa. Hæc, si vera sunt, ut ratio demonstrat, corruit Galeni methodus, qua nixus est docere, affectũ omnem partis principis morbũ esse, aliarum verò partium, quæ adjuvant, affectus, interdum morbos esse, interdum causas.

Veruntamen & Galeni regula verissima est, & verissimum non posse lædi actionem instrumenti, quin corrumpatur tota structura organica. Cæterum diligentissimè observandum, quæ in his libris scripsit Gal. omnia scripsisse, ut inservirent curationi, veluti ex eodem non semel dictum est. Quamvis ergo in partib. tam similarib. quam dissimilarib. cõsiderare oporteat earum constitutionem & dispositionem, qua munitæ sunt ad agendum, in qua reposuit G. sanitatem & morbum in initio hujus libri: aliquando tamen, jam verò etiã ferè semper, relicta consultò dispositione totius, nempe temperie similarium & structura dissimilariũ, morbos esse prodit, in similarib. qualitatem aliquam exsuperantem, in dissimilarib. verò numerũ auctũ, vel magnitudinem. Quoniam morbi curatio tota dependet, in similarib. quidem, ex ijs, quę primum & maximè insunt, & temperiem complent, calido, frigido, humido, sicco: in dissimilarib. ex ijs, quæ partib. necessariò accidũt, formatione, numero, magnitudine, situ: in utrisq. partib autem ex ipsa continuitate. Porrò medicus dum taxat conatur ea corrigere, quorum emendatione partium dispositio reducitur in pristinum & naturalẽ statum. Quamobrem Gal. frequentissimè definit, & morbum explicat per novem illa, quib. nititur triplex, cõpositio, & partiũ dispositio, & ad quę sunt motus & alterationes: siquidem curatio ex eo neutiquam variatur, immò clariùs apparet. Nam ad curationem maximè faciunt, quæ ad invẽtionem auxiliorum conferunt: constitutiones autem & partium dispositiones, quas morbos formaliter appellamus, non gubernantur medici actionum ditione ac potestate, cum actiones referantur ad suppositа & subjecta, de quib. meminit Gal. utpote materialiter, ut sic dicam, morbi sint. Itaq. febrim pleruuq. docet esse calorem præter naturam, cum sit calida intemperies & dispositio partium similarium ex calore præter naturam aucto, præterea quantitatem auctam nonnunquam morbum esse prodit, & sextum digitum, cum revera morb. sit prava instrumenti dispositio ex aucta quantitate, vel numero addito consurgens. Tandem continuitatem solutam, vel solutionẽ cõtinui communem morbum facit: at morb. est vitiosa dispositio partium disjunctarum, quæ in continuitate divisa, vel in quantitate discreta posita est. Hoc igitur capite G. de curatione solicitus structurã & dispositionẽ organicã, acsi non esset, reputavit, nihilq. in instrumentis inesse præter affectus partis principis, & ipsarum partium, quæ usum habent, cujusmodi sunt formatio, numerus, magnitudo, & situs præter naturam, quæ, si nos fugit totius instrumenti dispositio, judicãtur principales causæ læsarum actionum. Illud tamẽ verum est Galenum incidisse in mentionem hujus dispositionis organicæ natura rei & veritate coactus, ut capite sexto significavimus, & in quæstione quadragesima sexta declarabimus apertiùs.

Summa est, Gal. in hoc capite loquitur de affectibus & partis principis & partium habentium usum, ut ita dicam, materialiter, non formaliter. Vnde partis principis mutata forma, numerus, magnitudo, vel situs, perpetuò morb. existimatur: at partium, quæ ministrant usum, immo dicè vitiata formatio, numerus, magnitudo, vel positus, cum primò lædit actionem, morb. dicitur: cum verò interjectione vitiatæ formationis, magnitudinis, vel situs partis principis, morbi causa est.

Ab hac difficultate solutus, ac liber evadit Segarra, qui statuit morbum per plura rerum genera dispersum

Auct. Sol.

Capit. 2.

Com. 28.

Observatio

sum vagari. Nam cum illũ fugiat physica subtilitas, qua morbi definitionem incolumen seruare possit, unàq. depellere tot errores, quos illi attulerunt cortice tenus intellecta Galeni exempla calor, sextus digitus, lapis, satis habet, quod expediat, quæ tantum illi opus est, curationem, cui ne quidquam obest de morbo sic opinari. Quod fortasse dilatabo inferiùs. Interea sectatores illius, qui tantum sibi sumunt & arrogant, vel Philosophiam magni faciant, vel omninò desinant rerum substantias investigare, ne dicam perscrutari.

Quæst. 48.

E *hæc quidem figuratum vitia adventitia existunt. Nativa verò, cum protinus in utero matris formatio depravatur, quod in quacunque corporis parte contigerit, ex ea infirmum atq. imbecillum animal redditur. Oportet enim cordis, pulmonis, ventriculi, cerebri, linguæ, splenis, & renum, & aliorum omnium figuram conservari:*

F *nam si aliqua noxa intervenerit, totum necessario instrumentum in suis deficiet operib.*

ARG. CAP. VII.

Disputaturus de morbis in conformatione, primùm de figurarũ vitijs adventitijs & nativis differit. Præterea de morbis in cavitate & meatu, ubi docet meatibus occlusis nonnũquam unum tantum adesse morbum, nonnunquam duos, quorum unus ex altero nascitur. Postremò de asperitate & lævitate tractat.

CAP. VII. Tex. XXX.

OB hoc igitur, qui introrsum aut extrorsum sunt crurib. aut pedum plantis lævigatis, deteriùs ingrediuntur, quoniam in his vitiata est figura naturalis. Sicq. qui ex perfractis ossib. malè conferruminati fuerunt, actionem membri probam non habent. Neque ij etiam rectè agere possunt, quib. ob morbi, qui arthritis appellatur, magnitudinem articuli suis sedib. exciderunt: aut perfractis supercilijs, quæ juxta dearticulationes sunt, facilè articuli ad superiorem partem exiliunt ac dilabuntur: aut supra excrescente callo, tota dearticulatio, ob loci angustiam, ad motum inhabilis redditur. Et

COMMENTARIVS.

Prima differentia morborum partium instrumentalium in conformatione reposita est, & in morbos figuræ, cavitatis, vel meatus, asperitatis, & lævitatis partita. Primùm exponit Gal. morbos, qui accidunt ex figura, utpote qui sint in promptu, & ante oculos positi. Imprimis *blæsos* adducit, hoc est, valgos, & vatios, sic appellat eos, *quib. in exteriorem partem crura flectuntur* libro de causis morborum, tertio de usup. & tertio de medica officina: horum enim genua se contingunt, pes verò à pede multum diducitur. Præterea *rabos*, id est, varos, *qui introrsum pedes, vel crura obtorta gerunt*, ut ijsdem locis docet: his quidẽ genu à genu multum distat, at pedes conjuncti sunt. Tandem *plancos*, qui supra modum pedib. plani sunt, eosque ceu tabellas habent, quæ plancæ dicuntur. *Hos à pedib. planis leiopodas* G H *græci vocant*, referente Galeno, ut qui bus medius pes ab interiore parte non sit cavus: nos planipedes possumus appellare. Est autem magni usus illa veluti concameratio pedum, quę à pollice ad calcaneum ducta ceu fornicem facit ad sistendum, & gradiendum, & ascendendum ardua præsertim, & inæqualia. Quæ vitia nativa solent esse, atq. in prima contrahi conformatione.

In artem dicinali t. 93.

Capit. 7. Cap. 9. Com. 31.

3. de artic. Com. 92.

Laborant etiam morbo ex figura illi, quib. ossa malè conformata sunt,

hoc

hoc est, ab artifice pravè reconcinnata, & formæ suæ non rectè restituta: tunc enim instrumentum in actione impeditur ob vitiatam figuram.

Perperam itidem agunt, quib. membra distorta sunt ob vehementes articulorum dolores, potissimum si aderit inflammatio ex multorum excrementorum fluxione orta.

Rursus, qui patiuntur luxationē, quæ fit, vel dirruptis apophysib. hoc est, supercilijs quæ juxta articulos sunt, aut maximo excrescente callo in ipso articulo. Luxatio est ossium secundum naturam cōnexorum violenta separatio. Apophyses sunt partes ossium extuberantes processusq. ad orbē sinuum ossium instar labrorum eminentes, & producti, quarum usus potissimùm est ad tutandas articulorum insertiones. Quoniam autem Ophrys, hoc est, supercilium, est ea pars frontis, quæ pilos habet, atq. utrinq. supercilium unum, quò tutiores essent oculi, nequid superné incideret, hinc apophyses propter similitudinē ophryas, idest, supercilia vocavit. Ergo, si vel casu vel ictu, com pressione, vel nimia distentione frāgantur hujusmodi supercilia, facilé articuli, vel ossa de sua sede dimovētur, & foras eminent, membriq. figura depravatur. Fit etiam luxatio plurimùm excrescente in ipsis articulis τύφῳ, idest, callo, vel topho: attracto enim ob nimium dolorem, vel calorem, *humore purulento, vel expurulento, & pituitoso composito, creantur in articulis tophi.* Vnde ob loci angustiam, callo, scilicet omnē cavitatem, aut magnam eius partem explente, totus articulus redditur ad motum inhabilis.

Luxatio quid. 1. de fract. Com.

1 de alimē. 10 fac. c. 5. 6. Epid. 2. 6 Tom.

Atq. hæc omnia vitia adventitia sunt, & post formatum animal accidere solent: at verò nativa his contingunt, qui adhuc in utero gestātur: utraq. tamen, & nativa, & acquisita, in quacunq. sint corporis parte, ex eadem animal ægrotum efficiunt. Vnde sive cordis, sive pulmonis, ventriculi, cerebri, linguæ, lienis, sive renum, vel aliarum partium figura præter naturam fuerit vitiata, illorum actionē deteriorem fieri necesse est.

Quæ, sunt à medico diligenter observanda. Nā licet plures adsint morbi nativi, qui non possunt ad naturalem habitū transferri: tamē ne adeo ægrotus infestetur, erit aliquo remedio locus, quale Gal. consuluit in arte parva *cuidam habenti ventriculū parvum, & rotundum, at adversus septum incumbentem, adeo, ut à cibo difficultate spirandi præmeretur.* *Capit. 71. & 87.*

Observatio

TEX. XXXI.

IAM verò cavitatum omniū, quæ partib. debentur, tum magnitudo, tum multitudo nisi servetur, necessariò earum occasione lædetur actio. Multæ verò hujusmodi ægritudines, nonnullæ coalitu quodam, nonnullæ verò lentorum, ac crassorum humorum obstructu consistunt, aliæ verò ipsis corporib. nimium exiccatis, aut ab aliquo ex circunstantib. ingruenti ac comprimenti angustioribus effectis adveniunt. Ipsorum quoque corporum, quæ tales meatus sortita sunt, substantia est aliquando indurata, vel inflammata, vel syderata, vel suppurata, aut inflata, aut quocunq. modo aliam adjunctam, atq. adventitiam adepta magnitudinē: ac deinceps ad interiores cavernas tumorem resundens, causa est, vt obstruantur meatus. Qui quidem ab ijs plurimum differunt, quos prioris sectæ autores supposuerunt, ex primorū atq. impatibiliū corporū fieri conventu. Nam intestinorū, venarū, arteriarum, atq. omnium hujuscemodi instrumētorum meatus, hos, inquam, meatus magnos ac manifestos, omnes perspicuò videmus. Quod, si ex ipsis aliquis ob ni-

nimiam parvitatem sensum effugiat, non tamen propterea ex eodem genere cum illis existit, quos prior secta supposuit.

COMMENTARIVS.

Post figuram, sequitur morb. ex cavitate, vel meatu. Quoniam autem in cavitatib. tum quantitas continua, hoc est, magnitudo, tum discreta, hoc est, multitudo inest, quarum quælibet excessum patitur, vel defectum, de omnibus cum Galeno mentio facienda. Quare duplex est morb. in cavitate, vel meatu, vel in magnitudine, vel in multitudine. Horum uterq. duplex in excessu, vel in defectu. Magnitudinis excessus est, cum meatus sunt nimis aperti: defectus, cum nimis angusti. Multitudinis excessus, quando in corpore sunt plures meatus, quam decet: defectus, quando pauciores. Cui subdivisioni videtur favere Gal. lib. de causis morbotum dum scribit, *cavitates, quæ partib. corporis insunt, & earum meatus, vel omnino aboleri, vel læsi.* Cū omninò corrumpūtur, proculdubio deficit meatuum naturalis multitudo: cum abūdat, etiā multitudinis affectus adest, ut cum *geminus est ille meatus, per quem jecur bilem in ventrem evomit.* Quę differentiæ universales sunt: particulatim verò sex narrat Gal. quas prædictæ includunt, atque citato libro, ubi hæc dicuntur distinctiùs, sic dinumerat. *Coalitum, angustiam, obstructionem, compressionem, subsidentiam, & apertionē osculorum, quæ ora vocantur.* Quas omnes ad duo genera videtur reduxisse in fine sequentis textus, cum scribit. *Quicunque igitur morbi in concavitatibus fiunt, cum vel obstruuntur, vel laxantur, omnes ad formationis genus referuntur.* Quare cavitas, vel meatus omnis, ut meatus venæ, vel nimis apertus est, quæ morbi differentia dicitur reseratio, vel apertio, & sola respicit excessum magnitudinis cavitatis, vel meatus, vel extra modum est occlusus, quæ differentia quintuplex est, tum ad excessum, tum ad defectū magnitudinis, & multitudinis pertinens. Sed pedetentim ad eas accedamus, à simplicioribus auspicati.

Capit. 7.

2. de temp. c. 6.

lib. de morbō caus. c. 7.

Tex. 32.

E

F

G

H

Ἀναστόμωσις, Reseratio, dicitur osculi venæ, vel arteriæ apertio, ex qua sequitur sanguinis profluvium, sive fiat per uterum, sive per nares. *Anastomosis.*

Σύμφυσις, unio, tametsi proprié sit, cū à soluta continuitate, partes rursus unitæ coalescunt: hìc tamen coalitus est, quotiescunque cavitatum latera in idem adducta connivent, & concidunt: tunc enim est morb. in meatu abolito, ut cum anus, vel penis glans perforati non sunt, vel cum vulvæ, vel oris labra cohærent. *Symphysis.*

Συνίζησις, Consessus, subsidētia, fit quādo vasorum tunicę recedunt in se ipsas, & quasi labuntur, atq. consident, ut cum nimis exsiccantur, & marcescunt, astringentib. coguntur, à frigidis densantur, ab immodico retentrici facultatis motu constringuntur, adeo ut spatia interna, vel minora fiant, vel occludantur. *Synizesis.*

Θλῖψις, Compressio est, cum meatus, vel vas compellitur, & comprimitur ab aliqua parte vicina earum, quæ sunt in ambitu, ex quo interdum vas fit angustum, vel omnino intercluditur. Contingit hoc quando proximè accedens pars laborat aliquo tumore, aut abscessu, aut luxatione, veluti in ea specie anginæ, in qua vertebrę colli é loco suo excidunt & in anteriora prominent, ac præsertim *vertebra secunda, à qua pars quædam dentiformis vocata procedit*, unde angina periculosissima nascitur. Nam interclusis, tum œsophagi, tum asperæ arteriæ meatib. ægri confestim strangulātur. Ex hac etiam causa provenit *pulsuum inæqualitas, cum aliqua inflammatio, aut abscessus, aut scirrhus afficit corpora arteriis circumfusa, à quo & cōprimūtur arteriæ, & coarctantur.* *Thlipsis.* 4. de loc. c. 3. Paul lib. 3 c. 27. 2. de cos. pul. c. 2.

Ἔμφραξις, Obstructio, stipatio est cavitatum, aut meatuū excrassis, & vicidie humoribus intus inclusis, aut callo, aut caruncula, aut lapide, aut sanguinis grumo. Potest etiam obstruere multa copia humorum tenuium in aliquam partem cōfertim irruens, quemadmodum *hæret hominum multitudo, qui ab aliquo theatro consertim & densiùs conantur egredi.* *Emphraxis.* 3. de san. tu. c. 2. 8. meth. 4

Στενοχωρία, Angustia sexta vitiatæ cavitatis differentia est: existit verò quando meatus redduntur minores propter aliquos morbos magnitudinis *Stenochoria.*

dinis partium, in quib. meatus insũt, ut si partium substantia fuerit indurata scirrho, duro-ve aliquo tumore affecta. Si inflammata, ut in illo morbo difficillimo, *qui dicitur ileos*, id est, *volvulus, cujus causa esse solet tenuiũ intestinorum inflammatio, quæ tantam facit loci angustationem, ut nihil possit ad inferiora transmitti, adeo ut nonnulli vomitionib. cruciati, sub fine stercus quoq. evomere conspiciantur.* Si præterea sideratа. Σφάκελος, corruptio, est partis phlegmonem perpessæ mortificatio: præcedit quidem omnino inflammatio, quæ si nec digeri, nec in pus mutari potest propter magnitudinem suam, vel caloris nativi infirmitatem, primùm in gangræoam, deinde verò in sphacelon degenerat. Dicitur quidẽ gangræna mortificatio, non quidem perfecta, sed quæ adhuc fit: cum enim perfecta, & absoluta est, sphacelos dicitur. Aliquando medici his nominibus abutentes magnam inflammationem appellant gangrænam: hanc verò sphacelon, *ad significandam*, ut ait Gal. *dispositionis inceptionem, quæ tamen nondum exactè completa sit.* Hæc corruptio, in qua pars omnem prorsus sensum amittit, quoniam sideris alicujus afflatu fieri putatur, sideratio dicta est. Item, si partium substantia fuerit suppurata. Hoc loco non sumitur suppuratio pro effusione puris inter thoracem, & pulmonem, quæ in internis viscerib. fit, sed usurpatur pro puris collectione in qualibet corporis parte, sive illud in inflammata parte adhuc contineatur, sive abscessus ruptus sit. Postremò si fuerit inflata aliquib. tumorib. flatulentis, qui spiritu constent vaporoso, aut quocunque modo adventitiam adepta magnitudinem, & sua mole cavitates occupaverit, & meatus obstruxerit. His omnib. affectib. redduntur angustiores cavitates, vel meatus, aut obcæcantur penitus.

6. de lo. af. c. 2.

Sphacelos.

Gangræna. 7. apho. 50

Sphacelos quid.

Ibidem.

Porrò capitib. secundo, quarto & quinto de illius meatib. verba fecit, quos prioris sectæ principes eximpatibilium elementorum concursionib. oriri cogitarunt, ad partium similarium compositionem: capite autem quarto reposuit in meatib. differentiam unam morborum instrumẽtalium: hoc verò loco illius plures differentias enumeravit. Ex quo posset cuipiam in dubium venire, num ejusdem generis sint omnes meatus, de quib. hactenus locutus est. Propterea hic observat hos meatus, qui ad instrumentorum conformationem pertinent, longè diversos esse ab illis, quos prioris sectæ primarij constituerunt: hoc probat, quoniam meatus, in quib. consistunt sanitas, & morb. instrumentorum magni & manifesti sunt, & perspicuè videntur: illi verò sensum omnino effugiunt. & quamvis sit aliquis instrumentorum meatus, qui non possit liberè discerni, ut nervorum, qui toti corpori dispersi, *nullam habent sensibilem cavitatem*, ut alicubi docuit Gal. *sicut in venis arteriisq. conspicitur*: tamen ille non est ejusdem generis cum illis, quos prior secta constituit. Hac verò de re non est, quod laboret G. Nam Epicuri, & Asclepiadis fautores palam profitebantur, meatus ex atomis conflatos plurimùm distare à meatib. instrumentorum, tũ quod hi, saltem proximè, nõ fierent ex individuis corpusculis, ut alij meatus, quorum moderatio erat sanitas partium similarium, tum etiam quod meatus ex actionis essent indefiniti & incerti, cum ex atomorum varia, & fortuita concursione, modo constarent, modo evanescerent: instrumenta verò & eorum uniuscujusq. meatus in numerum certum rediguntur. Vnde Gal. capite quarto firmissimè asseveravit instrumentorum morbos utriq. sectę communes esse.

15. de usu par. c. 1. 1. de sem. c. 1. Com. 3. in Hip de alimento.

Tex. 16.

TEX. XXXII.

IN *omnibus verò hujusmodi affectib. in quib. corpora in tumorem attolluntur, atque ex eo meatus intercludi, aut angustiores effici contingit, nonnunquam una tantum provenit ægritudo (obstructio scilicet) quæ lædit operationem, nonnunquam præter hanc, altera, corporis scilicet dispositio, quæ obstructionis est causa. Nam, si id*

si id, cui tumor accidit, corpus, nullam propriam habeat actionē, una tantum erit ægritudo obstructio: ejus verò causa, non tamen adhuc ægritudo, erit corporis tumorem gerentis affectus. Si enim ita cōtigerit, ut patiēte tunica venæ, quæ exē pli gratia, est in concavis hæpatis partib. is meatus, per quem ad ea, quæ in gibbis receptacula mittitur sanguis, reddatur angustior, duæ hac ratione erunt ægritudines, altera ipsius venæ affectus, altera meatus obstructio. Impedit autem venæ quidem affectus sanguinis optimi generationem, obstructio verò distributionem: utraq. verò operatio animali est necessaria. Nam pro confesso habetur, quod quæcunq. dispositiones primò lædunt operationes, ægritudines nūcupantur. Si verò nihil ipsa patiente vena, lenti tantummodo ac crassi humores impacti meatib. distributionem impedierint, una tātum erit visceris ægritudo, puta obstructio. Idem evenit intestino, si sola adsit obstructio, una tantū erit ægritudo: eodē verò inflāmationem patiente, & propterea interioris spatij obserāte spacium, ita ut excrementorum descensus, prohibeatur, duæ erunt ægritudines. Sæpius enim ex morbo alter contrahitur morb. ut in ijs, quos nuper diximus facilè constat: nec minus ubi inflammationi, erysipelati, herpeti, carbunculo, uel tali cuipiam ægritudini febris adjūgitur. Nonnunquam verò effectus ipse est operationis oblasio, quam decet passionem & accidens appellare: ejusdē autē causam ipsam ægritudinē: veluti obstructio causa est, ne alimentum digeratur: refrigeratio verò, ut quis sensum habeat difficilem in causa est: atque ita ægritudo accidenti originem præstat. Cum verò ipsa dispositio operationem primò impedierit, ejusdem autem dispositionis causa nullam attulerit primò offensionem, dispositionem quidem ægritudinē: quod autem ipsam facit, causam ægritudinis dicere oportet: veluti in lentis humorib. atque obstructione contingit: ipsa siquidem obstructio est ægritudo, humores verò ægritudinis causa. Quæcunq. igitur ægritudines concavitatibus adveniūt, cum præter modum obstruuntur, vel laxantur, omnes ad formationis genus referuntur. in his siquidē omnibus formatio naturalis quodammodo vitiatur.

COMMENTARIVS.

Docuerat præcedenti contextu quinque modis posse corporum seu instrumentorum meatus constipari, nimirum coalitu partium, quæ meatum circundant earundem subsidentia, præsertim ex siccitate, compressione procedente ab aliqua vicina parte tumida, aliena substantia intra proprios meatus contenta, illosque obstruente, vel tumore aliquo intus præter naturam aucto, & meatus angustante: nunc tribus priorib. constipationib. præter missis coalitu, subsidentia, & compressione, quæ sine turgida substātia partis laborātis meatus intercludunt, voluit aperire nobis eventum, quod in reliquis duab. obstructione, & angustia usq. adhuc fuit occultum, & ignotum in vulgus medi-

medicorum confundẽtium morbos cum suis causis, quorum opinio suo tempore percrebuerat.

Galeno observatio.

In his ergo duabus meatuum constipationibus, quæ fiunt, cum partes adventitia magnitudine tument, & in ampliorem molem attolluntur, observat, nonnunquam unum tantũ esse morbum, nempe solam obstructionem, quæ actionem lædit, nonnũquã, prẽter obstructionem, alium quoque morbum adesse, qui est obstructionis causa. Verum, cũ statim esset postulanda, & expetenda regula, qua judicare mus, quando unus tantum adest morbus, & quando duplex, occurrit expectationi summus & singularis doctor. *Quod si corpus*, inquit, *quod tumore præditum est, nullam propriam habuerit actionem* (ut ego supleo) dumtaxat impedita substantiæ alicujus distributione, *unus quidẽ erit morbus nempe obstructio*, à quâ sola primùm impeditur distributio: *corporis verò, aut partis in tumorem sublatæ affectus obstructionis causa est, non morbus.* Ex quibus verbis, quam primùm conficitur, & colligitur regulæ supplemen tũ. Nam, si pars tumens propriam habeat actionẽ læsam, duplex erit morbus; alter, qui partis substantiam affi cit, & illius propriã actionem vitiat: alter partis meatus obstructio est, quæ solitam impedit distributionẽ. Quam methodum ejusque partem utramq. illustravit Gal. exẽplo unius & ejusdem partis, cujus cum occluditur meatus, si propria ejusdem partis non læditur actio, unicus est morbus duplex verò, si offenditur illius actio propria. *Si contigerit, ut tunica venæ portæ, quæ est in concavis hepatis partib, aliquem affectum patiatur*, à quo & actio lædatur propria, *& reddatur angustior ejus meatus, perquem ad gibbas mittitur sanguis, duo, hac ratione morbi erunt, alter ipsius venæ affectus, alter meatus obstructio. Venæ affectus optimi sanguinis generationem impedit: obstructio sanguinis per corpus deductionem, quarum* quidem *actionum utraque animali est necessaria.* Iam *illi* tantum *affectus dicuntur morbi, qui primò* & proximè *lædunt actiones*: at hujusmodi actiones ambę nõ possũt ab uno solo affectu primo lædi, sed quælibet à suo læditur affectu primò & per se, igitur duo ibi-

A dem aderunt morbi, scilicet obstructio & tumor, qui obstructionem facit. *Si verò nihil ipsa patiente vena*, hoc est, si vena nullam propriam actionem habuerit læsam *sed propter crassos tantummodo & viscidos humores meatibus impactos, & infixos distributio* sanguinis per corpus impeditur, *unus tantum visceris*, hoc est, hepatis *morbus est, nempe obstructio*, quæ crassorum, & viscidorum humorum est effectus. Idem confirmat exemplo cujuslibet intestini, quod utrumque casum experitur. *In intestino, si sola fuerit obstructio,*
B hoc est, si solus excrementorum descensus fuerit impeditus, proprijs omnibus intestini functionibus bene habentibus, *unicus tantum erit morbus* obstructio ipsa: *at si patiatur quoq. inflammationem*, id est, si propria intestinorum actio læsa sit, utpote alimenti concoctio, atque ob inflammationem *internum intestini occludatur spatium, unde prohibeatur descensus excrementorum, duo utique morbi erũt*, inflammatio propriam intestini actionem lædens, & obstructio ab in-
C flammatione orta, quæ primò, & per se transitum excrementorum impediet. Sed hujus difficilis loci expositio in controversijs excutietur uberius. *Quæstione 40.*

Interim tamen ex Galeni verbis tria firmissima colligamus theoremata. Primùm sit, morbum ex morbo oriri posse. Secundum, semper ex morbo profluere actionem læsam. Tertium & ultimum, quando morbus non sequitur morbum, sed præter naturam quidpiam, quod illius causam nominamus, morbus, eo distinguitur ab ea, quod morb. ipse primo lædit actionem, causa verò interjectione morbi. *Tria theoremata.*

D Quæ licet plane intelligantur ex dictis: tamen Gal. eadẽ magis explicare & excutere nõ gravatur. Nã postquam suppositis exẽplis cõstituit ex inflãmationibus oriri obstruxiones meatuum, subjungit mirum non esse: *sepius enim*, inquit, *ex morbo alter contrahitur morbus.* Quod primùm demõstrat ex ijs, quos jam diximus inflammatione scilicet venæ in cavo jecinoris & intestini, ad utrumq. enim morbum sequitur alius morb. nempe obstructio. Deinde alijs exem- *1. Theorema.*

plis idem monstrat. Nam febrisco mitatur inflammationes, erysipelata, herpetas, carbunculos, & similes affectus, ut in pleuritide observamus: febris autem morbus est, ut patet, quia primò, & per se lædit actiones. Quod theorema in aliquam difficultatem incurrit, quam exorbebo inferiùs.

Nequis verò decipiatur, diligenter observat, non semper esse morbum id, quod effectum est, & quod ex morbo trahit originem: etenim actio læsa imperpetuum sequitur morbum, quã. tum passionem, quæ revera non distinguitur ab actione, tum symptoma nominare oportet. Probat autem Gal. morbum semper esse causam actionis læsæ duobus exemplis. Primum est, cum in aliquo meatu fit obstructio, quam morbum esse diximus, ea ipsa est causa vitiatæ actionis, scilicet quominus alimenta per corpus digerantur. Alterum exemplum. Si sensus alicujus partis minuatur ob intemperiem frigidam, intemperies morbus est, & causa sensationis diminutæ, quod de reliquis omnibus actionibus, tam instrumentorum, quam partium simplicium similiter est dicendum: omnes enim à morbo proximam originem ducunt, ut in sequentibus demonstrabitur.

Quæst. 47. 2. Theore.

Quemadmodum autem morbus est symptomatum causa, ita morbus ipse suas habet causas. Vnde ne aliqui fallerentur ignari, quo distinguatur morbus à causa (quales multi suo tempore) vel sumentes causam pro morbo (quales hoc nostro sunt non pauci) docet qua ratione morbum à sua causa internoscamus. *Quotiescunque* ait, *affectus aderit primò lædens actionem, ille quidem morbus est, quod verò parit hunc affectum, nec primò lædit actionem, tantum est morbi causa. Velut incrassis humoribus, & obstructione* apertum ac perspicuum fit *ipsa siquidem obstructio*, quæ primò & per se impedit alimenti per corpus digestionem, *morbus est, humores autem*, qui obstructionem faciũt, & ea inter media digestionem remorantur, sunt morbi causa: ut hic sit ordo, & series trium rerũ præter naturam. Medico primùm fit obvia functio læsa, quæ symptoma est: mox affectus, vel dispositio, quæ primò hanc læsionem infert, nimirum morbus ipse, postremò dignoscitur id, quod lædentem dispositionem peperit, scilicet morbi causa. Hoc in prioribus exemplis & ijs, quæ dudum posita sunt, eleganter dixit Gal. primo enim conquæritur æger de alimentorum distributione detenta, vel alia aliqua actione impedita, ex hac medicus obstructionis, vel alterius cujusque morbi capit cognitionem, ultimò causam assequitur, sive humores crassi, & vicidi fuerint, sive quæpiam alia.

3. Theore.

Demum concludit, disputationem de morbis in cavitate, vel meatu, quos ad duo capita redigi docet, vel ad densitatem, cum meatus clauduntur, quam in quinq. differentias divisit, vel ad laxitatem, cum immodicè patẽt, quæ unam tantum constituit differentiam. Quæ omnes sex ad genus conformationis reducuntur, cum in illis omnibus naturalis conformatio vitietur.

TEX. XXXIII.

AT nec lævitatem, nec asperitatem frustra partium opifex natura molitur. Quare & in hoc genere per omnes animalis partes morbi contrahuntur, cum id, quod natura læve esse oportuerat, asperum fit: aut è diverso, quod asperum læve. Evidentissima autem in hoc genere medicis sunt, quæ aut lævigatis, aut exasperatis ossibus accidunt: quemadmodum etiam & faucium asperitates, quæ tusses committunt, manifestissimè patent.

COMMENTARIVS.

AGIT de tertia differentia cõformationis asperitate, & lævitate, quæ, cum secundum naturã se habẽt, multum opus sunt ad partium actiones obeundas. Aristoteli asperum est, cujus

In categ. 6. de qual. cujus partes inæqualiter insurgunt, quoniam alia magis eminet, alia minus, quemadmodum cutis eorum, qui punguntur urticis. Læue est, cujus partes æquabiliter insurgunt, quoniam nulla eminet, nulla subsidet, ut est vitrum planum & politum. Morbus in asperitate est, quotiescunque pars, quæ lævis à natura facta est, præter naturam exasperatur, & ea asperitate in suis actionibus impeditur, ut si defluat è cerebro humor aliquis frigidus & tenax, redditur aspera trachex arteriæ tunica interna, quæ alioqui naturaliter lævis est, ex quo vox vitiatur. Lingua, quam semper irrigat saliva, levem habet superficiem: at ob ejus asperitatem, illis, qui ardente febre laborant, impeditur locutio, cujus lingua instrumentum est. Oculi pupilla lævis est polita & tersa, si aspera fiat, lædetur visio. *Asperantur* Gal. inquit, *ventriculus, & intestina, cum excernitur per ipsa multa copia meræ bilis, vel ex acribus erodentibusque alimentis.* Hic ossium & faucium exempla supponit. *Fauces plerunque sensibiliter, & offenduntur, cum superfluitates per palatum descendunt, & tusses pariunt: distillationes autem vocem raucam efficiunt, membrana, quæ faucibus & gutturi communis est, multa humiditate rigata.* Articulis, hoc est, ossium extremitatibus cum assiduè moveantur, innatus est quidam mucosus & glutinosus humor, quo lævi reddita illorum interna superficie flectuntur faciliùs. *Quod homines imitati currum axes ungunt: prius succo humido ac vicido, quo nihil illi patiantur, & moveantur celerius, quique loris ad vehicula & jumenta utuntur, ipsa inungunt.* Ergo si articulorum superficies exiccatur, & aspera reddatur, cum flectuntur, ac tenduntur, dolent, ac tandem actiones ipsorum labefactantur.

1. *Epidem.* 1. 12.
1. *Epidem.* 2. 78.
6. *Epidem.* 2. 4.
4. *de lo. aff.* cap. 6.
6. *Epidem.* 2. 4.
23. *de usup.* cap. 8.
3. *de artic. his com.* 31

Morbo in asperitate, alter in lævitate opponitur. Est autem morb. in lævitate, quando pars, quæ naturæ ipsius habitu aspera debet esse præter naturam lævigatur, atque ob lævorem in actionibus detinetur, ut si cuipiam dentes maxillares, vel molares fiant læves & plani, cum tamen aspera & inæqualis eorum superficies naturaliter facta sit. Vnde sic de de his loquitur Gal. *Sequuntur maxillares asperi, ac lati, duri, ac magni, qui incisa ab incisoryis, aut fracta a caninis, lævigare planè ac terere queant. Quorum, si unus quodvis mente immutaris, utilitatem repente cernes labefactatam: quandoquidem, si læves omninò fuissent, haud quaquam munus suum obire commodè possent, nam omnia ab inæqualibus atque asperis comminuuntur commodius. Ob id ipsum cerè & molas, in quibus triticum molunt, cum tandem contrita, ac lævigatæ fuerint, rursus excidunt, atque exasperant.* Sic ventriculi & intestinorum internæ tunicæ asperitate aliqua præditę sunt, & quibusdam rugis implicatæ, ut commodiùs retineant alimenta: si verò tunica reddatur lævis, unde alimenta qualia fuerint assumpta dejiciantur, in lienteriam inciditur, quæ dicitur defluxus ventris ex lævitate intestinorum. Vterus etiam internam asperitatem obtinuit, ut retineat genitura: si lævigatur, & effluit genitura (unde mulier dicitur sterilis) aut aliquandiu continet fœtum, tameo ad definitum tempus non perducit, sed paulò post dejicit, præter naturā id fieri dicitur. Gal. potissimū in ossibus lævitatem observavit. Nam quando articulis copiosior humiditas intus adest, ac nimis humectarit, lævitatem parit, *hinc ossa facilè ex cavitatibus egrediuntur, ut in coxendico morbo sæpissime accidit.* Vnde Hipp. *Quib. humiditas copiosior intus enutrita, corpora, quæ circa articulos sunt, humectarit, his arium capita facilè exiliunt.* Quare morbi asperitatis, & lævitatis minimè cõtemnendi sunt, quod significavit etiam Hipp. dum præcipit *exasperata lævigande esse, lævia exasperanda.*

11. *de usup.* cap. 8,
Lyenteria quid. Definitionib. Medicis.
4 *aphor* 12. & 6. *Epid. par.* 2. *com.* 36.
6. *aph.* 59. 59.

TEX. XXXIII.

ILLVD quoq. hoc in loco agnoscere oportet, quod sæpius figura particulæ oblæsa aliquē simul meatū offendit: veluti in naso aliquando usu evenit, quod ex ictu violēto resimatus, adeo internum cōpressit meatū, ut vel nullo mo-

do, vel ægrè per ipsum respiraret. Constat igitur, quod in hujusmodi affectibus angustia meatus est ægritudo, nam primum ipsa spirandi officium impedit: causa verò præcedens, simitas nasi, quæ naturalem ejusdem figuram depravarit. In genere igitur formationis, cum tantum à naturæ modo discessum fuerit, ut operatio lædatur, quæ nuper dicta sunt, ægritudinum discrimina fiant.

COMMENTARIVS.

TRACTAVIT superiùs de meatuum angustia, quæ ducit originem à varijs affectibus ad magnitudinem auctam pertinentib. atque ut evitaret confusam, & permixtam disputationem, voluit transire ad aliud genus. Verum in fine capitis, cum illa jam firmè comprehensa fuerint, instar appendicis adjicit, quæ supersunt. *Illud quoque*, inquit, *scire oportet, quod sæpe figura particularum læsa, aliquem simul meatuum offendit.* Quasi sic loqueretur. Dixi supra meatus angustiores fieri ob magnitudinem auctam: in præsentia verò addo, vitiatam partium figuram meatus etiam coarctare, & angustare. Qua de re, in arte parva, hæc scripta sunt. *Quæcunque verò obstructiones, vel angustia meatuum, alias sequantur ægritudines* (angustiæ nomine compressionem etiã concipit) *ab illarum curatione prius est incipiendum. Ostensum siquidem est in libro de differen. morbo. quod & inflammationibus, & duris laxisque tumoribus, & siccitatibus aliquando immodicis, ac præterea vitiosis partium continentium figuris, ea, quæ nuper diximus, sæpius advenunt: sicuti, & quibusdam tumoribus eorum corporum, quæ sunt in ambitu.* Exemplum hic ponit, si nasus, ob violentum aliquem ictum, simus factus fuerit, adeo constringitur ejus internus meatus, ut per ipsum nullo modo, vel ægrè fiat respiratio, tunc meatus angustia morbus est, *quia primò*, & per se *lædit actionem respirandi: causa verò præcedens simitas nasi.*

Capit. 35.

Quorum occasione colligimus in strumẽtorũ affectus sibi invicem causas esse. Vidimus suprà morbos in magnitudine causas esse morborum in cavitate, vel meatu, ut tumorem causam obstructionis. Hoc loco figura vitiata causa est angustiæ meatus, quemadmodum vitium in numero causa quoque interclusionis ejusdem, ut sequenti capite videbimus. Hoc tamen inter hos affectus interest, quòd tantum morbus existit, cum à naturæ modo discessum fuerit, ut actio lædatur. Distinguemus autem morbos à causis proprietate illa, quæ morbo convenit in quarto modo Porphyriano, quæ facilis & expedita distinctio est. Nam, quæ vitia primò & per se lædunt actionem, morbi sunt: ea verò tantum causæ, quæ lædunt actionem interjecto alio vitio, ut resima nasi figura morbus non est, sed tantum causa morbi, quia respirationem lædit interventu obstructionis meatuum nasi: ipsa verò obstructio morbus est, quoniam lædit actionem primò & per se. *Observatio.*

Sed, ne quidquam in hac disputatione deficiat, Galenum audiamus de simitate. *Simum græci locum appellant, ubi planities cum collo coniungitur: qua enim parte committuntur, simum efficiunt: planities quidem ipsa recta est, & æqualis: collis acclivis & altus: at ubi inter se eocunt, simam figuram repræsentant*, qualis est eorum, qui nares habent depressas extremitate sursum deflexa. Quoniam os nasi intermedium duo foramina dirimens, nititur alio quodam tenui osse frontis, & ad nasi finem desinit, ubi pinna locatæ sunt. Hac igitur in parte nasi interseptum incumbit locis illis, ad quæ perveniunt extremitates dentium, qui incisores nominantur. Pars autem his superior palatum nominatur, qua nititur medium interseptum nasi. Vbi igitur decidens perierit aliquod fulcientium ossium, ibi interseptum subsidens, nasum cavum eo loco efficit, atque hæc nasi cavitas simitas appellatur. Quid igitur simitas sit, & ex nomine, & ex propria natura, dictum est. 2. de mi. off. com. 2. 6. Epid. 14

EPI-

EPITOME.

CONFORMATIO corrupta triplex, figura vitiata, ut in simis, natura, ictu, casu: varis, vacijs, plancis, fractura malè curata, luxatione, callo eminentiore articulis annato: cordis, pulmonis, & reliquarum partium vitiosa figura, perquam meatus aliquis ut plurimùm vitiatur. Cavitas, vel meatus, ut dum hi nimium coalescunt, angustiores reddantur, obstruuntur, comprimuntur, subsident circunstantes partes, vel nimis patent. Porrò ubi partis alicujus occluditur meatus, quòd attollatur in tumorem, cujus si non fuerit læsa actio propria, unicum tantum morbum patietur, scilicet obstructionem: tumor autem morbus non erit, sed obstructionis causa: si verò affecta pars in actione propria impeditur, tum obstructio ipsa, tum particulæ tumor, erunt morbi, quoniam tumor per se vitiabit actionem propriam, obstructio impediet transitum per meatum. Nam qui affectus primò lædunt operationem, morbi sunt, sed qui per medium aliquod, morborum causæ. Asperitas, & levitas in superficie inest. Asperitas est affectus partium suapte natura lævium, ut faucium. Lævitas est affectus partium suapte natura asperarum, ut aliquorum ossium.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

Excutio eorum, quae docuit Galenus capite septimo.

QVÆSTIO XXXVIII.

VT omnem Galeni sensum perspiciamus, non possum nō excutere ea, quæ transacto capite præcepta dedit: videtur enim unú quodq. eorum, quæ ad conformationem pertinent, lævissimè tetigisse.

A Primùm figurarum vitia contingere possunt plurib. partib. nostri corporis, ut capiti variæ figuræ vitiosæ, de quibus sermo confertur nono de usupartium, & libro de ossib. faciei effigies dicta Hippocratica, ut in primo prognost. nato similas, ut secūdo de medica officina, & quinto de morbis vulgarib. dorso, vel etiam pectori gibbus, veluti libro de articulis tertio: & spatulis alatum esse, quemadmodum primo & sexto de morbis vulgaribus. At horum affectuum nullam hoc loco facit mentionem. *1. Objectio.* *Capit. 17.* *Cap. 1.* *Text. 5. 6. & 7.* *Comm. 2.* *Parte 1.* *com. 3.* *Com. 2.* *Par. 1. cō. 18.* *Par. 3. cō. 18.*

Sed, ut objecta hæc pro nihilo du B co, sic ad nihilum omnia quam primùm recidam. Vnde huic objecto respondeo Galenum hoc loco tantum adduxisse affectus, qui lædunt actionem manifestò, reliquos opinatur non esse morbos, sed pathemata, quæ in latitudine sanitatis cōtinentur, atq. ita reputavit. *Solutio.*

Præterea instrumentorum figura corrumpitur etiam ubi partes, quæ illa componunt, contraxerint vitium, non modo in figura, sed vel in numero, vel in magnitudine: ipse verò dumtaxat meminit de situ partium, vel connexione vitiatis: *2. Objectio.*

Dicendum maius damnum inferri ex situ & connexione vitiatis, ut in luxationib. & fracturis, propterea de his sermonem habuit. *Solutio.*

Præterea cum tradit conformatio C nis differentias, prætermisit morbum in *orificio* vasorum, quem in arte parva, cum cavitate, vel meatu numeravit, atque etiam morbum in soliditate, ut cum reperiuntur cavitates in partibus, quas solitas esse oportebat. *3. Objectio.* *Capit. 87.*

D Respondemus, libro artis parvæ addidisse orificium ad majorem rei explicationē: sed nō distingui à meatu. Quemadmodum soliditas sub cavitatis vitio comprehenditur. Nam, cum in parte solidafit cavitas aliqua, dicimus auctum esse numerum cavitatū, & morbum esse in excessu multitudinis. *Solutio.*

Ad hæc methodum tradidit Gal. qua cognoscamus, an unus, vel duplex adsit morbus quando claudūtur meatus earum partium, quæ in tumorem attolluntur: sed planè de- *4. Objectio.*

fecit in illis meatuum constipationibus, quæ fiunt sine tumore, ut cum meatus coalescunt, eo quod sint exsiccata corpora. Nam in his meatuũ constipationibus non minus, quam in alijs, duplex interdum, interdum verò unicus morbus adest: siquidem in meatuum ex solo cohalitu occlusione, unicus est morbus ipsa occlusio, cujus causa coalitus est: at verò in occlusione meatunm ex siccitate partis, duplex est morbus intemperies sicca, & intercluſio. Ad hos ergo distinguendos, regula præscribenda erat.

Solutio. Respondeo præscriptam methodum tradidisse Galenum in solis meatuum occlusionibus, quæ fiunt partibus in tumorem sublatis, quoniam in illis solis morbi discrimen cognoscitur ex læsæ actionis specie: cum alijs verò interclusionibus, si quæ adest affectio, multò magis ex sui ipsius natura, quam ex læsæ actionis differentia innotescit, ut sicca intemperies, quando causa est occlusionis alicujus meatus, multò magis patet ex propria natura, quam ex læsione actionis partis exsiccatæ.

5. Objectio. Rursus non videtur Gal. penitùs perscrutasse quot essent morbi, cum intercluditur meatus partis in tumorem sublatæ, cujus actio propria læditur, ut tunicæ venæ, quæ in cavo jecinoris est. Nam tres tunc affectus, non tantum duos interesse constat, intemperiem, quantitatem auctam, & obstructionem, à quib. tres distinctæ læduntur actiones. Intemperies impedit nutritionem venæ, communem scilicet actionem, qua vena convenit cum alijs partibus similaribus. Tumor, & magnitudo aucta lædit sanguinis generationem, cum propter tunicæ venæ incrementum, non possit vis sanguifica parenchymatis in chylosam substantiam pervadere. Obstructio distributionem sanguinis remoratur.

Solutio. Huic objectioni, ut satisfaciamus, actionum distinctionem ac dissimilitudinem convenit præmeditari. Nã aliquæ sunt actiones, quæ toto genere differunt, adeo ut duæ nullo modo possint ab uno morbo impediri, ut assimilatio, quæ purè similaris est, & visio, quæ verè instrumentalis. Aliæ sunt, quæ quamvis in aliquo differant: interse tamen quodam modo cóveniunt, & illarum duæ possunt ab uno, & eodem affectu dimanare, ut alteratio, quæ verè similaris, & chyli generátio, quæ mista, hoc est, tũ similaris, tum organica est. Gal. hoc loco tot morbos collegit, quot actiones observavit, quarum unaquæq. ut lædatur, suum requirit morbum. Hæmatosis & nutritio tunicæ venæ, quæ intra jecur est, ab una & eadem inflammatione lædi possunt, quoniam inflammatio lædit tunicæ nutritionem, & sanguinis generationem. Ergo inflammata uenæ tunica in jecoris cavo existentis, duplicem morbum attendimus, inflammationem, & obstructionem, cum duas tantum actiones læsas animadvertamus, quarum quælibet sequitur suũ morbum necessariò.

6. Objectio. His accedit, quod asperitas & lævitas nõ videntur pertinere ad morbos partium organicarum, sed ad morbos similarium, quoniam ut voluit Aristot. *2. de ortu. cap. 2.* secundæ qualitates sunt, ex primis ortæ, ad intemperies ergo referuntur. Ejusdem opinionis est is autor in arte parva, cum scribit, *lævitatem arteriæ sequi temperaturam moderatam: asperitatem verò temperaturã siccam*: quinto simplicium facultatem *exasperandi, & leniendi* à primis qualitatibus prodire: & primo de naturalibus facultatib. asperitatem & lævitatem esse qualitates patibiles, atq. oriri à facultate alteratrice. *Cap. 68. Cap. 2. Cap. 6.*

Solutio aliquorum. Vt objectionem hanc dissolvant aliqui supponunt duas facultates nostrum corpus constituentes, alteratricem, quæ temperiẽ, & formatricem, quæ conformationem impertitur. Asperitatem ergo & lævitatem formatrici deberi putant, quod verbis Galeni capite præsenti extatis confirmant, cum scribit. *At nec lævitatem, nec asperitatem frustra partium opifex natura molitur.*

Confutatur 1. de nat. fac. cap. 5. Sed hæc solutio non videtur omninò congruere cum mente Galeni, qui ubi scrutari hoc ei propositum erat, formatrici ascribit figuram, posituram, cavitates, & compositionẽ: generatrici verò duritiem & mollitiẽ, asperitatem & lævitatem, qualitatesq. alias. *ibid. cap. 6.*

Dicamus

Dicamus nos asperitatem & lævi-
Sol. Auct. tatem, si de his propriè loquamur, esse qualitates secundas & insequi partiũ temperamenta: pertinere verò ad formationẽ, quatenus æqualitas, & inæqualitas superficiei particularũ deservit instrumẽtis cõstruẽdis, quia asperitas & lævitas, ut dictũ est, formationẽ quandã præseferunt, quæ instrumẽtis aliquib est necessaria Reperiuntur tamen in nostro corpore asperitates à sola facultate formatrice productæ, quas ex accidenti quodam ortas esse dicas, ut in ordine dẽtium & situ, atq. uteri acetabulis, quæ sunt ora vasorum ad uterum desinen-
5. apho. cõ. 45. tia, ut ex Praxagora docet Gal. in aphorismis. Asperitates igitur, & lævitates ad conformationem pertinent atq. propterea Gal. in morbis organicis collocavit, & affirmavit à natura partium formatrice non esse frustra paratas, & concinnè dispositas, ut conformarentur instrumenta, licet à generatrice fuerint præventæ ac præparatæ.

Postremò Gal. figuram appellavit
7. Objectio causam morbi, non morbum cum tamen figura primò & per se lædat actionem, scilicet dilatationẽ alarum nasi. Etenim narium pinnæ voluntario motu moventur per exiguorum musculorum opera: dilatant musculi duo á fronte acuto carnosoq. exorti: duo constringunt, qui labiorum musculis continui sunt. Hinc simi, cũ habeant pressas nares, non possunt alas, vel pinnas rectè dilatare.

Hæc objectio, nisi animi fallor, ve-
Salatio. ra loquitur: vix tamen percipi potest læsio, quam molitur resima nasi figura, ideo causa morbi à Galeno, qui sensu manifestas læsiones tãtum persequitur, constituta est non morbus.

VTRVM DENTVR morbi nativi.

QVÆSTIO. XXXIX.

HÆC quæstio logica est, ac temporib. Galeni á Sophistis copiosius agitata, qui arbitrati sunt nullũ dari affectum nativum. Aqua odiosa difficultate planè abirem, nisi viderem Hippocratis & Galeni doctrinam politissimam multis maculis graviter affici. Sophistas barbari ferè omnes, Iacobus Segarra & sectatores illius, ac tandem nostrates insecuti sunt, qui cæcitatem ab ortu non morbum, sed vitium nativum appellant. Quod auctoritate Galeni probant, & rationib Nam Gal. hoc *Tex. 30.* capite nativos affectus non vocavit morbos, sed vitia nativa. Rationum *1. Ratio.* hęc est prima. Omnis morb. dicitur esse prẽter naturã eius, cui morb. est, sed affectus à nativitate cõtracti nõ sũt præter naturã huic cæco vel huic surdo, ergo præter naturã verè dici *Alt. Ratio.* nõ possunt. Altera est, quãdo quidem affectus, qui non lædunt actionem, morbi non sunt: at vitia nativa non lædunt actiones: patet assumptio, quoniam actio, quæ nullo in tempore fuit bona, vel melior, neq. abolita nunc est, neq. diminuta, vel depravata. Quamobrem morbum definiri volunt affectum præter naturam particularem solitas lædentem actiones.

Sed antequam hujus controversiæ
2. Fũdamẽtum. limetur veritas, trib. quæsitis satisfaciendum est, quorum expositiones erunt fundamenta firmissima nostræ opinionis. Primum sit, quib. affectibus, vel vitijs consulat salubris artis medicæ pars, & quib pars curatrix. Alterum est, quid naturæ nomine intellexerit Gal. cum morbum præter naturam esse voluit. Postremum verò, utrum in definitione morbi, per actionem, intelligat actionem absolutè, an verò solitam actionem.

Primo quæsito respondebunt præ-
Opinio jũniorum. dicti Doctores conservationem dupliciter sumi, vel quum hominis corpus salvum, & integrum servamus in eodem statu, vel quum idem conservamus, non in eodem statu, & conditione, sed quum intra latitudinẽ sanitatis, in meliorem statum mutamus & reducimus. Quæ quidem vera sunt: indigent tamen interpretatione, quoniam, ut suspicione ducor, illi horum pathematum, de quib. agimus, correctionem ad partem salubrem pertinere voluerunt.

Obser-

Refutatur Cap. 30.

Obseruandum est igitur ex libello Galeni inscripto, *an ars tuenda sanitatis ad medicinalem partem spectet*, totam artem medicam esse correctricem, & nullam eius partem verè conservatricem dici: *sed aut multum corrigit, aut pauxillum, quæ eius pars multùm semel corrigit medicativa, curativaq; nuncupatur: quæ verò pauxillum, conservativa.* Ergo ars semper corrigit: sed dicitur conservare quando emendat vitia exigua, quæ non percipiuntur sensib. immò quando in eodem statu conservat, etiam corrigit, sed cum illa correctio fugiat sensum, conserva re dicitur: curare verò, quando corrigit magnos, & manifestos recessus, qui ante omnium oculos positi sunt. Docebat hoc Gal. in arte medicinali. *Secundum quot igitur alterantur modos,* Capit. 85. nostrum corpus, *tot auxiliorum, hoc est, causarum conservatricium genera habebit, quas ex his, quæ dicta sunt, liquet esse correctivarum genere. Sed quia paulatim correctiones faciunt, antequam omnis ingruat noxa,* & fiant manifesti recessus, *hinc non præservantes à futuro malo, sed præsentis status conservatrices medici appellant.*

Opinio Auctoris.

Quamobrem primò quæsito respondendum est, partem artis conservatricem in corporis affectibus & vitijs exiguis, atq. abditè latentib. omne studium collocare, sed magna, & perspicua vitia, atq. recessus, qui & oculis, & auribus & tactu percipi possunt, ad partem medicatricem omnino pertinere.

2. Fidamẽtum. Tex. 11.

Porrò tertio capite dixit Gal. corporis compositionem, quæ natura quidem est, triplicem esse, temperamentum, structuram organicam, & utrarumq. partium continuitatem: constat autem præter unamquamq. morbos constitui. Sed cum hæc triplex natura bipartitò distributa sit, nempe in communem, vt hominis, & propriam, singularemq. ut Socratis, quæritur, utrum sit satis ad naturam morbi constituendam, ut morb. sit affectus præter naturam communem tantum, an necessariò debeat esse affectus præter naturã propriam. Existimabit fortasse aliquis morbum esse tantum affectum præter naturam singularem, quia nos Socratem curamus, non hominem. Veruntamen in Socrate duo possunt fieri recessus à natura, non solùm sibi propria, ut cum afflictatur febri, sed etiam communi, ut cum in prima conformatione sextus ei expullulat digitus. Perquirimus ergo, num recessus à communi hominis natura, ut sextus digitus à nativitate, sit morb. in Socrate, quemadmodum febris, quæ sine controversia illius morb est, cum sit recessus à natura singulari, & propria.

Opinio Segarræ.

Iacob. Segarra, & Iuniores nostri arbitrantur, omnem morbum esse affectum præter naturam particularem. Nam Gal. primo de sanitate tuenda. *Non enim*, ait, *functionum imbecillitas morbi statim nota est, absolutè ita, citraq. exceptionem loquenti, nisi affectum sit, quæ præter naturam cuiusque sit.* Anst. Cal. Cap. 5.

Refutatur.

Veruntamen noster Gal. decimo quarto methodi postquam tradidit curationem tumorum præter naturã, deinceps accedit ad ea, quæ similem curationem desiderãt: *ea sunt*, inquit, *quæ in numero, & magnitudine conveniẽtem modum excedunt.* Mox subjungit. *Dixi conuenientem, quod si conferentem, vel conducentem, vel secundum naturam, vel utilem alibi usurpavero, eadem sermonis vis erit:* quemadmodum, ut subjicit paulò post, *idem est dicere, quod præter naturam est, tollendum esse, aut nocet, aut inutile est, aut incommodat actioni.* Gal. eo loco naturam intelligit communem, cum de redundante, vel deficiẽte digito morbis ab ipso statim ortu congenitis verba faciat, & præter naturam exponit esse, quod nocet, inutile est, incommodat actioni, vel à debito naturæ modo est alienum, quod tã de natura communi, quam de propria intelligitur. Cap. 14. Ibidem. Cap. 15.

Ratio.

Nam cum pars corporis aliqua debitum munus obire nequit, tum omnes homines se veré ægrotare existimant, & medicis egere putant: sed, qui patiuntur vitia nativa, quantumvis affectus illi sint tantum præter naturam communem, sentiunt corporis actionum aliquam malé geri & medicũ de remedio consulunt, ægrotos ergo se esse existimant, quemadmodum qui post ortum in morbos delabuntur. Hoc videre licet apud Amatum Lusitanum, ubi parentes infantis Centuria. 1 cur. 25.

infantis,cui ab ortu suo glans perforata non fuit, in consilium adhibuerunt viros gravissimos, & de remedio consulerunt.

Primo autem sanitatis tuendę,cum loquatur de trãsitu sanitatis in morbum non meminit actionũ, quæ morbum quemcunq. simpliciterq. dictũ definiunt,quæque læsæ sunt respectu utriusq.naturæ communis scilicet & propriæ, quoniam astrictus est verba facere de actionibus, quæ post æditũ animal ab aliquo supervenienti malo impediuntur,& sunt præter naturam cujuslibet hominis in morbum cadentis.

Explicatur Gal. Auct. Cap. 5.

Ad ultimum problema respondet Segarra, non quamcunq. actionem morbosam, vel læsam dici, sed eam, dumtaxat,quæ in illo,cui est impedita, fuerit expedita priùs. Quod auctoritatib. Gal. probat. Libro de constitutione artis medicæ. *Ea, quæ sanis insunt, ex natura sunt omnia: quæ ægris præter naturã: quæ verò media sunt, ad genus quidem eorum attinet, quæ morbis eveniunt. Verum adeo sunt magnitudine exigua, & virib. imbecillia,ut nondum solitas uniuscujusq. actiones lędere queant.*

3. Fũdamẽtum.

Cap.19.

Libro primo de sanitate tuenda. *Si quis dicat, se hoc priùs fecisse, nunc idem facere non posse, neq. imbecillitas ea senectutis vitio incidat, hunc morbo aliquo teneri dicemus.* In arte medicinali. *Morsus autem ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorum &c. ex genere quidem existit eorum,quæ præter naturam: non tamen, quia se habent, ægrotare dicuntur, sicuti neq. qui capite gravantur, aut dolent, aut vigilant, cum nondum in consuetis impediuntur operationib.* Id ipsum præterea probant ratione. *Sanitas præcedit morbum tempore*, ut voluit Gal. primo sanitatis tuendæ,igitur omnis morb. lædit actiones, quæ solitæ sunt benè agi.

Cap. 5.

Cap. 82.

Cap. 1.

Nos tamen existimamus definitionem morbi complecti quodcunque actionis impedimentun,sive à prima generatione,sive deinceps tractu tẽporis illatum fuerit,dummodo manifestum sit.

Auct. Opinio.

Quod pro certo possumus confirmare,quoniam nulla distinctione adhibita, vel actionis exceptione Gal. definit morbum esse causam actionis læsæ.

Confirmatur.

A Respondent Iuniores, id quidem verum esse, at tantum dici læsam actionem, eam, quæ fuit aliquando prompta,& expedita.

Refugium.

Veruntamen non sic usurparunt Hippoc.& Gal.læsam actionẽ:Hipp. quidem libro primo de Medica officina tradit,*illos à morbo manifesto lædi, quib. à nativitate prohibetur pollex ab alijs digitis deduci*,cum tamen illi nunquã meliùs valuerint. Vbi nullũ discrimen constituit inter læsionem,quę provenit à morbo nativitatis, & eã læsionem quæ in æducatione contrahitur.Gal.verò disputans hoc capite de vitijs nativis. *Oportet*,inquit,*cordis pulmonis,ventriculi,cerebri, linguæ,splenis & renum, & aliorum omnium figuram conservari: nam si aliqua noxa intervenerit* (intellige,cum adhuc in utero gestatur animal)*totius instrumenti opus necessario erit χεῖρον, deterius.* Endeterius vocat diminutum,vitiosum,& imperfectum opus,quod nunquam fuit melius,quemadmodum propriè dictum morbum appellat *χεῖρόν τὴν κατὰ τέχνην, deteriorem statum*, in arte Medicinali.

Refutatur

Tex. 22.

Tex. 30.

Xeiron.

Xeirona. Cap.86.

C Cum igitur deterius opus instrumenti naturæ ductu vitiati actionem sequatur, sine dubio deteriorem & læsam actionem appellat Gal.etiam eã, quę provenit à nativis affectib. Sic primo de causis symptomatum,non minus lęsam visionẽ vocat eã,quã parit pupillę ampliatio in utero cõtracta,quã,quæ postea contigerit:nullã enim differentiã constituit inter actionem, quam lędit nativus affectus, & eam cui morb.adventitius incommodat. Quare nomine actionis lęsę, nõ solũ actio solita,quę impedita sit, sed quęcunq.actio mala,& manifestò defectiva intelligenda est, quantumvis sui similis, nunq. tenore à partib. perpetuò fluxerit.

Cap. 2.

D Quandoquidem omninò vitiosa dicuntur, & sunt opera hominis vitiosi, suarumq. libidinum servi, qui nunquã prędare, sed perpetuò pessimè vixit, tametsi nunquam fuerint bona. Et, cum figulus rota cretam, vel argillam,vitrarius verò, cum spiritu,vitrum in plurimos habitus formant, si aliquando in conformatione vasa depraventur, casuq. aliquo maximum vitium fecerint,ut vel nullo sint usui, vel perperam nobis deserviant,

Exẽplum.

Exẽplum.

ſerviant, quis erit tam mētis expers, qui dicat vaſa quidem illa nihilominùs magno uſui nobis fore, neq. vitioſè, perverſéque deſervitura, eo quòd nunquam probè deſervierint? Profectò actio turpis, vitioſa, vel læſa eſt ad proportionem prævitatis corporis, à qua depēdet, ſive aliquo tempore culpam contraxerit, ſive ſemper culpam ſuſtinuerit.

Interpretatur Gal. Libro autem de conſtitutione artis Medicæ, primo de ſanitate tuenda, & in arte Medicinali non loquitur Gal. de corporib. quæ ſemper demiſſè, & peſsimè egerunt, ſed de ſanis corporib. (quorum frequens numerus eſt) labentib. in morbum, cujus futuri ſigna tradit: propterea dixit in illis impediri á morbo ſolitas actiones, cum bene agere ſoliti fuerint. Sanitatem verò docuit tempore præcedere morbum, quoniam homines maiori ex parte ſunt prius ſani, quam ægri. *Solvitur ratio.*

Aſſertio Auctoris. Quib. jactis fundamentis firmiſsimè aſſeveramus dari nativos, & congenitos morbos. Quoniam Hippoc. libro ſecundo Prorrhetici poſt quā aliquos morbos memoraverit, ſubjungit. *Nam qui hos morbos congenitos habet, is ægrè ab ipſis liberari poteſt.* Primo autem de Medica officina ſuperiùs citato ſcribit, *morbum eſſe manifeſtum, quo laduntur illi, quib. à nativitate, vel in educatione aſſuevit pollex ſub aliis contineri*, hoc eſt, quaſi aliquo vinculo prohiberi ab alijs deduci, contracto ſcilicet intervallo. Si verò de illius libri auctore dubitatur, ſatis ſit nobis, quod verba citata approbentur á Galeno. *1. Auctoritas. Tex. 11. Tex. 22.*

Præterea tertio de morbis vulgarib. prodit Euryanactis filiæ mortem attuliſſe deſtillationem à capite, nativumq. tabidum. *2. Auctoritas. Par. 2. tex. 3.*

Evaſio. Huic auctoritati ſatisfacere conatur Segarra dicens, Hippocratem nomine tabis intellexiſſe aptitudinem quandam ad tabem, de qua locutus fuerat primo libro, cum dixit. *At his vergebat ad tabem natura. Par. 1. tex. 18.*

Refutatur. Com. 3. Veruntamen hæc interpretatio in illa Hippocratis verba non quadrat. Quando quidem Gal. in commentario hæc locutus eſt, *Nam à capite, ait, huic in pulmonem malas fuiſſe deſtillationes faucib. ac gurgulioni nocentes. Addidit porrò ſermoni. Erat antè & nativum quoddam tabidum. Quod oportet meminiſſe, nec eadem habere ſophiſtis aſſerentibus, nullum eſſe affectum innatum.* Ergo per nativum tabidum Hippoc. non intellexit aptitudidem ad tabem. Quis enim poterit credere ſophiſtas negaſſe naturalem diſpoſitionem ad tabem? Nativum igitur morbum ſophiſtæ negabant, & nativum morbū eoſdem negaſſe intellexit Gal. qui ſane ibidem hæc ſubjungit, de nativo tabo verba faciens. *Cæterum illud per ſe ſolum tam repente ipſam non ſuſtolleret: ſed quia cum eo extinctio cohærebat naturalis facultatis, quo celerius periret, in cauſa fuit.* Per ſe ſolum tabidum tam repente ipſam virginem ſuſtollere nō potuiſſe dixit, ergo tādem per ſe ſolum ſuſtuliſſet, quod quidem de aptitudine ad tabem non dixiſſet Galenus.

Qui rurſus hoc libro vitia nativa numeravit in morbis abſque aliqua præoccupatione. Hoc autem capite, *nativa*, inquit, *vitia, cum primus in utero matris formatio depravatur, in quacunque corporis parte contigerit, ex ea verò, morboſum animal efficiunt.* *3. Auctoritas. Neſodet.*

Reſpondent adverſarij, morboſū animal hoc loco nihil aliud eſſe, quā corpus in ſalubre ſimpliciter, quod idem eſt, cum ſalubri ut nunc, nō quidem morboſo, ſed vitioſo corpore. *Perfugium*

Verum inſalubre ſimpliciter corpus ſanum eſt, quod quidem obtinet ſanitatem diminutam, & imperfectam, ideo non differt á ſanitate ut nunc, corpore, inquam, ſano, quod facilè ſuperatur á cauſis morbificis. Quæ duo corpora in latitudine ſanitatis continentur, de quib. nihil hoc loco docuiſſe Galenum, tes loquitur ipſa, cum de morbis, qui tales propriè dicuntur, tantum inſtituerit diſputare. Erit ergo hic morboſum corpus inſalubre ut nunc, ſcilicet corpus actu ægrum in latitudine morbi contentum, quamvis eius infirmitas non multa ſit. *Refutatur.*

Præterea capite nono, quod eſt de morbo in magnitudine hæc verba legimus. *Nā, ſi naturali membrorum figura conſtante, magnitudo depravetur, cum ob hoc ipſum læditur operatio, parti ægritudo cōtingit: veluti ſi in prima formatione* *4. Auctoritas. 7 ex. 40.*

animalis tantam habuerit lingua magnitudinem, ut ad nullam oris partem deflecti possit: aut parvitatem tantam, ut omnes illius partes nequeat attingere. Quib. verbis aperté docet linguæ à prima cõformatione magnitudinem morbum esse nativum, cum adeo fuerit aucta, ut ad nullam oris partem inflecti possit, vel adeo diminuta, ut ad omnes partes nequeat pervenire, quæ quidem linguæ actiones manifestò sunt læsæ.

Iam libro de causis symptomatum
5. *Auctoritas.* postquam dixerit malam esse pupillę
parvitatem adventitiam, bonam, quæ
Cap. 2. connaturalis, sic progreditur. Ὅτι
δ' ὑγίεια οὐκ ἀγαθὸν μὲν ἐστὶν ἀφαιρετὸν, οὐδὲν πάνυ φέρει. Noster interpres ita convertit. *Laxitas autem eius, nec quæ natura lege habetur, bona est, nec quæ præter naturam.* Copus sic transtulit. Atqui incrementũ nunquam non lædit visum, sive id ab utero protinùs, sive postea contigerit. Germanus interpres Copum insecutus est. Valleriola in tabulis sic reddit. Foramen pupillæ auctum, sive in utero, sive post nativitatem, semper lædit visionem. Lacuna in Epitome similiter loquitur. Ecce Gal. inter causas symptomatum visus enumerat pupillę amplitudinem à nativitate contractam, morbumq. in figura nativum, atq. docet actionem lædere, non aliter, quam lædat eiusdem amplitudo quæ post nativitatem cõtingit, absq. aliqua distinctione.

Cum Galeni hunc contextum in-
Observatio terpretaretur Iacob. Segarra, & eius sequaces suæ pervicatiæ immemores apertè confecti sunt amplitudinẽ pupillæ, sive in utero, sive postea contigerit, perpetuò lædere visionem.

Tandem decimo quarto medendi
6. *Auctoritas.* methodi sextum digitum ab ipso sta-
Cap. 14. tim ortu congenitum in morbis col-
Cap. 16. locat. Inferiùs autem disputans de consimili affectu, sic locutus est. *Constat verò hoc quoq. vitium ex eo morborũ esse genere, quod in naturalem magnitudinem est egressum, aliàs putrescente præputio incidens, aliàs ab ipso ortu minore, quã par est, congenito.*

Sed rationib. insurgamus. Nam
1. *Ratio.* omnes affectus, præter naturam, qui actiones manifestò lædunt, sine ulla controversia morbi sunt (natura & actione quomodolibet acceptis) sed affectus nativi actiones manifesto lędunt quemadmodum constat de illo, *cui ventriculus adeo parvus, ac rotundus erat, ac pronum secundum hypochondria situm habens*: ideo enim vehementer infestabatur, & difficultate spirandi premebatur, affectus ergo nativi morbi sunt. Quoniam actionum manifesta læsio, qualis sæpissimè observatur in diggressionib. nativis, statũ morbosum cõstituit, adeo ut in morbo definiendo pluris semper fuerit actionis læsio, quam quod morb. fit præter naturam: ut enim ad sanitatẽ definiendam, *si secundum naturam omiserimus, nihil refert*, ait Gal. *intelligitur enim in reliqua oratione:* plurimum verò, si missam fecerimus actionis causam, simili modo cum morbum definimus, nec si illud præter naturam auferimus, quidquam refert, adsignificatur enim in actionis læsione, quæ in definitione morbi necessariò exprimẽda est, quoniã præter naturã sive communem, sive propriam, per ambas latitudines, tum sanitatis, tum morbi evagatur: atverò actionis manifestam læsionem ab omni sanitate excluſam, tanquam proprietatem sibi morb. assumpsit. *In arte Medicinali c. 71. & 87.* *Lib. de diff. symp. c. 1.*

Præterea vitia, quorum correctio
2. *Ratio.* pertinet ad Medicinæ partem curatricem veré morbi sunt: sed pleraq. vitiorum, quæ in utero contrahuntur corrigit Medicinæ pars curatrix, ea igitur veré morbi sunt. Assumptionem docet & probat experientia. Propositio patet. Quoniã vitia, quæ discutit pars Medicinę curatrix magna quidem sunt & manifesta, quia hæc pars multum semel corrigit: é contrariò altera, quæ conservativa dicitur exigua vitia tollit, & quæ nõ percipiuntur à sensibus, quę omnia constant ex primo fundamento: sed magna corporis vitia & manifesta verò morbi sunt, cum sint eximij & patentes recessus à natura communi, qui debebantur naturæ particulari, cujus actiones vitiosus, diminutas, vel depravatas edunt, ergo vitia, quę corrigit pars Medicinæ curatrix propriè morbi sunt.

Vnde omnes affectus præter quã-
3. *Ratio.* cunq. naturam, dummodo curationẽ indicẽt, & primò sui ablationem per contraria postulent, sine dubio morbi

bi sunt: sed affectus nativi sic se habent, ut cōstat ex decimo quarto methodi, & ex arte parva, ubi Gal. eosdē curat, ut morbos reliquos: etenim in libris medendi methodi G. propriē curat, & lapsus manifestos corrigit.

Capit. 14. Cap. 71. & 87.

Deinde affectos illi verē morbi dicendi sunt, è quorum natura medicus propria remedia elicit, pariter atq. ex morbis & affectib. præter naturam propriā, qui sine controversia morbi propriè dicuntur: sed Gal. ex nativis affectib. eduxit adæquata, & peculiaria remedia æquē ut ex adventitijs, ergo nativi affectus verē morbi dicendi sunt simillimē ut adventitij. Valet propositio, quoniam ut legimus, libro de constitutione artis, *remedium est quidquid corpus iuvat, dum affectum præter naturam ad naturalem statum revocamus*, & undecimo methodi, *quod ægro corpori admotum, illud iuvat.* Assumptio probatur, nam G. in arte medicinali illi, qui ventriculum parvum, simul & rotundum, & in septum transversum incumbentem habebat (qui nativus affectus erat) plenoq. ventre difficulter spirabat, consilium dedit (quia impossibile erat affectū omninò curare) ut pauciora, multūm nutrientia, & cito descendētia, terq. die assumeret: deinceps verò alteri, cui obstructio in hepate, ob vasorū angustiam, sæpius cōtingebat (qui affectus erat adventitius) extenuantem victum remedium esse arbitratus est. Ēn curæ fuit Galeno de nativis affectib. similiter atq. de adventitijs, nulla præfixa præfatione, vel adhibita distinctione. Qui quidem non morabatur in his tricis, merisq. nugis, ut colligere licet, ex libro primo de locis patientib. ubi contemnit illos, qui in quæstionib. ad artem omninò supervacaneis versari consueverūt, atq. inter alios, reprehendit eos, qui vocabulum *læsi*, transmutantes, *impediri*, dicebant: sic etiam à nobis despici debent, qui nativi morbi nomen in vitium pueriliter transmutant, cū tamen in curatione tanquam verum morbum tractent.

Cap. 14. Cap. 1. Cap. 87. Cap. 71. Cap. 1.

Vnde ponantur, exempli gratia, duo pueri, qui suffusionem patiātur, hoc est, humorem concretum in illo spacio, quod est inter corneam tunicam, & humorem crystallinum, & in quo naturaliter humor aquēus continetur, ita sanè, ut recessus uterq. ab structura organica inducat visionis læsionem manifestam, parē, & omninò similem, curatio q. utriq. affectui pariter æqualiterq. respondeat, discrimen solùm in eo positū sit, quod alter adventitium patiatur affectum, alter verò in utero contractum. Idem est dicendum, si utriq. fuerit consimile vulnus inflictum, sed uni antè ortū, alteri verò paulò post, vel uni adhuc in utero fuste percussum, alteri pauxis post dieb. unde ambob. præter naturam æqualis tumor, cæteris parib. existentib. Quæro nunc ab illis, qui tam pertinaciter nobis repugnant, cur alter horum affectus morb. sit, alter non morb. sed vitium tantum illis dicatur?

5. Ratio.

4. Ratio.

Respondent causam esse, quod affectus congenitus præter naturā propriam non sit, sed præter naturam communem.

Expositio.

Hæc tamen de nomine quæstio est, ut quæ in nominandis affectib. potiùs quam in explicandis & curandis versetur, nec nimium, si fuerit hæc opinio à Sophistis sustentata.

Refutatur.

Nam præter naturam communem tantum esse, non privat affectum aliquem ratione morbi, sed magnitudine morbi. Ex quo quidem concluditur, morbos congenitos minùs afficere, quia licet sint præter naturam communem: tamen concordant cum natura particulari. Quod etiam cōtingit in aliquib. morbis adventitijs. Vnde febris est morb. multò minor *cum naturę, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit, quam cū secundum nihil istorum congruit.* Quod maximè observandum est: totā enim disceptationem hæc moderatur & temperat hæc consideratio, adversariosq. vi ac luce veritatis obstringit, & devincit.

Observatio

2. Apho. 34.

Solvamus nunc in contrarium adducta quæstionis initio. Quod affectus congenitos G. appellaverit vitia nativa, parum interest, quoniam ibidē adventitios morbos etiam vitia vocavit. Primæ rationis propositio falsa est: sufficit enim, quod sit præter naturam communem: medicus enim curat quoscunq. recessus, dummodo lædant manifestè actiones, de quibus

Sol. Auctoritatis.

Sol. 1 ratio

ægri

ægri conqueruntur. Similiter ratio-
nis alterius assumptio neganda est,
Solutio alterius rationis. ejusq. confirmatio. Quoniã actiones, quæ à cõstitutione vitiata & depravata eduntur, vitiatæ, læsæ, ac simpliciter impeditæ dicuntur, & sunt, quãvis nunquam fuerint expeditæ.

VTRVM IN NOSTRO corpore sit aliqua pars, quæ nullam habeat propriam actionem.

QVÆSTIO XL.

QVVM tumuerit aliqua pars cava, quæ nullam habet propriam actionẽ, tumorẽ non esse morbũ, sed causam obstructionis, quæ morb est, in habente verò actionẽ propriã, duplicé morbũ inesse, tumorẽ & obstructionẽ, in Galeni contextu est exaratum, quãvis ego verborũ sensum nõnihil inverterim, ut in ejus mentem intrarem, quod extricabo protinus.
Tex. 32.

Dubitandi ratio. Nam actione propria omnem corporis nostri partem præditã esse, cuiq. satis constare credo, vel id maximè conformante Galeno, qui scribit, nullã partem nos propter seipsam concupiscere, sed propter actionem. *Etenim*, inquit, *supervacanea foret, si actione esset orbata, & abscindenda potius, quam optanda. Siquidẽ quod primùm maximéq. omnium desideramus, id naturalis est actio.* Atq. alibi. *Et in iis, quib. natura frustratur, nec primùm, nec propter se ipsum secundum naturam à nobis expeti prodit, sed secundariò, id est, propter actionem.* Ergo cum omnes partes nutriantur, & vivant, certum est, omnes attrahere alimentũ, retinere, cõcoquere, & superflua expellere. Cur autem hoc loco significaverit Gal. aliquã esse partem, quæ nullam habeat actionem, examinandum est.
17. de usu par. cap. 1. *14 medendi metho. cap. 14.* *1. metho. c. 9.*

1. Opinio. Valleriola. Franciscus Valleriola existimavit hìc locutũ fuisse Galenum de actione, quæ ad individui, vel speciei cõservationẽ facit, qua quidem pleraq. ex membris carere liquet.

2. Opinio. Germanus interpres propriã actionem hoc loco appellavit eam, quæ propria est cuilibet instrumento, ut oculis visio, jecori sanguinis generatio, quã actionem Gal. alibi vocat secundariã, & nos in secunda significatione propriam appellavimus. Huic interpreti aliquot post annos assensus est Valleriola in posteriorib. cogitationib. quæ sapientiores esse solent, nimirũ, in responsione ad Marini Leporæi annotationes in suos cõmentarios ad hunc librum. Vallesius libro secundo controversiarum hãc interpretationem insecutus est.
De sanguinis missione c. 4. *Cap. 5.* *Cap. 2.*

Segarra tamen eadẽ receptã sentẽtia methodũ aliquantùm cõvertit, & aliqua mutavit exẽpla, ut simulata, & fucata expositio nova judicaretur, & interpretib. refutatis posset de seipso gloriosiùs prædicare. Sic igitur Galeni præceptũ explicavit. Si corpus, quod in tumorẽ attollitur, propriam aliquam instrumenti habeat actionem, duplex erit in illa parte instrumentaria morb. lædens actiones instrumenti: unus obstructio, quæ primò, & per se impedit transitũ alicujus substantiæ: alter morbus erit tumor præter naturam, qui primò & per se lædit actionem ejus instrumenti, quia statutum est, eam partem, quæ in tumorem attollitur, propriã actionẽ instrumẽti habere. Quod illustrat exemplis Gal. tunicæ in quã, venæ in cavo jecoris existentis, cui debetur sanguinis generatio, & intestini, cui alimenti concoctio. Contra verò, si corpus, quod in tumorem attollitur, nullam habeat propriã instrumenti actionem, sed solùm præbeat usum, tunc, si cavitas à tumore præter naturam obstruatur, unicus dumtaxat erit morbus nempe obstructio: tumor verò præter naturam non erit morb. lædens propriam instrumenti functionem, cum pars functione instrumenti careat, sed erit causa morbi, utpote obstructionis. Hoc confirmat duob. exemplis quasi Galenica despiciens, vel potiùs timens.
Segarra simulatio.

Si mesenterium inflammetur, ab eaque inflammatione alicujus venæ meseraicæ cavitas obstruatur, unicus tantum morbus erit, scilicet obstructio, quæ primò, & per se lædit distributionem alimenti: sed tumor præter naturam dumtaxat causa morbi erit, nempe obstructionis, quia non lædit actio-
Exemplum

dem instrumenti, cum mesenterium nullam habeat propriam actionem, sed usum tantum præbeat: est enim veluti falcrum venarũ, quas meseraicas appellamus.

Alt. exemplum. Itidem inflammato altero musculorum in oculo, qui circũagentes, vel circulares appellantur, & ab eo tumore nervi optici meatus obturetur, unicus erit morbus scilicet obstructio nervi optici, quæ primò, & per se prohibet decursum spiritus animalis: at verò tumor præter naturam non erit morbus, qui lædat actionem instrumenti, quia musculus non habet actionem organicam, sed usum tantum præbet.

Refutatur. Hæc tamen interpretatio justa reprehensione digna est, quando quidem & à Galeno, & à veritate longiùs aberrat.

1. Ratio. Primùm, quoniam obstructionem modo solitarium esse morbum statuit, modo conjunctum & sociatum cum altero, ratione diversarum partium: Galenus verò contra unius, & ejusdem partis ratione (ut jecoris, vel intestini) obstructionem interdum solivagum esse morbum, interdum cum altero conjungi apertissimè, & planissimè explicavit.

2. Ratio. Præterea pernicioso capitur errore, cum præter naturam tumorem, nunc solam morbi causam, nunc morbum etiam constituat. Nam Gal. in suppositis exemplis tumorem præternaturam semper voluit esse morbum, solam obstructionis causam, aliquando morbum, aliquando tantum causam esse concedit, quoniam non solùm tumor præter naturam, sed etiam multitudo, crassities, vel lentor humorum causæ rationem habere possunt.

3. Ratio. Ad hæc præter institutum Galeni perquirit Segarra, an tumor præter naturam in parte obstructione affecta sit morbus lædens actionem instrumenti: an verò tumor lædat actionem partis similaris. Nam Galeno tantum propositum est, inquirere, an in parte obstructione affecta, præter obstructionem, alius quicũq. sit morb. quamcunq. functionẽ corpori necessariã primò & per se lędẽs: an vero obstructio sit solus morbus, præter quẽ nullus alius insit corpo

E ris affectus, qui primò & per se functioni animanti necessariæ officiat: ostendit enim obstructionẽ interdũ solum esse morbũ, propterea quod obstructio sola primo & per se substantiæ alicujus distributionem impediat, nullus verò sit alius affectus, qui primò & per se obstet alteri functioni animanti necessariæ: interdum verò cum obstructione aliũ copulari morbũ, propterea quod præter actionẽ ab obstructione primò & per se lęsam, alia aliqua reperiatur functio, quam alter affectus primò & per se offendat.

F

4. Ratio. Porrò, quò suã exerceat methodum Gal. adducit duo exẽpla jecur, & intestina, quæ quidẽ sufficiunt ad integrã methodũ aperiendã: veruntamen Segarra, cũ alia exẽpla requirat, ad quæ regulã aptãt, non videtur tenere quid animi auctoris super hac re sit, vel ab illo exẽpla tradita defectũ aliquẽ pati profitetur. Nam, cum illi placuit exẽplum de tunica venæ jecoris & intestino inflãmatis, quãdo adest duplex morb. si Galenũ intellexisset, artifissset etiam earundẽ partiũ exẽplum, cum nihil patiuntur in propriis actionib. sed tantũmodo ab humorib. impactis obstruuntur, quo tẽpore adest unicus morbus.

G

5. Ratio. Vnde, quæ ipse ponit exẽpla, mente & lingua titubante supponit. Hoc docet exemplum de tumore musculi circũlaris, in quo summo ducitur errore. Opinatur, nõ esse morbũ instrumenti, quoniã ille musculus nõ exercet propriã actionem instrumẽti. Tamen, ut se collegerint sectatores illius redibit in memoriã Galeni doctrina sexto capite prodita, nẽpe *affectus partiũ, quæ sub ministrant usum, morbos esse, cũ actionẽ per se ipsos impediũt, & in aliquo non lædunt primũ actionis instrumentũ.* Causa igitur cur musculi tumor nõ sit morb. instrumenti, nõ est, quod musculus nõ exerceat actionẽ instrumenti, sed quod tumor non lædat illã actionẽ primo: ergo longiùs aberravit Segarra de Gal. proposito.

H

Tex. 32.

6. Ratio. Quamobrem, ut finẽ faciam, ex interpretatione illi' aperte cõstat propositis à Galeno exẽplis nõ explicari, unicũ tantũ esse morbũ, quãdo corpus quod in tumorẽ attollitur, nullam propriam habet actionem, quæ regula

regula Galeni est, sed aliam potiùs explicari, nempe duos adesse morbos, quando corpus tumens habet propriam actionem, quæ quidem infertur ex regula expressa & designata. At quis sibi persuadebit summũ doctorem hujus disciplinæ, post traditam methodum, alterius methodi exempla supposuisse? Profectò id verisimile non est.

Cum interpretatione Segarræ cõcidit etiam altera, quæ in commentario prælo mandato deinde inserta est, quasi priori difhdendum.

3. Opinio.

Fundamen.

Primùm supponit, tumorem præter naturam partis, quæ propria instrumenti actione caret, morbum esse, cum capite quinto hujus libri fuerit demonstratũ in omni tumore præter naturam adesse intemperiem cũ affluxu, quæ perpetuò morb. est partis similaris. Vnde necessariò dicendum esse concludit duos perpetuò esse morbos, quando alicujus partis meatus occluduntur, sive pars inflammata propriam habeat instrumenti actionem, sive non habeat, nam alter morbus est obstructio, ut patet, alter verò intemperies cum fluxione. Sic igitur habet regula Galeni secũdum hanc tertiam opinionem.

Assertio.

Si pars inflammata propriam habeat actionem in aliquo instrumẽto, duo sunt morbi, qui lædunt actionẽ totius instrumenti, scilicet obstructio, & tumor præter naturam, quoniam licet intemperies cum affluxu in tumore sit morb. proprius partis similaris, primò tamen, & per se lædit actionem totius instrumenti, cum etiam offendatur pars, cui potissimùm debetur illa actio. Verum, si pars, quæ in tumorem attollitur, nullam habeat propriam actionem in instrumento, unus erit morbus quãquam enim revera duo morbi sint: unicus tamen est, qui lædit actionem instrumenti, nempe obstructio, quoniam intemperies, quæ reperitur in tumore, quamvis sit morbus non lædit actionem instrumenti, sed totius partis similaris, quia pars inflammata non exercet propriam actionem instrumenti.

Refutatur.

Hæc auctor hujus opinionis: & quidẽ sine exẽplis, quod in suspicionẽ cadit. Nã exempla, ut veritatẽ patefaciunt, & illustrant, ita conditam detegere solent falsitatẽ. Vnde prior regulæ pars, si nitatur exẽplis Galeni, plana & certa res est: verũ pars altera, si confidat jactis à Segarra, cum illo concidet.

Nam illud certum cõperimus ex Galeno in omnib. affectib. in quibus occluduntur meatus corporum, quæ attolluntur in tumorẽ, nonnunquam unum dumtaxat esse morbũ, scilicet obstructionẽ, nõnunquã & alterum, qui obstructionis est causa. Iã ex his sumamus corpus, quod tantũ patitur obstructionẽ. Id tradit Gal. scilicet, tunicã venæ in cavo jecoris collocatę, quę solam patitur obstructionem, cujus causa non est tumor præter naturam, sed crassus & vicidus humor meatibus impactus, ut fatetur ipse Gal: corruit ergo hujus opinionis fundamentum.

1. Ratio.

Atídiamus præterea Galenũ de intestino verba faciẽtem. *Idem*, inquit, *evenit intestino, si sola fuerit obstructio.* Hic necessariò tumidum intestinum intelligit, & sine dubio absque tumore præter naturam, quoniam statim addit: *eodem verò inflammationẽ patiente*, id est, tumore præter naturam laborante, *duo utiq. morbi erunt.* Ecce in tumorem attolli, non est tumorem pati præter naturã. Ex quibus colligitur duos esse morbos, cum tumet pars cava, cujus cladontur meatus, & illius lædit actio propria: unicum verò, scilicet obstructionem, cum eadẽ pars tumet, ac illius meatus occludũtur, absq. tumore præter naturam.

2. Ratio.

Tandem illud illi opinioni vitio vertendum, quod duos etiam morbos constituat, obstructionem, & intemperiem cum fluxione, cũdo nulla offeditur actio propria partis ĩ tumorẽ subiãte: sed alterũ morbũ, nempe intẽperiẽ & tumore præter naturam, Galenum parvi fecisse, quòd hic dumtaxat lòquatur de morbis instrumẽtorum. Hoc, inquam, crimini do, quoniam probaturus idem Galenus inflammationem intestini occludere illius internum spacium & excrementorum descẽsum prohibere, media obstructione, subjungit ex morbo sępe nasci alterum morbũ, quemamodum ex inflãmatione, erysipelate, herpete, carbúculo, vel tali quopiam

3. Ratio.

piam morbo febris generatur, qui quidem non sunt morbi instrumentales.

Dices, exempla sunt, quæ non mag nopere curant optimi auctores. Fateor plane: verum mihi nũquam persuaderi poterit, Galenum intemperies cum fluxione antea despexisse, immò non esse morbos reputasse: subinde verò, ut probaret inflammationem esse causam obstructionis, ac sæpe morbum ex morbo nasci, easdé intemperies morbos, & genitrices morborum esse firmissimé asseruisse.

Objectio. *Solutio.*

Has difficultates, ut effugeret Henricus Solanus, actionem propriam prima significatione usurpabat, qua intelligitur quælibet actio, quia quęcunque sit, & cujuscunque partis, propria dici potest, utpote à proprio temperamento, & a propria facultate orta. Per corpus tamen non solùm partem viventem intelligebat, sed etiam crassos, & vicidos humores, sæculenta recrementa, pituitam vitream, flatus, lumbricos, calculum, aliaque multa corpora cumulata, & tumentia, quæ possunt meatus obturare. Quibus jactis, sic difficilis contextus interpretationem aggrediebatur. Si corpus, quod tumore præditum est, nullam penitus habuerit actionem, ut lapis, humor lẽtus & crassus, unicus est morbus nẽpe obstructio sola: sin autem aliquam habuerit actionem, ut quælibet pars corporis, duplex morb. est, obstructio & tumor.

4. Opinio.

Cæterum hic vir, quamvis græcis literis studuerit, animum adverteb t ad conversionem interpretis, non ad verba Galeni, qui loquitur de partibus nostri corporis meatum habentib. Nã disputaturus de morbis magnitudinis & multitudinis omniũ cavitatum, quæ partibus debentur, docuit cavitates occludi, cum coalescunt, obstruuntur, exsiccãtur corpora, comprimuntur, angustãtur, & ubi corpora ipsa, quæ tales meatus sortita sunt, indurantur, inflammantur, corrumpuntur, suppurantur, tument tumore quidem ad meatus refundente. Mox verò docere studens, quando in his occlusionib. meatuum unus tantum sit morb. & quando duplex. Κατὰ, inquit, δ' ἐπὶ τοῦτο τοῦ ἀνθρώπου

Refutatur.

E διεξιὼν ἁπλῶν τῶν ὁμοίων ἀνυσμάτων ὄντων τινὰ πράξεων ἀπολειπόντων, καὶ συμπληρούντων τὰς τοιάσδε ἐνεργείας &c. *Secundum verò* (verbum è verbo exprimo) *hujusmodi omnes affectus, in quibus corporum ipsorum in tumorem sublatorum, & occludi, & angustari meatus contingit &c.* Constat igitur nomine corporis nihil nos aliud, præter viventem partem, intelligere posse. *Text. 31.*

Sed tempus est, quãdo jam meam sententiam in commentario textus trigesimi secundi sum prolocutus, ut rem totam eloquar copiosius. *5. Opinio auctoris.*

F Primùm subjicio tumorem appellari hoc loco molem, incrementum, accessionem, inflationem, *aut quotũq. modoaliã* (ut ait Gal.) *adjunctam, atq. ad præternaturalem magnitudinem*, inquam partes meatus habentes attolli possunt, vel turgentes tumore aliquo præter naturam, vel continentes alienam aliquã substantiam intra proprios meatus, qui à cõtenta substantia obstruantur. Ob id enim Gal. hic meminit tumoris, ut nos doceret, nõ fieri verba de his meatuũ occlusionib. aut constipationibus, de quibus supra fecerat mentionem, quæ nunquam contingunt ipsis meatibus coalescentibus, aut exsiccatis corporibus, aut à vicina parte ingruente compressis. Nam hujusmodi meatuũ constipationes absque tumore fiunt, in quibus ad distinguendos morbos, non est utendum hac regula, quæ deservit meatuum cõstipationibus evenientibus in tumorem sublatis corporibus quorum sunt meatus, ut quæstione trigesima octava dictum est. *1. Fundam. Text. 31.*

G

Adjungamus præterea Galenum hic nomine actionis propriæ, non modo eam intellexisse, quæ propria est cuilibet instrumento, ut hæmatosis, visio: sed etiam eam, quæ singulis similaribus est propria, ut nutritio, quam actionem prima significatione propriam vocavimus. *2. Fundam.*

H *Quæst. 34.*

Sed dicet aliquis, Galenum non potuisse memorare utramque actionem, sed dumtaxat instrumentalem, quoniam in hoc capite septimo tantum disputat de morbis instrumẽtorum, à quibus solùm læditur actio instrumentalis.

Respondeo, in hoc capite Galeno pro-

propõsitum esse, de morbis instrumẽ A torũ agere: at quoniam corpora, dũ adventitia magnitudine tument, plerũq. unum tantũ patiuntur morbum scilicet obstructionẽ, qui morb est instrumentalis, nonnũquam præter obstructionẽ, alterũ quoq. morbũ obstructionis causam, qui, tũ instrumẽtalis, tũ similaris esse potest, hinc de duplici, tum morborũ, tum actionũ genere debuit meminisse.

Quippe diminuta & infirmata esset Galeni methodus, si, tum intervẽtus utriusq. actionis propriæ, atque animali necessariæ, tũ contemplationis diversi generis morborum notiB tiam omninò suppressisset, atq. data opera conticuisset, qui aliàs, quæ abundanter dixit, iterare solet.

Ratio.

Postremò animadvertendum est, morbos omnes, tametsi latẽtes, cognosci ex actione læsa. Hinc dixit Gal. *vitium actionis esse insigne quoddam morbi symptoma.* Quod si cognoscẽdo morbo semper est opus actio læsa, profectò hìc erit summopere necessaria, ubi morb. cum morbo, & morb. cum sua causa, confusus & implicatus est. Quamobrẽ statuo his Galeni verbis: C *nam, si id, cui tumor accidit, corpus, nullam propriam habeat actionem:* addendã esse vocem βλαπτομένην, vel βλαπτομένου, læsam, vel παρανομουμένην, impeditam, Galenũq. particulã hanc subaudiẽdã fore existimasse: nisi quis putaret alicujus injuria expunctã esse à contextu græco. Particulam hujusmodi subjungendam esse, contextuiq. addendam, elicitur ex verbis Galeni, qui ad morbos ducitur perpetuò ex vitio actionum. *Si enim contigerit,* inquit, *vt patiẽte tunica venæ,* id est, in actione sua impediatur, *duæ hac ratione erunt agritudines.* Et paulò post. *Si verò nihil ipsa patiente vena,* hoc est, si non offendatur in actione propria, *una tãtum erit visceris egritudo.*

3. Fundam.

1. meth. ca. 8. & de symp. diff. c. 3

Tex. 34.

Beblammenen.

Blaptomenen.

Parapodizomenen.

Quibus jactis fundamentis, sic methodum Galeni explicemus. Cum docuisset corporum meatus variis ex causis occludi, ex coalitu, siccitate, vel compressione, his omnibus meatuum constipationibus prætermissis progreditur ad eas, quæ sũt parte ipsa turgente, ac in maiorem, & ampliorem molem sublata, vel ex proprio præter naturam tumore, vel ex cõtẽta intus aliena aliqua substantia. In his ergo, cum nõnunquã unus dumtaxat morb. sit, utpote sola obstructio, nonnunquã præter obstructionẽ, alius quoq. initet morb. qui obstructionis est causa efficiens, voluit Gal. methodum, & regulam tradere, qua possimus utrumq. eventũ cognoscere, atq. ex læsæ, vel impeditæ actionis præsentia, vel absentia in ea parte, quæ tumore prædita est, dilucidè distinguere.

Galeni methodus.

Nã si partis in tumorẽ sublatæ nulla propria actio malè habeat, tunc unicus tantũ est morb. nimirũ ipsa obD structio, cujus causa, nõ morb. sed sõlũmodo causa erit, cum certũ sit à sola obstructione primo impedire actionẽ, substantiæ nimirũ alicujus distributionem, quæ nullius partis est actio propria. Si verò partis in tumorem sublatæ ac tumidæ propria aliqua functio sit læsa, tunc præter obstructionẽ, alius morb. adest qui propriam actionẽ lædit, & obstructionis causa est. Quod in hepate, & intestinis videre licet, atq. in omnibus partib. meatum habentib. Nã ubi turgescunt, & usq. eò tument, ut occludantur meatus, si nulla vitiatur partis actio, unicus tantum morb. est, scilicet obstructio: duplex verò, si actio alicujus partis sit impedita, scilicet obstructio, quæ fluentẽ per meatũ, substantiã remoratur, & tumor, qui partis propriam actionem impedit.

VTRVM HEPATIS carni an venis tribuatur sanguinis generatio.

QVÆSTIO XLI.

ETSI monstratum est de Galeni sententia, hepatis carnẽ esse partẽ primariã, cui tribuitur hæmatosis, cũ methodũ tradidim' partis principis ĩ quolibet instrumẽto inveniẽdę: tñ nõ defuerunt Vesalius & Iouber- 1. *Opinio.* tus, qui deletam memoriam cujus- *lib. 3. cap. 1.* dam veteris dogmatis suscitarint, & 5. atq. præter omnium opinionem ar- *Decad. 1.* bitrati fuerint, venis tribui totam san- 1. *par. 4.*

guificationem, parenchyma vero illis affusum esse substraminis instar, ut suo calore alteratio promoveretur facilius. Quod primùm ex Gal. probant, qui multis in locis dixit, sanguinis generationem in venis fieri: sed propria facultate venarum fieri ex eodem confirmant, qui libro de usupartium quarto sic locutus est. *Intellige animalis corpori divinas quasdam virtutes à conditore esse inditas: & venas quidem non deducere solùm nutrimentum ex ventriculo, sed attrahere simul & hepati præparate modo, quo ipsum, simillimo, quippequæ naturâ ipsi sint assimiles, & primum germē ex illo ducant. Ac prę terea. Qua propter & venis, quæ ad ventriculum & universa intestina pertinent, inest facultas quædam sanguinis effectrix, qua succum, qui ex cibis distribuitur, venis in sanguinem mutare naturale est, prius quam is ad hepar perveniat.* Primo de naturalibus facultatib. *Vbi cibus sanguis fit, passivus quidem cibi, activus verò ipsius venæ fit motus.* Et paulo post. *Caterum potentia ea facultas vena venis, quam sanguificam appellant, atque etiam alia quævis facultas, in relatione ad aliquid intelligitur.* Ac deinceps. *Quod agentis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam, sive potentiam appellamus, in venis quidem potentiam quandam sanguinis factricem dicentes.* Secundo ejusdē operis hanc sententiam antiquorum approbare videtur, cum ait. *Demonstratum enim his est, alimentum, dum in venis ab innato calore alteratur, sanguinē quidem ex mediocri calore fieri, reliquos verò succos ex eodem immodico. Atque hinc sententiæ, quæ evidenter sensibus apparent omnia consentiunt.* Tandem hoc loco, cujus occasione hanc controversiam habemus, agens de ijs, quæ propriam facultatem habent, *affectā vena tunicā, quæ in sima jecinoris parte continetur, obstare* scribit, *quo minus sanguis utilis generetur.*

Ex quibus omnibus locis colligunt venas de Galeni sententia sanguinis opifices esse, eamque vim insitam habere, quæ propriæ substantiæ illarum conditionem sequatur. Siquidem, ut dixit Gal. *tam vena, quam reliquarum particularum singulæ ob certam quandam tempiem, quam ex quatuor qualitatibus sunt nactæ, hoc vel illo modo agere videntur.*

Auctorita. Gal.

Capit. 2.

Capit. 12.

Cap. 2.

Cap. 4.

Ibidem.

Capit. 8.

Text. 32.

1. de natu. fac. cap. 3.

E

F

G

H

Ad hæc rationes adjungunt. Hepatis venæ generationis sunt priores parenchymate, nec ab ipso dependent, ut constat ex libro de fœtus formatione, venis ergo, potiùs hæmatosis tribuenda est, quæ sanguinem continent elaboratissimum, priusquam jecoris caro confirmetur. *1. Ratio.* *Cap.*

Deinde, si sanguinis generatio fieret in visceris substantia, ibi aut exhauriretur, aut concresceret extra propria conceptacula, quoniam oscula venæ portæ non adjunguntur cū oculis venæ cavæ. *2. Ratio.*

Accedit his, quod venæ mesenterij absq. parenchymate conficiunt sanguinem, quo alūtur omentum, pancreas, intestina, mesenterium, & vicinæ partes. Patet quandoquidem meseraicæ perpetuò rubent, neque unquā candidus succus in eis appareret, quod magno argumento est, chylum ab ipsis in sanguinem mutari. *3. Ratio.*

Præterea omnis alteratio & nutritio, & assimilatio per contactum fit, sed caro jecoris non tangit chylum, quem tamen continent venæ suo cōplexu, illis igitur solis tribuitur hæmatosis. *4. Ratio.*

Postremò, si venis non adscribitur hæmatosis, eò quòd albæ sint, rubet autem sanguis, itidem neque jecori potest adscribi, cum non sint rubra quæcunque unà cum sanguine generantur, sed quædam flava, quædam atra, coloris ergo ratio habenda non est. *5. Ratio.*

Sed adversus veteres medicos, qui hanc de sanguinis generatione opinionem habuerunt, sexto de Hippocratis & Platonis decretis cōtendit Gal. tum quòd propria vniuscujusq. instrumenti actio parti propriè (qualis est jecoris caro) non communi (quales venæ sunt) tribuenda sit. tum quòd sanguis non efficiatur similis venis, sed jecori, ut demonstrat substantiæ modus & color. *Refutatur.* *1. Ratio.* *2. Ratio.*

Qua de causa nonnulli veriti utriusque opinionis argumenta, medium tenere voluerunt, sperantes sententiam suam omnibus adversis perfugium, & solatium præbituram. Verū isti bipartiti sunt. Chrystophorus à Vega & jecori, & venis adscripsit hæmatosin ex tertio de naturalib. facultatibus, & multis alijs locis, ubi *2. Opinio.*

Gal.

Gal. sanguinis concoctionem in hepate & venis fieri scribit: tamen sanguinem à carne iecoris primò & per se fieri voluit, à venis secundario & facultate è jecore demandata. Quod
Cap. 16. probavit auctoritate Galeni, qui pri
Cap. 3. mo de usu partium, libro de plenitu-
Com. 47. dine, secundo de ratione victus, & in
Cap. 95. arte parva dixit, *hepar esse principium facultatis venarum.* Sed inter venas, illius imitatores & æmuli plurimùm inter esse putant. Nam licet omnib. sit vis coquendi, alterandi, & immutandi sanguinis: alijs tamen vim inesse volunt præparandi, ut venis mesenterij: alijs perficiendi, & sanguinis ulterius concoquendi, ut posteriorib. nimirum venæ, cavæ ramis
Cap. 2. præsertim majorib. Nam Gal. quarto de usu partium scribit, *meseraicas venas hepati præparare sanguinem modo, quo ipsum simillimo, quippequę naturâ ipsi sint ad similes, & primum germen ex illo ducant.* Sequenti autem capite dixit, *hepar postquam id nutrimentum acceperit à famulis iam præparatum, & veluti rudem quandam delineationem obscuramq. speciē sanguinis referens, inducere ei postremum ornatum ad sanguinis exacti generationem.*
Cap. 17. Deinceps verò de alijs venis post hepar verbà faciens, hæc locutus est: *Quemadmodum venis, cum eas distributionis instrumenta fecisset, facultatem sanguinis generatricem indidit, ne, dum per eas fertur, tempus ipsi alimento frustra periret ad eandem modum & intestinis distributionis ita venas gratia instituens, facultas quadā concoctrix eiborū inest.* Qua de
Text. 30. causa docuit Hippocrates secundo de ratione victus, pituitosos inediâ ferre faciliùs. Nam ut docet Gal. in commentario, pituita processu temporis coquitur, sanguisque efficitur.
Cap. 3. Duodecimo verò methodi. *Siquidem, qui ita sunt affecti* (loquebatur de febricitantib. ex summa crudorum succorum copia) *cibi abstinentiam ferunt corpore scilicet ex crudis ipsis, quos continet, succos coquendis alto.* Ergo, cum per inedias dictæ venæ posteriores vertant in sanguinem pituitam genitam in jecoris venis, auctores hujus opinionis venas id facultate quadam mihi existimarunt, quam à jecore receperunt.

Refutatur. Verumtamen licet hæc sententia verisimilis & probabilis videatur: at tamen si omnes in rem hanc profundamus vires animi atq. ingenij, planè inveniemus non esse rationi consentaneam. Nam jecur nō potest vim alterandi præstare venis, quin etiam præbeat substantię similitudinem, ut ignis, qui nequit alicui præstare vim generandi ignem, nisi illud ipsum ignem faciat priùs. *1. Ratio.*

Præterea, cum addunt venarum alias præparare sanguinē, alias perficere, licet non sit vitium in verbis: in re tamen inesse puto, quod reprehendi debeat. Influit enim ex jecore ad omnes venas alteratio, cujus beneficio sanguinis non ab ipsis, sed in ipsis gignitur. Sic in meseraicis evadit & dicitur præparatio, in alijs perfectio, & absolutio, quę quidem agūtur per solam carnem jecoris, venis autem accidere dicendum est. Nam, ut docet Gal. *fieri nequit, ut ex corporis locis, aut venæ, aut arteriæ, aut nervi functio immutetur: sed sive in calce, sive in cerebro arteriam consideres, continuò etiam communem omnium arteriarum functionē simil concipis: idem in nervo, vena, osse, cartilagine, membrana, colligamine, adipe facis.* Quod si pituita famis tempore in sanguinem verti, secundo de ratione victus Gal. docuit, ea mutatio in venis quidem, sed à jecore fit: attrahit namq. jecur eo tempore pituitā & succos, non solùm à venis, sed etiā ab extimis partib. corporis, ut inde per universam molem corporis sanguis mittatur, quemadmodum Gal. *Cap. 13.* libro tertio de naturalib. facultatib. dilucidè demonstrat. Nam si ventriculus tempore indigentię succum fœtidum ad se trahit ab intestinis, verisimile est succos optimos trahere jecur. Quæ quidē ulterior elaboratio & cōcoctionis perfectio est. Vnde secūdo de naturalib. facult. dicebat G. *Cap. 9.* in venis fieri cōcoctionem, ut si quid inelaboratum à jecore fuerit relictum, in venis emendetur, idq. potissimū in pravis succis contingere. Nā cum existant pleraq. alimenta pravi succi, & multo excremento referta, quod non deposuerunt tot transmutationib. in ventriculo & jecore factis, restabat, ut in venis sanguis recoqueretur, ut expellerentur excrementa, siquæ adhuc nociva, & nutritionem impedictia in eo relicta fuissent, *2. Ratio. 6. de pla. c. 8. 9. de usu p. c. 1.*

sent, quo sanguis commodiùs nutrire valeret.

3. Opinio, Com. 21 lib. 5, de loc. aff. c. 7.

Thomas verò Rodericus à Veiga in generatione sanguinis duo spectãda esse præfatur, elaborationem, & rubificationem. Elaborationem cõcoctionis quandam esse speciem, & à sola temperie perfici prodit: ruborẽ non à temperie, sed à colore, qui tẽperiem sequitur, immediatè pendére. Sic albedo chyli non á temperie: sed à colore ventriculi, & candor lactis à solo glandosarum partium colore candido manat. Non dissimili ratione, venis omnib. præsertim hepati proximis, vim insitam inesse arbitratur coquendi, alterandi, immutandi: alijs quidem præparandi: alijs perficiendi: sed sanguini ruborem indere soli parenchymati & carni concessum existimat, quia sola caro rubra est. Quib. positis quoscunq. adversantes Galeni locos posse inter se consiliari prædicavit.

Refutatur.

Sed quamvis hæc animo & cogitatione lustraverit doctissimus vir, qui non paucos auctoritate vicit: nõ possum tamen duci ad credendum, quod venę tribuant sanguinis formã & temperiem, parenchyma verò solum colorem.

1. Ratio.

Nam, qui dat formam, ut philosophi dicunt, dat etiam omnia, quæ cõsequuntur ad formam, ergo si venæ imprimunt in chylo sanguinis formã & temperiem, debent etiam eidem tribuere ruborem.

2. Ratio. 4. de usup. c. 4. & 8. de placitis c. 7.

At *ruber sanguinis color*, ut ex Platone docebat Gal. *fit ex ignis abstersione, id est, depositione, & impressione igneæ caliditatis*, nepe caloris nativi: solet enim Plato nomine ignis, calorem innatũ significare. Sed cum venæ temperamento sint frigidæ, non possunt producere in chylo temperamentum sanguinis calidum & humidum.

3. Ratio.

Quoniam, si præstare id posse concederemus, easdem & colorem imponere inviti cogeremur fateri, cum ex temperamento necessariò emergat talis color.

4. Ratio.

Vnde neq. jecoris caro tribuit solũ coloré, quia ille color est effectus nativi caloris, & tẽperamenti sanguinis hoc, vel illo modo ex principijs orti, ergo non potest parenchyma tingere chylum, quin priùs in illo similem temperiem producat.

5. Ratio.

Neq. pars in nostro corpore inventre licet, quę tentet colorare proprium alimentum, priúsquam illud in substantiam sui similem quodammodo reddere conetur.

Quamobrem nos hac de re aliter constituamus. Prima igitur assertio hæc sit. Venæ à proprio temperamẽto non alium humorem, quam frigidum, candidum, & viscidum procreare possunt. 1. Assertio.

Quę assertio ex libro sexto de Hippocratis & Platonis decretis deprõpta est, ubi Gal. eos damnat, *qui venarum tunicis secundum naturam ipsarum sanguinis creandi munus deferunt, non secus ac si quis ab exangui corpore sanguinẽ contendat generari.* Primo etiam de tẽperamentis *arteriarum, & venarum tunicas, non solum exangues esse dixit, sed etiam naturã frigidas.* Cap. 8. Cap. 9.

1. Ratio.

Prętera concoctio nihil aliud est, quam eius, quod coquitur in coquentis naturam cõversio, & assimilatio: sed venarum substantia est exanguis, frigida & candida, non potest igitur nisi talem substantiam procreare. Vn de libro decimo quarto de usu partium & primo de semine scribit Gal. *arterias, & venas prope testes positas, seminalis humoris substantiam gignere, cum semen sit album & crassum ad alendum arteriæ corpus accomodatum.* Quęrenti verò, *cur in nullo alio vase id accidere cernatur*, sinẽ cunctatione respondet, *quod in nullo alio vase sanguis ita diu commoratur. Quod si moraretur diu, nec præterflueret, ac repente vacuaretur, liceret & in alijs venis succum ejusmodi reperire.* Cap. 10. Capit. 12.

2. Ratio.

Id etiam in pure, quod est opus solidarum, atq. hypostasi venarum excremento manifestè comperimus, quæ candida sunt, quando partium illarum vires sunt validæ.

3. Ratio.

Sic arterijs, quæ similem temperiẽ nactæ sunt, nulla vis ineſt excoquendi. sed continendi, & spirituosi sanguinis tantum distribuendi.

2. Assertio

Secunda assertio sit. Venæ neq. sibi insita, neq. à jecore accepta facultate sanguinem gignere possunt. Non, inquam, insita sibi facultate ex propria substantia, ut prioris oponionis fautores voluerunt.

1. Ratio.

Nam actio propria cujusmodi est hæma-

6. depla. 8. hæmatosis ex *proprietate substantiæ ducit originem*, ut dicebat Gal. sed *venæ sunt instrumentis inditæ communis utilitatis causa, cum sine illis uniuscujusq. instrumenti proprietas consistat*, ut idem ait, ergo venæ insita ibi facultate non possunt sanguinem generare.

Ibidem.

2. Ratio. Quandoquidem partes quæcunq. proprietate substantiæ generant aliquem succum, ut cor, testes, ubera, non modo conveniunt proprietate illa cum genito succo, sed etiam téperamento, qualitatum, inquam, manifestarum excessu: at venæ frigidæ sunt, sanguis verò calidus, non possunt igitur substantiæ congruere interse.

Objectio. Sed objiciet aliquis. In arterijs, intestinis, ventriculo, utero, & utraq. vesicca propria quædam caro ineſt suis ipsorum fibris circumnacens, quæ calidior est cute, ut voluit Gal. possunt ergo venæ ope hujus carnis sanguinis temperaméto similis, eundem generare.

2 de temp. c. 3.

Solutio. Respondeo venas (& reliquas partes spermaticas dictas, cum potissimùm ducant originem ex semine, ut ex sanguine partes carnosæ) nactas esse carnem hãc cute calidiorem: nihilominus tamen, & illius carnis caliditas minor est, quam sanguini generando conveniat, & ejusdem portio tenuissima, (carniculam diceres) utpote à tunicis & fibris venarum, quę frigidę sunt, longo intervallo superata.

3. Ratio. Neq. possunt venæ generare sanguinem facultate à jecore demandata, propter eam, quam supra significavimus, rationem. Nam, qui vim agendi alicui impartit, debet eidem communicare agendi principium, quæ substantiæ proprietas est, ut in naturalib. instrumentis, vel quod vim aliunde recipit, debet continere partem aliquam, cui potissimùm debeatur actio, ut in instrumentis animalib. oculus enim aliunde accepta facultate videt, nihilominus tamen proprium dicitur instrumentum videndi propter humorem crystallinũ. Hoc tamen venis denegavit natura; sed per illarum tunicas effundit jecur in chylum facultatem sanguificãdi, atq. in cavitatib. illarum illum alterat, immutat & coquit: ex eo tamẽ hæmatosis venis tribuenda non est. Nam jecur profundit suam facultatẽ, non ad instrumenta, ut cerebrum ad oculos, vel musculos, sed ad propria loca & partes, quas adjunxit ad suos usus natura, non secus atq. ignis calfaciendi vim in propriam sphæram suæ actívitatis.

3. Assertio Quamobrem hęc sit tertia assertio. Sola jecinoris caro sanguinem generare potest. Quod Gal. rationib. demonstrare possumus.

1. Ratio. Quandoquidem pars, quæ organo peculiaris est, nec alijs partib. communis, ea princeps organi pars æstimanda est, ut retrò diximus ubertimé: sed caro hepatis soli huic visceri est peculiaris, & talem in corpore reliquo nullam reperimus: venæ autem sunt toti corpori communes, ut liquet, igitur hæc erit princeps actionis causa. *Quæst. 35.*

2. Ratio. Præterea pars quęlibet alimentum alterans, eum, velut scopum quendã & finẽ habet, ut sibi ipsi assimiletid, quod alteratur, quemadmodum ex Galeno diximus (hoc enim premendum etiam atq. etiam argumentum est) sed hepatis caro sibi ipsi, ut nutrimentum, assimilat assumptum ex ventriculo chilum, & paulatim trãsmutat in venis, quæ ipsi adherent, priusquam ad ipsum perveniat, sola igitur caro generandi sanguinis fungitur munere. Propositio manifesta est. Probatur assumptio. Quoniam si quis considerat naturam parenchymatis, & carnis jecinoris, proxima sanguini manifestò apparebit: *si enim*, Gal. inquit, *animo cogitaris sanguinem crassiorem factum, exhausta nimirum à calore tenuiore portione, nihil aliud invenies, quam hepatis carnem.* Hoc illud est, quod sexto de Hippocratis & Platonis decretis docebat, *nempe si conspiceretur sanguis, carnem jecoris proxime effectum fore. Siquidem ubertima eius substantia est, perinde ac sanguis*, cum alienum sit à ratione, substãtiam, quæ concoquitur, colorem habere dissimilem colori partis concoquẽtis. Quod in omnib. partib. nostri corporis possumus examinare. *4. de usup. c. 12.* *Cap. 8.*

4. Assertio Quarta & ultima assertio est. Venę ad sanguinis generationem jecori deserviunt tantum organica dispositione;

Quoniam

Quoniam partes communes, & usum habentes dumtaxat deserviunt conformatione, numero, magnitudine, & cõpositione, ut superius monstratum est: sed venæ sunt hujusmodi, ergo tantum subministrant organicam structuram.

Ratio.

Quæst 36.

Primùm, (ut à numero & situ incipiamus) *natura univit multas venas ad portas, quæ à ventriculo & intestinis surrsum ferunt cibum ad hepar*, ut servitutẽ paterentur validiùs, *ac si una indiguisset*: illico tamen intra substantiã hepatis *divisit in quam plurimas: si enim, ut in corde, ita in hepate unum magnum sinũ, veluti quandam cisternam, & unam venã induxisset inchoatum sanguinem, per aliam verò eduxisset, ne brevissimo quidem tempore mansisset in hepate, sed ipso attractionis impetu raptus celeriter pervaderet. Vt igitur maneret diutiùs venæ plurima dispersæ sunt, atq. illæ angustissimæ, ut corpus hepatis undiq. posset alimentum contingere: ubi enim longissimo tẽpore natura vult immorari materias, ibi transitum molitur difficilem ut pylorum, intestinorum in volucra, venas & arterias, quæ ad utrumq. testem descendunt, plexum arteriarum sub dura meninge.*

Numerus, & Situs. 4. de usup. c. 13.

Quin etiam illarum venarum tunicæ, ut possint conformatione favere jecori, rarissimæ sunt & quemadmodum significavit Gal. τρηματώδεις, id est, multis foraminib. pertusę, ut mõstrat accurata dissectio. Vnde per anastomosen, quæ oculi venæ apertio est, vel potiùs diapedesin, hoc est, exiguorum meatuum apertionem, transfusus, sive sudoris modo transmissus sanguis effluit in viscera carnem, quam nutrit. Illinc, propellente jecore, quod superfluit, fertur in venæ cavæ sugentes radices, in quib. similiter callidissimo artificio naturæ debita foramina fabricata est. Ab his, per truncum, & ramos, tanquam per aqueductus, in universum corpus excurrit. Sed cum venę sint partes spermaticæ ac frigidæ, temperiesq. illarum potuerit sanguinis conservationi obesse, atq. loco sit proprium cõservare locatum, hinc provisit natura, *ut contactu sanguinis calefierent ac venirent ad statum medium temperamenti*, quo sanguis posset recalescere.

Conformatio. Trematodes. Ibid. c. 15.

1. de temp. c. 9.

Tandem tunicarum magnitudo nõ minori usui est. Nam venæ, quæ sunt in hepate, *omnium, quæ spargantur in totum corpus, longè tenuissimæ sunt ceu nulli patiendi periculo expositæ, & melius sanguinis elaborationi ministraturæ*: sic enim per eas diffusa vis potest in omnem substantiam permeare. Cuius ergo sit munus generatio sanguinis, & quid possint venæ, quidq. non possint, demõstratum est. Quæ supersunt exponamus.

Magnitudo

4. de usp. c. 13.

Cùm ex professo disserit Gal. de parte principe, cui primò deberetur actio, parenchyma, ideſt, carnem hepatis primariam esse, rectissimè concludit, ut quarto de usu partium, & sexto de Hippocratis & Platonis decretis, alibi verò huc & illuc tractus varijsq. disputationib. implicatus, quas habebat cum veterib. & potissimùm Eraſtratæis, nullam in hanc rem contulit diligentiam, ne migraret in aliud genus disputatio, vel principiũ petere videretur, præsertim cum nihil ad eas disceptationes pertineret, jecoris carni, aut venis hæmatosin adscribere.

Sol. Antitatum. Capit. 11. Cap. 8.

Atq. hæc est causa, cur permulti Galenum accusaverint de inconstantia, inscij quandoq. tacitum aliquid prætereundum esse, ne ab institutа disputatione digressus fiat. Sic igitur interprætanda sunt verba Galeni libris de naturalib. facultatib. & hoc capite conscripta, præsertim cum nõ á venis, sed in venis potiùs fieri sanguinem ex illis concludatur.

Observatio

Tametsi quæ dixit hoc loco, vellẽ ego aliter explicare, ut de officio interprætis nunquam decedam. Nam hepar unum est instrumentarium corpus, quod præter partem similarem, cui primo debetur actio, partes habet usum præbentes, nempe venas. Cum igitur affectus partiũ, quæ sunt usui dicatæ, præcipuam partem non ledunt, instrumenti tamen actionem primò impediunt, morbi totius instrumenti, ut dictum est, appellantur. Quare, si tumor tunicæ illius venæ, in parenchymate nullo impresso morbo, sanguinis generationem primò, & perse remoratur, morb. est hepatis in aucta prẽter naturam magnitudine, quoniam impedit quo minus possit vis hepatis alteratrix per tunicam pleniorem, & crassiorem redditam permeare.

Illustris explanatio. Cap. 6.

Illa

Illa tamen, quæ quarto de usu partium Gal. docuit, difficiliorem habet explicatum: nimirum. Meseraicas hepati sanguinē præparare modo, quo ipsum simillimo, quod ei naturā sint ad similes. Deinde eisdem inesse facultatem quandam sanguinis effectricem succumq. ex cibis sumptum in sanguinem naturaliter mutare, priusquam ad hepar perveniat. Atq. tandem facultatem sanguinis generatricem naturam indidisse venis, ne, dum per eas fertur, tempus ipsi alimento frustra periret. Quæquidem amicè audienda sunt. Nam meseraicę præparant, quoniam in ipsis hepar aggreditur sanguinis concoctionem, dum chylo tribuit rudem quandam delineationem obscuramq. speciem sanguinis, quo nomine dicuntur hæ venæ jecori similes, quia propter viciniam situs commodiùs suscipiunt ex jecore facultatis influxum. Venis præterea insita dicitur facultas, quia quod perpetuum est, insitum appellamus, quamvis influat aliunde. Sic arterias, quod semper, & secundum naturam pulsent, ab insita facultate movēri docebit Gal. quamvis pulsandi facultas soli cordi sit insita & ab eo profluat in arterias. Dicitur verò à Galeno jecur principium facultatis venarum, non quod venæ participēt virtutem jecoris, sed quoniam hepar est principium generationis sanguinis, quæ in venis elucet ac fit. Quamobrem, ut concludamus, quemadmodum aliquando dixit spiritus vitales gigni, in corde, & in arterijs, non dissimili ratione, modo in hepate, modo in venis fieri sanguinē dixit, eundem scopum perpetuò respiciens, cum à sola cordis & hepatis substantia & vi actionem dimanare arbitretur.

Cap. 2. Cap. 12. Cap. 17. 2. de symp. can. c. 2.

Postremò accedamus ad rationes, opinionis quidem primę: nam secunda & tertia conciliatrices sunt. Venæ generatione sunt priores parenchymate: verùm in fœtu nullum instrumentum naturale exercèt suas operationes, nec vētriculus generat chylum, nec cor vitales spiritus aliquos generat, neq. igitur hepar, vel aliqua eius pars in hæmatosin incumbit, cū omnia membra materno sanguine nutriantur.

1. Solutio.

Præterea sanguis per medias hepatis carnes transcolatur, & à porta in cavam derivatur per illorum meatuum exiguorum apertionem, neq. tunc concrescit, immò elaboratur magis & maiore parenchymatis calore tenuior redditur, ut cum à dextro cordis sinu in sinistrum per septum medium trajicitur.

2. Solutio.

Meseraicæ autem non possunt coloris quidquam in chylum inducere, quamvis attractus ab illis chylus cōfestim rubeat. Nā, vel coloratur permistione sanguinis eò ab hepate cōfluentis ad nutritionem intestini, cujus guttula suo rubore totum cremorem tingere potest, vel (quod probabiliùs est) incipit inibi alterari, antequam ad jecur perveniat, illiusque facultate utcunq. immutari, quæ sanguificationis est ingressio. Id q ex eius sanguinis forma planè cognoscitur: est enim rudis quidam & impolitus sanguis nondum perfectè elaboratus.

3. Solutio.

Iam philosophi contactum duplicem faciunt, virtutis nempe, quem physicum, & corporum, quem mathematicum appellant. Ad concoctionē & alterationē virtutis contactus necessarius est, non extremitatum corporum. Sic solis motu, radijs & lumine exhilarantur, & vigent omnia: cerebri etiam & cordis per nervos, & arterias demandata virtute & fluxu mutatur universum corpus reficitur & conservatur. Minus officit objectio postrema.

4. Solutio.

Nam, cum omnia, quæ alterat jecur sibi concoquat, atq. ut in propriā substantiam convertat, omnia etiam conatur sibi reddere colore similia. Quæ igitur flava, vel atra sunt, nec vera concoquuntur, nec cōverti possunt, cum sint potiùs excrementa cōcocti sanguinis, quę pro varia caloris actione, diversaque materiæ dispositione, varios colores sortiuntur.

5. Solutio.

ARG. CAP. VIII.

CVM numerus duplex sit, auctus, & diminutus, actum dividit, vel cū ea, quæ superfluunt, naturali sunt habitu, vel cum toto genere præter natu-

naturam. Ex quib. quæ primò impediunt actionem, morbi sunt, quæ nõ primò, causæ morborum. Diminutũ etiam partitur, vel ex parte, vel ex toto. Horum etiam, quæ primò lædunt actionem, morbi sunt, quæ partem actionis opificem corrumpunt, causæ: quæ simul & actionem primò leduat, & partem primariam vitiant, morbi & causæ. In quibus morbum ad partem relictam refert, non ad ablatam.

CAP. VIII. Tex. XXXV.

IN numero verò partium simplicium, ex quib. unumquodq. constat instrumentum, duæ erunt ægritudinum differentiæ, cum scilicet pars aliqua deficit, aut superabundat. In utraq. verò ipsarum aliæ differentiæ: nam ex ijs, quæ superfluunt, non nulla sunt ex genere secundum naturam, ut si cui sextus adnascatur digitus, aut in oculo unguis, græci pterygion nominant, aut in narib. germen aliquod carnis, aut alio quopiam meatu aliud id genus constiterit. Ex his verò quædam erunt ægritudines ipsæ, veluti unguis: nam si multum augmentum susceperit, intuitum impedit, cum pupillam obtenebret. Ægritudinum autem causæ sunt germina, quæ meatus interceranr: in primis enim obstructio est ægritudo, quoniam & ipsa prima officit operationi. Nonnulla verò sunt, quæ toto genere sunt præter naturam, veluti lumbrici, & vermes quidam minuti, quos græci ascaridas vocant, & in vesica lapis, & in oculo grando, & suffusio, & hypopia, & pus, & verrucarum genera, quas græci acrochordonas appellant, & favi, & atheromata, & steatomata, utiligines, lepræ, leucæ, & pori & quæcunq. in absces sib. reperiuntur. Quod verò & ex his ipsis quæcunq. operationem primò impediunt, ægritudines à nobis dicantur, sicuti suffusio, quæ verò non sunt ejusmodi, ægritudinum causæ, omnib. constare arbitror.

COMMENTARIVS.

Innumero vitioso duas differentias morborum assignavimus, quum scilicet aliqua particula crescit ac superabundat, vel cum deest, ac deficit in instrumento, quod cum alijs partib. constituebat. Principio prosequitur species primæ differentiæ, nimirum earum partium, quæ superfluunt, quas duas esse profitetur. Nã partes, quæ abundant, aut planè accreverunt ijs, quæ sunt naturali habitu, hoc est, aut similitudinem habent cum his partib. quæ secundum naturam se habent, aut toto genere, totaq. substantia præter naturã sunt, nullíusq. partis nostri corporis similitudinem speciemq. gerunt. Quę omnia Gal. exemplis notioribus illustrat. *Cap. 4. Com. 16.*

Ex naturali genere sunt, ut sicuti sextus digitus adnascatur, tertius testiculus, dens alijs supernascens, & similia. Digitus (quod est primum exemplum Galeni) est é numero partiũ, quę naturã esse in corpore oportet. Nam tametsi pars præter naturã addita sit: adnumeratur tamen unà cum illis, quæ naturali sunt habitu, quoniam eandem habet cum alijs digitis substantiam: ex ossib. enim cõstat, nervis, tendonib. musculis, arterijs, & venis, quemadmodũ & quinque digiti, quos manus secundum naturam adepta est. Quo exemplo voluit confirmare, non modo certum & accomodatum esse debere numerũ partium similarium ad prima instrumenta componenda: sed etiam numerum *1. Exemplũ*

merum horum ad alia constituenda, quæ magis cõposita sunt. Nã quemadmodum digitus ex trib. inter nodijs, sic manus ex quinq. digitis constat.

2. Explum Pterigion. Pteron. Lib. de ossi. cap. 4. Pterigia. In introd. cap. 10. Ibidem.

Ejusdẽ generis est apud græcos vocatum πτερύγιον. Πτερὸν est volucriũ ala: πτερύγιον diminutivum parva ala, inde ad alia ducta vox, ut ad hominem, in quo πτερύγια vocãtur pinnæ ac prominentes nasi utrinque cartilagines duæ laterales tribuli forma præditæ inter respirandum mobiles. Similiter & in mulieribus πτερύγια, & alas appellamus eminentias illas duas uteri sinum ambientes. Ab eisdem etiam alæ similitudine πτερύγια morbus dicitur, qui duab. humani corporis partibus accidere solet: ut enim alæ in volantibus ab humeris extensæ, aperiuntur, sic in hoc morbo ab angulo clausura ve inutiles procedentes membranæ, & caruncul æ oculis aliquando, aliquando digitis nocent. Quod in pedibus & manibus pterygium fit, est incrementum carnis, quæ partem unguis contegit: quod verò in oculis, nervosa membranæ adnatæ excrescentia est, quæ ab angulo quidem oritur, sed ad usque oculi coronam pervenit: ubi verò supra modum fuerit adaucta, pupillam obtegit. Sæpiùs à natium, interdum etiam à temporum parte nascitur. Latini id mali genus unguem vocant, eo quod ungui humano, ut credimus, prodiens illa nervosa membrana fit similis. Ejus duplex est genus, unum apendicis more adhærescit, alterum quasi connatum coalitumque est. Ergo rectè dixit Gal. in oculo, nam & pterygia in digitis fieri solent.

Aeg. lib. 3. cap. 22. Act. lib. 7. cap. 53. Vugnis. Cels. lib. 7. cap. 7. Cossins.

3. Exempl. Blastema.

Ad idem genus pertinet excitatum in naribus germen carnis, quod græcis appellatur βλάστημα, latinis surculus, & germen, quod in arborum, vel stirpium ramis simplex oritur, & frondes getit detrahiturque interdum & resecatur ex arbore ad alias rursus producendas. Hoc tamen loco pro carnis in naribus incremento usurpatur, quod propriè dicitur σάρκωμα. Est autem ejusdem generis cum polypo, sed differt ab eo magnitudine & forma. σάρκωμα est informis excrescentia carnis: polypus

Sarcoma. Sarcoma,

A verò gerit similitudinem piscis polypi. Nam ut ille multas habet propagines, & mollis est, atque augetur, ita is quoque affectus. Quare ad genus eorum, quæ abundant, pertinet carnis germen, vel in naribus, vel in alio quopiam meatu.

Aeg. lib. 3. cap. 28. 2. method. cap. 2. Aut. def. medic.

Observatio Galeni.

Quibus positis exemplis observat Gal. harum partium, quæ in instrumentis superfluũt, quasdam morbos, quasdam morborum causas esse. Vnguis morbus est, quippe ubi plurimùm increverit & pupillæ lucem eripuerit, visionem impediet: hæc enim cum moderatione dicta sunt. Nam si unguis, vel digitus, vel simile aliud in numero vitium parum auctum, alicui actioni non inferat impedimentum, pathos, vel pathema dicetur, non morb. Causæ morborum sunt germina ipsa, quæ meatus obstruunt: obstructio autem morbus est, quoniam ipsa primò infert noxã & impedimentũ actioni, germẽ intermedia obstructione.

Observatio

Quib. Galeni verbis obstructa est illorum cogitatio, qui non distingũt obstructionem ab humorib. obstruẽtib. ut præterito capite distinxit Gal.

Hæc igitur de particulis redundãtib. quæ membrorũ naturalium formã & speciem, & similitudinẽ habẽt. Alia autem præter naturã etiã alicui addũtur instrumẽto, sed toto genere præter naturam sunt, quarum cum prioribus maxima est dissimilitudo. Hujus generis sunt lumbrici, ascarides, lapis in vesica, grando in oculo, suffusio, pus, melicerides, atheromata, steatomata, quæ in abscessibus reperiuntur omnia, & alia, quæ ab auctore commemorantur.

Elmintes. 1. de loc. aff. cap. 5. 3 apho. 26. Autor introd. c. 13.

Elmintes. Lumbrici, dicuntur animalia quædam longiuscula in intestinis ex cibis corruptis à multo calore genita. Sunt autem universæ lumbricorum differentiæ tres. Prima teretum. Secunda ascaridum. Tertia latorum. Teretes sunt rotundi palmi longitudine, vel etiam maiore, creãtur in superiorib. gracilibusq. intestinis, & superiorẽ ventriculũ subeũt, ideoq. frequenter per os rejiciuntur, atq. etiã pernares. Ascarides appellãtur græcis lũbrici breves, & minusculis vermibus similes, qui in parte præcipue inferiore crassi intestini

catulliunt, reperiunturq. in extremo lõganone & musculi sphincteris initio vehementem pruritũ excitantes.

Cerio. Κηρίοι id est, fascia vocatur longus, & latus lumbricus, quod instar fasciæ sit, & latus & longus. Hinc ab aliquibus dicitur Ταινία, quæ fascia quoque, vel instita interpretatur. *Rarior autem est lumbrici longi generatio, qui & longissimus est, & sæpe per tota extendatur intestina.*

Tenia.

3. *apho.* 26.

Lapis in vesica genitus maximè propria passio est puerorum, qui sunt pubertati proximi, vt qui ob edacitatem, non paucos humores crudos coacervent, ex quibus pars crassior una cum urinis ad vesicam perveniens, fit lapidum generationis materia. Eo verò principio facto facilè posticà quidquid iterum reliqui crassi delabitur in vesicam, priori agglutinatur maiorque inde tophosus calculus redditur, altera causa accedente multumque juvante, quæ est vehementia caliditatis. Nam extra & in calidis aquis sponte nascentibus, & in vasis, vbi calefit quotidie aqua, lapis coalescere cernitur.

Ibidem.

6. *Epid. cõ.* 3. 15.

4. *aph. com.* 29.

6. *Epid.* 3. 15.

Porrò quemadmodũ in exterioribus palpebrarum oculorum partib. super pilorum locum, tuberculũ parvum nascitur, quod à similitudine hordei nominatur à græcis κρίθη, sic aliud quoq. interiores partes infestat, huic non dissimile si quando in his lentus quidam humor concreverit, mobile illud est simulatque digito huc vel illuc impellitur, conditurque aliquando sub cute, aliquando sub cartilagine: χαλάζιον dicitur, quoniam tuberculum est simile grandini rotundum, & pellucidum, quo dissecto manat humor ovi candido similis.

Crithe.

4 *sec. loc. cap.* 7.

In introduct. cap. 15.

Ant. def. med.

Chalazion. Celsi lib. 7.

Ὑπόχυμα. Suffusio, est concretio & humoris collectio inter corneam tunicam, & humorẽ crystallinum in illo spatio, quo secundum naturam continetur humor aqueus: ibi enim humor otiosé detẽtus prohibet quò minus species rerũ, quæ oculis objiciuntur, ad humorem crystallinũ perveniant, simulq, obscurat pupillam, unde perit videndi actio, quasi lucerna interextincta. Vulgo medicorum cataracta vocatur.

Hypochyma.

Interpres hypopyon addit, cujus non meminit Gal. qui morb. etiam in numero est, nempe collectio puris copiosi sub cornea oculi tunica.

Observat.

Ἀποστάσις, & ἀπόστημα, latinis dicitur digressus, vel abscessus, quòd invicẽ distent, quæ priùs se cõtingebant corpora. Nã partes, quæ humoré præter naturã in se recepere, sejunguntur á se invicẽ, & quæ priùs erãt continua disparãtur. Est autem abcessus tumor omnis, qui digeri non potuit, in suppurationẽ cõversus. Porrò abscessuũ duplex est genus. Vnum, cũ phlegmone in πύον, id est, pus conversa, pus ipsum tanquã in sinu aliquo est collectũ. Pus est humor putris partiũ spermaticarũ substantiæ magna ex parte assimilatus. Si namq. cõcoctrix partis facultas, calorq. nativus potentes fuerint, humoréq. in abscessu jã putrescẽtẽ, ac semimaliũ in partis spermaticæ substãtiã propé cõverterint, pus evadit, candidũ. crassum sibi simile, lævе, æquale & minimè foetens: ejus verò, quod magis, vel minus susci pit coctionẽ, innumerabilis est differentia. Alterũ genus abscessuũ est, cũ nulla præcedente phlegmone, humor aliquis statim ab initio, isq. alias specie alius, in aliqua parte colligitur, qui excoriat circũpositа corpora, spatium videlicet sibi moliens, vel inter duas tunicas, vel sub certis mẽbranis. Excoriat autẽ omninò ipsa copia distendens: interim vero acrimoniam quandam putredinosam tempore cõtrahens.

Apostasis. Apostema.

2. *ad Gl. cap.* 7.

Pyon.

14. *met.* 11. *de tumo præter natu.* 1. *de diff. feb. cap.* 6. 2. *prog.* 42. 2. *aph.* 47.

Sanè inveniuntur in hujusmodi abcessibus, frequentissimè quidẽ hæc tria: est enim aliud eorum veluti μέλι, hoc est, mel aliud veluti ἄτερα id est, pulticula, quæ cibi antiquissimi genus est ex farina & aqua constans: aliud simile adipi, qui στέαρ dicitur apud græcos. Vnde faxi, velà similitudine cõtentorũ Melicerides appellantur apostemata, quæ habent humorem melli similem membrana cõclusum. Atheromata, in quibus aliquid simile pulticulæ quadam tunica membranosa concluditur. Steatomata, quæ adipem, vel sevum intra se continent membrana quadam. Quocunque verò modo fiat abscessus, ubi humores, qui ipsum replent spatium, diutiùs in eo continentur, multiformes suscipiunt mutationes, variasque referunt substãtię proprietates, *nec humorum modo, sed etiam solido-*

14. *met.* 12. *de tum. præt. natu. cap.* 3. 2. *met.* 2. *Meli. Atheroma. Celsi lib.* 7. *cap.* 6. *Stear.*

14. *met. cap.* 12.

solidorum quorundam corporum. Nam & unguib. & pilis, & ossib. & testib. & lapidib. & arenis, & lignis, & carbonibus, & multis alijs similia in absces-
Ibidem. sibus corpora contineri sæpenumero inveniuntur. *Humorum autem ipsorũ, alius est veluti lutum, vel cænum, vel olei quidam limus, vel vini fœx: alius adeo graviter olens, ut omnes aversentur: sed hæc variùs incidunt.* Iam verò quælibet substantia, quæ in dicto spatio comprehensa continetur, partium numerum auget, atq. functionem aliquã vitiare solet.

Morbi etiam, qui extremam occupant cutem ratione substantiæ inter unam, vel alteram partem interjectæ, in numero aucti numeri reponuntur B à Gal. ut sunt verrucarũ genus, quas græci acrochordonas, latini verrucas pensiles vocant. Itẽ *ἀλφοὺς*, hoc est, *Alphi.* vitiligines, lepræ, leucæ & calli: autor enim introductorij callos etiã di- *Ibidem.* numerat inter cutis affectus. Acrochordones sunt verrucæ dolẽtes, quę sub cute cocunt duriores, & pauló *Cels. lib. 3. cap. 28.* asperiores, callosæ, & plerunq. teretes, coloris ejusdem, infra tenues, ad cutẽ latiores, fabæ ferè magnitudinis, pueros maximè infestantes. Dicũtur hoc nomine, propterea quod si- *3. aph. 26.* miles sint vertice suo resectæ chor- *Aet. lib. 14* dæ secũdum extremitatem, vel quod C *cap. 4.* in imo usq. adeò sint angustæ, ut pen- *Aeg. lib. 4.* dere videantur summæ chordæ simi- *cap. 15. & lib. 6. cap.* les. Gal. non à similitudine; sed à sym- *86.* ptomate nomẽ id impositũ esse profert, quod summa cutis superficie sus- *2. meth. c. 2.* tententur.

Πῶρος apud græcos, latinis callus *Poros.* est, cujus nomen apud Galenum tri- *Callus tripliciter.* pliciter usurpatur. *1. Significa.*

Primùm corpus est durum, siccum, album, ossa fracta conjungens. Nã, cũ partes ossis fracti nequeant ob siccitatẽ, carnis modo connecti, callo qua *6. met. c. 5.* D *1. de fract. com. 41.* si quodã vinculo circundãtur: hic autem producitur de eo, quod superat ex ipso fracti ossis alimento. Quod igitur ex eo concrescit, dum effunditur circa fracturæ oras, ab osse mutatur & simile ipsi redditur, callusq. nominatur. Hic non loquitur Gal. de hoc callo, qui, nec partiũ numerũ auget, nec omnino præter naturam est, quoniã infractionib. diligẽter curamus, ut generetur, & proprij ossis ali- A menti abundantiã quantitate & qualitate moderatã naturæ suppeditamus, atq. semel generatũ studiosè cõservamus. Quòd si justo sit maior, ita ut membrum se vitiosè habeat, potiùs pertinebit ad partes, quę corpori naturæ ipsius habitu insunt. *In arte parv. cap. 91. Aeg. lib. 6. cap. 77.*

Dicitur præterea callus quædã caro albida, solida, dura, madoris expers, eòq. etiã doloris, neq. vena, neque nervo ad ipsam pertinente, quæ aliqua in parte præter naturam concrevit in modũ calli. Nascuntur non pauci hujus generis calli in articulis, & pulmone, & in fistulis, & in urinæ meatib. & ulceribus, & cute. *2. significatio.*

Callosa tandẽ substantia, quæ in ab- *3. Significatio.* sces sib. generatur nomine, calli potest appellari. Nam, ut scribit Gal. in *Ibidẽ c. 12. & 17.* absces sib. cũ scalpello sunt divisi, inveniuntur corpora quædã similia callorũ fragmentis. Verũ hanc substantiam sub his cõplexus est, quæ in absces sib. intercluduntur. Quãobrẽ hoc loco noster Gal. de callo verba facit secũda significatione dictus, quoniam illi communis est substantiæ generatio cum calculis, qui in renibus & vesica inveniunrur.

Quibus explicatis animadvertit Gal. quod etiã observaverat in prioribus morbis, nimirum ex jam dictis affectibus, qui primò actionem impediunt, morbos esse, ut suffusio: qui verò non primò, sed alio affectu incerveniente actiones lædũt, morborum esse causas. Illarum tamen nullũ supposuit exemplum, sed illud invenire facilé est. Nam quemadmodum carnis germen causa est obstructionis, quæ primò impedit, vel alicujus substantiæ, vel aeris transitum, ita calculus in collo vesicæ detentus obstructionem parit, quæ impedit excretionem urinæ. *In arte parv. cap. 94.*

TEX. XXXVI.

DEFICIENTIVM autem partiũ, nonnullæ quidẽ funditùs abolitæ sunt, nonnullæ vero ex dimidio præcisæ ac mutilatæ. Neq. autem obscurum est multa talia animantib. in ipso protinus

utero solere contingere. Iam verò in lucem æditis, atq. perfectis, ossa quidem sæpius tota eximuntur è digitis, & artub. & capite, & costis. Nonnunquam verò & digitus aufertur, & pes, & extrema manus, & tibia, & cubitus. Extrahuntur etiam venæ varicosæ, & glandulæ induratæ, & dentes exesi. Aufertur pariter & gurgulio, & omentum, & præputium, & aliqua verendorum particula, nonnunquam verò & penis integer, quemadmodum & testes. Nuper verò quidam in magna nervorum distentione, quæ totum corpus oppresserat, linguæ partem anteriorem mordicus abscidit: qui demũ ex spasmo sanitati restitutus minus facilè sermonem potuit explicare. Huius generis sunt ea omnia, quæ mutilationes appellantur, labiorum, narium, aurium: & quæcunq. partes carnulentæ, vel vi avulsæ, aut putrefactæ, ex toto resectæ sunt. Nam in his calamitatib. omnib. numerus partium naturalis non impletur, sive una, sive duæ, sive plures partes defecerint, sive integram passæ abolitionem, sive partim sublatæ fuerint.

E tũ animal est. Nascuntur quidem nõnulli quatuor digitis, vel uno solũ testiculo, vel utcunq. diminuti, ut lãbro de genitura refert Hippocrates.

Sed natis jã animalib. alicujus morbi, vel vitãdi, vel curãdi causa, læpissimé auferũtur ossa integra, ut ex digitis, capite, laterib. & alijs membris. Nõnunquã præciditur etiam digitus, pes, sũma manus, tibia, cubitus, & venæ varicosæ, quæ Hipp. & Gal. *venæ sunt latiores magnæ ex parte nascentes in coxis, & crurib. ex crasso & melancholico sanguine.* Nõ rarò evelluntur glãdulæ F induratæ ac dẽtes corrosi. Eximitur simili ratione gargareon, vel gurgulio, quæ caruncula fungosa est à palato juxta nariũ meatus in os propendens. Item omentũ, quod ventriculi fundo, & intestinis innatat, mẽbranã sævosam & adiposam nuncupat Aristoteles. Pariter & præputiũ rugosa quædã cutis, quæ tegit glandẽ penis. Pudendi etiã pars aliqua, ac sæpe numero totũ pudendũ, similiter & testes, per quarũ partium magnum defectum corporis actionib. importari detrimentum apud omnes pervulgatum est. G

Præterea qui cadũt ĩ epilepsiã morbũ comitialẽ dictũ, & universi corporis convulsionẽ, ut definit Gal. miserabiliter dilacerpũtur, ac dilacerãtur, sæpissimèq. linguę bonam partẽ, quib. finitur, dẽtib. crebrò concussu discindũt, & circũcidunt. Gal. historiã enarrat cujusdã, qui in magna universi corporis cõvulsione, linguæ anteriorem partem mordicus amputavit: deinceps verò ex ea relevatus, loqui, ut antea, nunquam potuit.

Ad idẽ genus pertinẽt, quę *Colobomata græci appellant: quippe ita vocãt*, ut H scribit Gal. *quæ in labijs, aut nariũ alis, aut auric. deficiunt*: nos mutila, mutilata, & decurtata dicere possumꝰ: Cornelius Celsus curta vocat.

Eò etiam spectãt quæcunq. partes carnosæ, aut violẽter avulsæ, aut putrefactæ prorsus abscissæ sũt. Hæc igitur omnia ad deficiẽtẽ numerũ revocãtur. Nã in his circũstantib. calamitatib. sive una pars, sive duæ, sive plures desint, quæ vel omninò perierint, vel partim sublatę fuerint, animalis corpꝰ dici nõ poterit expletũ suis numeris, & partib. quę illi naturaliter ĩsũt.

Quæ-

COMMENTARIVS.

TRANSFERT disputationem ad morbos, qui numerum deficientẽ attingunt. Nam partium, quæ in corpore deficiunt, quædam stirpitùs & radicitùs avulsæ sunt, quædã verò ex dimidio tantũ decurtatæ circunciſæ ac mutilatæ. Atq. hęc dupliciter dicitur accidere, vel in prima statim cõformatione, quę in utero fit, vel deinde tũ postquã editũ in lucẽ & susceptũ animal est.

Lib. de nat. fœt. 6 apho. 2.

3. meth. cap. vlt. Gurgulio quid.

4. de pa. animal.

3 de loc. cap. 7.

2. metho. 2. & 14. 16. In introd. 15. & in fin. med. Corn. Cel. lib. 7 cap. 3

TEX. XXXVII.

QVAECVNQVE sanè ex his operationem impediunt simili ratione, in ægritudines locabuntur: quæcunque verò aliquam aliam partem operationis effectricem refrigerant, aut parce alimentum distribuunt, sunt ægritudinum causæ. Quædam verò utramque rationem complectuntur & ægritudinis, & causæ: veluti uva, cum radicitùs tollitur, & voci detrimentum affert, & pectus ac pulmonem refrigerat. Nam cum didiceris in his, quæ de functionib. atque usu mẽbrorum ratiocinationes habentur, quod ex omnibus animalis partibus nonnullæ quidem operationem toti animali utilem conferunt: nonnullæ autem nihil ipsæ agunt, sed usum aliquem agentibus afferunt: liquet earum læsiones, quæ actiones immediatè offendunt, ægritudines esse appellandas: earum verò, quæ ad usum aliquem tendunt, ægritudinum causas. Quare, si quæ animalis particulæ duplicem actionem, aut duplicem usum habuerint, in una sæpe offensione duplicem subibunt, vel causæ, vel ægritudinis rationem. Quod si qua pars sit, quæ simùl & usum, & operationis præstet officium, veluti quibusdam esse videtur, & ipsa gurgulio hujus partis amissio, altera quidem ratione erit ægritudo, altera verò ægritudinis causa.

A COMMENTARIVS.

Perducturus ad exitum disputationem de morbis in numero deficiente, pergit eandem methodum tenere, quam instituerat in tradendis affectibus numeri abundantis, ut etiam distinctiùs dicere possit, quis illorũ sit morb. & quis morbi causa, quisq. utriusq. rationem obtineat. Nã quæcunq. horum, quæ dudum commemoravimus, actionem simili ratione impediunt (hoc est, similiter, ut morbi numeri abundantis, nimirum primò) in morbis numerabuntur, veluti defectio humoris crystallini: si verò partium defectus non lædit actionem primò, sed quatenus pars princeps ex eo damnum contrahit, morbus non erit, sed causa morbi. B

Offenditur autem primum actionis instrumẽtum defectu aliarum partium in sua temperie bifariam, vel quod refrigeretur, vel quod alimenti defectione extenuetur, & arescat exsiccatum. Superioris generis hujusmodi exemplum est. *Omentum unũ quoddam ex cibi instrumentis existit, quod primarij instrumenti cibum conficientis vẽtriculi tegendi gratia præparatum est, atq. tuendi, & fovendi caloris gratia factum.* 6. de anat. ad. cap. 3. C

Quod didicit Gal. *in illis, qui vulnus in epigastrio, id est, abdomine acceperũt, in quibus per vulnus exidit omentum, dein de lividum factum cogit medicos partem læsam adimere: omnes enim hi frigidiorem sentiunt ventriculum, minusque concoquunt, ac pluribus operimentis extrinsecus egent, & maximè quando insigni fuerit magnitudine, quod est abscisum.* 4. de usup. cap. 9.

Confirmat hoc Gal. historia cujusdam gladiatoris ita vulnerati, *cui ferè totum ipsum omentum abscissum fuerat,* qui licet confestim sanatus fuerit, *sed tamen adeo facilè, & patiebatur, & lædebatur à frigiditate externa, ut non sustineret nudum habere ventrem, sed lanis assiduè esset obvolutus.* Ecce concoquendi functio læsa symptoma est ventriculi, frigiditas morbus, causa morbi omenti absentia, & privatio. D

Noxã etiã perpetitur pars actionis opifex, cũ ei nõ satis nutrimẽti transmittunt partes, quæ id habẽt operis, ac muneris, ut principib. aliméta sub

miniſtrēt, quemadmodū ſi exilis quidam venæ truncus, vel exigua portio abciſa fuerit, per quam ſanguis juſtumq. nutrimentum permeat, & trā ſit, atque ad inſtrumentum defertur. Venæ defectus partis principis, quæ non alitur, ſiccitatis: ſiccitas autem atrophiæ, maciei, & conſumptionis cauſa eſt. Ergo partis uſum habentis defectus interdum eſt morbus, interdum cauſa morbi: morbus eſt, cum lædit actionem primò, nullo ſcilicet illato malo parti principi: cauſa, cū actionem vitiat interpoſito affectu partis primariæ.

Ex quibus etiam conſequitur neceſſariò quarundam partium defectum, utriuſq. tum cauſæ, tum morbi, rationem habere: morbi quidē cū primò vitiat propriam actionem inſtrumenti: cauſæ verò, cum alterius inſtrumenti obſtat actioni, noxa tamen intermedia inſtrumento illata. Vvam proponit Gal. in exemplum, quæ dū integra eſt, gargareō, id eſt, gurgulio & plectron, id eſt, plectrum vocatur: dum malè affecta, ſi ſuperna ſede ſit tenuior, inferna craſsior, inſtar uvæ pendentis ſtaphyli, id eſt, uva & uvula dicitur: ſi verò teretem habeat formā, cion, id eſt, columella nuncupatur. Hujus hunc uſum agnoſcunt medici, ut aeris frigidioris inſpirati impetum frangat, ne in pulmones, tam ſubitò irruat, ſimulque vocis moderationem definiat, unde fit, ut quib. hæc caruncula præſcinditur, vox ſtatim lædatur. Quare cū radicitùs fuerit exectus gurgulio, & morb. eſt illius defectus, quoniam primò & per ſe vocem lædit, & morbi etiā cauſa, quoniam pulmonem thoracemq. refrigerat.

Galeni regula.

Sed ne diutiùs moremur in his, certam quandam regulam ad extremum adducit Gal. qua poſsit quiſq. facilè diſtinguere, an morb. an cauſa morbi ſit, cujuslibet partis defectus, an utriuſq. habeat rationem. Nam, ut ex libris de uſu partium didiſcimus, partes omnes, quæ humani corporis inſtrumenta componunt, vel principes tantum partes inſtrumentorum ſunt, vel dumtaxat miniſtræ, vel unà principes ac miniſtræ. Principū aliæ unam ſolam actionem propriam moliuntur in inſtrumento, ut humor

1. lib. c. 8.

E chryſtalinus in oculo, ſolam viſionē: aliæ, plures actiones proprias perficiunt in uno inſtrumento, ut veſicæ bilis ſubſtantia, quæ & bilem attrahit, retinet, & eadem expellit. Quæ dūtaxat miniſtræ ſunt, nullamq. exercent actionem, ſaltem quæ toti animali ſit utilis (quod ex conſultò cum Galeno dixi, ne parte, quæ nihil agat, ſuſpicetur aliquis) vel uni tantum actioni uſui ſunt, ut tunica cornea & adnata, quæ ſoli viſioni famulantur, vel plurib. actionib. adjumenta ſub miniſtrant, ut aſpera arteria, quæ uſū

F præbet, & voci, & reſpirationi. Sed quæ utrumq. munus exequuntur, in uno inſtrumento principes ſunt, cujus actionem perficiunt: actioni tamē inſtrumenti alterius etiā præſtò ſunt, ut gurgulio, qui in proprio inſtrumēto vocem perficit, ad reſpirationem verò, quæ alterius inſtrumenti eſt, magnum uſum affert. Præterea dentes molares, quorum proprium officium eſt alimenti attritio, uſum etiā ventriculo præbent, ut faciliùs cōcoquat ea, quæ ipſi fregerint, & commiſcuerint.

Quibus jactis facilè diſſernere poterimus, quarum partium defectus

G morbi ſint, qui morborū cauſæ, quive obtinuerint utriuſq. rationem. Si deficiat in inſtrumento pars princeps, cui actio potiſsimum referatur accepta, ejus defectus morb. eſt, quia primò lædit actionem inſtrumenti. Si auferatur pars, quæ ſoli nata ſit ſervituti, defectus ejus nonnunquam eſt morb. nonunquam cauſa: morb. eſt, cū per ſe ſolū & ſine alio interjecto impedimentum infert actioni, ut ſi abducatur ab oculis cornea tunica: at verò cauſa eſt, cum non interpellat actionem primò, ſed intermedio affe

H ctu, quem in inſtrumentum introduxit, ut ſi præcidatur omentum, ejus abſentia ventriculi coctioni moram infert, quamvis nō ſit vētriculi pars, quoniam veluti tegumentum quoddam à natura obtenſum eſt, ut naturalē calorem intus concluderet arctaretq. Iam verò defectus illarum partium, quæ duplex officium perſolvunt, cum utrumq. deſeritur, profectò utriuſq. & morbi, & cauſæ naturam nanciſcitur, quod in gurgulione res manifeſta ſit, cujus defectus

morb.

morbus est, qui sine alicujus interjectu vocem miserabiliter inflectit, & interrumpit. Est etiam causa difficilis, ac penè constrictæ respirationis, non tamen id per se ipsum facit, sed media, quam in pulmonem intrusit, præter naturam affectione.

Habemus ergo quando morb. quãdo causa, & quando morbus & causa sint partium defectus, quod ex actione, & usu conati sumus eruere: tanta enim est eorum vis, ut cõcludat Gal. defectum illarum partium, quæ duplicem habẽt actionem, tametsi unus affectus existat, duplicem morbi habere rationem: atq. defectum illarũ, quæ duplicem præbent usum, quamvis unus sit, causæ duplicem rationẽ obtinere, ut si intemperetur vesicæ bilis substantia, & propter intemperiem ab omni desistat actione, ejus morbus multiplicem morbi rationẽ habebit, quemadmodum aspera arteria causæ multiplicẽ rationem, quoniam illius actiones, hujus verò usus plures sunt.

TEX. XXXVIII.

NEQ. ambigitur, quod eius, quæ supereſt partis, erit ægritudo, non ejus, quæ amplius non sit. Nam si latius oris spatium in illa parte patiatur, ubi nunc est ægritudo ejusdem spatij, uvam (quæ & gurgulio appellatur) dixerit esse particulam: quod si hæc abolita fuerit, deficit aliquid spatio, atque ita totum hoc sit ægritudo, constante eo, quod ab initio pro confesso habebatur, quod omnis operatio ab aliqua ægritudine læditur. Vel igitur vocẽ ipsam, vel inspirationem atque expirationem, actiones non esse animalis ostendere oportet: aut si hoc ita se habet, pro manifesto relinquitur, quòd uvæ abolitio palato ægritudinem affert. Simili ratione & dentis amissio erit oris ægritudo. Et, si quidem unus fuerit ex ijs, qui manducationi observiunt, ea pars, qua manducatur, offenditur: si verò ex ijs, qui inciſorij appellantur, comestio, atq. una sermonis explicatio lædetur. Eodem modo si linguæ dimidia pars abscindatur, parti quæ superfuerit, ea mutilatio erit ægritudo. Idem in obscoenis, in omẽto, atque omnib. partib. ita affectis eveniet. Et, si cui hoc ipsum non ægritudinem, sed passionem, aut affectum appellare libuerit, non de re, sed de nomine solo contendet. Liquet autem, quod in lingua, omento, obscoenis, atq. omnibus hujusmodi partib. hoc pacto mutilatis, erit aliqua magnitudinis diminutio, ipsum verò animal non adeo necessario diminuetur, ut mutilatum esse dicatur, sed numerus partium erit ablatus. Siquidẽ & arteriæ, & venæ, & nervi, & cutis nonnunquam, & adeps, & membrana, & caro in talib. affectibus auferuntur. In uva autem, & varicosis vasis exectis, ipsis etiam instrumentis aliquem partium numerum auferri continget. Atque hæc omnia ad id attinent genus, in quo membra numero evariant. Quibus cunq. verò instrumentis, si auferantur quædam, non tamen integræ partes eximuntur, hæc ad utrumq. quodãmodo genus referuntur. Nam & particularum simplicium numerus, & magnitudo instrumenti compositi, deficit animali, siquidem totum mutilatum est.

COM-

COMMENTARIVS.

ABSOLVTA divisione morbi in numero, tum aucti, tum diminuti, quibusdam regulis adductis, ad ea, quæ proposita fuerant maximè necessarijs, nequid parum explicatum videretur, duas quæstiones hoc loco affert, quæ in hac disputatione de morbo in numero deficiente, deficere videbantur.

Duplex Quæstio.

Prima est, num morbus in numero diminuto, ad eam, quæ remanet, ac servatur, vel ad eam, quæ sublata est, partem, sit referendus. Altera est, nũ quando ab aliquo instrumento pars abscissa est, unus dumtaxat sit in numero morbus, an cum eo sit quoque morbus alter in magnitudine diminuta.

1. Quæst.

Ex prima quæstione facilè se expedit Gal. dicens. Nõ dubitabitur, quin eius, quæ remansit, & servata est, partis, morb. sit, non eius, quæ amplius non exististit; idq. ostendit gurgulionis ac dentium exemplo. Eius ratio hæc est. Non ab alio, quam à morbo, lædi tur omnis actio: id enim ab initio pro confesso habitum est: sed excto gurgulione, quę particula est lati spatij oris vel palati, nón ab alio lædi tur vox, vel inspiratio, & expiratio (quas esse actiones animantis cõstat) quam ab affectu lati illius oris spatij vel palati, quod remanet particula diminutum, ergo affectus eius partis, quæ remanet, scilicet oris spatij, vel palati morb. ipse erit, nõ sanè particulæ, quæ amplius nõ est. Simili ratione, & dentis amissio est morb. oris: etenim si ex eorum numero fuerit, qui mandendo cibo inserviũt, & molares dicuntur, ea parte, qua exemptus est mandendi munus offendit. Si verò ex ijs est, qui incisorij appellãtur, simul & edendi & loquendi munus illius absentia impeditur. Verum ad totum, quod residuum est in ore, quodq. commestionem & locutionẽ, atq. sermonis dearticulationem depravatas profert, morb. est referendus. Cuius demonstrationis fundamẽtum in his positum est, quæ secundo

Tex. 8.

capite huius operis ab eo dicta sunt. Nam earundem, cum præter naturã se habent, morb. est immoderatio, quarum rerum, cum naturaliter se habuerint, sanitas est moderatio, quoniam adversa ex eodem genere contraria sunt. Cum igitur sanitas lati spatij oris, naturaliter se habentis, sit eorum naturalis dispositio per universum oris latum spatium diffusa, certè cum aliqua particula præciditur, vitiosam dispositionẽ in locum bonę succedere oportet, scilicet morbum sanitati: semper enim contraria in subiecto sibi succedentia sepellũt. Vnde quemadmodum dispositio inculpata, & bona totum spatium vel palatum occupat, ita malam quoque totum residuum occupare certũ est, ergo si sanitas in toto instrumẽto inerat, & erat dispositio totius inculpata, morb. etiam in toto primò insidet ac totius remanentis corporis vitiosa dispositio est. Recte igitur dixit Gal. totum id quod remanet, morbum sustinere. Ita etiam vbi linguę dimidia pars abscinditur, remanentis linguæ præter naturam mutilatio erit. Idem iudicandum de omento excisio, & pudendo, atq. omnib. partib. mutilatis. Quod siquis hoc ipsum, nó morbũ, sed πάθος, vel πάθημα, hoc est, passionem (non affectum, ut convertit interpres) appellare voluerit, is de nomine, non de re litigabit. Nam qui verè morb. est, pathos etiam, & pathema dici potest, cujus propria significatio in superioribus tradita est, & libro de differentia symptomatum tradetur subtilius.

Pathos Pathema. Cap. 24. Cap. 14.

Quæstio altera difficiles habet explicatus, quoniam Gal. obscurè aliquantulum locutus est. Dixerat, ubi linguæ dimidium abscissum est, reliquam partem sustinere mutilationem & morbum: itidemq. dicendum esse de omento & pudendo, & reliquis omnibus ita affectis. Quibus positis attendit animum ad difficultatem, quæ se obviam offerebat, videlicet utrum morb. deficiẽtis numeri cum morbo magnitudinis diminutæ perpetuò implicetur.

Alt. Quæ.

Respondet. Liquet autem quod in lingua, omento, pudendo, atq. omnibus hujusmodi instrumentis hoc pacto mutilatis, erit aliqua magnitudinis diminutio. Verum non contingit hujusmodi implicatio quandocunq. numerus est diminutus, distinctione igitur opus est. Observemus

Observat.

ergo

ergo numerum partium in aliquo in A
strumento dupliciter posse labefactari. Primùm numerus concipit vitium, ubi una, vel altera pars similaris ab ipso instrumento aufertur, ut si detrahatur à digito, arteria, vel vena, vel nervus, cutis, membrana, vel aliqua portio carnis: item gurgulione, & varicosis vasis excisis. Gurgulio autem hoc loco pars simplex oris iudicatur: quod si alicui instrumentum videatur, parum refert, quoniam instrumentum primi ordinis cum reliquis instrumentis comparatum cognitione sensus confusa pars simplex B
iudicatur. Præterea corrumpitur, & depravatur partium alicujus instrumenti numerus; quotiescunq. instrumenti abscinditur dimidia pars, ut si alicui præcidatur dimidium brachij. Iam si numerus partium in aliquod vitium delabitur, eo quod una, vel altera pars similaris eximatur de instrumento unicus duntaxat morb. est in numero diminuto, quantumvis licet videatur magnitudo aliquantulum diminuta: exiguum enim vitium lædendæ actioni sufficere nō potest. Quibuscunq. verò instrumentis (Galenus ait, ut rectè convertit Leoni- C
cenus) si auferantur quædam, nō tamen integræ partes eximātur, hæc ad utrumq. quodammodo genus referūtur, hoc est, ubi multæ simùl partes auferuntur ab instrumentis, non una, vel altera simplex particula, & integra, tunc duplex morb. est, unus ad numerum, alter ad magnitudinē pertinet, quia non possunt auferri tot partes simùl, nisi totum instrumentū decurtatum relinquatur.

Difficilem hunc contextū Valleriola patére ac notum esse scribit, atq. in caput novū properavit. Germanus interpres se rem faciliorem D
reddidisse existimans, delabitur in magnas difficultates, quas exponemus in controversijs. Quæst. 44.

TEX. XXXIX.

*NEQ. alicui obscurum est, utramq. passionē, tum eam, quæ ad numerum tum eam, quæ ad magnitudinem pertinet, in superiore genere prædicamenti, in quanto videlicet, posse locari. Siquidem quanti aliud continuum, aliud discretum, quod & quantū privatim, sicuti et continuum, νοι- Pelicon.
ον, apud græcos appellatur. Sed in hoc loco manifestioris doctrinæ gratia libuit hoc pacto distinguere, ut alteram quanti differentiā sub numero, alteram sub magnitudine comprehendamus.*

COMMENTARIVS.

Ad extremum observat utrumque morbi genus, tum id, quod ad numerum, tum id, quod ad magnitudinem pertinet, in categoria quātitatis collocari, quoniam numerus, & magnitudo quantitatis sunt species: numerus enim est quantitas discreta: magnitudo verò quantitas continua. Tametsi ergo potuerit G. structuram instrumentorum in trib. locare, conformatione, quantitate, & compositione, uberioris tamen doctrinæ gratia, voluit hoc loco distinguere, ut numerum ad unam quantitatis differentiam, magnitudinem ad alteram remitteret.

Videant nunc, qui sextum digitum, *Observatio*
lapidem in cauitate vesicæ, carnem supercrescentem, has, inquam, substantias morbos faciunt quantùm declinent à Galenica via. Nam Gal. quātitatem ipsam, magnitudinem & numerum excedentem duntaxat contemplatus est. Summa sit.

EPITOME.

In numero duas differentias morborum assignavit, nempe cum aliqua particula deest, aut superabūdat. Harum utraq. in binas alias secatur. Nam eorum, quæ superfluūt, nonnulla sunt ex genere naturali, ut sextus digitus: nonnulla toto genere præter naturam, ut lapis. Similiter deficientium particularum, nonnullæ penitus abolitæ sunt, nonnullæ ex dimidio præci-

sæ,

ſæ. Vtrumq. autẽ naturâ aut morbo. Ex his, quęcunq. per ſe functionem impediũt, morbi ſunt. Sed quæ impediunt parte aliqua principe interjecta, quam refrigerant, vel non ſatis ei alimenti tranſmittunt, cauſæ dicuntur. Quædam & morbi, & cauſæ cenſẽtur, ut gurgulio radicitùs præciſus. Nam quæ actionem offendunt, morbi, quæ uſum ſubtrahunt cauſæ, quæ actionẽ, & uſum perturbant, utriuſq. rationem habent. Deficiẽte verò parte aliqua, in ea, quæ remanet, morb. eſt. Quod ſi ab inſtrumento abſcindatur vna pars ſimplex, morb. eſt in numero, ſi multæ partes, ut fruſtum mediocre, bona, inquam portio præcindatur, & in numero, & in magnitudine.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

EXAMINANTVR ea, quæ docuit Gal. capite octavo.

QVÆSTIO XLII.

SED exponamus difficultates, in quas verba Galeni delabuntur. Primùm aſperiùs accipitur, quòd affirmaverit ex iam dictis affectibus, tam qui ſecundum naturam, quam qui toto genere præter naturam ſunt, aliquos morbos eſſe, ut unguis in oculo, & ſuffuſio: aliquos verò tantùm morborum cauſas, ut germina & calculi, cum meatus obſtruxerint. Nam morbum in numero partitus eſt in morbum aucti numeri, & morbum numeri diminuti, mox utrumq. diviſit in duas differẽtias, quib. ſubjecit omnes affectus dinumeratos, omnes igitur morbi ſunt, quantumvis licet illorum aliquos privata quadã ratione cauſarum nomine ſignemus. *1. Objectio*

Ego in eo ſum conſilio, ut putem ſarcoma in narib. & morbum, & morbi cauſam eſſe, Morb. eſt in numero, cum auget numerum particularum naſi, primòq. lædit alarum, vel pinnarum potiſsimùm contractionem: cauſa verò, cum obſtructionem facit, occludendo aliquod ex narium foraminib. quæ ſpiritus, vel mucoris vehicula dicuntur. Eandem fero ſententiam de lapide in collo veſicæ detento, id eſt, de illo numero aucto: eſt enim morb. in numero contractionem illarum partium primò impediens, atq. etiam cauſa morbi in meatu, perquẽ trajicitur urina. Verumtamen cum interpretis perſonam ſuſceperim, hoc loco, vbi ſentit Gal. ex ijs morbos eſſe, quæ primò actionem impediunt: quæ verò talia non ſunt, cauſas morborum, reſpondeo paulò fidentiùs ſarcoma in narib. & lapidem meatib. intercluſum, morbos nõ cenſeri: vix enim, aut omnino non percipiuntur ſenſib. illi motus duarum cartilaginũ lateralium naſi, qui à ſarcomate, & colli veſicæ, qui à lapide, impediuntur. Et ſi vero noſter Gal. de morbis in numero hìc potiſsimùm diſputare in animum induxerit: tamen cum exoptaret nos inſtituere, ac erudire ad omnem, tum exceſſum, tum numeri defectum, ne huius diſputationis pars diminuta videretur, voluit omnia numeri vitia, omneſq. partes præter naturam additas, quamvis morbi non eſſent, morbis annumerare, cuiuſmodi ſunt dictæ ad meatus acceſſiones. Sed cur ſeptimo capite multa figuræ vitia prætermiſit? Quia nec, ut cauſæ, nec ut morbi, actioni ſunt impedimento manifeſto. *Alt. Solut.* *Objectio.* *Solutio.*

Tamen ille verſutus, qui noſtrum autorem invidioſè criminatur, eundem accuſat, quod oculi unguem repoſuerit in numero illorum, quæ ſecundum naturam ſe habent, cum ex ſubſtantia conſtet illis diſſimili, & quæ prorſus nullo uſui ſit. *2. Objectio*

Sed obiectio hæc ab ignorantia græcæ linguæ originem traxit. ὄνυξ, hoc eſt, unguis per ſimilitudinem dicitur quidam oculi morb. qui πύον, hoc eſt, puris collectio dicitur, cum ſcilicet à profundiore ulcere pus defluens inter tunicas illapſum & in circulo iridis figuratum, ſimilem ungui reſecto imaginẽ præſefert. Affectus verò hic toto genere præter naturã, nõ eſt oculi pterygium, quod Gal. in exemplum hoc capite propoſuit: etenim pterygium, ut etiam decimo quarto methodi arbitratur, à ſa- *Solutio. Onyx. Pyoſis.* *Cap. 19.*

nitatis

nitatis habitu alienum est: non tamen idem substantiæ ratione, quemadmodum atheroma, & melicertis. Vnde libro de tumorib. præter naturam pterygia dixit
Cap. 17. esse *germina adnatæ oculis extrinsecus membranæ, quæ ab ipso pericranio delata, ad coronam pervenit.*

3. Objectio. Præterea miratur Ioubertus, cur existimaverit Gal. pterygium esse morbum. Vt enim scribit ipse pterygion, cùm plurimùm crescit, visum impedit, pupillã obscurando: si enim ob id visum offendit, morb. erit obscuritas, per quam visioni detrimentum importatur, pterygium autem erit causa. Nam, quod impedit transitum alicujus, vel substantiæ, vel spiritus, morbi causa censetur, nó morb. at pterygium obstructionis quãdam speciem inducit, cum tunicæ corneæ perspicuitati sese objicit, perquam permeant, & transeunt, vel spiritus, vel species, & rerũ spectra, quib. oculi feriuntur, cum his ipsa occurrunt, igitur causa morbi erit, non minus, quàm ortum in naribus carnis germen.

Solutio. Ego in pupilla nullũ prorsus meatum conspicio, qui intercludatur à pterygio. Nam humor crystallinus albus est, clarus, & splẽdens: hac enim sola ratione à colorib. immutatur, quo tempore oculus ipse solus colores sentit primùm & per se. Quæ igitur eius dilucidum lumen proximè obscuraverint, visionemq. primo læserint, morbi erunt. Porrò inter hujus generis affectus pterygion numeratur, ad pupillam extrinsecus adhærescẽs. Quis enim unquam dixit obscurationem esse morbum? Dixit G. pterygiũ, si multũ augmẽtũ susceperit, intuitũ impedire, pupillã obtenebrando, non quod obscuritas sit aliquid reipsa interpositum: sed quoniam pterygium visionem impedit obsistendo humoris crystallini à colorib. provenienti alterationi, in qua visio posita est.

4. Objectio. Nunc transferamus sermonem ad partes toto genere præter naturam. Nam Iouberto non probatur, quod statuantur morbi lumbrici, lapis, verrucæ, & apostemata cum reliquis adnumeratis à Galeno. Quoniam hæc nulla ratione partes corporis dici possunt: neq. enim cum partib. formã conveniunt, quod patet & norũ est omnib. neq. materia, quia non solùm numero delinquũt, sed tota substantia præter naturam sunt. Quod si respondeat aliquis, hæc licet superflua, cum partib. tamen adnumerari, eò quòd ex humorib. gignantur à natura in locum sui ortus trajectis, & à calore naturali concretis, & conglutinatis, statim insurget Ioubertus opponens ungues, & pilos, qui (si conditiones illæ ad partium constitutionem satis essent) partes quoq. dici mererentur, cum his ipsis maximè cõveniant, præterquam quod magnos habeant usus.

Solutio. Veruntamen Ioubertus non percepit, quæ docuit noster Gal. Redundans pars hoc loco dicitur omne corpori additum corpus, quod instrumenti constitutionem vitiat, & ad læsam illius actionem concurrit, sive ex bonis succis, sive ex pravis, & a calore coagmentatis, sive aliunde originem traxerit. Quæ pars, si ad partes secundum naturam habuerit similitudinem, illis annumeratur, sin planè nõ habuerit, toto genere præter naturã est. Vnde non modò lapis, lumbrici, verrucæ atq. alia: sed etiam telum in corpus immissum, vel plumbea glans, si lædendæ alicuius instrumenti actioni opem tulerit (quod plerunq. contingit) morb. erit in numero abundanti ex ijs, quæ sunt toto genere præter naturam. De pilis, & unguib. idem existimandum. Quod licet observare in illa trichiasis specie, quæ distichiasis dicitur, cum sub ordine naturali pilorum palpèbræ, alius ordo pilorũ præter naturã succrescit. Igitur quemadmodum in horologijs, si lapis exiguus, vel pilus interpositus, rotas è solito cursu revocaverit horarũq. designationem perturbaverit, vitiũ erit in numero partiũ, quamvis scrupulus, vel pilus, non sit ex eadem materia: non dissimili ratione, quodlibet corpus præternaturam corpori additum, ex quacunq. substantia cõflatus, poterit in numeri vitiositatib. numerari.

5. Objectio. Porrò idem Ioubertus in suffusione valdè hæret, quemadmodum de pterygio dubitavit: in ea enim est opinione, vt putet, suffusionem, & humorem, seu vaporem obscurum inter

inter corneam & crystallinum subsistentem, non morbum in numero, sed causam esse morbi, in cavitate, vel meatu, cum quòd is humor aditum intercludat specieb. sensibilibus ad oculi centrum, & ad humorem crystallinum, tum quod ipsa suffusio curetur ritu aliquorum morborum in meatu: primùm scilicet digestione, si fieri possit, sin autem id fieri possit, demissione, ac à pupillæ regione in oculi angulum mutatione: non aliter de lapide in collo vesicæ obstructionem faciente libro artis paruæ
Cap. 9. consulit Gal. de morbis in cavitate, & meatu disputans. *Quidquid enim*, inquit, *præter naturam in aliquib. partib. continetur, sanationis intentio est ablatio, quæ, si fieri non possit, transpositio.*

Attamen gutta caliginosa nullam
Solutio. obstruit cavitatem: est enim dùtaxat in oculo additus humor ad eius actionem minimè necessarius, immo eam impediens. Quod autem suffusio obstructio non sit, ex septimo de Hippocratis & Platonis decretis possumus confirmare, ubi ex Platone monstrat Gal. necessariam esse alterationem in sentiẽdi instrumentis, vt sensus fiat. Quo loco postquam dixit, obturatione in natium meatib. facta, odorum sensum evanescere, vocum item, si aures obstructæ fuerint, cum propria alteratio in utrumq. instrumentum penetrare non valeat, subiungit. *Hujusmodi obstructionib. proportione respondet oculorum affectio, & morb. qua suffusio appellatur in qua fulgoris visorei meatus, qui in acinali tunica est, obstruitur, ut proprium visus instrumentum non amplius queat cũ externo, totum oculum ambiente aere, copulari.* Obstrui-
Cap. 6. tur dixit analogicos & proportione quadam, cum in ea affectione simulacra & spectra, quæ oculis occurrunt, commeatu prohibeantur. Iamverò nullius momenti putatur depromptum ex curatione argumentum. Nam illa curatio non est morbi in cavitate, vel meatu solius & propria: sed cum illo etiam morbis in numero conjuncta, & communis. Docuerat hoc antea Gal. cum ageret de vitijs sanorum, ex superfluo numero par-
Cap. 87. tium factis. *Quæ*, inquit, *numero excedunt, his ablatio causa salubris existit. Inspicere verò oportet, in quib. id fieri possit.*

E *Nam si impossibile appareat, transponere tentandum est.* Vbi non poterat verba facere ad suffusionem magis accommodata. Nam sextus digitus per facilè tollitur: in suffusione verò humorem, qui pupillæ objicitur, educere impossibile est, sed illum aliò derivamus, & in subjectas oculi partes deprimimus.

Rursùs illud mirari licet, quid sit, 6. Objectio
quamobrem Gal. quotiescunque de ascaridib. verba facit, eosdem separat & distinguit à lumbricis, cum ascarides inter lumbricos rectè numerentur.

F Respondemus, non esse morem Solutio
grauissimis autoribus minutos vermes, qui nascuntur juxta anum, vocare lumbricos. Vnde celsus disputans de lumbricis, minutorum non meminit: nos verò tripartitam divisionem adduximus secuti junipres ad facilẽ rei explicationem. Colum. lib. 6. c. 3. Lib. 4. c. 17

Iam hoc loco vocavit Gal. ascarides lumbricos minutos: at in explicatione absoletarum Hippocratis vocum scribit, ascarides ab Hippocrate vocatas esse tenues, & μάκρους, id est, 7. Objectio Macrot.
G longas.

Respondendum apud Galenum in Solutio.
illa ex planatione linguarum pro παχέα, lengendum esse μίκρα, hoc est parvas. Macrot. Microt.

Sed audiamus iterum obtrectato- 8. Objectio
rem Galeni, qui eundem criminatur, quod de his partib. toto genere præter naturam inconstanter fuerit locutus. Nam capite quinto huius libri tumores præter naturam reposuit in intemperies, quæ ab humore fulciuntur: hic in morbos aucti numeri: sequenti capite in auctam magnitudinem. Lepram & vitiliginem quin-
H to capite ad dictas intemperies retulit: hoc loco & decimo quarto methodi ad morbos in numero aucto: Cap. 17. par. 2. 64
at libro sexto de morbis vulgarib. lepram ad asperitatem formationis vitium revocavit: vitiliginem verò libro de differentia symptomatum ad affectus corporis. Tandem calculum & pus hic, & decimo quarto methodi morbos in aucto numero vocavit: sed in arte medica redegit ad morbos in cavitate, vel meatu. Cap. 4. Cap. 18. Capit. 94

Quæ quidem objectio adducta est Solutio.
ab homine distinctionis rerum ignaro.

ro. Quamobrē ut lævia sunt, quæ proposuit, sic una sufflatione in fumum dispergam omnia. Vnum idemq. pathema, & morb. & symptoma esse potest. Siquidē humor, à quo trahit originem tumor, tria in se habet, substātiam, molē & qualitates primas. Substantia naturalem partium numerum auget: si lædit actionem, morb. sin autem symptoma est in retētis: in qualitatib. primis reponitur intēperies: moles immutat magnitudinem, quæ, si lædit actionem instrumenti, morb. quidem: si verò non lædat, plegmonis symptoma est, quemadmodū rubor, tentio, renixus, & pulsatilis dolor, quæ tantum sunt symptomata. Lepram, & vitiliginem partes externas intemperare omnib. notum est: at succi genitores illarū, partes sunt toto genere præter naturam additæ. Verum quia in lepra aliæ partes eminent, & aliæ superantur, & in vitiligine mutatur color, hinc asperitatis aliquid habet cutis in lepra, sed in vitiligine præter naturam coloratur.

1. meth. c. 8
2. meth. c. 7
& 14. c. 2.
de tum. præter nat. c. 2.

Dixerunt aliqui in codice manuscripto nōn fieri meutionem vitiligi nis, quam λεύκην appellat Gal. de quo voluit per notam nos certiores facere interpres.

Alia solut. Leucen.

Sed hæc inconsultē ac temerē dicta sunt. Mihi sanè græcus adest codex, non manuscriptus, cumque tres sint, λεύκη, id est, vitiliginis differentiæ: λευκὸς (nomine generis) λεύκη, & λευκὴ, in hoc contextu duas tantum differentias lēgito, λεύκη, & λευκὴν: notationem verò interpres apposuit ad λεύκην, quoniam cū vidisset λεύκη antea nemīnisse, qui genus est omnes differentias comprehendens, putavit nomen λευκὴ superesse ac redundare. Verum appositè dictum esse arbitror vitiliginē esse morbum in numeratione illius materiæ præter naturam redundantis, actionemque aliquam impedientis. Postremò lapis & pus, vel lædunt actionem primò, vel alio interveniente affectu, qualis potest esse obstructio, qua regula hæc omnia metitus est Gal. Si primò lædunt compressionem & motum aliquorum instrumentorum, ut vesicæ vel pulmonum, morbi sunt in numero, si verò aliquo affectu medio, cau-

Refutatur. Alphu. Alphos. Melas. Leuce. Leucen. Alphu. Leuces.

A sæ dici debent morborum in cavitate, vel meatu, quem obstruunt.

Morbi etiam ex defectu in suas difficultates incurrunt. Dixit Galenus decimo quarto methodi alopeciam, ophiasin, & quodcūq. pilorum defluvium esse morbos in numero diminuto: sexto de morbis vulgaribus morbos lævitatis esse statuit: lib. de differentia symptomatum scribit esse symptomata in qualitate mutata. 9. Objectio. Cap. 17. par. 3. cō. 4.

Respondemus pilos, si proprié loquamur de partib. ut capite tertio, veras pārtes non esse, quia vita carent, & vero nutrimento: enimverò inter partes numerantur à Galeno, quoniam cum sint facti ad ornatum, B ad operimentum, & ad crassiora excrementa consumēda, propriam circunscriptionem habent in corpore, & per se consistere possunt. Sed tūc minùs proprié loquitur de partib. Nam, ut scribit in arte parva, illis velut unguibus nulla est actio, sed tantū generatio. Quo loco ejus fallax interpres oblitus eorum, quæ antea objectaverat, confessus est, pilos & ungues mediam naturam habere interviventia & non viventia, oculorumq. compositionem & actionem fine illis constare non posse. Ecce pilorum C defluvium propter lævitatem cutis morbus est in conformatione, propter pilorum defectum (si utamur promiscuè nomine partis) numeri vitium, quo afficiuntur partes, quæ contegebantur pilis, propter colorem verò symptoma. Solutio. com. 11. 2. de temp. cap. 3. 11. de usu p. cap. 1. Cap. 9. Argent.

Rursus non videtur sibi constare Gal. Nam regulam tradens, qua cognoscēremus, quis partium defectus morbus esset, & quis morbi causa, docuit partium defectus, qui actiones offendunt, morbos esse: defectus verò, qui usum tantum auferunt, morborum causas: at capite sexto dixerat, affectus partium usum habentium interdum esse causas, interdum morbos. 10. Objectio. Tex. 37. D

Verum capite sexto locutus est G. de unico instrumento, cujus ex multis partib. compositi, una tantum est actionis opifex: reliquæ verò ad usum adjunctæ: hoc autē capite octavo loquitur de pluribus instrumentis, ut omnia comprehenderet, quorū alterum alteri usui est. Vnde cum gurgu- Solutio.

lio, quod per se instrumentũ est, usum præstet pulmonib. ejus defectus causa est morbi pulmonum: morb. verò
Observatio non pulmonum, sed palati. Quod si de unico tantum instrumento Galenum loqui voluerimus, verbis capitis sexti regula explenda erit, ut nos præstitimus.

At mirandum est, quid sit, quod
11. Object. docuerit, morbos numeri deficientis, tum in utero, tum postquam in lucem animal editum est, contrahi posse: in numero autem redundanti non fuerit usus illa distinctione, cum morbi in numero aucto, non minùs in procreatione, quam posteriùs accidere possint, ut pterygion.

Dicendum est, regulam illam in
Solutio. omni deficiente numero peræquè reperiri posse: at numerus partium redundans non constringitur hac lege; licet enim pterygio quocunque tempore tentari possimus: tamen sextus digitus & tertius testiculus primo tantum ortu generantur: reliqua verò multa, quæ utrobique succedere possunt, qualia sunt, quæ superiùs dinumeravimus, admodum ratò in utero accidunt, ergo quæ toto genere præter naturam superfluunt in omnem fiatum non irruunt æqualiter.

Postremò in Galenum acerbè in-
12. Object. vehitur inimicus gravis, quòd docuerit mutilationes (ut, cum linguæ portio amputatur) ad numerum, non ad magnitudinem referendas esse. Nam per has diminutiones instrumentum sæpe retinet numerum suarum particularum, quã vis breviores sint effectæ: abscissa enim è lingua portione aliqua, ea, quæ relinquitur, obtinet suas venas, arterias, nervos, carnem, & denique omnes partes, quibus antea constabat, sola magnitudine diminutas. Quam objectionem poterat confirmare verbis ejusdem Gale-
Cap. 12. ni, qui libro de constitutione artis docet, ad numerum referri, cum amputatur particula integra, cum verò portio, ad magnitudinem.

Sed objectionem hanc in quæstio-
Solutio. nem quadragesimam quartam prorogamus.

VTRVM MORBVS NVMERI diminuti sit partis, quæ adhuc servatur, an ejus, quæ jam non est.

QVÆSTIO. XLIII.

DIXIT Gal. morbum deficientis numeri referendum esse ad partẽ *Tex. 38.*
superstitẽ, & nequaquam adeã, quæ sublata est, ut si gurgulio, sive columella fuerit excita, morbũ palati: si verò ejus dimidiũ abscissum fuerit, reliquæ partis morbũ esse. Porrò quod mutilatio sit morb. partis remanentis, verisimile est. Verum quod totius partis abolitio sit morb. alterius partis, cui pars abolita inhærebat, non videtur omninò credibile.

Nam illius tantũ partis morb. est, *1. Objectio.*
cujus ipse morb. lædit actionem: sed abolitio partis alicujus non lædit actionem alterius vicinæ sibi cõtinuatæ, ergo non potest esse morb. illius. Vera est propositio: probatur assumptio. Nam gurgulionis abolitio non lædit actionẽ aliquam palati, sed vocem & respirationem. Similiter, si amputetur alicui manus, cujus solius actio erat apprehensio, pars, quæ manet ac seruatur est brachium: at illius nulla actio læsa est, cum sit tantum læsa apprehensio, quæ ad brachium nullatenus pertinebat.

Præterea voluit Gal. abolito gur-
Alt. Objectio. gulione, totum lati oris spatiũ, quod remanet, palatum scilicet morbum sustinere. Quod probat, quoniam aliquid detrit palato. At verò non minùs est morbosa illa pars, cui aliquid præter naturã additum est, quã ea, ex qua est aliquid ablatũ. sed cum additur pars, ut digitus, non videtur continere morbum tota manus, ergo cum aufertur, non debet tota morbum sustinere. Patet propositio, quoniam extremorũ eadẽ ratio est; neq. est maior ratio, quod numero deficiente, præter naturam se habeat totã instrumentalis constitutio, quam in numero abundanti. Kursus & assumptio. Nam cum Gal. sextum digitum appellaverit morbum, eundem

dem solum digitum sustinere morbū credidisse videtur, nō totam manum.

Fundamen. Sed Galeni doctrina singularis facilè se per se ipsa defendet. Nam Hippocrates verba exponens, quibus ait, *omnia esse consentientia, in omnium membrorum compage, omnia: in parte verò, partes in unaquaque parte ad opus*, sic ipse locutus est. *Sive ex sensibilibus & patientibus primis elementis, sive ex nonsensibilibus, sed quæ mutari alterarique possint, necessario constitutum est, quòd sensum sit habiturum, vera est Semis sententia, omnia esse consentientia. An de solis corporis nostri particulis nūc loquitur, significans omnes esse sibi mutuo consentientes, hoc est, omnes in unius operis ministerium conspirare. Perspicuum enim est, magnas omnis animalis partes, ut manus, ut pedes, ut oculos, ut linguam, omnium animalis actionum causa factas esse, omnesque ad actiones obeundas consentire. Quin etiam minores ad totius instrumenti actiones ipsæ quoque referuntur: sic in oculo, quod unum est aspectus instrumentum, & ex multis constat particulis, omnes particulæ ad unum opus, hoc est, ad videndum consentiunt. Aliarum partium est eadem ratio. Sic ventriculus, sic os, sic pedes, sic manus faciunt.*

Lib. de alimento com. 3 in frag.

Cap. 8. Quod etiam primo de usu partium exaravit. Hinc diximus nos partes

Cap. 3. similares primis instrumentis famulari, prima secundis, secunda tertijs, & hæc quartis, quibus proximè utitur totum corpus.

Quare licet unumquodque instru-

1. Solut. mentum habeat sibi propriam actionem: tamen ad unius actionem concurrit etiam actio, vel usus alterius, cui adhæret & continuatum est, adeo ut defectus cujuslibet totum alterum morbosum reddat. Cum igitur ad vocem & respirationem, quæ aguntur per gurgulionem aliquantùm concurrat palatum, excēto gurgulione totum palatum morbum sustinere dixit. Similiter ad apprehensionem, & pugillationem concurrit brachium, manus ad brachij projectionem & luctationem. Unde amputata manu totum brachium morbosum est, cum desit illi manus apprehensio, quæ ad omnes ejus actiones magnos usus afferebat. Rationis igitur prioris objectæ in Galēnū assumptio falsa est, eū excēta parte qualibet, cōsors in suis actionib. impediatur.

2. Solut. Alteri respondemus totius manus constitutionem redditam esse præter naturam, & morbum dici, cum sextus digitus superadditur. Dixit autē Gal. sextum digitum esse morbum, vel additum numerum, locutus materialiter, ut dicunt, quia dum tollimus digitum, & diminuimus numerum, nobis manus totius curæ est, quoniam resecto digito manus constitutio inculpata remanet confestimq. cessat in opere medicus.

Observatio Quæ ratio errorem Iacobi Segarræ ac sectatorum ejus, qui unum tantum ex constituentibus morbum esse rentur, non totam constitutionem, in lucem protulit, clariorē quidem, quam solis radij esse solent, cum sudum est.

MORBVS DEFICIENtis numeri quando, & quando nō implicetur cum morbo magnitudinis diminutæ.

QVÆSTIO XLIV.

Tex. 38. EX duabus quæstionibus quas de numero deficiente habuit Gal. altera erat, utrum in omni partiū defectu sit unus tantum in numero morbus, an simul cum morbo in numero conjungatur quoq. morbus in magnitudine diminuta.

Cui quæsito respondet Germanus interpres ad numerum tantum referti morbum, quando pars dumtaxat aliqua de instrumento abcissa est, ut si linguæ, aut omenti, aut pudendi aliqua dumtaxat pars abscinditur: sed ad utrumque genus pertinere, ubi totum instrumentum auferetur, ut universum crus.

Confutatio Veruntamē hæc interpretatio, præterquā quod græcū cōtextū invertit, nō quadrat verbis Gal. qui de instrumētis decurtatis, nō de omninò præcisis, & amputatis verba facit. Præterea falsum est, ad numerum tantum pertinere mutilationem, ubi portio alicujus instrumenti abscissa est, cum magnitudo diminuta lædat, etiam actionem, ut si dimidium linguę

abscindatur, morbus est, non solum in numero, sed etiam in magnitudine, quia tunc diminuta magnitudo linguæ locutionem vitiosam reddit. Mutilum etiam pudendum nequit emittere semen in uteri cavitatem.

14. metho. cap. 16. *Quinimmò & cui de naturali quantitate deest præputio exiguum aliquid pudendi*, ex eo morbi genere, eundem laborare, quod à naturali magnitudine declinat, docuit Gal.

Auctoris interpreta. Dicamus igitur cum eodem, ut in commentario diximus, morbum esse tantum in numero, quando una, vel altera particula simplex aufertur ab instrumento, ut si à digito auferatur nervus, aut cutis, aut vena: implicari verò semper morbum in magnitudine cum morbo in numero, quando abscinditur portio alicujus instrumẽti, ut dimidiũ brachij, vel linguæ, aut portio notabilis. Nam tunc, ut perspicue dixit Gal. & in animali deficit particularum simplicium numerus, & magnitudo instrumenti compositi.

Objectio. Replicabit tamen aliquis verba Galeni, qui postquã dixit, in lingua, omentó, pudendo, & in omnib. hujusmodi instrumẽtis mutilatis aliquam adesse magnitudinis diminutionem: hæc addit. *Tex. 28.* *Ipsum verò animal, non adeo necessariò diminuetur, ut mutilum esse dicatur: sed aliquis numerus partium erit ablatus.* Quibus verbis videtur asserere, tantum esse morbum in numero; quando dimidium linguæ, vel omenti, vel pudendi abscissum est.

Solutio. Verum longè secus est tenendum. Non dixit magnitudinem non esse morbum: sed observavit animal, quã vis morbosum sit, non dici tamen mutilatum, vel mancum, ubi dimidium linguæ, vel pudendi abscissum est. Quoniam defectus, quem patitur horum instrumentorum magnitudo non subjicitur sensibus perinde ut brachium decurtatum, cujus causa dicitur mutilatum animal.

Observatio Quod, ut penitùs intelligamus, observandum est Aristotelem quinto de prima philosophia, *Colobon*, id est, mutilũ, inter alia, id esse scripsisse; cui deficit aliqua palàm prompta & eminens extremitas, quæ tota sublata iterum nequeat gigni. Gal. autem superiùs, & proximè citato *Tex. 28. 14 cap.* methodi libro, *Colobomata* vocavit, quæ in labijs, aut narium alis, aut aure deficiunt.

Explicatio Gal. locu. Quibus sic intellectis expedita erit hujus loci expositio. Scribit manifestum esse, quod in lingua, omento, pudẽdo & in universum omnibus hujusmodi instrumentis mutilatis aliqua sit magnitudinis diminutio. Sed quoniam usus erat voce mutilationis, nequis arbitraretur, ex horum instrumentorum detruncationibus, animal vocari mutilum, subjungit, diminutionem hanc, licet morbum constituat, non esse tamen adeo manifestam, ut ob hoc mutilum dicatur animal. Nam tunc solùm dici & esse mutilum animal inter doctos constat, cum diminutio ante omnium oculos posita est, ut labiorum, aurium & narium.

Objectio. Sed descendamus in certamen, quod cum nasuto calumniatore quæstione quadragesima secunda instituimus, & in hunc locum distulimus. Putavit ille (quæ illius quæstionis fuit objectio duodecima) in instrumento decurtato nullam partem omnino deficere, sed omnes adesse: tamen curtas & contractas, atque propterea non morbum in numero, sed dumtaxat morbum in magnitudine instrumentum pati.

Solutio. At levidensæ argumentum est. Nam venæ, arteriæ, nervi postquam à suo principio emanaverint, in truncos multos distribuuntur, qui deinceps finduntur in ramos plures, donec tandem alios exiguos, diffundant, & capillorum instar dispergant. Cum amputatur lingua, vel omentum, propagines venarum, arteriarum, & nervorum, ramiq. non pauci defringuntur, & à maiori trunco divelluntur & distrahuntur, qui numeri morb. est.

Idem dicendum de musculis, quorum alij maiores, alij minores instrumentis donati sunt, & cum instrumenta mutilantur, aliquod adimi omninò manifestum est. Quare mutilata & decurtata ad numerum etiam pertinebunt.

Cap. 4. Loco verò de constitutione artis, qui scrupulum & dubitationem injecit nobis, utpote in quo diminutiones

nes hujusmodi ad magnitudinem immutatam reduxerit Gal. certa distinctionem tradit curandorum morborum, qui in partium dissectibus inveniuntur. Quãdo curamus, inquit, morbum in numero, particulam integrã, vel amputamus, vel adjicimus: at quãdo curamus morbum in magnitudine, portio quæpiam vel amputatur, vel adjicitur. Non negat simul cum magnitudine, alterum etiam adesse morbum scilicet in numero, sed patentiori malo medetur, quæ magnitudo est, cujus in naturalem statũ reductio necessariò supponit, & includit restitutionem debiti numeri.

Sic in nasi renovatione, & magnitudinis illius instauratione includitur ex necessitate restitutio (si tamẽ fieri potest) musculorum cartilaginis, arteriarum, venarum, & reliquarum particularum. Similiter etiam, cum adhibemus curationem morbo in situ, figuram etiam sine recusatione curamus, quamvis ne de illa commemoraverimus.

VTRVM ALIQVI MORbi sint substantia.

QVÆSTIO XLV.

HACTENVS existimo demonstratum, morbum affectionem esse, quæ in plurib. certam societatem habentib. sita est, ad quorum varias alterationes & mutationes morb. quodammodo mutatur & vertitur. Nam ea, in quib. morbi consistunt, variè disponuntur, cum à varijs causis permutari possint. Porrò excessuum primarum qualitatum causæ manifestissimæ sunt: multa enim calorem, & frigus, humiditatem, & siccitatem augere, & multiplicare possunt: formationem mutant inter alia crebri tumores elephantiasis: magnitudinem humoris nimia quantitas ad aliquam partem accedens: innumerum pars instrumentis addita, ut sextus digitus, pterygium, lapis in vesica: situm & connexionẽ motus ychemens, vel appendiculum quodpiam intensum: cõtinuitatem verò id, quod incidendi, vel erodendi vim habet.

Quæ, cũ considero, mirari satis eorum ignorantiam non queo, qui morbos esse existimant ejusmodi substãtias, quæ, cũ intemperies dictas ex affluxu parere solent, tũ figurã, numerũ, magnitudinem, vel situm partium alienare, & immutare. Nam cum Logicæ disciplinæ, cujus est initium ipsa prædicamenta dividere, se expertes vidissent, ut facilè declarant ea, quæ temerè nugantur: at saltem uti poterant artificiosa conjectura, quæ inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam media quodãmodo putatur. Sanè contra istos, qui verba Galeni, plusquam sensum attenderunt, potest esse illud Apostoli dictum (si licet his sacra miscere) τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτέννει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. Sed non est mirum, quod hæc verbo tenus tracta verint, cum etiam in rebus, quæ plus multum intersunt, opinione longè lapsi sint. Mihi sanè non erat in animo falsam hanc opinionem refellere, quoniam satis dñ à nostris præceptorib. refutata est, unde nonnulli tantum errorem pœnitendo correxerunt. Verum, ut hæc disputatio completa & conferta sit, leviter transeam & tantummodo perstringam unam quamque rem: idem enim iterum, atque iterum inculcare necesse est, cum quis multorum inveteratã ignorantiam radicitùs evellere cupiat, ut scribit Galenus. Primùm ergo illorum paradoxa, seu potiùs pravadoxa breviter referamus.

In tumore humorem contentum morbum esse putant. Præterea humorem ventum aliquam obstruentem, quem quidem non distingunt ab obstructione. Humor etiam in pupilla coactus, cum suffusionem patimur, illis morbus est. Nam tunc symptomatis causa in oculo continetur, ut est Galeni sententia: symptoma est visio impedita, symptomatis causa est humor crassus & coactus, qui cõtinetur in oculo; ergo humor crassus, & in oculo coactus morb. est. De sexto digito, lapide vesicæ, ungue in oculo, & si quæ sunt alia, idem sentiunt contrà receptam omnium eruditorũ hominũ sentẽtiam, tametsi aliàs propugna-

A

B

C

D

Lib. de fal. libri arte ad Trbas. c. 12

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

2. metho. cap. 7.

1. de lo. aff. cap. 1.

2. ad Corin. cap. 3.

1. de loc. aff. cap. 2.

pugnatores Galeni & acerrimos defensores se esse ostendant.

Nos de proximo genere morbi omninò deliberavimus, atq. variis in medium opinionib. quasi in jus primùm adductis, rejectis falsis, amplexi fuimus veriorem, crassasque tenebras, quibus multorũ animi occultati & circunfusi latebant, veritatis lumine fugavimus. Nunc verò tantum ostendemus parum firmamenti, & virium habere falsitatem, quę statuit aliquos morbos esse substantias, capto hinc dicendi exordio.

Auctor. opi.

Aristoteles in categorijs morbum & sanitatẽ in dispositionib. apertè reposuit, cum dixit. *Nam his ipsis homo* (loquebatur de habitu & dispositione) *aliquo modo disponitur, & facilè mutatur ex calido frigidum subiens, & ex sanitate morbum.*

Auctor. Aristotelis.

Galenus primo aphorismorum. *Cõsueverunt*, inquit, *medici magnam & parvam febrim nominare, non propriè quidem qualitatis nomine quanti aptantes: melius enim est, magis & minus, vehementius ac debilius, omniaq. hujusmodi vocabula qualitatibus accommodata servare: paucum verò, & multum in sola substantiæ quantitate. Verum non in hoc tantum hujusmodi fiunt abusiones: sed mille alijs rebus, quæ licet in qualitate subsistant, magnæ tamen ac parvæ dicuntur: omnes siquidem morbos magnos ac parvos nominant, quamvis substantiæ non sint.*

Auct. Gal. Com. 12.

Idem scribit primo de differentia febrium, & leviter tetigit tertio de compositione medicamẽtorum per genera. Ecce morbos magni & parvi nomine prohibuit (ubi acuratè loquitur) cum substantiæ non sint.

3. Auctori. Cap. 1. Cap. 2.

Sed illud non præteribo, quod quidam stultè arrogantes voluerint sic esse Galenum exponendum, ut intelligat & dicat, quamvis substantiæ non sint omnes, quo possent inferre ex eodem Galeno aliquos morbos substantias esse.

Falsa interpretatio.

Verum addere quidquam verbis Galeni error est pernicios & turpis, ac eò quidem maior, quò maius & gravius periculum impendet ex malitiosa interpretatione: sequitur enim ex ea, ferè omnes morbos esse substantias.

Refutatur.

Quod hoc exemplum fiet planiùs & apertiùs. Omnes insulani malè audiunt, cum tamen omnes mali non sint: colligitur quidem ferè omnes malos esse. Legamus igitur Galeni verba, sicuti sese habent, quib. nullum morbum esse substãtiam concludamus.

Exemplum

Sed pono Galenum ibi asseruisse morbos aliquos substantias esse: at certè illi non erunt substantiæ, quos eo loco posuit pro exemplis & magnos vel parvos appellari vetavit, cujusmodi sunt apoplexia, quæ obstructio est, pleuritis, phrenitis, & peripneumonia, quæ sunt inflammationes, quas tamen illud dogma substantias esse prædicat. Intelligant ergo se nihil dicere potuisse inconsideratiùs. Nam, si qui morbi substantiæ videri possint, præ cæteris id obtinerent ipsi præter naturã tumores: *at ex ijs, quæ corporib. accidunt* (Galait) *id unum est tumor*, quem definit *διάστημα*, intervallum, vel spacium, seu *αὔξησιν*, incrementum in longitudinẽ, latitudinem, & profunditatem, quod nequit esse corporea substantia.

Observat.

De tum. præter nat. ca.

Diastema. Auxesin.

Præterea secundo methodi morbum subjecit sub affectu, docuitque alterationem esse generationem affectus & qualitatis, atque observavit, se non loqui de generatione absolutè prolata, quæ via est in substantiã, sed de generatione hujus, vel illius rei, quæ substantia non est, quam generationem vocavit viam in illius rei subsistentiam.

4. Aut Gal. Cap. 3.

Ad hæc eodem libro demonstrans morbi synonymiam: *Nec verò*, inquit, *substantijs modo id inesse videtur, verum etiam ipsis accidentib. vel ut affectus sunt* (in quibus numeratur morb.) *vel ut actiones, vel ut passiones.*

5. Auctor. Cap. 7.

Et in extremo libro. *Quæcunque verò nunc dicta de morbo sunt, ea mihi & de symptomate, & passione esse dicta censeo: præterea sanitate & ἀρτιότητι, integritate & optimo habitu, & robore, & potentia, omnibusq. alijs, quorum nomina, & notiones de rebus quibusdam subjectis sunt dicta*, id est, quæ nomine, & ratione dicuntur de suis inferiorib. qualis est natura synonymorum.

6. Auctor. Gal.

Articulari

Mox addit. *Omnia namque hæc corporibus insunt, partim ut affectus, partim ut actiones, partim ut passiones: præterea quædam ea naturaliter insint, quædam ea præter naturam.* Quid clarius?

7. Auctori. Gal.

Quam-

1. *Ratio.* Quamobrem nulla substantia est affectus, omnis morb. est affectus, ergo nullus morb. est substantia. Quippe affectus omnis accidit corporib. substantia vero, ut dicebat Aristoteles *alteri nõ accidit*. affectus omnis producitur alteratione, substantia propriè dicta generatione: affectus de suis inferiorib. subjectis effertur synonymòs, quod est commune substantiæ, & accidentib. aliter habet, ergo nullus affectus est substantia.

1. *Phy. c. 3.*

2. *Ratio.* Præterea nulla substantia est partium nostri corporis constitutio, omnis morb. est partium nostri corporis constitutio, ergo nullus morb. est substantia. Nam constitutio partium, vel est temperamentum, quæ qualitas est ex primis constituta, vel est organica dispositio, quæ qualitas est ex formatione, numero, magnitudine & situ conflata, vel est continuitas, inter quam & substantiam multum interest.

3. *Ratio.* Postremò nulla substantia agit primò & per se, omnis morb. agit & lædit actionem primò & per se, ergo nullus morb. est substantia. Quoniam omnis actio vel à primis, vel à secundis qualitatib. originè primò & proximè ducit.

Refugium. Quæ demonstratio radicitùs excutit multorum petulans dictum, qui errore illo pernicioso adhuc imbuti respondent nullam substantiam, ut substãtia est, morbum esse, actionesq. ædere, sed ut præter naturam existit.

Cõfutatur. Equidem hoc illud est, quod sperabam de illis, peccatum nimirum, in Philosophia horribile & pertimescendum. Nam substantia, quæ morb. dicitur, si non ut substãtia, sed ut præter naturam afficit, actiones lædit, profectò non lædit per se, sed interjectione eius, per quod afficit: illud enim, quod facit, ut tale est, per se qui dem facit, q⁹ vero, non ut talè est, per accidẽs facit. Sic paries disgregat visum, nõ quidẽ, ut paries, sed ut albus. Vnde albedo disgregat primò & per se, paries autem per accidens, & albedinis interjectione, quandoquidem agentia omnia tandem ad qualitates reducuntur. Quare sextus digitus, lapis, pterygium, humor, vel in meatib. vel in tumorib. detentus actionem lædunt manus, vesicæ, oculi, venarum & partium in tumorem sublatarum interjectis qualitatib. & ipsarum partium dispositionib. præter naturam, quæ morbi, & accidentia sunt.

Sol. rationũ Sed in hac disputatione facili quidem magis, quam necessaria, nimium immoramur: progrediamur vltra, & rationes aduersariorum, si rationes sunt, breviter dissolvamus.

Solvitur 1. & 2. ratio. In prima & secunda falsum est aliquos humores esse morbos. Sed de his, cum tumores præter naturam efficientib. tum venas obstruentib. sequenti libro quæstio constituetur, ubi copiosè demonstrabimus humores morborum causas esse.

3. Solutio. Cap. 2. Tertiæ, ut satisfaciamus, verba Galeni primo de locis patientib. scripta declaranda sunt, quæ non intellexerunt adversarij. Docebat Gal. morbum alium esse factum, ut ablata causa nihilominus perseveret, aliũ adhuc esse fientem, qui absq. sua causa perseverare nequeat, atq. hujus duplicẽ esse generationis modum, quoniam alius in parte affecta causam habet hærentem, aqua fovetur, alius aliunde causam subinde suscipit, sed nondum retinet. Hoc autem inter hos affectus interesse scribit, quod in stabili ac firmo, læditur partis substantia, ut in glaucedine, quæ humoris crystallini ex siccitate concretio est: in alijs verò duob. non læditur partis substãtia: illorum tamen hæc est differentia, quod aliqui habent causam hærentẽ, quæ continetur in parte affecta, ut humor crassus, qui in suffusione adhæret pupillæ: aliqui verò causam aliunde accersunt, quoniam causa per partem tantum transire dicitur, ut cum ex collecto in ore ventriculi tenui excremento, vapores quidam in oculos sublevantur, atq. ijsdem afficiuntur ægrotantes imaginib. quibus per suffusiones. Hæc docet Gal. Mox verba faciens de ipsa suffusione, affectu nimirum, qui causam habet hærentẽ. *Si crassus*, inquit, *humor in pupilla consiterit, essentia quidem partis affectæ nondum læsa est, verum causa symptomatis*, (hoc est causa morbi, qui symptoma est nomine symptomatis generaliter accepto) *in oculo ipso continetur: sed tum per oculum transire dicitur, cum evaporans humor consistit in ventriculo*. Nam cum disputasset contra Archigenem, qui tenuit

nuit nunquam lædi actionem, non affecta parte in propria essentia, non est ausus in principio disputationis morbum aperte exprimere, neq. assumero quod erat probaturus. Verum ad extremum rectissimè concludit, nullam actionem unquam lædi, nisi pars, quæ ipsam facit, afficiatur, licet aliqui affectus non appareant ob exiguitatem, adeo ut separatis causis facientib. illico fiolantur. Quamobrē humor in suffusione causa morbi est, non morbus. Nomine autem sexti digiti, lapidis, unguis, & aliorū Gal. non intelligit substantias, ut sub sequente quæstione exponemus.

QVID GALENVS INtelligat nomine sexti digiti, unguis, lapidis, suffusionis & cæterorum.

QVÆSTIO. XLVI.

1. Opinio. QVI aliquos morbos substantias esse rentur, nomine sexti digiti, unguis, lapidis, suffusionis, & aliorū, Galenum corpora ipsa intellexisse dicunt, utpote quæ primò & perse actiones lædere putent, cum nihil aliud, præter hæc, ante oculos illis obversetur, quod actionem offendat. Quos homines populares, qui sine ratione fidem sensuum exquirunt, quæstione præterita castigavimus.

2. Opinio Illorum nonnulli, qui omnē morbum qualitatem faciunt, nō hæc, sed horum vitia Galenum animo percepisse tenent. Verum, cum isti non explicent, quid per vitium intelligant, ex nostra societate in superiorib. ejecti sunt.

3. Opinio. Qui veram opinionem de natura morbi tuentur, existimant in his omnibus capitib. in quibus tractat Gal. de formatione, numero, magnitudine, & situ, horum nomine intellexisse cōstitutionem partium læsam, quod ejus verbis confirmant.

1. Aut. G. Dixit capite quarto *in his quatuor* E *generibus quamlibet instrumentorum agri* Tex. 16. *dinem consistere.*

Capite sexto. *Fiunt*, inquit (de morbis instrumentorum loquebatur) *vel* 2. Aut. *naturali formatione pervertata, vel non* Tex. 28. *servato numero, vel magnitudine vel positu.*

Capite septimo ex locutione illi plane constat, voluisse morbum non esse ipsam formationem, figuram, cavitatem, vel meatum, asperitatem & lævitatem, sed tunc adesse morbum quando in his magna fuerit facta mutatio. 3. Autori

Initio hujus capitis, *in numero*, ait, 4. Autor. *partium simplicium, ex quib. unumquodq. constat instrumentum, duæ erunt agritudinum differentiæ.* F

Atque apertissimè in fine capitis disputans de morbo in numero deficiente, docet, *hunc morbum esse partium superstitum, non earum quæ deficiunt:* at affectus partium, quæ supersunt, dispositio quædam est, illarumq. præternaturam vitiata constitutio. 5. Auto. Tex. 38.

Tandem capite decimo. *Evariante*, inquit *ea, quæ secundum naturam est, cō-* 6. Autor. *positura, fiunt agritudines.* Tex. 41.

Ex quibus concludunt non solùm in alijs capitibus, sed etiam in hoc, semper intellexisse dispositionē partium, at in morbis numeri ita obscurè locutum, quod non habeant aliud proprium nomen. Vocat igitur suffusionem morbum: intelligit tamen dispositionem oculi læsam, propter præsentiam humoris in oculum suffusi lumen non transmittentis. Ita dispositionem vesicæ, quæ, propter lapidis præsentiam, alia est facta à naturali, cum nomine careat causæ nomine appellat. Sic manus dispositionē, quæ propter amputatum digitū adest, cū proprio nomine destituta sit, defectum numeri seu digiti vocat. Hæc doctissimorum virorum opinio est, quos nostri præceptores insecuti sunt. G H

Ego verò in hac sum sententia, *Opinio Autoris.* quemadmodum dixi alias, ut putem *Quæst. 25.* vera esse omnia, quæ hi grauissimi Doctores asseruerunt, scilicet morbū non esse formationem, numerū, magnitudinem, vel situm, quemadmodū, neq. in partib. simplicib. morbi sunt *Quæst. 24* caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas: sed constitutionem & dispositionem

nem partium in omnib. insidentem. Veruntamen in hoc capite nomine sexti digiti, unguis, lapidis, suffusionis, & reliquorum, constitutionem, vel dispositionem Galenum intellexisse prorsus nego.

Fundamentum. Nam sexti digiti nomine (idem de alijs dictum puta) tria possumus intelligere. Primò corpus & substantiam quandam præter naturam additam, occasione cujus laborat manus. Qua usurpatione sextus digitus est morbi causa. Secundò per digitum intelligimus ipsum numerum auctū, ex quo pervertitur naturalis constitutio manus. Qua ratione sextus digitus, vel numerus ille additus est ma B teria quædam, ex qua morb. constituitur, causam materialem morbi, vel morbum materialiter, quis diceret. Postremò, intelligere possumus nomine sexti digiti constitutionem, structuram, & dispositionem manus per digitum primo modo sumptum vitiatam, cuius ratione manus ipsa præter naturam apprehēdit. Qua significatione sextus digitus morb. formaliter (ut ita loquar) dici potest.

Assertio. Quib. jactis assero, nomine sexti digiti, unguis, lapidis, & aliorū neq. intellexisse Galenū addita corpora, quæ morborum sunt efficientes causæ, nec dispositiones partium, quæ morbi, sed numerum ipsum auctum, & materiam, ex qua morbus consistit.

1. Ratio. Tex. 39. Dixit is autor in fine hujus capitis, *tum morbū in numero, tum morbum in magnitudine in superiori prædicamenti genere, nempe in quantitate comprehendi*, quod de dispositionib. intelligere non potuit, ergo de numero & magnitudine locutus est, qui propter additas, vel abscissas partes augentur, vel diminuuntur.

2. Ratio. Porrò non aliter de morbis verba facit G. hoc capite, quam fuerit locutus capite sexto: sed ibi per affectus non intellexit constitutiones, ergo neq. hoc loco. Propositio verissima est. Probatur assumptio. Nam constitutiones, ubi multùm præter naturam mutatæ fuerint, perpetuò morbi sunt: at eo loco non omnes affectus morbi sunt, cum aliqui fungantur munere causarū, ergo per affectus non intelligit constitutiones.

A Nam illos affectus potissimùm intellexit hoc loco morbos esse, quos arbitrabatur esse affectus partiū usū habentium: sed hujusmodi affectus non sunt constitutiones, ergo nihil aliud mente concipere potuit, quam numeros additos, & affectus, qui non sunt constitutiones. Valet propositio. Nā, si percurrimus morbos, quos adducit, inveniemus omnes esse affectus partium, quæ ad usum optimæ sunt. Confirmatur assumptio. Affectus partium, quę usum habent, dupliciter dicuntur, alij non impediūt actionem per se ipsos, sed quatenus primò nocent parti principi, & causæ morbi sunt, quos non esse constitutiones manifestum est, cum nulla causa sit morb. ut statim demonstrabimus. Alij verò primæ parti nihil incommodant, actionem tamen impediunt, & appellantur morbi materialiter, unde non sunt constitutiones, sed actiones impediunt, cum occasione illorum corrumpuntur constitutiones, ut pterygium, quæ adiuncta mēbrana, vel suffusio, qui humor additus est. *3. Ratio.* *Quæst. 47.*

Iam neq. per hos affectus partium habentium usum, qui nocent nihil incommodando parti principi, potC rat intelligere constitutiones. Nam similiter locutus est de affectib. qui actionem impediunt, quatenus primæ parti nocent, atq. de illis, qui impediunt nihil quidquam illi officiendo, aliàs ambiguitate verborum traditam regulam confundisset ac perturbasset: at per affectus, qui afficiūt interjecta affectione partis principis, non intellexit constitutiones, ergo neq. in alijs, sed in utrisq. formationem magnitudinem, vel situm, ut in hoc loco numerum. Quæ diligenter observanda sunt, & coniungenda cum his, quæ diximus superius. *4. Ratio.* *Quæst. 36.*

D Quoniam, si Galenus capite sexto & his, quæ sequuntur, per affectus partium intellexisset constitutiones illatum, non potuisset deinceps dividere illos affectus in morbos, & morborum causas, quia nulla constitutio præter naturam est causa morbi, vt dictum est. *5. Ratio.*

Quamobrem idem animo & cogitatione comprehendit nomine sexti digiti, & unguis, quod nomine carnis, *6. Ratio.*

nis, videlicet germinis in narib. quia sophysima esset exempla tradere morbi in numero, & aliter sentire in uno exemplo atq. in alio: sed nomine germinis non potuit intelligere constitutionem partium, quia nulla constitutio est causa alterius constitutionis, germen autem in narib. est causa obstructionis, ergo in illis exemplis tantum concipit Gal. auctum numerum.

2. Objectio Sed objiciet aliquis, formationem magnitudinem numerum, & positum non esse morbos, ut nos superiùs cũ Gal. monstravimus, sed morbos esse solas partium constitutiones præter naturam: hic verò Gal. de morbis ipsis legitimè dictis disputationem instituisse.

Solutio. Respondeo, quæ superiùs commemoravi, cum de his orationem haberem. Voluit cum ratione Gal. sanitatem & eius contrarium morbum esse constitutiones & partium dispositiones: veruntamen, cum ad curationem nihil conferat novisse dispositionem præter conformationem, numerum, magnitudinem, & situm, hæc morbos appellavit: dispositionẽ verò pro nihilo duxit, utpote quæ, illis in naturalem statum reductis, nullam det nobis curam. Vnde bilem præter naturam in tertiana non appellavit morbũ: sed intemperiei causam, quoniam intemperies & dispositio, quæ interjecta est inter bilem & actionem ab intemperie læsam, manere aliquando solet, exclusa licet humore, solicitatq. medicum & angit, at sexto digito, ungue, humore in pupillam suffuso, lapide in vesica, & similib. abscisis, vel extractis, ne tantillum negotij nobis facessit dispositio manus, oculi, vesicæ.

2. Objectio c. 6. tex. 32. Dices, cur Gal. distinxit seedulò humorem obstruentem jam defluxũ ab obstructione? Nam evacuatis humorib. crassis, viscidis, & lentis, obstructio confestim evanescit, nulliq. curæ nobis est. Distinxit quidem, sed eò sanè non intendebat. Asserit capite septimo, ubi occluduntur meatus corporũ, quę in tumorem attolluntur, interdum unicum esse morbũ, obstructionem scilicet, interdum verò præter obstructionem, alterum affectum instare. Iam regulã tradens, qua discrimen cognóscereretur, duplex, inquit, morb. est, cum propria aliqua partis actio læditur, obstructio, quæ impedit alicujus substantiæ distributionem, & tumor, qui lædit propriam partis actionem. At, cum nulla propria læditur actio, unicus tantum morb. est nempe obstructio. Sed, cum posset aliquis contendere, tunc alterum quoq. adesse morbum, scilicet humorem obstruentem, pergit obviam illi Gal. atq. docet humorem crassum in meatu detentum non esse morbum, quoniam nullam aliã actionem lædit præter distributionẽ, quam lædit obstructione intermedia, causam igitur esse concludit, non morbum. Ecce coactus distinxit morbum à causa, qua posita ponitur morbus & qua sublata morb. nusquam apparet.

Solvuntur auctoritates Sed objectis difficultatib. satisfaciamus. Ex omnib. citatis locis colligitur formationem, numerum, magnitudinem, & positum non esse morbos: sed in ipsis morbos consistere: at ex eo non sequitur Galenum per sextum digitum, & alia intellexisse constitutionem. Nam, ubi rei natura cogit, ipse, quod par est, exprimit, sed cum credit exempla, ne medicũ aliud ex alio impediat, prætermissa dispositione, vel constitutione, ut curationem expediat, promptiùs accedit ad id, quo sublato, sine mora consequitur sanitas.

Observa diligenter. Tex. 35. Atq. ut eius mens penitus intelligatur, attendamus quæso ad ea, quæ de numero dixit. Quoniã ubi potuit adducere auctum numerum, qui tolli debet, & adquẽ feruntur medici actiones, nullam fecit mentionẽ dispositionis: veruntamẽ cum numerus defecit in numero, inquam, diminuto, ad dispositionem totius, & partis remanentis coactus confugit. *Tex. 38.*

VTRVM MORBVS alterius morbi causa sit.

QVÆSTIO. XLVII.

QVæstione præterita non semel dictũ est, constitutionẽ præter naturam

turam alterius constitutionis causam esse nō posse, cuius rei occasione hoc loco exiſtit quæstio subdifficilis, nū possit morb. esse causa efficiens alterius morbi.

Communis opinio. Vulgaris opinio est, morbum morbi alterius causam esse, quæ autoritate Galeni confirmatur. *Si enim ita contigerit*, ait capite septimo, *ut occludatur meatus venæ, quæ est in concavis hepatis partib. ob aliquam tumoris illius inflammationem, duo hac ratione morbi erunt, alter ipsius venæ tumor, alter obstructio meatus a tumore orta: sæpe enim*, inquit, *ex morbo alter contrahitur morb.* ut morb. in conformatione ex morbo in magnitudine.

2. Auct. Præterea ubi phlegmonas, erysipelata, herpetas, carbunculos & hujus generis alios tumores præternaturā febris comitatur, tunc intemperies nascitur ex intemperie.

3. Auctori Obstructio etiam Galeno putridæ febris causa est.

4. Auctor. Quod si phlegmonem, quæ obstructionem parit, febris etiam sequitur, una duorum morborum inflammatio causa erit, nempe obstructionis, propter tumorem, & magnitudinē, & febris, propter intempetiem.

5. Anto. Resima quoq. nasi figura, quæ est naturalis conformationis vitium, & morb. fortasse, ut retrò dixi, internū meatum nasi constringit, & causa est angustiæ illius, quam morbū esse docuit Gal.

Quæst. 38. in 7. sol.

6. Aucto. Tex. 35. Deinceps hoc capite, cū in aliquo instrumento abundat pars, nonnunquam ea tantum morb. est, veluti unguis in oculo: aliquando verò causa simul & morb. ut germen & lapis, cū meatus aliquos intercludūt, & actionem lædunt.

7. autorit. Tex. 37. Tandem alicujus partis defectus morb. est simul & morbi causa ut gurgulio, vel uva, cū tollitur radicitus. Sæpissimè igitur morb. est causa morbi alterius. Ad hoc verò confirmandū, cujus sensus interpretes sunt annuncij, ratio addenda non est: *inanditatem enim sapientiam promittit*, ut alicubi scribit Galenus, *qui rerum sensibiliū alium quempiam habere se judicem meliorem putat, quam ipse sit ipse sibi.*

2. de temperamentis cap. 2.

Fundamentum. Primum obtinemus nomine morbi posse nos duo intelligere, ut in superioribus copiosè dictum est, dispositionem constitutionemq. partium, quæ morbi forma est, atq. id, ex quo morbi constituitur, quæ morbi est materies, ut caliditas, frigitas, humiditas, siccitas: conformatio, numerus, magnitudo, situs, quæ morbis Galeno dicta sunt.

1. Assertio Hoc posito, morbi pro constitutione ac dispositione sumptus non potest esse causa efficiēs alteri⁹ morbi.

1. Ratio. Quando quidem nulla partiū constitutio est causa efficiens alteri⁹ cōstitutionis: sed omnis morb. est partium constitutio, ergo null⁹ morb. est causa efficiens alterius morbi. Valet propositio, quoniam partium constitutio dumtaxat producit actiones, vel opera, quæ ab actionib. relinquuntur.

2. Ratio. Vnde causa morbi, vel est aliqua substantia, quæ permutat propriam materiam morbi, ut cum crassi humores cavitatem corrumpendo, partiū obstructionem, & cum sextus digitus permutando numerum, morbū generat in manu, vel est materia alicujus morbi, quæ alterius materiam permutare potest, ut cum resima nasi figura mutat meatum, & patit obstructionem: sed hæc non sunt constitutiones, vel morbi, ergo partium constitutio, vel morb. nō potest esse causa alterius morbi.

Alt. Assertio. Ex quo nascitur apertissimè morbum sumptum pro materia, vt est caliditas, figura, continuitas, posse esse causam efficientem alterius morbi.

1. Ratio. Nam Gal. ut præterita quæstione monstravi, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem, figuram, numerum, magnitudinem, positū, morbos vocat, cumq. possint producere alios morbos, concluditur ex eius sententia morbum pro materia posse alterius morbi causam esse.

2. Ratio. Sic virtus potest esse causa alteri⁹ virtutis, & vitium alterius vitij, non quidem formaliter, sed materialiter, ut philosophi loquuntur in scholis. Nam ex aliquib. actib. vel passionib. in quib. consistit aliqua virtus, vel vitium, solent hominum conditiones erumpere in actus, vel passiones alterius virtutis, vel vitij. Idem in morbis suadet ratio. Quando quidem in similitate ad obstructionem interim meatus nasi sola figura vitiata concur-

currit, ut causa efficiens, neutiquam tota constitutio.

Objectio. Dices nonne tota constitutio convenit ad respirationem læsam? Convenit quidem, quoniam actiones à tota constitutione dependent: at obstructio à sola figura meatum vitiante originem ducit. Sic morb. in numero, id est, materia, quæ est ipse numerus, ut polypus in narib. per quem numerum auctum intelligimus, causa est efficiens obstructionis: situs morbi in figura, & asperitatis: magnitudo morbi in figura, & in cavitate, vel meatu.

Quæ sunt ex Galeno producta facilè explicabimus. Cum obstruitur vena propter tumorem, tota venæ constitutio non concurrit ad obstructionem, sed sola magnitudo aucta obstructionis causa efficiés est, quippe vitiando meatum nimirum propriam materiam, obstructionem parit.

1. Solutio.

Cum febris comitatur inflammationes, caliditas vaporum, qui ex humorib. putridis elevantur, causa febris est, non partium intemperies.

2. Sol.

Obstructio præterea causa est febris putridæ per accidens. Nam per se causa est prohibitę ventillationis, hæc putredinis, quæ per se febrim parit.

3. Sol.

Ad hæc phlegmone magnitudine obstruit, sed suo calore aucto gignit febrim.

4. Sol.

Sic sola figura nasi obstructionis efficiens causa est.

5. Sol.

Sic germen, & lapis, hoc est, numeri additi, tum morbi dicuntur in numero, tũ causæ morbi in meatu, quoniam præter naturam addita obstructionem producunt in eo.

6. Sol.

Sic tandem numerus diminutus morb. dicitur, tametsi tantum sit materia morbi, quæ nonnũquam sit causa efficiens alterius morbi, ut intemperiei Gal. ergo his omnib. locis semper usurpavit materiam morbi, cujus sola permutatio ad curationem mirificè conveniebat.

7. Sol.

Objectio. Dices, quomodo potest una & eadem res materiæ ac efficientis causæ rationem simùl habere?

Solutio. Sine ulla dubitatione respondeo, id diversis rationib. fieri posse.

Exemplo sint cantes in organis musicis, quæ follib. appositis inspirantur, fistulæ, inquam, ligneæ vel stãneæ, quæ præditæ sunt quadam structura, nimirum requisita cavitate, vel meatu, certa magnitudine, ac debito numero partium, ex quib. emergit illarum dispositio, qua organis deservium. Ergo si ferrum, vel lapis id impellat aliquam partem fistulę quæ turgeat introrsus, & meatum intercludat, figura & cavitas vitiata existu, quæ materia est vitij informatione, simùl erit causa efficiens obstructionis, à qua impedietur aeris transitus.

Explan.

QVID MORBVM REputare possimus in curationibus.

QVÆSTIO XLVIII.

VT explicentur uberiùs, quæ dixi quæstione quadragesima sexta, non erit extra rem quiescere, utrũ aliquo tempore liceat nobis constituere sextum digitum esse morbum, & lapidem, & humorem meatib. inhærentem, & similia. Nam imperitum medicorum vulgus nunquam potuit animo, & cogitatione comprehendere, quid esset morb. secundum propriam eius essentiam: sed curationé tantum respiciens, id omne morbũ esse putavit, quod semel sublatum abjicit omnem medici curam, in quo cunq. rerum genere contineatur. Quæ opinio, an possit verisimili ratione sustentari, in quæstionem vocare volui, ut his etiam non iucundis, qui partem artis contemplativam in crassa minerva tractant, & pro sui natura, nequeunt subtiles disputationes penetrare. Sed antequam ex veritate judicem tria theoremata præloquar exitus & meæ determinationis fundamenta.

Galenus secundo methodi medendi hæc commemorat *Fuitq. & antiqua sanè de hoc controversia, & hodie dissident inter se omnes, non modo medici, sed etiam philosophi, alij ipsius actionis vitia, alij affectus, unde actio prodit, mor-*

1. Fidamẽ Cap. 1.

bos nominantes. Et distidere viros in rebus tam obscuris, minimè est mirum: non intelligere tamen eos, quod de nomine cõtendant, sanè taxatione est dignum. Quippe, si inter omnes convenit, ad affectum, qui functioni obest, curationis consilia dirigi, quid ad artis officia conferat definivisse, affectus ne, an læsa functio, morbus sit appellandus? Vtrovis enim modo appellantio ager sanitati restituetur, modo quis affectui commodis præsidijs occurrat: hic namq. est, quem alterare mutareq. & prorsus submovere oportet, non vitiam functionis. Adhæc verba Galeni, ut accommodem id, quod ab initio institutum est, præmitto, nullum artis officia subire detrimentum, si omnia medici consilia dumtaxat dirigantur ad sextum digitũ abscindendum, lapidem à vesica projiciendum, obstruentem humorem excludendum, tametsi quis sibi persuadeat, præter digitum, lapidem, vel humorem, nihil aliud membra perpeti ac sufferre.

Alt. Fundamentum. cap. 2.

Altero fundamento sit, quod scribit Gal. libro tertio de locis patientib. *seniuntur enim audaci credendi probabiles esse rationes empyricorum, cum dicunt noscere, quid prosit pleuriticis, & quid noceat, nihilq. sibi ad completam notitiam remediorum deesse: sed quid vel Hippocratem, vel alium quempiam illo priorem induxerit, ut illa inuenirent auxilia, se penitus ignorare, satis ipsis esse, si commodè illis utamur.* Quod exemplo aliorum artificum perinde est: *neque enim*, inquit, *faber, sive lignarius, sive æarius, neque credo, quo pacto artes sua fuerint inventæ, inquirunt: sed à præceptoribus edocti, usu eas probant, & confirmant, atque sic earum nomen assequuntur.* Similiter ego eos mirificè laudo, qui sextum digitum, lapidem, vel pterygium morbos esse profitentur, atq. de his leniter agunt, & quid præter illa corporis nostri partes patiantur, se ignorare ingenuè confitentur, vel nihil curant, cum illis satis sit, ad hos affectus adhibere curationem, quæ tam exquisitam disputationem non requirit.

3. Fundam.

Ex quibus tertium oritur fundamẽtum, quod est, medicum dupliciter dici posse. Vno modo, cum inquirit sanitatis, vel morbi naturam & essentiam, omniq. scie ingenij contemplatur: altero, cum tantum curat, quo tempore solùm officium ejus est, ea diligenter facere quib. utcunq, compietis, & ad exitum perductis, facilè depellitur morbus, & sanitas sine mora introducitur.

1. Assertio.

Hinc colligimus cõtemplanti medico, & ut par est philosophanti statim occurrere partium constitutionem, vel secundum naturam, quæ sanitas, vel præter naturam, qua morb. & veras hujusmodi constitutionum causas.

1. Ratio.

Nam cum actiones ascribantur partib. quas ipsæ non possunt exercere nisi certo modo sint constitutæ ac dispositæ, profectò partes sunt, quæ agunt: sed illarum dispositio agedi ratio est: caliditas verò frigiditas, humiditas, siccitas, cõformatio, numerus, magnitudo, situs, & unitas, ex quibus educitur, instar formæ, partium dispositio, materia quædam reputãtur, cujus varia permutatione, mutationem quoq. facit ipsa dispositio, quæ modo perficit, modo perturbat actiones.

2. Ratio.

Vnde, cum sanitas sit naturalis partium dispositio & cõstitutio, morbum sanitati contrarium earundem partium constitutionem præter naturam statuere debet, qui consilio & ratione non deficitur: nemo enim adeo fuit stupidus, quemadmodũ Gal. observat, ut in alio genere poneret sanitatem in alio morbum.

3. Ratio.

Sic etiam cum sanitatis causæ dicantur quæcunq. partium naturalem dispositionẽ & constitutionem conservãt, naturaliter fovẽdo ea, in quibus sanitas reposita est, ut calorem in similarib. formationẽ in organicis, cõtinuitatẽ in utrisq. sic morbi causæ dicenda sunt omnia quæcunq. dictã constitutionẽ in contrariũ statũ perducũt, illa eadẽ vitiando, ut motus, cũ calorẽ: additũ corpus, cũ numerũ, vel magnitudinẽ: sit, cũ figurã, & hæc, vel magnitudo, cum meatũ corruperint.

Alt. Assert.

Veruntamen curanti medico pro culdubiò morbum esse reputare possumus id, quo posito confestim lædi tur actio, & quo sublato, in naturalẽ statum repentè perducitur, sive primò, & per se, sive secundariò, & per accidens id contingat.

1. Ratio.

Nam dum curamus tam diligẽti inquisitione, & investigatione non est opus: hoc quidem unum considerandum,

dum: quo de pulso, quæcunque sunt præter naturã in nihilum occidũt.

2. Ratio. Quippe si inter omnes convenit, curationis consilia dirigi ad id, quo sublato, sine mora cessat actionis læsio, & æger ex omni molestia conquiescit, quid istud ad nos, si aliquid interjecerit inter rem præter naturam, quam sustulimus, & actionem læsam?

3. Ratio. Veluti si alicui sextus adnascatur digitus, qui tolli postulat (ut hoc ponamus exemplum) profecto nihil confert ad curantis medici officium definiviſſe, digitus ne, an constitutio manus præter naturam reddita, morbus sit appellandus: utrovis enim modo existimantibus æger sanitati restituetur, modo recte præcidatur pars illa præter naturam redundans. Ergo curanti medico morbus est caliditas præter naturam excedens, frigiditas, humiditas, siccitas, soluta continuitas, sextus digitus, corpus nimirum additum, pterygium, lapis, humor oculo suffusus, atque humor obstruens, & meatib. inhærens, quæ ab obstructione tunc non judicatur res distincta: nullam enim hoc affert curationi perturbationem.

Observatio Sic si fuissent opinati juniores, in numero philosophorum à me reponerentur: nunc verò ita sunt angustis & concisis disputationibus philosophicis illigati, ut pudeat me nimium sæpe illorum dogmata recensere.

Apoglottes philos. Quæ, dum commemoro, in mentem venit quidam ἀπὸ γλώττης φίλος, homo quidem odiosus in dicendo, & loquax, qui accedens ad me discedentem à quibusdam publicis disputationibus, ubi de natura morbi disseruerant: ego, inquit, morbus quid esset, nunquam intellexissem, si præceptores mei ita accuratè, & exquisitè ejus naturam descripsissent. At ego, me id facilè creditũrum, respondi. Qua de causa sumpta indicatione ab hujusmodi ingenijs hebetioribus, quæ protrita & vulgata præcepta requirunt, atque animum in profundum, ubi natura veritatem abstrusit, intendere, ac defigere nequeunt, incurationib. quid morbum reputare possimus observavi, ἐμνήσθην quidem cum Paulo ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ ἀνέστενον.

UTRUM ALIQUI MORbi sint privationes.

QUÆSTIO. XLIX.

QUEMadmodum experimur diminuto numero, vel magnitudine imminuta, nullã quantitate aliam exagerari, vel amplificari, quoniam quantitatum non est pugna, similiter in præsentia possumus animo intueri simplicẽ qualitatẽ, ut solã caliditatẽ diminutã, augmenti autem frigiditatis obliuiſci, non secus ac si solùm caliditas diminui posset absq. intensione frigiditatis oppositæ. Nam, ut retrò dictum est, calida intemperies ex calore languido per se potest actionem lædere, quantumvis sensus in frigus excedens culpam transferat. Igitur constituto, quod ex numero, vel magnitudine diminutis lædantur actiones, atque remissa caliditate, vel frigiditate (quas nos hic supponimus habiles ad lædendum) non injuria quærimus, an aliqui morbi sint privationes. Quæſt. 26.

1. Opinio. Medicorum nõnulli aliquos morbos dari, qui sint privationes audacter defendunt: at non videntur mihi suam opinionem probè stabilire. Ego verò illis, quam potero, tendam opem, ut veritas in hac disputatione limetur.

Fundamẽ. Philosophorum aliqui fortiter tuentur decretione quantitatis, vel remissione qualitatis non comparari aliquid, quod revera sit: sed puram privationem. Cujus cõsilij sequaces supponũt decretionẽ & remissionẽ nõ esse motus positivos, ut dicũt, sed purè negativos, veluti cum pars corporis aliqua fit quantitate minor, vel calor ventriculi naturalis imbecillitatur, horum motuum terminos quantitatem, vel qualitatem esse negant, atq. potiùs purã corruptionẽ, & privationem abeuntis quãtitatis, vel qualitatis esse tenent, quod duabus rationibus monstrant.

1. Ratio. Nã si in decretione, & remissione consequeretur quantitas, vel qualitas aliqua, licet minor, quam in accretione & intensione, in quibus

ac

1. ad Rom.

acquiritur quantitas, vel qualitas maior, protectò non distingueretur specie accretio & decretio, itéq. remissio & intensio, siquidem utroq. motu oppositò acquireretur eadem forma specifica, magis enim & minus non possunt speciem variare, cùm sint rationes accidentariæ & extraneæ.

Alt Ratio. Quod manifestiùs deprehenditur in eâ remissione, qua remittitur omninò & corrumpitur qualitas, ut cum aqua sese ad nativum frigus reducens, omnem prorsus calorem abjicit: ea enim remissio ipso non gradu terminatur. Quare terminus remissionis non est minor qualitas, sed non qualitas, sive omnino corrumpatur, ut in proposito exemplo, sive ex parte, ut contingit, cum peracta remissione remanet aliquid formæ. Nam quod forma relicta obtineat rationem totius, cum habuisset antea rationem partis, id omninò extrinsecum est, & ex accidenti se habens ad motum remissionis.

Quo jacto fundamento, qui se nimis philotheorò præbuit, & usq. eo fervet agitatione mentis, ut morbos nonnullos privationes esse mordicus teneat, sic poterat suam tuerier sententiam confirmare.

Ratio. Deficiens numerus, diminuta magnitudo, remissa caliditas, vel frigiditas privationes sunt: sed deficiens numerus, magnitudo, caliditas, & frigiditas sunt morbi, ergo aliqui morbi sunt privationes. Assumptio Galeni est, tum ex capite octavo, & nono hujus libri, tum ex illis, quæ in quæstione vigesima septima dicta sunt. Probatur propositio. Termini decretionis & remissionis non sunt positivi, sed meræ negationes & privationes, ut ex fundamento constat: sed diminutus numerus, diminuta magnitudo & remissa caliditas, vel frigiditas, sunt termini decretionis & remissionis, ergo diminutus numerus, magnitudo, & caliditas diminutæ non sunt res positivæ, sed puræ negationes & privationes.

Oppositam sententiam defendût 1. Epist. quidam, qui morbum in certo rerum genere constituerunt.

Lib. 1. c. 1. Nam Aristoteles in initio libri quinti physicorum dinumerat omnes mutationes, quarum termini sunt negationes, & privationes substantiæ, quantitatis, qualitatis, & loci, quas corruptiones appellavit: mox verò decretionem inter motus veros positivos recensuit. *Is autem*, inquit, *qui est in quantitate* (de motu loquebatur) *communis quidem nomen non habet, utriusq. verò habens, vim potest*, hoc est, *accretio & imminutio, quorum is, qui ad perfectam est magnitudinem, accretio, qui verò ex hac imminutio.* Cap. 2. Auxesis. Phthisis.

Alt. Fund. Hinc D. Thomas existimavit ad veram motus rationem non oportere, ut nova res per eum comparetur, sed satis esse, quod eadem res sub novo modo contequatur. Nam cum talis acquisitio per successionē fiat, ex eo proprié dicitur actus entis in potentia, quatenus in potentia, atq. motus perfectus, & positivus, cum ad illum modum positivum tendat. Vnde liquo discesto ab eoq. detracta portione aliqua, id, quod remanet, quod quidem antea pars erat, cōparat sibi novum modum, meritò cujus ex parte fit totū, ex nō supposito fit suppositū, & ex nō ente perfecto fit ens perfectū. Vnde motus ad quantitatē ex Aristot. distribuitur in duas species veras & positivas nimirum in accretionem, & decretionem.

Assertio. Ratio. Ex quib. concludūt nullum morbum esse privationem. Quandoquidem nullus terminus accretionis, vel decretionis, alterationis, vel loci mutationis est privatio: sed omnis morbus est terminus accretionis, vel decretionis, alterationis, vel loci mutationis (sive id per se, sive per accidēs intelligatur) ergo nullus morbus est privatio. Assumptio constat ex superiorib. Valet propositio. Nam terminus accretionis est perfecta magnitudo, ut dixit Aristoteles: terminus verò decretionis est magnitudo à perfecta declinans, ut ex verbis ejusdem colligitur. Similiter arbitrandum est de alteratione, quoniā terminus intensionis est qualitas intensa, terminus remissionis qualitas remissa, nēpe ab intensa declinans (de loci mutatione quæstio non est) ergo nullus terminus accretionis, vel decretionis, alterationis, vel loci mutationis est privatio.

Auctoris opinio. Nos hanc rem multò aliter declaramus. Nam sanitas est qualitas & naturalis dispositio partium nostri
1. Fundam. corporis, qua bené ac fæliciter habent: morbus verò ejus contrarium est qualitas & dispositio præter naturam, qua partes turpiter & nequiter faciunt, quod à natura illis impositum est. Qua ratione morbus formaliter sumitur, & profectò qualitas est, ut his verbis utar, realis & positiva, quantumvis ex materiei privatione, ut numeri, vel magnitudinis, originem traxerit.

Quid, quod quantitas & qualitas nostri corporis nûquam ad nihilum
Alt. Fund. recidunt animali vivente, sed imminuuntur, & remittuntur. Quare licet decretione & remissione acquiratur privatio alicujus quãtitatis, vel qualitatis, perpetuò tamen remanet quãtitas aliqua, vel qualitas, quæ concurrit ad partis actionem tametsi vitiatam, propter quantitatis, vel qualitatis defectionem.

Quibus positis hac de re imposterum sanciamus. Si formaliter de mor
1. Assertio. bo sermo est, asserimus nullum morbum esse privationem.

Quandoquidem nulla qualitas vel dispositio est privatio: morb. omnis
1. Ratio. formaliter sumptus est qualitas & dispositio, ergo nullus morbus est privatio.

Nulla privatio, vel pura negatio
2. Ratio. opponitur sanitati: sed sanitas & morb. sunt opposita, atq. sub uno & eodem genere subjecta, igitur nullus morbus est privatio.

Nulla privatio potest efficienter
3. Ratio. inferre damnum partib. nostri corporis: omnis morbus impedit partium actiones, unde nullus morbus est privatio.

Itidem, si materialiter verba facimus de morbo, nullus morbus est
Alt Asser. privatio.

Quoniam nulla quantitas, vel qualitas, vel positio est privatio: sed omnis morbus, dum ita loquimur de
1. Ratio. morbo, vel est quantitas, vel qualitas, vel positio, ergo nullus morb. est privatio. Explicemus assumptionem, ut tollatur omnis dubitatio. Caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & formatio qualitates sunt: numerus, magnitudo & solutum continuum quantitates: connexio quantitatis est, ut dicemus: situs suã categoriã cõstituit, igitur omnis morb. si, ut dixi, materialiter sumatur, quantitas, vel qualitas, vel situs est.

Præterea nulla privatio est principiũ constitutionis, omnis morb. ita sumptus, est principiũ cõstitutionis, ergo nullus morb. ita sumptus privatio est. Probatur assumptũ, quia morbi natura consistit in dispositione, quæ consurgit ac emergit tanquã ex materia, ex multis, ut in partib. similarib. ex primis qualitatib. in organicis ex formatione, numero, magnitudine & situin utriusq. partib. ex cõtinuo divisio. Quæ quidem morbi materia sunt, & ad illius compositionẽ ingrediuntur, quamvis præter naturam remissa, vel imminuta. *2. Ratio.*

Iam verò, si mera privatio non ingreditur morbi constitutionem, mul
3. Ratio. tò minùs valebit ad actiones corporis constituti.

Dices numerus diminutus cõcurrit ad actiones instrumentales læsas,
Objectio. quatenus incrementi naturalis est expers, & quatenus diminutus, atq. privatus est, igitur privatio numeri est principium actionis læsæ, unã cum formatione, magnitudine & situ, & ex consequenti morb in numero diminuto, ut dixi, materialiter sumptus est privatio.

Tantali horti. Respondeo, si speciatim loquaris de numero diminu-
Solutio. to, ut diminutus est (specificativè in scholis) tunc non privationẽ, sed quãtitatem decurtatam & numerũ ipsum diminutum, atq. re ipsa rem positivã intelligis, quæ tamen hõ attingit debitũ incrementum, quo debebat cũ consortib. ad actiones cõvenire, atq. proinde morb. Si verò reduplicas (reduplicativè dicunt) profectò numerus diminutus, ut diminutus (quemadmodũ canis mortuus, quatenus mortuus) nec morb. est, nec officit actionibus, nec proficit hilum, in nihilum recidit, fumi umbra est.

Rationis primæ opinionis, quæ cõtra nos est, negamus propositionẽ, atq. similiter probationis propositionem, quoniam existimamus cũ philosophis alterius opinionis, terminos decretionis & remissionis esse minorẽ quãtitatẽ, & qualitatem, qui termini

termini positivi sunt: nunquam enim viventib. nobis omninò corrumpuntur, ut dictum est.

ARG. CAP. IX.

TRACTAT de morbis in magnitudine, quos à morbis in numero distinguit. Deinde auctionem & diminutionem morbi in magnitudine differentias esse tradit.

CAP. IX. Tex. 40.

B

AM verò quoniam hujus generis ægritudines explanavimus, nunc de ijs, quæ ad magnitudinem pertinent, quocunq. nomine censeantur, disseramus. Differunt autem ab eo, quod supra diximus, genere. Nam, si naturali membrorum figura constante, magnitudo depravetur, cum ob hoc ipsum lædatur operatio, pars ægritudo contingit. Veluti si in prima formatione animalis, tantam habuerit lingua magnitudinem, ut ad nullam oris partem deflecti possit: aut parvitatem tantam, ut omnes illius partes nequeat attingere. In perfectis verò, supra naturalem magnitudinem membra non admodum frequenter excrescunt, frequentius verò minuuntur: atque hanc ægritudinem nonnulli atrophiam, id est, alimenti defectum, nonnulli phthisim, id est, tabem nuncupãt membri. Augmenta verò particularũ in ulceribus fiunt, in quibus caro redundat, & in eo morbo, qui à græcis priapismus appellatur. Nicomacho autẽ Smyrnæo ad tantam molem corpus increvit, ut loco moveri nõ posset, sed hunc aiũt ab Æsculapio curatum. Nos autẽ vidimus cujusdam linguam supra modũ absq. ullo doloris sensu excrevisse: ut neq. mollis tumor, quod græci oedema appellant, neq. durus, quem ijdem scyrrhon appellant, neq. inflammatio esse videretur: neq. enim prementi manui cedebat, neq. omni sensu carebat, neque dolore infestabatur: sed hoc ipsum, incrementum duntaxat erat, nihil ipsa substantia particulæ vitiata. Sic & testiculi, & ubera, alijsq. uterq. alijs alter tantũmodo supra modum increvit. Et, quæ struma vocatur, est ex hoc genere, quæ, ubi nimium excesserit, magnam operationib. affert incommoditatem. Et ex eadem etiam sunt genere, angulorum in oculis immoderationes, ex quibus immoderatum quidem augmentum, encanthida, diminutionem autem rhocada græci appellãt. Tales sunt in hoc genere ægritudinum differentiæ.

A

C

COMMENTARIVS.

D

CVM numerus, & magnitudo sint ejusdem generis, ut in fine præteriti capitis observavit, post morbos in numero, qui magis in promptu sunt, aggreditur ad disputationem de morbis in magnitudine, aut quomodocunque eos nominare placuerit. Sed cum ex his, quæ dixit, posset quis colligere morbum in magnitudine semper conjunctum & consociatum esse cum morbo in numero, neq. per se solũ posse corpus, vel illius partes affligere, solicitus de hujus affinitatis dissidio, quãprimũ voluit dirimere societatem, nec satis esse putans dixisse numerum ad quãtitatẽ differetã,

magnitudinem verò ad continuam pertinere. *Differunt autem*, inquit, *ab eo, quod supra diximus genere*, quasi diceret. Quamvis superiùs consociaverimus morbos in magnitudine cum morbis in numero: tamen hoc loco, ubi separatim disputamus de morbis in magnitudine, observandum est, posse magnitudinem præter naturam absque numero vitiato reperiri. Nã, si naturalis membrorũ figura manet, magnitudo autem corrũpitur, & ob eam læditur actio, profectò sola ipsa magnitudo partis morb. erit. Regula est, qua distinguere ac separare possimus in instrumentis morbum in magnitudine à morbo in numero, continuòq. secernere, an sola magnitudo vitiata sit, an cum ea similiter & numerus. Ergo, si alicujus instrumenti magnitudo corrumpitur, figura verò ejusdem instrumenti nativa integra, & incolumis conservatur, morbus sanè in magnitudine solus erit, ut si cuipiam in prima statim conformatione lingua vel ad tantam increscat magnitudinem, ut ad nullam oris partem sese deflectere possit, vel plus justo sit minor, ut ob suam parvitatem omnes oris partes attingere nequeat, ejus vero naturalis figura manet, ũnicum tantum morbum, in magnitudine scilicet, lingua patietur. Hæc ratio est à signo de prompta, qua suggesta Gal. se ad differentias convertit.

Divisio. Secatur morbus in magnitudine quemadmodum morbus in numero: alter enim est in excessu magnitudinis, alter in defectu ejusdem. Horum uterque tum univẽrso corpori, tum cuilibet partì accidere potest, atque vel in prima conformatione, vel post quam in lucem editum animal est. Tamen adultis partes non ita frequẽter ad magnitudinem præter naturã increscunt, sed frequentiùs imminuuntur.

Exempla hisce omnibus adjuncta sunt, quæ prodere aliquantulum à Galeno deflectens consultò deliberavi. Itaq. totum corpus adeo interdum augescit, ut segniùs, & imbecilliùs fiat naturã, & actionib. Id quod Nicomacho Smyrnæo accidisse tradit Gal. cujus corpus adeo immodicè fuit auctũ, ut se ipsum movere nõ posset: *ἀλλὰ περὶ μὲν ὁ Ἀσκληπιὰδης ἀκρι-*

E *sed hunc quidem Æsculapius sanavit* (Asclepiabem opinor Galenum dicere voluisse, immò dixisse, scripsisseq. ut Ἀσκληπιάδης sit, non Ἄσκληπις scriptum: nam hæc permutare facilè fuit.) Quæ actiones potissimùm offendantur obesitate, & corpulentia refert Galenus decimo quarto medendi metho di. *Neq.* inquit, *corpus ingredi sine molestia potest, neque sedem propter ventris molem contingere, sed nec libere respirare.* *Cap. 14.*

Partes etiam solent hoc modo laborare: narrat enim Gal. se vidisse linguam cujusdam plurimùm auctã: figura tamen illius naturali manente, F unde colligere potuit sola magnitudine vexari. Hinc scribit citra omnem dolorem accessionem factã esse, ut neq oedema esse videretur, quòniam *pramentibus non excavabatur*: at in oedemate cavatur compressa pars: neq. scirrhus, quoniam *lingua non erat omni sensu destituta*: cum tamen in scirrho, præsertim exquisito, nullus sensus in parte relinquatur: neq. phlegmone, quoniam dolore non infestabatur: at dolor signum phlegmonis est.

Observandum verò hunc magnitudinis excessum, in quibusdam partibus proprio nomine signari: in quibusdam incrementi nomine communi appellari. Porrò auctio pudendi G *Priapismus quid.* flabilis in longitudinem & orbem tumefacti citra rei venereæ appetentiam, græcis priapismus dicitur, latinis tentigo, quod immodicum partis incrementum magnitudo præter naturam est. *Tentigo quid.*

Priapus & Lampsacus urbes fuerunt in Hellesponto, & in Priapo rusticus quidam tanto membri virilis magnitudine fuit, ut è civitate fit pulsus, ne mulieres devastaret, unde Priapum à loco dixerunt, & ut numini templum dedicarũt, de quo in sacris H *3. Reg. 15. num. 13.* literis antiqua commemoratio. Ab hoc igitur Priapo *deducta denominatio est*, ut scribit Gal. *Nam illum, ut cui suapte natura hujusmodi colis esset, ita finxerunt, atque pictura describserunt homines.* *6. de loc. aff. cap. 6.*

Nomen etiam habet propriũ strũma. Item peculiare nomen habet encanthis, quæ proprié dicitur oculorum angulus maior naso proximus: inde verò ejus etiam morbo inditũ

Idem

idem nomen est, & significat tuberculum, quod in ipso angulo maiore nascitur carne naturaliter excrescéte. Verum magnitudinis excessus capitis, linguæ, crurium, mammarum, testium, carnis, aliarumq. partium communi nomine incrementi appellantur. Sed non minus hæc, quam superius recensita, vel totius, vel partium incrementa fiunt propter alimenti delati ad partes copiam immodicã. Quæ enim propter congestum aliquem excrementitium humorem, vel alium defluentem, corpori, & partib. illius contingunt moles, & amplitudines, propriè tumores præter naturam vocantur.

A

Indefectione magnitudinis eadem B veniunt observãda. Vniversum enim corpus similiter & partes quælibet frequenter imminuuntur, atq. morb. per quem extenuantur græcis atrophia, latinis vero alimenti defectus.

Atrophia quid.

Atrophia est nutritionis defectio, in qua non alitur corpus, atq. naturaliter aliquib. semper decentib. nullis vero in eorum locum subeuntib. summa oritur macies.

7. aph. 16. 1. Epid. 1. 18.

Phthisis quid.

Hæc alio nomine phthisis vocatur, latinis tabes, ut quæ generatim omnem corporis maciem ac diminutionem significat: quavis enim Hip. ut refert Gal. phthisim appellaverit C eam affectionem, quam græci, & præsertim Athenienses phthoen propriè nominant, scilicet extenuationẽ totius corporis cum febre parva ob pulmonis ulcera insanabilia: tamen phthisis generaliter dicitur omnis extenuatio, & rei cujuslibet imminutio, gracilitas, & colliquatio, quam significationẽ vis est usurpare idem Gal. tertio aph. qua notione communi sumitur hoc loco. Dicet tamen aliquis, nonne atrophia numeratur in

Com. 10. Objectio. lib. de diff. symp. ca. 4.

symptomatis à Galeno? Numeratur, D quoniam est actio læsa nutricis facultatis.

Solutio.

Verum hoc loco sumitur pro tabe ac diminutione corporis, quæ sequitur illam actionem læsam.

Postremò refertur inter morbos, qui ad diminutam magnitudinẽ pertinent rhæas, vel potius rhyas, quæ encanthidi opposita, decrementum est carnis in majore oculi angulo. Inde evenit, ut malè curata encanthide, ea nempe caruncula, quæ supra modum creverat, plus æquo abscisa, succedat rhyas. Quod, ubi acciderit, patescit foramen, per quod semper involuntariæ lachrimæ descendunt.

EPITOME.

Quamobrem, licet morb. in magnitudine, atq. morb. in numero læpissimè coniungantur: sola tamen alicujus partis magnitudo præter naturã reperitur, quum partis figura conservatur: morb. autem in magnitudine duplex est, quoniam magnitudo, vel est præternaturam aucta, vel præter naturam diminuta, utraq. vel in prima conformatione, vel post ortum accidit.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

VTRVM IN MORBIS magnitudinis semper: in morbis verò numeri nunquam, servetur figura naturalis.

QVÆSTIO. L.

1. *Opinio.*

EX jis, quę interpretes ad priorẽ hujus capitis partem adjecerunt, occasionem arripui disputandi, an conservetur figura naturalis in morbis numeri, & magnitudinis. Porrò ipsi commentati sunt Galenum principio eos, qui in magnitudine sunt, morbos, ab jis, quæ in numero consistunt, separasse, ac alterius esse generis prædixisse, quod in morbis, qui ad vitiatum numerum spectant, figura naturalis necessario corrumpatur; ut si in manu digitus, aut deest, aut abundet: in morbis verò magnitudinis eadem totius instrumenti, vel partium servetur figura, solaq. mutetur magnitudo ipsa, ad excessũ, vel defectum, veluti Galeni exemplum de lingua supra modum aucta, luculenter monstrat. Nam tum nativa linguæ figura manet, solaq. magnitudo eius corrumpitur, & quidem adeo, ut linguæ actio lædatur.

Sed

magnitudinem verò ad continuam pertinere. *Differunt autem*, inquit, *ab eo, quod supra diximus genere*, quasi diceret. Quamvis superiùs consociaverimus morbos in magnitudine cum morbis in numero: tamen hoc loco, ubi separatim disputamus de morbis in magnitudine, observandum est, posse magnitudinem præter naturam absque numero vitiato reperiri. Nã, si naturalis membrorũ figura manet, magnitudo autem cortũpitur, & ob eam læditur actio, profectò sola ipsa magnitudo partis morb. erit. Regula est, qua distinguere ac separare possimus in instrumentis morbum in magnitudine à morbo in numero, continuòq. secernere, an sola magnitudo vitiata sit, an cum ea similiter & numerus. Ergo, si alicujus instrumenti magnitudo corrumpitur, figura verò ejusdem instrumenti nativa integra, & incolumis conservatur, morbus sanè in magnitudine solus erit, ut si cuipiam in prima statim conformatione lingua vel ad tantam increscat magnitudinem, ut ad nullam oris partem sese deflectere possit, vel plus justo sit minor, ut ob suam parvitatem omnes oris partes attingere nequeat, ejus vero naturalis figura manet, unicum tantum morbum, in magnitudine scilicet, lingua patietur. Hæc ratio est à signo de prompta, qua suggesta Gal. se ad differentias convertit.

Divisio. Secatur morbus in magnitudine quemadmodum morbus in numero: alter enim est in excessu magnitudinis, alter in defectu ejusdem. Horum uterque tum universo corpori, tum cuilibet partì accidere potest, atque vel in prima conformatione, vel post quam in lucem editum animal est. Tamen adultis partes non ita frequẽter ad magnitudinem præter naturã increscunt, sed frequentiùs imminuuntur.

Exempla hisce omnibus adjuncta sunt, quæ prodere aliquantulum à Galeno deflectens consultò deliberavi. Itaq. totum corpus adeo interdum augescit, ut segniùs, & imbecilliùs fiat naturã, & actionib. Id quod Nicomacho Smyrnæo accidisse tradit Gal. cujus corpus adeo immodicè fuit auctũ, ut se ipsum movere nõ posset: ἄλλα περὶ μὲν ὁ Ἀσκληπιὸς ἰάσατο: *sed hunc quidem Æsculapius sanavit* (Asclepiabem opinor Galenum dicere voluisse, immò dixisse, scripsisseq. ut Ἀσκληπιάδης sit, non Ἀσκληπιὸς scriptum: nam hæc permutare facilè fuit.) Quæ actiones potissimum offendantur obesitate, & corpulentia refert Gal. nus decimo quarto medendi methodi. *Neq.* inquit, *corpus ingredi sine molestia potest, neque sedem propter ventris molem contingere, sed nec libere respirare.* *Cap. 14.*

Partes etiam solent hoc modo laborare: narrat enim Gal. se vidisse linguam cujusdam plurimùm auctã figura tamen illius naturali manente, unde colligere potuit sola magnitudine vexari. Hinc scribit citra omnem dolorem accessionem factã esse, ut neq oedema esse videretur, quòniam *pramentibus non excavabatur*: at in oedemate cavatur compressa pars: neq. scirrhus, quoniam *lingua non erat omni sensu destituta*: cum tamen in scirrho, præsertim exquisito, nullus sensus in parte relinquatur: neq. phlegmone, quoniam dolore non infestabatur: at dolor signum phlegmonis est.

Observandum verò hunc magnitudinis excessum, in quibusdam partibus proprio nomine signari: in quibusdam incrementi nomine communi appellari. Porrò auctio pudendi stabilis in longitudinem & orbem tumefacti citra rei venereæ appetentiam, græcis priapismus dicitur, latinis tentigo, quod immodicum partis incrementum magnitudo præter naturam est. *Priapismi quid.* *Tentigo quid.*

Priapus & Lampsacus urbes fuerunt in Hellesponto, & in Priapo rusticus quidam tanto membri virilis magnitudine fuit, ut è civitate sit pulsus, ne mulieres devastaret, unde Priapum à loco dixerunt, & ut numini templum dedicarẽt, de quo in sacris literis antiqua commemoratio. Ab hoc igitur Priapo *deducta denominatio est*, ut scribit Gal. *Nam illum, ut cui suapte natura hujusmodi colis esset, ita finxerunt, atque picturæ descripserunt homines.* *3. Reg. c. 15. num. 13.* *6. de loc. aff. cap. 6.*

Nomen etiam habet propriũ strumа. Item peculiare nomen habet encanthis, quæ proprié dicitur oculorum angulus maior naso proximus: inde verò ejus etiam morbo inditũ

idem nomen est, & significat tuberculum, quod in ipso angulo maiore nascitur carne naturaliter excrescēte. Verum magnitudinis excessus capitis, linguæ, crurium, mammarum, testium, carnis, aliarumq. partium communi nomine incrementi appellantur. Sed non minus hæc, quam superius recensita, vel totius, vel partium incrementa fiunt propter alimenti delati ad partes copiam immodicā. Quæ enim propter congestum aliquem excrementitium humorem, vel alium defluentem, corpori, & partib. illius contingunt moles, & amplitudines, propriè tumores præter naturam vocantur. A

Indefectione magnitudinis eadem veniunt observāda. Vniversum enim corpus similiter & partes quælibet frequenter imminuuntur, atq. morb. per quem extenuantur græcis atrophia, latinis vero alimenti defectus. B

Atrophia quid. Atrophia est nutritionis defectio, in qua non alitur corpus, atq. naturaliter aliquib. semper decentib. nullis vero in eorum locum subeuntib. summa oritur macies.

Hæc alio nomine phthisis vocatur, latinis tabes, ut quæ generatim omnem corporis maciem ac diminutionem significat: quāvis enim Hip. ut refert Gal. phthisim appellaverit eam affectionem, quam græci, & præsertim Athenienses phthoen propriè nominant, scilicet extenuationē totius corporis cum febre parva ob pulmonis ulcera insanabilia: tamen phthisis generaliter dicitur omnis extenuatio, & rei cujuslibet imminutio, gracilitas, & colliquatio, quam significationē vis' est usurpare idem Gal. tertio aph. qua notione communi sumitur hoc loco. Dicet tamen aliquis, nonne atrophia numeratur in symptomatis à Galeno? Numeratur, quoniam est actio læsa nutricis facultatis. Verum hoc loco sumitur pro tabe ac diminutione corporis, quæ sequitur illam actionem læsam.

7. aph. 16. 1. Epid. 1. 18.

Phthisis quid.

Com. 10. Objectio. lib. de diff. symp. ca. 4.

Solutio.

Postremò refertur inter morbos, qui ad diminutam magnitudinē pertinent rhæas, vel potius rhyàs, quæ encanthidi opposita, decrementum est carnis in majore oculi angulo. Inde evenit, ut malè curata encanthide, ea nempe caruncula, quæ supra modum creverat, plus æquo abscisa, succedat rhyas. Quod, ubi acciderit, patescit foramen, per quod semper involuntariæ lachrimē descendunt. C D

EPITOME.

Quamobrem, licet morb. in magnitudine, atq. morb. in numero sæpissimè coniungantur: sola tamen alicujus partis magnitudo præter naturā reperitur, quum partis figura conservatur: morb. autem in magnitudine duplex est, quoniam magnitudo, vel est præternaturam aucta, vel præter naturam diminuta, utraq. vel in prima conformatione, vel post ortum accidit.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

VTRVM IN MORBIS magnitudinis semper: in morbis verò numeri nunquam, servetur figura naturalis.

QVÆSTIO. I.

1. Opinio

EX jis, quę interpretes ad priorē hujus capitis partem adjecerunt, occasionem arripui disputandi, an conservetur figura naturalis in morbis numeri, & magnitudinis. Porrò ipsi commentati sunt Galenum principio eos, qui in magnitudine sunt, morbos, ab jis, quæ in numero consistunt, separasse, ac alterius esse generis præcixisse, quod in morbis, qui ad vitiatum numerum spectant, figura naturalis necessariò corrumpatur; ut si in manu digitus, aut dent, aut abundet: in morbis verò magnitudinis eadem totius instrumenti, vel partium servetur figura, solaq. mutetur magnitudo ipsa, ad excessū, vel defectum, veluti Galeni exemplum de lingua supra modum aucta, luculenter monstrat. Nam tum nativa linguæ figura manet, solaq. magnitudo eius corrumpitur, & quidem adeo, ut linguæ actio lædatur.

Sed

Sed hæc interpretatio multos in-
Refutatur. duxit in errorem, qui se interpretũ fidei commiserunt. Nam illud falsum est, quod nunquam servetur figura in numero depravato.

Etenim ubi aliqua duntaxat pars
1. Ratio. simplex de instrumento sublata est, ut vena, arteria, nervus, hic morb. ad solum numerum refertur, nullatenus mutata instrumenti figura, ut præterito capite decretum est.

Alienum etiam à veritate existima
2. Ratio. tur, quod in magnitudine depravata eadem maneat perpetuò instrumenti figura. Quoniam superiùs etiam dictum est, morbum esse in numero & magnitudine, quotiescunq. dimidiũ alicujus instrumenti abscisum est, cũ tamen figura maxime sit vitiata.

Præterea in carne supercrescente
3. Ratio. magnitudo crescit, in ulcere cavo decrescit, mutata figura, ergo magnitudo non semper conservat figuram.

Postremò tumores præter naturã,
4. Ratio. qui morbi sunt in magnitudine, ut statim dicemus, ad tantam interdum perveniunt magnitudinem, ut figurã etiam corrumpant.

Quapropter Iacob. Segarra aliam
2. Opinio horum verborum expositionem machinat' est. Arbitratur Galenum hoc loco non distinguere morbos in magnitudine à morbis in numero: sed tãtùm methodum tradere, qua facilè possimus discernere, quando magnitudo sola, & quando cum numero, præter naturam afficiat aliquod instrumentum. Ergo, si læsa magnitudine alicujus instrumenti, nativa figura manet, colligit unicũ tantũ adesse morbum in magnitudine: at vero, si læsa magnitudine, simùl quoq. figura offendatur, concludit præter morbũ in magnitudine, instrumentum etiam laborare morbo in numero.

Sed neq. interpretatio hæc ver-
Confutatur borum Galeni comprehendit sentẽtiam. Dixit quidem magnitudinem corruptam particulæ solùm morbũ esse, ubi nativa partis figura manet: hoc enim erat eius propositum, docere magnitudinẽ sine numero posse instrumentis incommodare, ut maximè pateret horum morborum discrimen: at ubi offenditur figura, magnitudinem læsam comitari numero depravato, non dixit, quippe contra veritatem, & propria principia statuisset. Nam libro de causis morbo- *Cap 7.*
rum inter causas internas corporis & partium illius naturalem figuram depravantes, enumerat auctam, & diminutam magnitudinem: siquidem in obesis propter satietatem immodicam, & in gracilib. & extenuatis propter defectum alimenti, figuram vitiari monstrat. Quod etiã in aucta magnitudine elephantiasis, & in diminuta magnitudine tabis confirmat. Illius verba sunt hæc. *Nam & morb. qui elephas appellatur, & tabes manifestissime figuram immutant. Restimatur enim nasus, & labra crassa fiunt, atq. aures extenuatæ videntur his, qui elephantiasim patiuntur, atq. hi omnino satyrorum effigiem præferunt. Nares autem acutæ, & collapsa semper, & oculi concavi, & circa scapulas & brachia veluti quædam ala his, quos tabes maiè habet, apparent.* Iam verò figura, cum prima ratione, & per se corrumpi possit, atq. secundariò & ex accidente, docet Gal. na- *Ibidem.*
turalem figuram in prædictis affectibus per se, & non ex accidenti depravari. Quamobrem falsum est instrumentum, cujus magnitudo, & figura depravatur, morbo etiam in numero laborare, quoniam sola magnitudo, præsertim diminuta obesse potest, figura mutata, ut est dilucidè monstratum.

Conquiescamus igitur in nostra in
Opinio Auctoris. terpretatione, quæ simplicem & dilucidam habet expositionem sententiæ Galeni, neq. ei, quod nunquam asseruit, imprudenter imponamus. Nam, cum in octavi capitis fine, quæ- *Tex. 38.*
stionem exagitasset, an morb. deficiẽtis numeri semper implicetur cum morbo magnitudinis diminutę, respondisset, morbum in numero semper secum trahere magnitudinem, quamvis ea semper non sit morb. ut si sola simplex particula eripiatur ab instrumento, nũc obstrictus fuit proprio scilicet de magnitudine capite, monstrare eandẽ sæpissimè sine morbo in numero reperiri, nequis hos duos morbos semper coire putaret: docere autem quando magnitudo cum numero coniungatur, id hoc loco nulli usui erat.

DE

DE QVA MAGNI-tudine præter naturam aucta differuerit Gal. in hoc capite.

QVÆSTIO. LI.

Quod non agat de magn. præt. naturam.

SEd utrum voluerit Gal. isto capite tumores præter naturam complecti, difficiliores habet explicatus: etenim hic non videtur disputasse de magnitudine toto genere præter naturam, ad quam tumores dicti referuntur.

1. Ratio.

Nam quemadmodum, quæ abundant in numero, vel sunt ex eorum genere, quæ naturæ conjuncta sunt, vel toto genere præter naturam: non dissimili ratione magnitudo alia fit propter optimi alimenti copiam immodicam ad particulam delati, & hæc est ex genere illius, quæ secundum naturam se habet: alia fit propter cõgestum aliquem excrementitium humorem, vel fluxionem aliunde manãtem, quæ proprié tumor præter naturam vocatur. Gal. tamen, quam in numero meminit, divisionẽ, in magnitudine silentio præterijt, tantum de naturali magnitudine recordatus.

Tex. 35.

2. Ratio.

Præterea dixit morbos magnitudinis auctæ in prima conformatione generati: ijs verò, qui jam in lucem editi sunt & adulti, partes non ita crebrò ad magnitudinem præter naturam increscere: at præter naturam tumores adultis & perfectis frequentissimè accidunt.

3. Ratio.

Deinde, cum demonstravit linguã auctam (quam adduxit exempli causa) morbo in magnitudine verè laborasse, atq. illud malum dumtaxat immodicum incrementum fuisse, id cõfirmavit, quoniam plurimùm aucta fuerat citra dolorem, & tumorem præter naturam, quod per sufficientem præter naturam tumorum enumerationem collegit.

4. Ratio.

Postremò quibusdam exemplis adductis ex eorum genere, quæ secundum naturam se habent, concludit dicens. Atq. hujusmodi sunt in hoc genere morborum differentiæ. Quod certissimum argumentum & inditiũ est propositi illius, nempe hoc capite tantum de magnitudine præter naturam aucta, quæ similitudinem habet cum naturali, tractare voluisse.

5. Ratio. cap. 9.

Vnde libro sequenti tantũ adducet causas magnitudinis auctæ naturali similis, quæ sunt *utilis materiæ multitudo, & facultas valida.*

6. Ratio. cap. 97.

Quibus assentitur libro artis medicinalis, ubi morbum in numero cũ morbo in magnitudine communicari scribit in eo, quod secundum naturam est: in utroque enim affectu, quod additur corpori ex utili substantia fit, & secundum naturam: in eo verò ab eodem sejungi, quod morbus in numero, in ijs, quæ sunt toto genere præter naturam, locum habeat, sed aucta magnitudo semper fiat ex utili substantia, & quæ secundum naturam sit.

7. Ratio. cap. 15.

Vnde libro decimo quarto methodi tumores præter naturam à morbis in magnitudine separavit.

Objectio.

Neq. aliquis existimet strumam toto genere præter naturam semper esse: nonnunquam enim naturaliter adaugetur glandulosum corpus, ut de encanthide dicebamus. Hinc scribit Aetius strumam interdum fieri ex carne, de qua struma, locutum fuisse Galenum est credendum, ut cum alijs exemplis consentiret, conspiraretq.

Solutio.

Lib. 15. cap. 5.

Communis opinio.

Communis opinio, quam ego plurimi facio, defendit Galenum hic omnem magnitudinem auctam, sive naturali similem, sive toto genere præter naturam, comprehendere voluisse: partitionem autem initio capitis cõsultò præterijsse, quoniam ex præterito in hoc commodé trãsferri posse existimavit, satis esse ratus, quod ex natura illorum, quæ sunt toto genere præter naturam, solam strumam adduxisset, exemplo cujus nõstraret quid de reliquis tumoribus præter naturam esset deliberandum.

Gal. locus interpretatus. cap. 97.

Observandum etiam est Galenum in arte parva (ut ejus verba interpretemur aliter atq. superiùs) morbum in numero cum morbo in magnitudine curatione comparasse. Conveniunt, quoniam, quod abũdat, in eorum numero, quæ secũdum naturam se habent, vel deficit, dicitur quodãmodo magnitudine auctum, vel diminutum,

nutum, atque propter hanc communionem eadem remedia postulant, ut si abundat pars, quod est numeri vitium, resecanda est, quemadmodum aucta magnitudo. At quod est toto genere præter naturam, ut à magnitudine sejunctum est ac separatum, ita disparem exigit curationem. Nã in eo scopus objectus est ablatio, quod si hanc parare non possumus, succedit transpositio, ut in fistulosis, sed hoc nihil inservit magnitudini.

Opinio Auctoris.

Quæ quamvis ita sint, & à me libẽter admittantur: accuratius tamen rẽ consideranti, ea fuit opinio, ut putem Galenũ hoc capite de his potissimũ locutum fuisse, quæ sunt ex genere secundum naturam, ut eius verba, & exempla reddita guunt, cuius consilij hæc est causa. In tumore præter naturam tria diximus considerari, intemperiem cum affluxu, additã substantiam, & magnitudinem auctã. Tumor omnis primùm curatur, ut quælibet cum fluxione intemperies. Nam fluentem humorem ad alias partes repellimus, fluxum verò digerimus foras. Quod si nõ digeritur quid quid humoris in particulam procubuit, cõcoctioni operam damus, quã necessario consequuntur *putris generatio, & eius in aliquod spatium abscessio*, ut libello de inæquali intemperie dictum est, quo tempore tumorem instar morbi in aucto numero tractamus. Nam curationis illi' scop' est, putris, quod præter naturam in particulam additum est, evacuatio. Iam de magnitudine nulla fit mentio, quã vis per se indicaret, atq. distinctam curationem ab intemperie ac numero excedenti postularet, quoniam ut libro undecimo medendi methodi scribit Gal. *non est ex usu semper omnib. quæ præter naturam sunt, mederi, sed cum sola per se subsistunt.* Quæ cum ita sint, maluit G. capite quinto in intemperies cum affluxu, & capite octavo, in morbos numeri toto genere præter naturam aucti, referre tumores præter naturam, quam in capite de magnitudine reponere, cũ nihil interesset ad curatricis indicationis raritatem, cuius gratia hæc omnia perquirebat.

Ea. 8. q. 42. ad 8.

Cap. 3.

Cap. 12.

E

F

G

H

DE TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM AD MAGNITVDINEM AVCTAM REFERANTVR.

QVÆSTIO LII.

TVmor, & acervus, vel cumulus, quibus vitium, & cõtactum incurrit, pulsatilis dolor, tensio, renixus, tubor, & alia id genus, græcis pathognomonica signa phlegmonis dicta sunt, quam ex necessitate sequuntur, & illius nobis afferunt cognitionem. Quomodo si cõsideremus tumorem, quatenus scilicet ex eo notitiam phlegmonis habemus, symptoma est: at verò, si molem expendamus & accessum, qui ad naturalem partium magnitudinem factus est, tum partiũ organicarum passio judicatur, quoniam illarum structura in convenienti particularum magnitudine, inter alia posita est.

Lib. de ĩæq. intemp. cap. 3.

Lib. de artis med. 15. de nat. præter nat. c. 2. 1. meth. 8 7. meth. 2 14. met. 2

Tamen Comes Montanus distinguit tumores eos, qui actionem lædunt suæ magnitudine, ab ijs, qui minores sunt, quam ut actionem magnitudine impediant: minores in numero intemperierum reponit: sed qui lædunt actionem, ad instrumentales remittit.

Lib. 2. de morbis 33

Quod his verbis Galeni cõfirmat, capite hujus operis duodecimo cõscriptis *Exulcerata, atq. una inflammata membra, triplicitur naturam modum ægrediuntur, cum ob usus quidem unitatem suarum partium amittant, ob inflammationem verò calidiora, atq. humidiora reddũtur, quam naturalis exigat habitus: namq. qui in ipsis est tumor, si ad tantam magnitudinem attollatur, ut ob hoc ipsam actionem impediat, tunc iam morb. esse existimandus: si autem membrum ex hoc nullam patiatur in actionib. iacturam, symptoma tantummodo, & pathema censebitur.*

Text. 44

Ex quib. concludit, præter naturã tumores semper esse intemperies cũ affluxu substantiæ, sed interdum etiã magnitudinis morbos, quando influxus illius substantiæ adeo attollitur ut magnitudine actiones lædat.

Veruntamen Montanus promisc-

Refutatio

cuè

cuè & minus propriè de tumorib. locutus est. Nam, si tumori suum genus proprié tribuamus, eundem instrumentalem passionem aperté iudicabimus.

1. Auctori Galeni. c. 5

Quoniam tertio de temperamentis docet G. *in his particulis, quæ phlegmone laborant, duplicem affectum in esse, unum in quantitate ex abundantia supervacui naturæ modum excuntis, alterum in qualitate, qui ex caloris spectatur ratione.*

2. Auctor. c. 1.

Secundo secundum locos, *Humectantes verò*, inquit, *penitus nullum dolorem inducunt, quantum ad qualitatem illorum attinet* (de humorib. redundantib. loquebatur.) *ob multitudinem verò instrumentalium partium morbos faciunt.*

3. Auctor. c. 1.

Decimo tertio methodi scribit, se disputaturum *de tumorib. qui præter naturam incidunt, in quib. partes a naturali habitu in quantitate recesserunt*. Tumores ergo præter naturam morbi sunt in aucta magnitudine, quæ præter naturam dicitur.

Diastema. 1. Ratio. Lib. de tū præter nat. cap. 1.

Præterea tumor διάστημα est, docente Galeno, quod intervallum, vel spatiū significat, nec aliud intelligimus per tumorem, quam partium distentionem in longum, latum, & profundum, quæ multùm distant à primis qualitatib.

2. Ratio. cap. 2.

Deinde parvus tumor non minus tumor est, quam magnus, atq. ut dicebat G. primo de locis patientib. *inflammatio, sive maxima, sive minima fuerit, unus atq. idem affectus est, non specie quidem, sed magnitudine varius.* Cum igitur magnum, & parvum non possint collocare tumores in contrale distinctis morborum generib. nec aliqua intemperies erit tumor, nec poterit tumor aliquis esse intemperies.

3. Ratio.

Siquidem pars similaris, quatenus similaris. quatenus similaris est, non potest affici pathemate instrumentali, neq. instrumentum morbo similari, ut patebit inferiùs. Maximo enim errore ductus esset G. cum partitus fuit morbum in similarem, & organicum, si coincidere rursus possent.

Quæst. 58. 4. Ratio.

Objectio.

Quod si in omni parte similari in esse dixerimus certam figuram, numerum, magnitudinem, & compositionem, hæc ad apparatum organicum pertinere diximus. Vnde non omnis morb. qui inhæret in parte similari similaris est, nisi ille, qui solius temperamenti, vel continuitatis similaris partis vitium est.

Solutio.

Objectio. Tex. 21.

Quod si causam quæras, cur G. capite quinto, vbi ex instituto de intemperieb. cum fluxione humorum est locutus, attulit tumores pro exemplis, facilis est, & prompta responsio.

Solutio.

Voluit rem exponere ac declarare exēplis ante oculos positis, quia nullus ignorat intemperiem partis tumore laborantis prouenire ac foueri ab humore, qui in tumore continetur: nihilominus tamē duos inibi affectus adesse, auctam magnitudinē, quam humoris quantitas, & intemperiem, quam ejusdem qualitas sustentat, & conservat, manifestum est. Magnitudo & tumor ad instrumenta pertinet, intemperies ad partes similares.

Objectio.

Sed iterum objectabis, quādo parvus tumor non est morb. quia nequit ob parvitatem actionem lædere, includit tamen intemperiem, quid obstat, quominus inter intemperies numeretur?

Solutio.

Hoc nimirum, quoniam similare, & organicum sub eodem genere cōtrasē sunt divisa, & in oppositum distincta, unum ergo alterius species esse non potest. Quod tumor sit magnus, vel parvus, hoc tumori accidit. Vnde non debet in uno genere collocari, cum magnus est, atq. rursus in alio quando parvus, quamobrem tumor semper est instrumētorum passio, licet intemperies, quæ cum eo cōiungitur, ad oppositum genus referatur. Quod si tumor propter parvitatem non lædit actionem, tum symptoma est, vel pathema, ut docet Galenus.

Consectarium.

Quamobrem inflammatione (ut exemplum hoc supponamus) sanguis qualitate partes intemperat, substantia sua numerum auget, mole magnitudinem: sed hęc superius observata sunt. Ergo inflammatio morb. erit cō positus ex intemperie, morbo in numero, & morbo in magnitudine. Confusē igitur loquetur, qui aliquos tumores reduxerit ad intemperies.

Quæst. 24. in 8. Sol.

Gal interpretatur.

Duodecimo autem capite docebit Gal. tumorem esse morbū instrumentalem, eum actionem lædit, cum non lædit passionem, per quam instru-

strumentalem passionem intelligit, quæ via est in magnitudinis morbũ. Quare tumor, ut tumor nullatenus intemperiei sit particeps.

ARG. CAP. X.

TRactat de morbo in compositione, quem duplicem esse docet, vel in situ, vel inconnexione.

CAP. X. Tex. 41.

EVariante verò ea, quæ secundum naturam compositura, fiũt ægritudines, in positu quidem sicuti cum articuli suis sedib. excidunt, aut loco tantum moventur, aut cum omentum, vel intestina ad inferiores testiculorum tunicas devolvũtur: alterũ morbũ græci epiplocelẽ, alterũ enterocelẽ appellãt. In nõ naturali verò partiũ vicinis partib copulatione si ligamentũ aliquod aut relaxatũ, aut intensum fuerit, aut disruptum, in ea parte dearticulationis motus offenditur. In hoc genere sunt linguæ nexus immodici, & pudendorum, quoniam & linguæ ad sermonem explicandum & manducandum, non parum efficiunt: & pudenda, quo minus procul & directo tramite in mulieris uterum semen emittatur, ob meatus inversionem, non minus impediunt. Ad hanc etiam attinent ægritudinis differentiam, si labia ulcerata, si palpebræ, vel sedes, vel digiti, vel si quæ tales particulæ præter naturã coaluerint. Tales sunt morborum species, quæ in compositione existunt.

COMMENTARIVS.

Quartum & ultimum genus morborum instrumentalium positum est in organi cujusq. syntheſi, hoc est, cõpositione: non enim sufficiunt ad nostri corporis organa ritè perficienda iusta membri conformatio, integritas numeri, atq. certus magnitudinis terminus: sed cum illis vna consentire debet partium instrumentorum oportuna collocatio, atq. apta & concinna illarum coagmentatio, quæ ad proprium munus obeundum aptissima sit.

Vnde compositionis duas esse differentias monstrat Galenus. Altera est thesis, positio, situs, positus, loci positio. Altera multis nominib. appellatur. Nã libro primo de usu partium dicta est πλοκή, hoc est, implicatio, nexus, textura, interpres connexionem transtulit. Supra capite quarto, primo de locis patientib. decimo methodi, & libro de causis morborũ appellata est συνοδία, id est communio societas, consensus. Hoc loco vocavit συμβολὴν applicationem. Qua profectò vilitate nominum compensare possumus maximam difficultatem, & obscuritatem essentiæ illius. *Compositio duplex.* *Cap. 9. Tlocè.* *Tex. 16. cap. 1.* *cap. 17.* *Cap. 10.* *Connexio.* *Omilia.*

Situs partium in instrumentis collocatio est, circunscriptio, & secundum locum dispositio, vel loci positio, iuxta quam verbi potestatem est illud Galeni. *Quippe summum locum ea tis occupat: secundum ab ea positus ordinem musculi habent, ntiq. circum ossa positi: at tendones ipsis ossib. adhærent.* In hoc genere morbi fiunt, ubi pars, quæ superioti loco sita esse debebat, inferiorem occupaverit. Quando le flectit sinistrorsũ, quæ dextrorsũ abire conveniebat, vel ante ponitur, quæ oportebat retroire. Præterea cum in extremitate consistit, quæ in medium erat processura, vel longiùs abest, cũ propè debebat adesse, vel foras profertur, cum intus inclusa in magno esset usu necessaria, ut cum excidit pulmonis fibra in thoracis vulnerib. *Situs.* *3 Sanit. tuend. c. 5.*

Atque affectus hi omnes dicti, & quos adducturi sum* in alio genere, vel

vel prima statim conformatione accidunt, vel deinceps postquam in lucem editum animal est.

Quos omnes situs vitiosos videtur Gal. ad duas differētias reduxisse. Prima est, quando partes extra propriū locum omninò egrediūtur & abeūt. Secunda, quando dimoventur quidē & permutantur, sed non prorsus foras procedunt. Ad primū genus pertinent ἔκπτωσις, & ἔκπτωτος, id est, prolapsus, alio nomine ὄπτωσις. Ad idem etiam pertinent ἐξάρθρημα, & ἐξάρθρωσις, hoc est, exarticulatio, luxatio, quæ positio est articuli depravata, & præter naturam, in qua ossa egrediuntur ex propria sede sine fractione, ut in primum de fracturis observavit Galenus. Ad differentiam alteram situs refertur παράρθρωσις, hoc est, subarticulatio, subluxatio, contortio, nos parvam luxationem appellabimus, ab Hippocrate διάκλασις, commotio dicitur, cum scilicet extremum rotundum alterius cohærentium ossium insertum in cauitatem ossis propinqui, non toto quidem loco motum est, sed cum paululùm exciderit, ut habet Gal. aut delatum est usque ad cavitatis supercilium, ut scribit Paulus, in quo differt parathresis ab exarthremate, quoniam exarthrema est magna & perfecta luxatio. Quas duas luxationum differētias detumpsit Gal. ex Hipp. libro tertio de fracturis, inter quas multas intercedere differentias, quoad plus & minus attinet, manifestum est, ut quarto de articulis dixit Galenus, ubi observavit utramque posse omnibus articulis contingere, præter quam *humeri & femoris, quorum caput iudicat non posse dumtaxat paulùm excedere suo loco, cum rotundum sit, & in cavitatem inferatur, quæ oras in orbem habet, in quibus consistere caput nequeat, necessario igitur vel protinus recidit, vel ex toto exidit.*

Ad hoc præterea genus in positu spectant intestinorum & omenti in scrotum devolutiones, quæ duæ sunt inter alias multas ramicis differētiæ.

Porrò qui latinis dicitur Ramex, à barbaris Ruptura, vel indecoro nomine, ut Celsus prodit, Hernia dicta est. Græci varijs nominibus usi sunt juxta varietatem causarum, vel locorum patientium.

Morbus est scroti intumescentis, sed propriè cum rupto peritonæo, corpus aliquod prolabitur, & cadit in scrotum, qui panniculus est testiculos continens, eorumque amborum veluti sinus.

Ergo ubi decideric aliquod intestinum, quod græcis *enteron*, affectus, enterocele dicitur: ubi omentum membrana, inquam, adiposa intestina superiora & ventriculi inferiorem partem convestiens, quæ *epiploon* est, affectus epiplocele vocatur, quoniam, cele, tumor est.

Vbi per intestinum non intelligimus rectum, quod, cum relaxatur, in anum delabitur, neque colon, quia hoc renibus adhæret, neque jejunum, aut duodenum, quia hæc sublimiora sunt, sed ileon, ut scribit Paulus.

Adhoc genus referuntur affectus humoris crystallini, cum à sua sede dimovetur ac transfertur potissimùmq. si sursum, vel deorsum inclinaverit, ut primo de causis sympto. atq. etiam cum vētriculus in septum incumbit, ut libro artis parvæ dictum est Hæc de situ.

Altera differentiæ compositionis in partium consensu, & connexu reponitur. Quippe satis non est ad perfectam compositionem, ut particulæ instrumētorum æquum, & certum habeant locum, sed necessarium est, ut omnes inter se sint aptæ atq. connexæ vicinitatisq. vinculis ita conjunctæ ac devinctæ, ut unum omninò sint partes omnes, quæ secundum naturam debent esse implicatæ, ad unū instrumentum fingendum & formandum: disjunctæ verò permaneant, quæ sunt naturaliter interruptæ ac intermissæ, ut in unam coagmentationem se totas conferant, & in actionem unam assentiantur.

Hinc duplicem connexionem novit Galenus. Prima est, quando partes, quas conjunctas esse conveniebat, disjunctæ sunt. Altera cū præter naturā sunt cōglutinatæ, quæ natura liter distare debebant. Prioris generis tres differentiæ sunt, laxitas, intēsio, abruptio. Primū vitiatur connexus instrumentorū, ut si articulorum motus impediatur, eo quod plus ju-

Eptosis. Ekptoma. Oisthema. Exarthresis. Exarthrema.

Parathresis. Diastema 3. de fract. com. 51.

4 de art. 1.

Libro 8. cap. 3.

Com. 51.

Com. 1.

Lib. 7. cap. 18.

Lib. 3. cap. 44.

Cap. 2. Cap. 71. & 87.

Connexus.

sto laxentur ligamenta, quæ duas, vel plures partes obstringunt, ex quo evenit, ut neq. partes sint amplius simul invicem, neque actiones consentaneæ, quod etiã articulis contingere potest, quantumvis non patiantur luxationem, vel subluxationem, quemadmodum reliquis omnibus partibus, quæ ligamentis vinciuntur. Deinde si ultra quã satis est ligamenta intendantur: coactis enim ac ideo decurtatis ligamentis, membra, licet versus vincula conjungantur, tamen ex alia parte multum distant inter se.

Hujus generis duo posuit exẽpla Gal. Primũ est de vitio linguæ, quod Ancyloglosson græci vocant, latinis dicitur ligatio linguæ. *Ancyloglossi quidam fiunt ex nativitate*, ut dixit Aetius, *quidam verò ex aliqua affectione. Ex nativitate fiunt, quum mẽbranæ inferiores, quib. lingua innititur, duriores & mutilæ sunt è natura productæ. Ex affectione autẽ contingit præcedẽte ulcere, & cicatrici dura sub lingua relicta. Qui hoc modo affecti sunt difficulter loquuntur, quare etiam Mogilali, hoc est balbi, græcis appellati sunt. Qui verò ex natura ancyloglossi existunt, principio quidẽ tardè in sermonẽ prorumpunt, ubi verò loqui coeperint, citra obstaculũ, & satis festinanter loquuntur. Impeditur tamen in prolatione nominum, aut verborum, quorum aliàs difficilis pronunciatio existit, veluti in quib. R, aut L, aut C, litera frequenter occurrunt.* Malum hoc filum vulgariter nũcupatur, eoq. vinciri linguam aliqui putant, & præter naturam id adnatum sub lingua esse, quod tamen falsò existimant: neq. enim is affectus est morb. in aucto numero, sed in mẽbranarũ naturali brevitate positus est, vel in ficca earundẽ intẽperie, vel repletione, quæ perinde ac in nervorũ distentionib. membranas ipsas contrahunt, atq. in loquendo, mandendoq. linguam prohibent explicari. Alterũ exemplũ est, de pudendi vitio, quod apud græcos dicitur hypospadias, subconvulsionem quis diceret, subtractio interpretari potest, quam qui patiuntur, ut constat ex Galeno, *generare non possunt, quoniam meatus eis contortus est ob coactum & contractum vinculum, quod ad finem virgæ habent: non quod fœcundum semen illis non sit, sed quod in virgæ flexibus hærens non possit procul & recto tramite in muliebrem uterum injici, quam rem curatio ipsa comprobat: vinculo enim abscisso, generant.* Ligamentum præterea & vinculum, si rumpatur & auellatur, ut in apospasmate, actionem instrumẽti vitiari, propter vitiatum nexum, nemo non videt.

Duo exempla. *Lib. 8. c. 36* *Alt. exemplum,* *15. de usu par. cap. 3.*

Altera differentia connexionis est conjunctio præter naturam eorum, quæ debent esse naturã disjuncta. In quo genere vitium est, cum vel digiti, vel oculorum palpẽbræ, vel partes genitalium, vel sedis, vel oris labra cohærent, idque sive ab ortu, sive ab ulcere. Atque hæ quidem sunt species instrumentorum synthesis, hoc est, compositionis præter naturam.

EPITOMÉ.

ERGO vitiosa compositio duplex, situs, connexus. Situs est in alium locum remotio, vel sola commotio. Connexus, vel disjunctio eorum, quæ debent esse conjuncta, laxitate, intensione, abruptione: vel conjunctio eorum, quæ distare debent.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

EXAMEN EORVM, quæ decimo capite à Galeno dicta sunt.

QVÆSTIO. LIII.

QVAM necessaria sit instrumentorum compositio plus, pluſque in dies experiũtur illi, qui suo fato in instrumentis ipsis labẽ aliquã situs, vel societatis partium sustinẽt difficulter. His tamen, quæ rectè à Gal. dicta sunt difficultatẽ affert ejusdẽ auctoritas ex libro sexto de locis patientib. de prõpta, ubi sic locutus est. *Si quidem actiones ex propria partium essentia, non ex earum positu provenire ratio ni consonum est.* Quib. verbis constare potest positionem instrumentis adjumento non esse ad actiones. *1. Objectio.* *Cap. 6.*

Et quamvis profiteamur Galenum meritò ac jure de compositione disputasse, tamen multa dixit, quæ nos in dubitationem videntur adducere. Nam Epiploon, quod omentum vocamus, tantũ contegere diximus partẽ inferioré ventriculi, & intestina superiora, ad inferiora quidẽ non protenditur, quod cum ita sit, ad veritatẽ loqui videntur, qui existimant fieri nõ posse illã ramicis differẽtiã, quã epiplocelẽ Gal. appellavit.

2. Objectio

Præterea nõ videtur omnes differentias positus præter naturã adduxisse. Nã ab aliquib. auctoribus quatuor differẽtiæ propositæ sũt. Prima, quando mẽbra ex proprijs locis foras procedũt, ut in luxationib. Secũda, cũ pars aliqua sedẽ alienã occupat, de sua tamẽ non egressa, ut cũ intestina, vel omẽtũ delabũtur in scrotum. Tertia, cũ partes moventur, at nec naturali motu, nec volũtario, ut in tremore. Quarta & ultima, quãdo mẽbra, ita in fixa partib. & loco suo hærẽt, ut nequeãt dimoveri, quemadmodũ in articulorũ dolore induratisq. nodis.

3. Objectio

Si quis autem voluerit Galenum excusare, quod ex Hipp. sumpserit duas positus differentias, quas adduxit, nẽpe luxationẽ magnã & parvã, eundẽ potiùs de neglectione accusabit. Nã ille ipse in cõmentario cõtext' Hippocratici tres enumerat differẽtias his verbis. *Quum ossa toto loco moventur ἐκπεσήματα dicit, quũ paulũ excidũt διαστήματα, mittorẽ verò casum ἔμπτωσιν appellavit, juxta propriam significationẽ verbi ἔμπτωσις quo significatur, bonos habẽs mores.*

4. Objectio 3. de fract. tom. 51.

Olesthemata. Diacinimata.

Kursus, cũ lingua, vel pudendũ incurva, aut aliter distorta redduntur, in dictis evẽtib. potiùs figuræ vitio vidẽtur cõtineri: propterea capite septimo mẽbra distorta in figuræ vitijs numeravimus.

5. Objectio. Exethesteron. Exethus. Tex. 30.

Tandẽ eodem capite, tũ ad magnitudinem, tum ad multitudinem cavitatum pertinere diximus coalitum, hoc est, ubi coalescũt partes, quæ naturaliter distant, nõ debet igitur coalitus inter connexiones locũ habere.

6 Objectio Tex. 31.

Sed hæc omnia diximus cupidiores veritatis, ad quam semper locuti sumus, quam contentionis, ergo ex veritate judicemus.

1. Solutio.

Sexto de: locis patientib. non loquitur Gal. de situ, quem hîc instrumentorum cõpositionẽ facit. Sermo erat de situ & loco, quẽ habet in corpore totũ instrumẽtum, qui ad illius actionẽ parum cõducit. Vnde reddẽs causam verborum, quæ superiùs adduximus, hæc subjungit. *Nam cor si in alia quapiam parte poneretur, nihilominus actionem suam obtineret: neq; aliter de jecore quoq. lienc ac reliquis omnib. sentiendũ est.* Hoc loco verò sermonẽ habet de situ particulãrum ex quo totius instrumenti emergit compositio, & quædam cõmoditas ad actiones maximè necessaria.

Secundæ difficultati respondemus, quod observando notavit Gal. sexto de anatomicis administrationib. de omento disputans. *Et hoc ipsum corpus in quibusdam animalib. non multò infra, quam umbilicus est: in quibusdã verò ad pũbis usq. ossa procedit: veteres græci bifariã vocant epiploon, & epiplun. Maximum id habent inter animantia homines & simiæ: & inde pleriq. homines sæpe dicuntur epiploomisiæ, quasi dicas omentigestatores. Vocant enim sic ramicem, cũ omentum meatui ad scrotum descendenti incidit.* Nos etiã millies animadvertimus in corporũ dissectionibus, omentum aliquibus hominibus usq. ad pubẽ protẽdi. Ergo aliquando cõtingit epiplocele. Quem cognoscimus ex tumore parvo, & molliuscula substantia eodem modo semper apparentib. Hanc ramicem non admittit Vallesius deceptus à Vesallio, qui omentum usq. ad pubem non posse descendere scribit.

2. Solutio Cap. 5.

2. Epidem. par. 1. com. 19.

Iam quas differentias positus præter naturam nonnulli adduxerunt, ad duas tantum reducemus, si rem considerãmus diligentiùs. Illorum secũda non distinguitur à prima Galeni. Nam utrum omenti portio, vel intestinorum maior pars, proprium locũ retineant, hîc non curamus: solicitudo tantũ est de portione illa, quæ antiquã sedẽ deseruit, & è peritonæo egressa in alienã solã cõcessit, quæq. sola postulat reditum & ascensum in pristinũ locum. Tertia differentia nõ est morbus, sed symptoma in actione depravatã, quæ morbum sequitur à quo provenit tremor, sive intemperies, sive alĩ affectus sit. Vltima nõ ad sitũ, sed potiùs ad connexionẽ refertur. Nam in artuum dolorib. ligamẽ-

3. Solutio.

ta crasis humorib. repleta decurtãtur & intenta motib. resistunt. Quod si dicas, non ob ligaméta, sed ob scabros tophos id fieri, dicam, non jam connexum, sed in numero morbum esse, cum ibi sit pars toto genere præter naturam addita.

Objectio.

3. Sol.

Porrò, ut quartam difficultatem discutiamus, respondemus verum esse Galenum tertio defracturis tres numerasse differentias positus præter naturam, at tertiam hoc loco noluit reponere in numero morborũ, quoniam vix, aut omnino non percipitur ejus læsio, ut ipsum nomen præsefert & ostentat.

4. Sol. com. 51.

Lingua verò & pudendum aliaque membra, si qua fuerint incurvata & contorta, vitiatam quidem habent figuram: sed quia tunc non læditur actio à figura primaria ratione, sed à mala vinculorũ connexione, quæ impedit quominus liberé producãtur, dubio procùl ad cohærẽtiam, & consensũ affect⁹ harũ partiũ pertinebũt.

5. Solutio.

Vltima demũ difficultas imbecillis est. Nã septimo capite de obstructione ac meatuũ interclusione disputavimus: nunc verò loquimur de partibus, quæ meatus ambiunt & circũplectuntur: plurimùm enim differt conjunctio extremorũ alicujus meatus, quæ labra vocamus, ab interclusione meatus ejusdem. Omnia igitur à nostro Galeno artificiosé, & mirabiliter dicta sunt.

6. Solutio.

Tex. 31.

VTRVM DETVR ALIquod morbi genus partib. organicis proprium, præter dicta.

QVÆSTIO. LIIII.

HACTENVS confecit, & absolvit Galenus morborum numerũ, qui partib. organicis cõtingunt, nũc verò, an summã sui promissi cõpleverit, excutiendũ est, atq. differendum, an aliquod sit morbi genus instrumẽtis proprium præter dicta, veluti de morbis similarib. disceptavimus. Nã præter dicta morborum genera, alia excogitarũt antiquiores medici, quę nobis proposuerũt, ut veritas in disputatione limaretur, nõ quidẽ ut Galenũ calũniarentur, quemadmodum ille, qui hæc, rapuit, & furatus est.

Primùm in ictero corneæ flavities, vel humoris aquei, qui replet locum inter corneã & crystalloidẽ, omnia ante oculos proposita flava exhibet, atq. oculi actionẽ videndi pervertit primò & per se, igitur morb. est à prę narratis admodũ distinctus.

1. Objectio.

Idem est dicendum de corneæ, vel humoris aquei rubore in hypospha mate, id est, suffusione sanguinis in oculo ex ictu, cujus mali occasione apparent omnia rubra.

2. Objectio.

Deinde in lingua sapor amarus, vel injucundus causa est, cur lingua depravatè degustet, omniaq. judicet amara, ut in aliquib. ægrotantib. observam⁹, affectũ ergo hujusmodi, qui gustum lædit primò & per se, oportebit à divisione excipi.

3. Objectio.

Rursus musculorũ durities impedit quominus musculi possint facilè retrahi, motusq. depravati est proxima causa: morbus igitur instrumentorum est durities, qui ad nullum dictorum generum reduci potest.

4. Objectio.

Similiter est judicandum de ossis mollitie, qui etiam est affectus primò lædens actionẽ, quoniã os duritie sua motui volũtario & mẽbris ministrat & suppeditat firmitatẽ, qui quidem affectus morb. est, & nullus prædictorum generum. Quare divisio videtur vitiosa.

5. Object.

Demũ in ordine perturbato particularũ alicujus instrumenti morbum adesse objiciunt, ut in staphylomate, cũ scilicet erosa, vel rupta oculi tunica, altera ei subdita excidit: hic enim tunicarũ invers⁹ ordo vitiat actionẽ.

6. Object.

Sed de his omnib. difficultatib. & alijs multis, quæ forte contingent, tum in hac, tum in subsequentib. tribus quæstionibus unicuiq. abundẽ satisfaciemus. Porrò controversia, quã de flavo colore tunicæ corneæ ducũt sequaces Gal. adhuc est dissentionis plena, non possumus igitur diluere, quæ cõtradicta sunt, priùs quam certa in aliqua sententia consistamus.

1. Solutio.

De rubore ejusdem tunicæ similiter arbitror, cum non dissimiliter afferat moram visioni.

2. Solut.

Tertiæ

3. Solut. Tertiæ respondemus amarum saporem in lingua fieri, quoniam propria linguæ substantia imbuta est biliosis humoribus acribusq. vaporib. Vnde gustus, neq. depravatus est, neque tunc fallitur, cum omnia judicat amara: talia enim sunt propter amaritudinem illorum excrementorum, & salivæ, quæ cum alimentis permiscetur. Sapor igitur injucundus symptoma est, non linguæ, sed intemperiei, à qua humor insuavis genitus est.

4. Solut. Quartæ objectioni respondemus causam proximam & immediatam motus voluntarij secundum naturam B esse musculi compositionem instrumentalem, itaq. impeditæ contractionis musculi causa est eadem dispositio præter naturam reddita ex magnitudine, in qua morb. potissimum consistit. Vnde si propriè loquamur, affectus ille durities non est, sed renixus ex farto & repleto musculo, qui ad instrumentalem naturam, numerũ scilicet, vel magnitudinem spectat.

5. Solut. De ossium mollitie atque de colore oculorum similiter arbitrandũ est. Quamobrem quæstione quinquagesima septima, omnib. ad extremũ eversis, quid posthac de oculorũ colore, ac ossis mollitie tenendum sit, deliberabimus. C

6. Solut. De ordine objectionem diluere nihil negocij est. Nam ordo est ad aliquid, definiturque *respectus quidam inmunitas ratione alicujus principij distributis*. In instrumentis autem partes omnes præditæ formatione, numero, magnitudine, & compositione, ordinantur ratione muneris & actionis illorum, quæ ab eorundem editur constitutione. Et quãdo notabiliter pervertitur ordo partium alicujus instrumenti, ideo est, quia partes mutant locum & situm. Quamobrem in staphylomate morbus est in situ, cum in eo partes inordinatæ sint respectu loci. D

Ordo quid.

Porrò in longinquum differenda non est explanatio difficultatis de colore oculorum: observandum verò, antequam conflictemur, quod per difficilis disceptatio in his duobus potissimùm posita est. Primùm, quis nã sit morb. qui vel coloris corneæ, vel læsæ visionis est causa, cum ante A oculos proposita flava judicantur omnia: alterum est qua ratione depravatus ipse color dicatur visionem lædere. Ruber color tunicæ corneæ ac ossium molities in idem cadunt. Est autem in his tãta varietas & dissentio fautorum Galeni, ut non modo quilibet abhorreat alienis, verum etiam sibi ipsi vehemẽter displiceat, argumẽto est, quod fere omnes duas, vel tres solutiones tradunt sutorum more, qui, ubi nõ placuerit primum par calceorum, statim alterum ementibus offerunt, fortasse petius. Quapropter liceat mihi [illegible] paulò immoderatius excurrere, & in mediũ proferre, quæ studij & delectationis causa scripsi adolescẽs, quo tempore me physica disputandi subtilitas delectabat.

QVIS NAM MORBVS lædat visionem, ubi ante oculos proposita flava judicantur omnia.

QVÆSTIO. LV.

SOLVS crystallinus humor, qui centrum oculi dicitur, spectra visilium recipit, & à coloribus alteratur. Huic tanquam principi, quæ in oculo sunt, singulæ partes famulantur: sed potissimùm cornea tunica, & aqueus humor. Hic tenuitate, & puritate aquam, vel ovi candidum refert, ocularium q. instar simulacra ad crystallinum defert, veluti mediũ quoddam delationis imaginum. Illa verò splendens & pellucida est, omnisque alieni coloris expers, ut visilium species admittat, & lumen externũ celerius ad crystallinũ permeet. *Porrò inter existens prohibet cognitionẽ externi*, ex Aristot. doctrina, hoc est, objectum, q. potentiæ cognitrici acta offertur, syncerã aliorũ perceptionẽ impedit. Vnde, cum aqueus humor, vel cornea tunica humore flavo perfunduntur, non potest humor crystallinus aliarum rerum speciebus consignari, quoniam species visiles non recipiuntur in corpore jam termi-

3. de anima cap. 4. Aver. ibid. com. 4. D. Thom de verita. qu. 22. ar. 2. ad 8. Caiet. 2. p. q. 75. ar. 2. Ferra. lib. 2 cont. gent. cap. 98.

nato & opaco, quale est affectum colore. *Proinde, qui regio morbo laborant,* inquit Galenus, *pallida omnia videre* Lib. 1. de caus. sym. cap. 2. *jeputant.* Nam licet oculus recipiat imagines aliarum rerum: eas tamen non percipit uti sunt, quia flavus color primùm occurrens, totam perceptricis facultatis applicationem sibi vendicat usque eò, ut reliqua objecta colore flavo respersa judicentur, non minus, quam si viderentur interjectione vitri flavi propè oculum admoti. Neque est, quod dicat aliquis ex omni memoria simile auditum non esse, quod ictterici querimonias ad medicos detulerint de læsa ob corneæ colorem visione, quoniam noster Gal. cujus verbis fides habenda est, id contingere asseveranter affirmavit. Sed fac ita esse, quod inquirens læsæ visionis causas, hujus nullam fecisset Gal. mentionem: veruntamen nos methodus resolutionis, & inventionis compellit, ut investigemus, an corneâ tunica tincta, & infecta, humoreque bilioso in buta flava judicentur omnia; cumque id, ex ijs, quæ diximus, sit concludendum, sequitur nunc, ad rem, quam paramus, pertinere, ut essflagitemus, quisnam morbus læderet visionem, si ante oculos objecta flava judicarentur. Hanc docti controversiam ducunt, & in disceptationem vocât, à qua, qui se abstinent, pigricia plectuntur, & negligentia, quæ animum corrumpit, ait Tullius. Scio te quæstionem hujusmodi nihil, vel parum prodesse dicturum. Si ob hanc causam despicis, multa rejicies, ac pro nihilo putabis.

Observatio

Multorum est opinio nullum in oculis morbum per id temporis insidere, sed vel in jecinore, seu vesicabilis obstructionem inesse, ut in ictero, vel in parte vulnerata ipsum vulnus, ut in hypospagmate. Qui tamè in duas sectas divisi sunt.

1. Opinio. Lib. 3. de morbis c. 7.

Comes Montanus Vicetinus solam jecinoris, seu vesicæ bilis obstructionem morbū statuit, cujus symptomata sunt pathemata reliqua, ut bilis per totum corpus diffusio, unde nascitur corneæ flavus color, à quo visionis hallucinatio. Obstructio morbus est, & causa diffusionis, & per diffusionem causa visionis læsæ. Mala bilis effusio est causa coloris, hic depravatæ visionis primò & per se: ab uno enim morbo varia ipse invicem possunt consequi symptomata, & unum ex alio originem ducere, ut ex Galeno probat, cujus hanc opinionē fuisse putat libro de differentia symptomatum. Cap. 4. & 5.

Refutatio. Primò.

Sed hic vir labitur per tres errores. Primò, quoniam existimat visionem lædi ab obstructione jecinoris. Nam principium inveniendi locum affectum nobis à Galeno præscriptum est, *nunquam lædi actionem, nisi pars à qua editur, affecta sit, quoniam qualibet animantis corpore actio peculiarem habet partiunlam, per quam perficitur.* Unde actio, sive secundum, sive præter naturam fuerit, talis est propter dispositionē partis, seu organi, à quo producitur: sed visio in hoc casu præter naturam & læsa est, ergo sequi debet dispositionem oculi, cujus actio est, non partis alterius. 1. de loc. aff. cap. 2.

Perfugium.

Respōdebit Montanus, quum partes laborant per consensum morb. non est partis, quæ compatitur, sed partis primo & proprie laborantis. Unde abiq. morbo proprio potest laborare oculus ex visione læsa, quæ sequatur solum morbum jecoris.

Refutatio.

Sed hæc responsio, risum, non oppositionem, meretur. Nam hoc genus morbi per consensum, qui absolutè contingit (positivè quis diceret) fit quando à parte idiopathicè affecta, id est, propria affectione laborante, in aliam, velut umbra per viam, vapor transit, ut primo de loc. pat. significavit Gal. Sic è ventriculo corrupti vapores in caput sublati, modo mentis actiones interturbant, modo meningum distentione, vel excessu dolorem excitant, modo oculis sinulatas fictasque rerum imagines objicunt, atq. representant, ijs similes, quæ per suffusiones cernuntur. Verū id aliter contingit in ictero. Quando quidem licet is affectus nascatur ex obstructione meatuū ad cystin fellis pertinentium, tamen humor oculorum flavus (si cum Galeno quæramus, quis sit noxæ modus) non transit per humorem aqueum, vel corneam, ut cum umbra possit comparari, sed in oculo proprium affectum producit, firmusq. ac stabilis continetur. Unde Cap. 1. & 2. Ibidem.

morbo

morbo sympathico, id est, per consē sum, neq. remedio aliquo subvenimus, neque si adhibeantur remedia magnopere juvant: in ictero verò practici omnes cuti & oculis medentur, post reseratam obstructionem.

Secundo. Secundò versatur in errore, quandoquidem si color est affectus præter naturam primò & per se actionem lędens, profectò cum his duab. prærogativis morb. est.

Refugium. cap. 1. Huic objectioni Montanus satisfacere tentavit ex G. qui lib. de diff. symptomatum, postquam illas duas conditiones in morbo exigi docuit,

Tex. 8. hæc subiungit. *Quorum neutrum symptomati necessariò adest.* Nam dum illa duo symptomati non necessariò adesse B profert, tacitè significare videtur, ea in symptomate conjungi aliquando posse, cujus generis est ipse color: is ergò affectus est præter naturam actionem primò lædens, quamvis non sit morb. qui solus duab. illis prærogativis fruitur necessariò.

Veruntamen Montanus non intel*Confutatur* lexit Galenum: maximum enim est discrimen inter symptoma generaliter sumptum, & propriè acceptum symptoma: neq. potest ulla ratione omne illud, quod de generaliter nominato effertur, etiam de propriè appellatis symptomatis enunciari. C Gal. ibidem non loquitur de symptomate propriè dicto, quod morbū necessariò sequitur, & in species, seu tres partes distribuitur: sed de eo agit, quod de causa, de morbo, & propriè vocato symptomate effertur, ut in commentario illius loci nos perspicuum faciemus.

Tertio. Tertio erravit, quoniam sublata obstructione, solet persistere color: est enim affectus, & res permanens secundo methodi asserente Galeno,

Cap. 2. Vnde libro nono de comp med. se- D cundum locos *Niceratī errhinum medicamentum* præscribit, *quod naxib. attractum morbum regium expurgat, quando reliquum corpus juxta naturam habuerit, oculi verò pallidi permanserint.* Et

Lib. 10. cap. 18 Aetius. *Quod si quippiam*, inquit, *ex ictero circa faciem & oculos relinquatur, urinæ autem appareant puræ, alvusq. consueto more egerat, & appetitus in nulla re obstet, neque infestet sitis: &, ut compendio dicam, cum omnes prædictæ accessiones* A *fuerint sedatæ, & tamen circa oculos vitiatus color relinquatur, narium infusis uiendum.*

Huic difficultati respondet Mon- *Refugium.* tanus posse remanere colorem obstructione curata, ut objectio redarguit, at brevi tempore sine remedijs in nihilum habiturum, essecq. symptomata hæc interdum adeo similia morbis, ut morbi videantur.

Quæ sane responsio digna est, ut *Confutatio.* omnium irrisione ludatur. Nam Comes Montanus in introitu quæstionis dixit, mirum videri, quod omnes in hac controversia decepti sint, cum adeo prompta, & facilis sit difficultatis explicatio, ut nihil sit facilius: in exitu verò tot angustijs & difficultatib. afflictus, cogitur confiteri remanere colorem ejus causa sublata, hujusmodiq. symptomata interdum adeo esse morbis similia, ut videantur morbi. Verum non poterit Montanus tergiversari, & objectioni subterfugere, si oculorum corneam tunicam illi objiciamus bile infectam, & imbutam, absque aliqua obstructione, vel inflammatione præcedente. Nam plerunq. *fiunt ictherici ratione bonæ crisis in febrib. prorumpente nimirum ad cutē biliosō humore* ob naturæ robur absq. inflammatione, vel obstructione, docente Galeno, quem Paulus, & Aetius insecuti sunt. Quo tempore manifestum est oculos sympathicè, id est, consensu minimè laborare, eo quod tunc deficiat pars idiopathicè, hoc est, proprio morbo affecta: medici verò toto animo de sola cute cogitent, quam omnib. modis rare faciūt. Quamobrem ex solo colore vitioso læditur visio.

9. sec. loc. cap. 1.

Lib. 3. c. 58 lib. 10. c. 17

Iacob. Segarra (tametsi deinceps *2. Opinio* mutaverit cōsiliū) aliquādo arbitratus est corneæ colore symptoma esse, q sequitur obstructionem, & bilis effusionem: tamen opinabatur visionem impeditam non esse symptoma, nec lædi propter aliquem oculi morbū, vel symptoma: sed vitiari tantū, quoniam medium internum impeditum est. Visionis mediū externum est aer: internum verò humor aqueus, & cornea tunica. Quemadmodum igitur oculis valētib. sed aere crassissimo existente parum videmus, aut, cū in umbra sub arbore degimus, res nobis appa-

apparent virides, quoniam medium E externum, scilicet aer, colore viridi quodammodo præditum est, ita, cum cornea tincta est colore flavo, propter medium internum mutatum, omnia flava judicamus, non tamen ob aliquem oculi morbum, vel symptoma.

Refutatur. 1. Ratio. cap. 2. Verum dupliciter errabat. Primũ, quoniã Galenus libro primo de causis symptomatum dixit, depravatam ex colore visionem esse symptoma.

Alt. ratio. Præterea, quãdoquidem affectus partium usum præstantium, ubi nihil incommodant primo functionis organo, functionem tamen proximè impediunt, morbi appellantur, ut vidimus, ergo si medium internum mutatum & affectum esse voluit, nempe humorem aqueum, vel corneam tunicam, quæ partes in oculo usum habent, morb. erit in oculo.

Cap 6. cõ. 27.

3. Opinio. Qua de causa permulti morbum in oculo inesse fatentur: attamen cujus generis sit hic morb. dissentio est. Non pauci arbitrati sunt esse intemperiem, quam patiuntur aqueus humor, & cornea tunica ex fluxione humoris. Quorum aliqui arbitrantur intemperiẽ esse causam & vitiati coloris, & visionis læsæ. Alij verò quamvis libenter admittant intemperiem esse causam vitiosi coloris? tamen, quod visio lædatur ab intemperie, vel a colore vitiato inficiantur, & negant. Priorum sententiam complexi sunt Trincavellius & Gavassetius. In eadem opinione fuit Onophrius Bruguerius præceptor meus. Hanc tenet Iacob. Segarra tametsi fuerit olim in alia opinione, quam secundam in ordine collocavimus.

4. lib. Epis. lib. de reb. præter. nat. Cap. 13.

Confirmatur hoc dogma ex Galeno, qui libro primo methodi medendi scribit, *humorem crystallinum purum ita perlucidumq. esse non posse sine eo, quod nunc obtinet, temperamento: ideoq. si quid horum magnopere immutatum sit, aut prorsus non visurum, aut male visurum animal.*

Auct. Gal. Cap. 6.

Ex quib. verbis demonstrationem hanc familiarissimam Galeno conficere poterant. In eodem præter naturam reddito consistit morbus & quod sequitur morbum, in quo secundum naturam se habente consistit sanitas, & quod sequitur sanitatem: sed humoris crystallini sanitas est temperamentum, & quæ sanitatẽ consequuntur perlucidus color, expeditaq. visio, ergo morb. est intemperies & quæ morbum sequuntur tãquam symptomata, color vitiatus, & impedita visio. De ossium mollitie idem sentiunt: est enim symptoma in temperiei humidæ.

Ratio.

Quæ sententia, quamvis doctissimorum virorum sit, mihi nunquam arrisit. *Refutatur.*

Verum, quò possim eam excutere, tanquam fundamentum jacio temperamentum, vel oculi, vel humoris crystallini non esse causam proximam visionis secundum naturam. *Fundamẽtum Auctoris.*

Nam, ut visio fiat, humor crystallinus debet alterari à receptis colorũ simulacris: alteratio autem fit inter contraria, & à contrarijs: sed color non est contrarium ipsi temperamẽto, ergo temperamẽtum non est causa proxima visionis secundum naturam. *1. Ratio.* F

Quoniam in humore crystallino actio est omninò similaris, nutritio, & omninò instrumentalis receptio specierum colorum. Nutritio sequitur primò temperiem, receptio specierum debet primò sequi dispositionem instrumentalem. Itaq. si temperamentum esset causa proxima visionis, ejusdem generis essent visio, & nutritio, ut concoctio & nutritio ventriculi, hepatis, & cordis: sed nutritio & visio genere differunt, ergo temperies non est causa proxima visionis. *2. Ratio.* G

Clarius id demonstrabit hæc ratio: Visio læditur quotiescunq. lædituꝛ organica dispositio humoris crystallini: sed hæc lædi potest, nulla prorsus in ejus temperatura alteratione facta, ergo temperamentum non est proxima visionis causa: *si enim vitiatur situs illius, ut sursum, vel deorsum inclinet, duplicia, quæ videntur omnia, apparere facit*, ut docuit Galenus. ergo visio illæso temperamento lædi potest. *3. Ratio.* H *1. de sym. cau. cap. 2.*

Quo jacto concludo veram, propriã, & proximam læsæ visionis causam, ubi ante oculos proposita flava judicantur, non esse intemperiem. *Assertio.*

Nam temperamentum non est causa proxima visionis expeditæ, igitur intemperies non potest visionẽ primò impedire. *1. Ratio.*

Quippe

Quippe non quælibet cryſtallini ſiccitas viſionem remoratur, ut in hecticis apparet, ſed ea tantum, quæ inſtrumentalem ejus diſpoſitionem, ſcilicet lævitatem, æqualitatem, puritatem, & ſplendorem lædit.

2. Ratio.

Quandoquidem abſq. interceſſione coloris, intemperies non poteſt eſſe cauſa, cur objecta appareant colorata, igitur viſionis læſio non debetur primò intemperiei, ſed colori & ſtructuræ inſtrumentali. Nam ſi translucidus humor intemperaret cryſtalloidem, nulla ineſſet viſionis læſio. Hinc natura machinata eſt, *ut neq. in vitreo humore, neq in cryſtallino in eſſet vena, ſed à vitreo nutriretur cryſtallinus, & vitreum à tunica illam ambiente*

3. Ratio.

10. de uſu par. cap. 1.

Diapedeſin per παρὰ δοξὴν, tranſumptionem, ne ſanguis per venas permeans aliquam opacitatem induceret. Quo circa intemperies per ſe, & primo non offendit viſionem, ſed interjectione coloris præter naturam redditi.

Poſtremò ſi proxima cauſa læſæ viſionis eſſet intemperies, eo quod ex ea originem trahat oculi color vitiatus, ſuperfluens & redundans fuiſſet Galenus morbis in conformatione, quoniam aſperitas, & lævitas ſimiliter intemperierum ſunt germina. Verum morbos eſſe arbitratus eſt, quia tametſi à natura partium ſimilarium ducãt originem, enimverò diſſimilarium etiam ſtructuram perficiunt & complent, ergo intemperies non eſt conſtituenda cauſa proxima læſæ viſionis, propterea quod ſit cauſa coloris.

4. Ratio.

Galeni autem primo methodi non fuit ſententia, ut humori cryſtallino primò debeatur viſio ratione ſui têperamenti: ſed ratione puritatis, & perſpicuitatis, quam proximam cauſam ponit receptionis, & alterationis á colorib. factæ: remotiorem verò cauſam facit temperiem, quatenus ſcilicet puritatis, & ſplendoris cauſa exiſtit.

Interpretatur Galenũ.

Sed inſtabunt, & urgebunt me ipſis Galeni verbis, qui tametſi dixerit humorem cryſtallinum alterari non potuiſſe, niſi purus omninò perſpicuuſq. fuiſſet, veruntamen ſubjungit.

Objectio.

At purum ita perlucidumq. eſſe non poteſt, ſine eo, quod nunc obtinet, temperamento, quod ſi magnopere immutetur, aut planè non, aut malè videbit animal. Viſionem ergo ad temperamentum retulit.

1. met. c. 6.

Niſi me fallit, animus, jam reſpondi. Viſio & temperamento & ſplendori cryſtallini debetur, videt humor cryſtallinus ratione ſplendoris propiùs, at ratione temperamẽti remotiùs. Doctrinam hanc luculentè admodum Galenus declaravit, & confirmavit decimo de uſu partium, ubi ſcribit, *humorem cryſtallinum eſſe album, clarum ac ſplendentem, hac una re ſolum, quod erat futurus, ut à coloríb. immutaretur.* Cum igitur humor cryſtallinus obtinuerit talem temperiem, quia purum ita perlucidumq. eſſe oportebat, purus autem, & perlucidus fuit, ut à colorib. poſſet immutari, apertè conſtat temperiem ad viſionem remotè concurrere, ſplendorem verò proximè. Nam ad conſtructionem alicujus inſtrumenti, ejuſque actionem exercẽdam, multis egemus, quorum, ſi lædatur unum, non ſtatim impeditur actio. Quoties enim plures cauſæ ordine conveniunt ad alicujus effectus productionem, ut poſterior, & proximior agat virtute prioris, & remotioris, cauſa priore læſa, poſterior quoq. læditur: at res non retrocomeat. Nam poſteriore impedita, non eſt neceſſe, ut prior offenſam participet.

Solutio.

Cap. x.

Tyronum gratia exemplo ſit fons, ex quo fluunt aquæ, & per ſuum ductum in piſcinam deducuntur. Ceſſante fluxione ob aliquod fontis vitiũ, & aquæductus, & piſcina deficiunt. Si ſolus aquæductus ſectionem aliquã patiatur, liberè quidem fluunt aquæ de fonte, at piſcina pro læſionis aquæ ductus proportione, defectum patitur. Si verò piſcina tantum exeſa corruat, vitium faciat, aquas non colligat, quas ad irrigandum aſſervam⁹, neq. piſces queat ſervare, ſola irrigatio, & neceſſarius uſus pro ratione noxæ impeditur, duab. cauſis præcedẽtib. fonte, ac ductu aquarum abſq. impedimento agentib. Non diſſimili ratione concurrunt ad viſionem tẽperies cryſtalloydis, & ejuſdem ſplẽdor, totiuſq. oculi ſtructura. Magnopere mutato temperamẽto, quod eſt veluti fons & principium, mutatur etiam ſplendor & inde oculi ſtructura. Si ſplendor corrumpatur (poteſt enim

Exẽplum

enim corrumpi ab alijs causis à temperie) optimè habere potest temperamentum: at structura particeps erit offensionis cũ visione Si tamẽ proxima visionis causa, quæ oculi structura est, oblæsa tantum fuerit, sola visio impedietur ipsa temperie, & splendore nulla re implicatis.

Refugium. Porrò nihil proficit, quod addit Iacobus Segarra, nimirũ, si color perlucidus sequitur temperamentum, certè color depravatus sequitur intemperiem, sicque intemperiem esse morbum, colorem autem symptoma.

Refutatur. Ego libenter concedo perlucidum colorem sequi temperamẽtum, & colorem depravatum subsequi intemperiem cum affluxu, similiter intemperiem esse morbum, & colorem vitiatum symptoma, ubi nulla in parte corneæ quidquam nocet, sed cum lædit visionem morbus est oculi. Sint nobis exemplo asperitas, & levitas, quæ multis in partib. nostri corporis sectantur intemperiem, & symptomata sunt: veruntamen quando instrumentis aliquib. deserviunt, & nõ nunquam illorum actionib. officiunt, in formatione morbi sunt, quo tempore intemperans humor asperitatẽ vel levitatem inducit, atque illis mediantib. actionem lædit: non dissimili ratione intemperies cum fluxione bilis corneæ perspicuitatem vitiat: color verò depravatus instrumentalem actionem primò lædit, scilicet visionem.

Rationis solutio. His apparet falsitas hujus opinionis, quam insectamur. Vnde illius argumenti assumptio negãda est, ut ex dictis colligitur. Nam crystallinus humor nõ videt primò & proximè per temperiem, sed per splendorẽ, vel organicam dispositionem, quæ potissimum in splendore posita est,

Quapropter licet crystalloidis sanitas sit temperies, quâ pars similaris est: at verò quatenus deservit instrumento, illius sanitas est conformatio, numerus, magnitudo, compositio, & splendor, quæ dispositionem illius instrumentalem constituunt.

4. Opinio. Disput. 23. cap. 1. Petrus Garcia, quamvis admittat intemperiem mutati coloris causam, tamen neque ab intemperie, neque à colore, visionem lædi arbitratur: immò neq. visionem læsam esse putat, cum omnia, quæ vident icterici, judicant pallida. Sed hujus eventus causam esse scribit, vaporem biliosum, qui extra oculos ictericorum semper emittitur. Nam producta simulacra, pallidi vaporis continuò ante oculos positi præveniunt imagines corporum, quæ videntur, illasq. pallido colore suffusas comitantur ad oculos. Vnde impedita visio symptoma non est, quod morbum sequatur, vel aliud aliquod symptoma, sed quia medium externum cum eo vapore admiscetur, hinc visio pertur batur tanquam ab externa re.

Refutatur. cap. 2. Tamen Galenus primo de causis symptomatum apertè dixit, aquei humoris, & corneæ tunicæ mutatum colorem visionem depravare, illũq. hujus symptomatis causam esse. Verum Garcia non juravit in leges Galeni: parebit tamen rationi, cui subjectus est lege naturæ.

1. Ratio. Illud imprimis erroris plenũ est, quod pallidus vapor ab ictericorum oculis projiciatur. Nam corpora, in quorum cute, arida illa quidem existente, peccans humor, quòd sit crassior, detinetur, vaporem difficulter exalant: sic se habent icterici, quoniã Hippocrates libro de internis affectionib, quum de ictericis loquitur: *acquieſcit*, inquit, *bilis ſub cute.* Paulò post verò, *& humor, qui eſt in corpore denſatur in cute.* Vnde Aetius ictericos *difficulter exudare* observavit. Quę quidem illustrat oraculum illud divini auctoris quinti aphorismorum. *Qui regio morbo laborant non multum ventoſi ſunt.* Nam flatus & vapores à debili calore fiunt: in ictericis calor debilis non est, sed acris, & mordax, quandoquidem à bilioso humore.

Sentent. 38. Sentent. 39. Lib. 10. Capit. 7. Apho. 71.

2. Ratio. Præterea cornea tunica dura, crassa, & densa est, ut extrinsecus irruentibus injurijs obsistat, cumq. alimentum ab uvea sibi proxima mutuetur, caret venulis & arteriolis, per quas solent permeare vapores, cũ ex meatibus externis manant, est ergo difficilé factu, quod in ictericis cornea vaporifera fit.

3. Ratio. Præterea licet ictericorum oculi expirent vaporem: tamen illum flavum esse obnixè negamus. Quandoquidem *vapor* Galeno *eſt humidum extenuatum*, quod quidem aer est: *aër ve-*

2. sym. c. 8.

rò

rò *propè inspectus nullum colorem habet*, ut scribit Aristoteles. Vapor etiam ex quocunq. liquore, sive rubro, sive flavo emissus, perpetuò albidus est, splendescitque nunquam rubet, nunquam flavet, cum sit pars aquea calore in halitum efflata.

Lib. de coloribus.

Quid, quod hujusmodi vapor flavus, ut id condonemus, cum sit foris, & extrinsecus objiciatur, non minùs alios decipiet, quam ipsos ictericos. Vnde, si aliquis sederit ad latus ictérici, seseq. applicaverit, & adjunctis genis oculum propiùs admoveat ad illius oculum, profectò multa, quæ videbit interjectu vaporis flavi, judicabit flava. Sed hoc auditu acerbum est, & nihil, ut existimo, tam incredibile.

4. Ratio.

Quæ cum animo perspexisset Martus Oddus, neq. ex eo intemperiem crystalloidis evellere posset, vidissetq. ipsum colorem lædere proximè visionem, si constituatur effectus intemperiei, libello, quem de natura, & essentia morbi scripsit, opinionem aliam machinatus est, atq. rem flexibilem putans, ut sequatur quocunque torqueas], dixit colorem in cornea videndi actionem vitiare intercedente intéperie, quæ ipse morbus est.

5. Opinio.

Hoc probat, quando quidē qualitates secundę non possunt alterare nostrum corpus, nisi mediantibus primis.

Ratio.

Sed hic vir in principijs artis delinquit. Primùm, quoniam temperies solius animæ, vel facultatis illius ministra est, non alicujus qualitatis secundæ, & minùs coloris, qui tam longé abest, ut temperamenti moderatrix causa sit, ergo vitiatus color nō potest visionem retardare interjectu intemperiei.

Refutatur. 1. Ratio.

Præterea color secūdum naturam citra rei alicujus mutationem alteratur, dum visio fit, ergo color præter naturam fine medio visionem offendit. Quis enim unquam dixit, colorem lædere visionem calfaciendo, frigefaciendo, humectando, vel exsiccando?

1. Ratio.

Iam, quod dixit de qualitatib. secundis, falcissimum est: siquidem multa frangunt, contundunt, secant incidunt, continuum solvunt absque aliqua intemperie.

Solvitur Ratio Oddi.

A Porrò, cum permanentem colorē experti fuerint doctores non pauci, vel à crisi, vel à jecoris, aut vesicæ bilis curata obstructione, nulloq. in humore crystallino vestigio intemperiei observato, constituerūt oculum pati morbum organicum, qui & vitiati coloris, & depravatæ visionis causa sit. Hi tamen sunt quinq. parti. Autor vivæ Anatomes contra Comitem Montanum, arbitratur flavum in oculis colorem esse morbum in conformatione.

5. Opinio.

Id cōjectat, quoniam receptio colorum, vel imaginum est opus cōformationis: debet autem oculus recipere colores, ideoq. viduatus est, & colorum expers, ut omnes rectē recipiat, soluſq. ad eos recipiendos á natura destinatus, color ergo vitiatus est vitiosa conformatio.

Ratio.

Verū diaphasis, perspicuitas oculorum, vel color nullum habet cum forma, vel formatione commersium.

Refutatio.

Nam, ut voluit Aristotcles colores sunt patibiles qualitates, quæ à forma & figura specie disident.

Auct. Aristo.

Galenus autem primo de usu partium omnia, quæ insunt corporib. in tria distinxit genera. *Insunt primùm, & maximè temperamenta. Consequuntur necessariò odores, sapores, colores, duritiei, mollities. Alia verò necessariò accidunt, positio, magnitudo, connexio, conformatio.* Vbi color sumitur laxiori significato, ita ut, tam diaphasin, quam colores omnes complectatur: subjungit enim Galenus, *oculum per colorem actionem esse nactum.* Quare colorem sub conformatione subjici impossibile est Sed ex natura rei eliciamus argumentā.

In categ. Auct. Gal. Cap. 9. Ibidem.

Nam secundo de anima color est id, quod movet actu perspicuum, id est, quod pellucidum actu illustratū sui similitudine imbuit. libro de sensu & sensibili, est terminus perspicui in corpore finito seu terminato: & diaphanum seu perspicuū est, quod non per se, sed alieno lumine visibile est. Veruntamen conformatio, ut ex omnib. Aristotelis interpretib. colligitur, est quidam modus quantitatis in naturali corpore, ac partib. illius spectatæ, ut ea forma corporis humani, & cujusq. partis illius, quæ ex lineamentis resultat. Hæc verò

1. Ratio. Cap. 7. Cap. 4. 2. de anima cap. 7.

plurí-

plurimùm differre, ante oculos est, igitur color longissimè abest à conformatione.

2. Ratio. Præterea humoris crystallini perspicuitas ortum trahit ex temperatione certa primarum qualitatum. *At* 1. met. c. 6. *parum ita perlucidumque esse non potest* (Galenus inquit, verba faciens de crystalloide primo visionis instrumẽto) *sine eo, quod nunc obtinet temperamento.* Sed conformatio ducit originem ex quantitate: forma enim & figura nihil aliud, quam quantitatem ad aliquem modum (τρόπον vocant græci) Tropon. traductam & immutatam præ se ferunt. Igitur color nihil habet cum ipsa conformatione.

3. Ratio. Demum similarium partium constitutionem, & circunscriptionẽ, quę posita est in temperamento, & iis, quæ temperamentum consequuntur, facultas alteratrix impertitur: formatrix verò est, quæ convenientem formam & figuram, justum numerum, debitam magnitudinem, decentemq. compositionem singulis partib. tribuit, docente Galeno secundo de tẽperamentis, & primo de naturalibus Cap. 5. facultatibus. Cap. 4. Quamobrem non video qua ratione color ad conformationem reducatur.

Ratio vero auctoris vivæ Anatomes contra Montanum levis est: Solvitur ratio. ex eo enim, quod oculus debeat recipere colores, sitque omnium expers, non sequitur diaphasin esse cõformationem, neq. præterea colorẽ vitiare conformationem, siquidem sic se res habet. Oculus quinq. requirit ad sui organicam structuram, conformationem, numerum, magnitudinem, compositionem, & diaphasin. Iam verò ex vitioso colore morbus nascitur in diaphasi, quemadmodum ex addita substantia morbus in numero vel in magnitudine, colore igitur præter naturam murato, vitiatur instrumentalis structura, non conformatio.

7. Opinio. Iulius Alexandrinus existimavit morbum esse in cavitate, vel meatu, scilicet obstructionem, vel constipationem in cornea factã: possunt enim partium similarium latentes meatus In antegent. à vatijs humoribus occludi. Alexandrinum Salvus Sclanus insecutus est. In antepar. 4. Refutatur. Quæ tamen opinio in multas delabitur difficultates. Primò, quoniã obstructio, quam dicunt impedire, vel spirituum, vel specierum transitum, deberet prorsus tollere, vel diminuere visionem, non depravare. 1. Ratio.

Quod si quantitatem humoris effusi adeo exiguam esse dicant, ut tantum possit depravare, per difficilis. & lubrica defensio est. Refugium.

Nam exiguus humor æqualiter extensus in omne spacium pupillæ actionem minuit si verò inæqualiter, ut in parte una insit, in alia non, ut quasi per cribrum fiat visio, inæqualiter quidem videntur objecta, & quadam ex parte videntur, & quadam ex parte non: at, cum omnia judicantur flava, ut in ictero, nec diminutè videntur, nec inæqualiter, sed uno tenore, & æquabiliter, ergo in colore tãtum error est. Confutatur

Iam verò à quocunq. humore obstructio fieret, idem sequeretur error: at, ubi humor sanguis est, omnia apparẽt rubra, ubi flava bilis flavescunt omnia, color igitur est læsionis causa non obstructio. 2. Ratio.

Tandem, si humor splẽdidus esset, nullatenus depravaret, ergo hic error non provenit ab obstructione, sed ab humoris colore. 3. Ratio.

Alter verò hujus operis interpres infelix quidem ille germanus oculi morbum statuit humorem illum, qui præter naturam ad corneam affluit, quique visionem lædit, facitq. ut talia appareant visa, quale est medium, per quod cernimus. Id Comes Montanus intelligere non potuit. Tamen verbis præscriptis interpres ille satis apertè indicavit humorem in oculũ additum, morbumque in numero, visum depravare, 8. Opinio. 3. inst. sect. 1. cap. 3. 3. de morb. cap. 6.

Sed hujus dogma ijsdem, quibus Alexandrini, vrgetur difficultatibus. Nam in suffusione, qui morbus est in numero, vel aufertur visio, vel diminuitur. Refutatur. 1. Ratio.

Si dicat visionem tantum depravari propter paucitatem humoris, certè quidem propter colorem id contingere verisimiliùs est. Nam, si non esset ita coloratus humor, non induceret sensum in illum errorem. Vnde humor translucidus nihil incommodaret, hæret igitur culpa in colore. Refugium. Cõfutatur. 2. Ratio. 3. Ratio.

Quare,

Quare, cũ in proximé adductis opinionib. nõpotuerit acquiescere Fabius Pacius, dixit proximã & immediatã causam læsæ visionis esse humorem biliosum tunicæ corneæ infarctum, cum hac conditione, ut conjunctus est cum colore flavo.

9. Opinio. In primum meth. cap. 6

Verum hoc non est per se, & primò lædere, nix enim, quæ, ut alba dissipat visum, per albedinem dissipat.

Refutatur.

Tandem à quibusdã medicis antiquiorib. ut scribit Iacobus Forliviẽsis dictũ est, coloré oculi vitiatũ reduci ad morbos asperitatis, & levitatis.

10. Opinio.

Sed hæc opinio falsa est, quãdo quidẽ fieri potest, ut pars tunicæ intima infecta sit, & colorata, externa parte diaphana existente: asperitas autẽ & levitas semper extrinsecus nocent.

Refutatur. 1. Ratio.

Præterea neq. asperitas vel levitas possunt hãc vidẽdi læsionem inferre. Nã licet propter humorem inæqualiter defluxũ ad partes externas sequatur asperitas in cornea, partium una in aliam concidente, tamen tunc tẽporis obscuritas orietur inæqualis, nõ hallucinatio, & aberratio à colore objecti, nequit ergo morb. in superficie objectorũ simulacra & species adulterare coloris vitio. Atq. hæ sunt opiniones illorũ, qui perveltigarunt, quisnã adesset morb. cũ omnia ante oculos prospositа lutea, vel rubra judicantur, quę hujus certaminis erat prima pars, in qua victoriam hucusq. tenet color.

2. Ratio.

VITIOSVS OCVLORVM color qua ratione lædat visionem.

QVÆSTIO. LVI.

ALTERA pars nostræ contentionis fuit, qua ratione depravatus oculorũ color dicatur visionẽ lædere. Permulti recentiorũ facilè tolerant, coloré primò, & proximè visionẽ lædere, morbũ tamen esse negant: sed hotũ judicia opinionesq. non cõcordãt. Acutissimus Brugnerius asserebat, coloré primo lædere actionẽ: morbum tamen esse negabat, quoniã color constitutio non est: duo enim

1. Opinio.

A hæc, quo morb. sit, exiguntur omninò, Galeno docente, *ut in genere sit affectus*, qui cum constitutione ibi reciprocatur, *& functionem lædat.*

Lib. de diff. sym cap. 1.

Tamen hoc, bona venia dixerim, Galeno repugnat. Nã, ut alibi scribit *actio sana sanitatẽ, læsa vero morbum necessariò sequitur*: color igitur morb. est, si coloré primo sequitur læsa visio. Quemadmodum enim sanitas est omne id, quod actionẽ primò perficit, ita morb. est id omne, quod actionẽ primò vitiat: atq. ut homo, & aptum ad risum recurrunt, ita morb. & actio

Refutatur. 2. metho. cap. 3.

B primò læsa, quæ morbi est proprietas, ut hominis risus. Cum igitur nihil possit actiones primò edere, quin sit naturalis partium constitutio, ita nihil potest actionem primò lædere, quod præter naturam constitutio nõ sit, & ex consequenti non sit morb.

Quamobrem Fabius Pacius similiter concessit coloré primò & proximé visionem lædere: at morbũ esse negavit, cũ non perinde, ut morb. lædat Nã primùm & immediatè lædere bifariã dici arbitratus est, aut ratione causę, aut ratione propinquitatis, ut Socrates baculo movet lapidẽ, baculus primò & immediatè movet ratione propinquitatis, quia nihil interpositum est inter baculũ & lapidẽ: at non movet ut causa, sed vi à Socrate susceptа. Ita color visionem lædit primò & proximè ratione propinquitatis, sed non ut causa, & propria vi: obstructio verò hepatis visionẽ lædit quatenus causa, & ex propria vi (tandẽ enim decebat Pacium cũ Mõtano ejus cõcive inire societatẽ.) Vnde morbi definitio, ait Pacius, nõ est affectus lædens actionẽ primò & proximè (ò deliratione incredibilẽ) sed solùm qui principaliter lædit.

2. Opinio. 2. metho. cap. 6.

C

D Quã doxosophiã quodã fuco splẽdente Pacius ornare poterat. Nã Gal. secundo de Hipp. & Plat. decretis disputans de animæ principatu, docet verbum hoc, *primũ*, aliquando accipi, ut instrumentũ, hoc est, ratione propinquitatis: aliquando ut principiũ motus, id est, ratione causæ: potest igitur obstructio, vel humor primum lædere, ut efficiens causa: color verò primùm, quà instrumentum.

Cõfirmatur Cap. 8.

Verum hoc nihil aliud est, quã sophismata docere, & antiquã doctri-

Refutatur

nã corrũpere. Quãtumvis autẽ certũ & explorarũ sit, Galenicos viros hoc in errore nũquã lapsuros, cum diluci dã Gal. expositionẽ obseruantissimè reuereãtur, & colãt: tamẽ propter ty rones rerũ novarũ cupidos, quã fal sa, & cõmẽtitia sit hæc opinio, mõstra re decet. Gal. libro tertio de tẽperamẽtis hac de re, quã in manib. habemus, his verbis locutus est, *Cũ autẽ per se dicimus, vel primũ, vel nullo intercedẽte medio, omnib. hujusmodi verbis idẽ potestate significamus.* Capite sexto hujus libri, ut discam⁹, quis affectus in instrumentis sit appellandus morb. & quis morbi causa, morborũ causas illos affectus esse scribit, qui nõ perse ipsos actionẽ impediũt, sed quatenus parti principi nocẽt, cui potissimũ adscribitur actio: eos verò esse morbos, qui parti principi nihil incõmodant: possunt tamẽ per se ipsos impedire actionẽ. Cujus regulæ ratione reddunt interpretes, quod morbo id maximè, ac proprié cõveniat, ut primò, & per se, nulloq. alio intervẽiẽte actionẽ lædat: causa verò, ut lædat interventu morbi. i. libro de differẽtia symptomatũ distinguẽs id, quod per se facit, ab eo, quod ex accidẽti facere dicitur, tradet, *per se*, significare idẽ quod, *primũ*: *ex accidẽti* verò idẽ, quod *secũdo loco*. Quod autẽ primũ facere sit ratione propinquitatis facere, exẽplo calculorũ docebit, qui sint inter se ordine dispositi. Qui primo calculo digitũ admovet, primum quidẽ hunc movet: ex accidenti verò, & secundariò cũ, qui illi succedit. Mox docebit causam intervẽtu morbi agere: morbum vero primo, & per se. Primo de causis symptomatum scribet, nos delectari ad naturalem habitum redeuntes: hoc autem fieri per idonea contraria: idoneum vero contrarium vocat id., *quòd primum & secundum se, nec per alterũ interpositũ* fuetit reductionis causa. Methodi medẽdi libro decimo de his disputãs, quæ multimodis refrigerãt, febriq. opitulãtur, scribit, frigidæ potionẽ actu refrigerare: succũ autẽ uvæ immaturæ potestate: ambo tamẽ refrigerare primũ, id est, per se ipsa, nec intercedẽte alio: at sãguinis missionẽ nõ primũ, sed ex accidẽti. Quãobrẽ libro de oculis exaravit, *morbũ nocere actioni sine mediatore.*

Cap. 5. Cap. 1. Cap. 6. Cap. 10. particula 3.

Et secũdo de natura humana scripsit, *morbũ esse affectionẽ quãdã inanimãtis corpore, quæ primũ actionẽ lædit, repletionem verò, quæ morbi est causa, primũ minimè lædere actionẽ, sed intermedia alia affectione*, scilicet morbo. Ecce quã faciat interpretationem Gal. noster hujus adverbij *primum*, vel *primò*, cũ id frequentat in morbo definiẽdo, & à sua causa distinguendo. Cap. 2. Com. 1.

Sed idẽ argumẽtis ostẽdamus. Nã, ut sola sanitas omniũ actionũ, quæ naturaliter fiunt, ita solus morb. omniũ actionũ præter naturam causa continens est, quæ quidem causa ex natura sua, ita proximat actionib. ut ipsę ab alia nulla causa proximè dependere possint. Quare obstructio jecoris, vel bilis vesicę, licet impediat visionẽ primò principaliter, tamẽ, cũ ita sejũcta sit, nõ potest esse causa continẽs læsæ visionis: similiter neq. vitiatus color potest esse causa cõtinens visionis læsæ, tametsi eandem primò proximè lædat, si morbus non est. 1. Ratio.

Iã, si morb. esset non modo affectus præter naturã, qui proximè: sed etiã quicunq. principaliter actionẽ lędit, tametsi remotè lædat, definitio morbi conveniret morbi causæ, utpote quæ nonnunquam sit affectus præter naturã, semper verò lædat actionem principaliter, atque ut principium, à quo profluit omnis læsio, quod tamẽ Galeni doctrinæ apertissimè repugnat. Nã, cũ vesicæ constitutio præter naturã vitiat excretionẽ urinæ propter lapidem cõtentũ in ejus cavitate, posset quis dicere, lapidem solũ esse morbũ, cum lapis principaliter impediat, excretionemq. retardet, tanquã principium motus, & efficiens causa: constitutio enim vesicæ minùs advertitur, vixq. judicatur aliquid officere, cum tamen ipsa morb. sit, proximèq. lædat excretionem, licet vi à lapide demandata. 2. Ratio.

Quæ, cum ita sint, summæ lævitatis est, de morbis omnib. nostri corporis actioni læsę valdè hærentib. & propinquissimis, unũ excipere, qui lędat actionẽ interjectione symptomatis, nempe coloris vitiosi, & de omnib. symptomatis à ledẽdo remotissimis, hoc unũ, scilicet colorẽ vitiosũ eximere, quòd actionis læsę proxima & cõjuncta causa sit. Asseverãter igitur affir- 3. Ratio.

affirmandũ est, actionẽ à nullo alio, quam à morbo proximè lædi posse.

Interpretatur Gal. Galeni aũtem distinctio (tametsi directè spectet ad philosophos, quibus cum agebat ea loco) si penitus intelligatur, nostram quidem confirmat liquidò: adversariorum verò funditus pervertit, ac disturbat sententiam. Nam anima, vel ejus facultas in nostro corpore primùm agit, primùm, inquam, unde principium, & causa motus: utitur tamen instrumentis, quæ primum, hoc est, proximè ad actiones accedunt. Instrumenta hæc partium constitutiones sunt, & vltimæ dispositiones, quibus tandem partes se ad agendum accingũt. Partium verò & nostri corporis naturalis constitutio Aristoteli & Gal. sanitas est, quemadmodum constitutio præter naturam morbus ipse, à quo quidem actiones omnes præter, quemadmodum à sanitate omnes actiones secundum naturam primò, & proximè oriuntur.

3. Opinio. Quamobrem noster Petrus Benedictus Solerius vir doctissimus & optimus dicebat, colorem proximè visionem lædere: morbum tamen nõ esse, cum ei soli non permittatur læsio, sed colori & intemperiei simul, seu humori, vel obstruẽti, vel præter naturam addito, hisq. æquabiliter: sic enim se ab omnibus difficultatib. securum reddi putabat.

Ratio. Illius hæc erat ratio. Quemadmodum Sol & ignis æqualiter, simùl, & proximè, ceram liquefaciunt, ita color, & intemperies, vel humor possunt pariter, & æquabiliter lædere visionem: intemperies tamen, vel humor additus erit morb. color tantum symptoma.

Refutatur. Veruntamen dupliciter dumtaxat potest unus, & idem effectus simùl provenire à multis causis efficientibus, & proximis. Primùm, cum sunt diversi ordinis, ut cum una est universalis, alia particularis, cujusmodi sunt Deus, Sol, & homo in generatione hominis. Secundò, cum sunt ejusdem ordinis, & ut loquuntur philosophi, partiales, veluti, cum multi homines navem remis propellunt, vel duo equi currum trahunt. Intemperies, vel humor, & color non sunt efficientes causæ primo modo, cum utraque sit causa particularis. Neque altero modo, nam quæ causæ sunt ejusdem ordinis, non pendent ex se invicem, dum operantur: eorum enim, qui trirremem remigant, unus ab alio non dependet: at color ab intemperie, vel humore pendet, non sunt igitur ejusdem ordinis, atq. propterea non possunt ambæ visionem proximè impedire.

Sol. ratiõis. Ratio inconsulta est: nam cum Sol ex se, neque calidus sit, neque frigidus, causa universalis est. Cum verò cera liquescit igne atque radijs solarib. hoc est, aere moto & reverberatione calfacto, duæ tunc causæ concurrũt ejusdem ordinis, quarum una nõ depẽdet ab alia. Hactenus igitur expositio problematis, qua ratione color visionẽ lædat, infeliciter tẽtata est. Quid ego sentiam breve dicã.

VTRVM VITIOSVS IN oculis color morb. sit.

QVÆSTIO. LVII.

NE prætérita disputatio fieret productione longior, alia quæstione volui, quid mea fert opinio, foras dare. Sed, ut quæstionis lemma intelligatur, observandum est, me de colore quærere, an sit morbus quemadmodum de caliditate, frigiditate, vel formatione, & numero, deliberavi. Nam in morbo duo considerari non semel dixi, & materiam, & formam. Forma est dispositio illa simplex, quã virtute compositam vocavi, quòd emergat ex multis: materia verò est id, cujus mutatione, vel alteratione illa dispositio in statũ præter naturã redditur. In partib. similarib. calida intẽperies præter naturã morbi forma est: caliditas verò materia morbi (materia ex qua) quoniã agens mutãdo, & disponendo caliditatẽ, intẽperiẽ morbosã introducit. Idẽ dico in instrumentis de figura, numero, magnitudine & situ: quorum aliquod nõnunquã mutant causę præter naturã, unde morb. organicus. Ergo, cũ requiro, utrũ color sit morb. & formã, & materiã, ex qua morbus fit, exquiro, percontorq. num oculus sic constitu-

Quæstionis titul. interpretatus.

tr fit, ut ex magno coloris vitio (quæ sit materia morbi) oculi organica structura (quæ forma) corrumpatur, & inde graviter lædatur visio, quemadmodum ex vitio figuræ, numeri magnitudinis, compositionis.

Fudamentũ Primùm subjicio fundamentum, in quo maxime nitetur hujus quæstionis veritas, nimirum, oculi constitutionem organicam non solum esse repositam in formatione, numero, magnitudine, & compositione: verum etiam in διαφανείας, perspicuitate, *Diaphaneias.* διαφασις etiam dicitur, luciditas, vel trãsluciditas. *Diaphasis.* Quod de splendore oculorum dico, idem de ossium duritie dictum puta. Nam cum ossa motui voluntario ministrent, illius necessaria F est durities, ad tribuendam reliquis partib. firmitudinem.

Sumo fundamentum hoc ex primo de usu partium, ubi studens Galenus diligenter examinare utilitatem eorum, quæ insunt organis, docet *in ea indagatione ipsam actionem esse principiũ simul inquisitionis, & inventorum examẽ. Imprimis investigandum esse*, ait, *propter quid instrumẽtum fuerit factum actionem: magna enim ex parte omnis actio profluit à propria substantia partis, cui primò debetur actio*, veluti hæmatosis à temperie jecoris: *licet interdum etiã fiat propter aliquod ex consequentib. ut in oculis propter colorem. Deinde & aliarum instrumenti particularum utilitatem inquirendam esse* monet, *an scilicet ea sit ex usu propter suam actionem, an propter eorum aliquid quæ temperamentum cõsequuntur, ut os propter duritiem.*

Probatur ex Galeno. 1. Auctori. Cap. 9. & 10. Sanguificatio. Ibidem.

Libro quoq. decimo scribit, *humorem crystallinum à coloribus immutari, hac sola ratione, quia nimirum albus est, clarus ac splendens.*

2. Auct. Cap. 1.

Tandem primo methodi docet, *humorem crystallinum, alterari debere ab aliquo extrinseco occurrentium colorum, ut animal videat: alterari verò non potuisse, nisi purum omninoq. perspicuũ esset.*

3. Auctor. cap. 6.

Quo loco diligentissimè observandum est, addidisse *humorem crystallinum purum ita, perlucidumq. esse non posse sine eo, quod nunc obtinet, temperamento.*

Observatio.

Ad quod alludebat primo de usu partium, cum dicebat, *actionem aliquãdo etiam fieri ob aliquod ex consequentib. Etiam*, dixit, nequis excluderet omninò temperamentum, existimans nihil interesse id, cui multum semper tribuit Galenus: concurrit quidem ad actionem, sed remotiùs, ut dictum est, cum splendorem usquequaq. tutetur, & incolumem conservet.

4. Auctori. Cap. 9.

E

Fundamentum rationibus confirmandum est. Partes similares naturæ præscripto instrumentis ministrant ad agendum ea, quæ illis necessariò accidunt, quatenus instrumenta sunt, nempe formationem, numerum, magnitudinem, & compositionem: sed instrumentũ invenitur in nostro corpore, ad cujus actionem exercendam non sufficiunt illa quatuor, quin etiã aliud insuper expostulat, ergo eo etiam debent esse præditæ particulæ illius, ut ejus actioni præstò sint. Propositio non indiget probatione. Nã partes similares propter instrumentales actiones instrumentis donatæ sunt. Assumptio patet. Nam oculus debet alterari à colorum speciebus, colores autem non possunt agere in figuram, numerum, magnitudinem, situ, ergo aliquæ partes oculi debent esse præditæ qualitate, quæ à coloribus alteretur, cujusmodi perspicuitas est. *1. Ratio.*

Actio præterea triplex, nudé similaris, ut nutritio, quæ nulla prorsus G utitur qualitate organica: purè dissimilaris, ut motus voluntarius, cui, quatenus est actio instrumentalis, nihil quidquam temperies præstat: & quasi media, quæ utramq. participat, ut motus cordis, generatio chyli, & sanguinis, quæ tum à temperie, tum ab organica structura transiguntur. Visionẽ purè similarem non esse, cõtroversia caret: non esse mistam æquè manifestum est. Nam colorũ species propter solam perspicuitatem, & puritatem in humorem crystallinum recipiuntur, sicut in politum speculum rerum oppositarum imagines recipi solent. Est ergo purè instrumentalis propter oculi splendorem, deservientib. etiam formatione, numero, magnitudine, & situ, non temperie, nisi remotè, & cum interjectu coloris. *2. Ratio.*

H

Quibus jactis, duobus theorematis expediam exitum institutæ disputationis. Sit primum. Si formaliter (ut sic dicatur) verba facimus, *Assertio. 1.*

oculi

oculi organica structura præter natu ram reddita ex colore vitiato morb. est, ut ossis constitutio instrumentalis ex mollitie, non minus quam ex formatione, numero, magnitudine, vel situ magnopere mutatis.

1. Ratio. Quoniam sanitas & morbus contraria sunt, eodemq. sub genere subjecta: sed oculi sanitas est ejus constitutio naturalis cõsurgens ex diaphasi, ut sanitas ossis ex duritie, conformatione, numero, magnitudine, & situ secundum naturam se habentibus, veluti ex fundamento constat, ergo morb. oculi, vel ossis, est constitutio ex eisdem ipsis constans, præter naturam tamen reddita unius crimine, ut coloris, vel duritiei, non minus, quam culpa formationis, numeri, magnitudinis, vel compositionis.

Alt. Ratio. Præterea tunc est morbus proprius in aliquo instrumento, cum ejus organica structura præter naturam redditur propter excessum, vel defectum eorum, quib ipsa perficitur: organicam oculi structuram perficiunt & complent luciditas, ut structuram ossis durities, non minus quam cõformatio, numerus, magnitudo, situs, igitur oculi organica structura præter naturam reddita ex colore, vel ossis ex mollitie, quæ vitium fecerunt, morb. est non minus, quam ex conformatione, numero, magnitudine, vel situ magnopere mutatis.

Assertio alt. Alterum theorema sit. Si materialiter (ut dicunt) loqui expedit, color vitiosus morbus est, fallaciſque visionis proxima causa, ut ossium mollities morb. & causa depravatæ itionis, non minus, quã formatio, numerus, magnitudo, situs. Hæc fuit opinio Iacobi Forlivienſis, quẽ Franciſcus Vallesius, Autor cõtra Mõtanũ, & Ludovicus Mercatus insecuti sũt. Quæ auctoritate Galeni, & demonstratione confirmatur. Galenus primo de symptomatum causis vitiatũ colorem refert inter oculi morbos: postquam enim aliqua tenuis humoris vitia recensuerit, ostendere volens, quid solùm proveniat ab ejus colore quodammodo alienato, ita locutus est. *Quod si colore immutatus sit humor, qui inter chrystalloidem & rhagoidem habetur, siquidem ad fuscum inclinet, veluti per nebulam, vel fumum homi-*

2. artis par. 95. 4. cont. c. 2. In Anato. p. 72. Lib. 1. de morb. inter nis c. 17 Cap. 2. 1. Gal. auct.

nem videre faciet: sin ad alterum ullum colorem vergat, ejus nimirum phantasiam visibilibus impartietur. Non multò post verò de corneæ tunicæ morbis, hæc scribit. *Ad eundem modum, si colorem suum mutavit, obscuritatem affert.* Atq. tandem hæc. *Si verò humores non multi, sed colore mutato sint, pro eorum natura error in visu respondet. Proinde qui regio morbo laborant, pallida omnia videre putant, qui verò hypospbagma patiuntur, rubra.*

Alt. Galen. auct. part. 4. c. 6. Ejusdem fuit opinionis libro de oculis. *Corneæ, inquit, humor visui nocet, propter quantitatem, ut si fuerit multa, omnia, sicut fumus & nebula, apparebunt, vel propter qualitatem, utpote si rubea fuerit, omnia videri rubea facit, veluti contingit iis, qui laborant hypospbagmate: si autem citrina fuerit, citrina apparebunt omnia, sicut icterictis fit.*

Demonstra. Præterea, si cum oculus, vel os in naturali habitu constituitur, aliquid in ipso reperitur, quod animanti, aut functionem, aut usum aliquẽ præstet, absolutionemq. constitutionis illius perficiat, præter figuram, numerum, magnitudinem, & situm, hoc profectò, si vitiatur, morbus in ipso constituitur: sed præter illa in oculo reperitur *Diaphanus* & puritas, quæ pri mitia visioni dat operam: in osse verò durities, quæ firmissimum robur instrumentorum servat, ut patet in crurib. ergo si ex aliqua occasione id vitietur, ex quo offendatur visio, vel firmitas, quam primùm oculi, vel ossis morbus erit. Valet assumptio, nam quum oculus debuisset recipere colores: os verò undiq. fulcire, ac partes firmè sustinere, oportebat illum viduatum & expertem colorum: hoc verò durũ & ferreũ, esse. Ecce via divisionis, vel methodus invẽtionis, qua possibile ostenditur aliud esse morbi genus oculorum & ossium proprium, præter dicta.

Diaphanea. 1. Objectio. Sed aliquib. objectis, quæ facilè occurrere poterunt, satisfaciẽdũ est, ut ex omni calũnia evadat nostra sentẽtia soluta & libera. Primũ Gal. horũ morborũ coloris & mollitiei nõ meminit: immo affectus hujusmodi tacitè excluſit à morborũ numero, nam postquam demonstravit quatuor esse morbos partiũ similarium, totidẽq. partium organicarum, scilicet in cõfor-

formatione, numero, magnitudine, & situ, volens hoc numero quaternario morbos proprios definire, sic

Tex. 8. scribit. *Nullum verò agritudinis genus, neque in simplicibus, neque in compositis corporibus insuper reperitur, quod sit alterutris proprium.* Sed genus hoc morbi non est in conformatione, vel numero, vel magnitudine, vel situ, illud igitur in numero morborum instrumentalium reponere non possumus.

Solutio. Respõdemus Galeni propositum fuisse in hoc libro pervestigare, & adducere morbos, qui in omnibus instrumentis reperiuntur. Vnde quãtumvis resolutionis methodo invenerit hos morbos in oculo, & in osse, tamen, cum vidisset, non contingere omnibus instrumentis, eosdem omninò despexit, nec putavit inter morbos instrumentales connumerãdos fore, satis habuit illorum meminisse, cum necessitas flagitavit,

Cap. 9. Cap. 1. primo nimirum & decimo de usupartium. Quamobrem cum disseruit de causis symptomatum morbis nempe, qui oculis contingunt, methodo resolutionis omnes quotquot essẽt, investigavit diligentiùs.

Alt. Solut. Quid, quod morbi causa morboq. ipso statim cognito, unde symptoma nascitur, vulgata, & in promptu curatio est, cujus occasione hîc morborum differentias inquirit. Hæc igitur altera causa est, cur hoc loco de his morbis non meminit Gal. quoniam evacuato ex oculis humore, & color protinùs tollitur, & visio sine mora in pristinum statum restituitur. Similiter mollitiem solùm os offendere posse animadvertit, cumque humiditas illius causa manifesta sit, de hoc affectu conticuit omninò, satis

Cap. 9. esse putans primo de usupartium dixisse, os utile esse propter duritiem, præter id, quod ossa non possint laborare humida intemperie, vel nunquam eveniat.

2. Objectio Secundò color & mollities symptomata sunt, & qualitates secũdæ mutatæ, igitur non possunt esse morbi. Probatur antecedens. Nam Galenus in secundo genere symptomatum colorem collocavit libro de illorum

Cap. 5. Cap. 9. differentia, & secundo de locis patientib. ubi *& in toto corpore, & in una quapiam parte, vel duab. idque maximè in oculis & lingua* dictum colorem apparere ait. Durities autem & mollities intemperies sequuntur, ut ex tertio de differentia pulsuum colligere licet. Cap. 6.

Solutio. Fateor colorem esse symptoma in nive so corpore, in lingua & partibus oculorum in quibus non lædit actionem: at in humore aqueo & cornea tunica visionem lædit atq. morbus est necessariò. Similiter arbitror de ossium mollitie, nec sanè minus, quam arbitratus est Galenus de aspe ritate & levitate, utpote quæ oriantur ex primis qualitatib. & intempe rierum symptomata sint: nihilominus tamen, cum lædunt actiones, mor F bi sunt, & ad conformationem pertinent.

3. Objectio Tertiò efflagitabit aliquis, & appositè, cur Galenus asperitatis & lævitatis mentionem facere voluit, & ad instrumẽtalem dispositionem referre, cum similiter, color, & durities, vel mollities sequantur primas qualitates, ad quas identidem revocari poterant?

Solutio. Respondeo, quoniam asperitas, & lævitas multas partes & insignes afficere solent, quæ, tametsi mali causa statim cognoscatur, non ita facilè G liberantur, ideo illarum tertiò mentionem fecit, non aliarum.

3. Objectio Postremò scisciatur Pacius, quo pacto is morbus curetur, & qua methodo, nam si contraria adhibenda putamus dealbãdi orietur indicatio, quod dicendum non est, nam vera hujus mali curatio humoris flavi purgatio & detersio est, cum ille color sequatur morbum, quo sublato, quã primùm dimovetur.

Solutio. At ego à Pacio libenter postularem, qua methodo ipse asperitatem H curet. Forsan adhibet lævitatem? Cũ illi est curæ obstructio, admovet aperti onem? Minimè quidem. Nam prima indicatio, quæ sumitur à morbo *non est magna pars artis*, utpote *plebi nota, sed pars minima, & tantum initium ac veluti carcer, unde medendi ratio promovetur*, & exorditur: *cui verò facultas est inveniendi remedia, quibus comparari possit quod prima exigit indicatio, is meritò morborum est curator*, ut tertio medendi methodi scribit Galenus.

Cap. 1. Quamobrem in oculo color, & in osse

osse mollities prima indicantia sunt (nisi quis voluerit primitus contemplari partium constitutiones) verum inutilia, vt etiam asperitas, obstructio, magnitudo aucta, multique alij morbi, quoniam indicant id, cuius non extat materia accommodata, vlteriùs ergo progredimur, & à quo ducat initium color investigamus, cùq. sit compertum à flava bile manare, statim per quæ instrumenta, & remedia sit bilis evacuanda, & detergenda inquirimus, quæ quidem indicatio ex natura humoris peccantis prolata vtilis est, cùm eius indicati materia facilé reperiatur. Ecce huius morbi curandi methodus non alia, quam asperitatis, obstructionis, magnitudinis auctæ, ac cæterorum morborum generis ejusdem.

VTRVM MORBVS organicus similarem actionem, & è contra morb. similaris actionem instrumentalem, primo lædere possit.

QVÆSTIO. LVIII.

Argēterius SAlmoneus ille, qui neq. divinum pergamenum reverebatur, neq. Philosophiæ, ac Medicinæ parentib. desiuit male dicere, quum morbi definitioni reclamat, inter alia, ut videbimus, actionem læsam à definitione expungendam esse mordicùs tenet, cum non sit instrumentorum morb. quicunq. affectus lædit actionem illorum, quoniam morbi ex intemperie non solùm vitiant actiones partium similarium, sed etiam partium organicarum. Comes Montanus hãc tenuissimam dubitationem magni faciens respondet, morbos non sumere distinctionem inter se à læsione actionum, sed à propria essentia, propriaq. natura. Quod inde patere ait, quia morbi partium similarium lædunt actiones, non tantum partium similarium, sed & organicarum, & morbi partium organicarum non tãtum actiones organicas, sed etiã partium similarium. Vnde nullum statuit inter morbos similares morbum, qui solum lædat actiones partium similarium, nec inter morbos organicos ullum, qui actiones instrumentorum tantum vitiet. Montanum magna medicorum turba comitatur, quorum dogma in quæstionem vocare pro re nata non incommodum erit hoc loco, ubi disputationi de morbis proprijs finem facimus.

Lib. de dif. sym. q. 7.

Lib. 1. de morbis ca. 17.

4. de morbis c. 31.

Ergo, qui morbum quemlibet quãcunque actionem lædere posse autumant, his potissimùm argumentis suam confirmant sententiam. *Montani opinio.*

Primùm, quòd morb. partium similarium actionem instrumentalem primo lædere possit. Intemperies primò lædit omnes actiones, quæ oriuntur á partib. similarib. quatenus partes similares sunt: sed omnes actiones instrumentorum primò proficiscuntur á partib. similarib. quatenus similares sunt, ergo intemperies primò lædit actiones instrumentorum. Propositio non indiget probatione. Assumptio est Galeni, qui scribit libro de artis constitutione instrumẽtorum actiones oriri primò à partib. similarib. ab instrumentalib. verò secundariò & per accidens. Conclusio igitur non solùm, vera, sed perspicua prodit, & cum Galeno consentiens, qui primo de symptomatum causis asserit, visionem lædi á triplici morborum genere, intemperie, organica structura, & solutione continui. *1. Ratio.* *Cap. 5.* *cap. 2.*

Secundò quòd morbi partium organicarũ lædant primò actiones partium similarium, sic probant. Ventriculi concoctio læditur à morbis organicis: sed coctio est actio similaris & in ea actione ventriculus mera pars similaris, ergo morbi organici possunt lædere actiones partium similarium. Propositio est Galeni, qui tertio de symptomatum causis docet, per morbos, quicunq. simpliciter organici sunt, impediri concoctionem ventriculi. Tertia ratio utrosq. morbos amplexatur. *2. Ratio.* *Cap. 1.*

Si morb. organicus semper organicam, & morb. similaris semper similarem actionem primò læderet, ex qualibet actione læsa, non tantum cognosceremus adesse morbum, verumetiam qualis ille fuerit morb. teneremus, *3. Ratio.*

neremus, alijs præterea iudicijs non egeremus, atq. ars brevior & facilior esset, verum quantumvis adsit actio læsa, & morbum præsentem esse colligamus, morbus tamen actionem illã impediens notus adhuc non est, ergo alijs plurib. indigemus, præter actionem læsam, quæ magis necessaria sunt ad morbi speciem dignoscendã. Quare morbi non distinguntur actionib.

1. de locis aff. cap. 1. Atque ita Galenus loquens de ægro, cui per triduum urina suppressa fuit, multa proponit ad investigandum illum morbum conducétia, quib. opus non habuisset, si actio impedita, aut potiùs penitus intercepta, fuisset satis.

Refutatur. Verum hæc summa ignorantia est: Sed antequã longiùs progrediamur, videndum quemadmodum se res habeat in statu naturali, an scilicet organica structura actiones similares, & é contrariò temperies actiones organicas edat.

Fundamẽtum. Partes nostri corporis bifariam distribuuntur, vel enim similares, simplices, & primæ vocantur, quoniam octavo de Hippo. & Plato. decretis *Cap. 4.* prima corpora, & hoc libro sensibilia elementa dicta sunt, vel dissimilares, compositæ, secundariæ, atq. instrumenta dicuntur. Hinc divisio actionũ *Cap. 4. et 5.* pariter à Galeno bipartita est libro de artis constitutione. Quandoquidem aliæ simplicium, similariumque sunt partium, cum primò, & maximé proprié similares partes agant, aliæ sunt partium compositarum, & organicarum, quæ quidem ex se non agũt, hoc est, primò, sed ex accidente, & secundariò, nimirum ope primarum, ut *Cap. 2. Cap. 5. Cap. 4.* colligitur ex libro septimo medendi methodi, & tertio de locis patientib. Qua de causa libro de curatione per sanguinis missionẽ Galenus actiones omnes in primarias, & secundarias quòd primas præsupponant, partitus est. Actiones primarias à similarib. partib. perfici docuit: ab instrumentis verò secundarias. Actiones primarias vocat puré similares, quæ à partium temperamento incohantur, & ab eodem absolvuntur, atque à quavis partis similaris particula perficiuntur, ut attractio, retentio, cõcoctio, assimilatio, & alieni expulsio: secundarias autem vocat unde instrumentales, quæ à temperie per se primò, neq. incohantur, neq. absolvũtur, neq. á qualibet instrumenti particula, sed dumtaxat ab integro, & toto instrumento peraguntur. Tales ac- *Cap. 6.* tiones appellavit Galenus primo methodi perfectas, quia totius animantis operationes sunt. Dicimus enim hominem videre, & audire & incedere: trahere autem, aut retinere, aut coquere de singulis partib. dicimus. Vnde actio perfecta est visio, loquela, itio, & musculi actio, qua membrum movet, in quod implantatus est, nam quòd sic tendi laxariq. musculus possit, non á temperie, sed à fabrica & structura ipsius proficiscitur, quantumvis absq. temperamento certo & definito sic decurtari, ac rursus prolongari non potuerit. Hoc illud est, quod docet ipsemet Galenus citato loco non multis interjectis lineis, nempe, *humorem crystallinum ab aliquo extrinsecus occurrentium colorum alterari non posse, nisi purus omninò perlucidusque foret*: quòniam, cum visio sit actio secundaria, & purè instrumentalis, non à tẽperie, sed á perspicuitate fit proximé, licet absq. tali temperie purus ita & perspicuus esse nequeat: quæ quidem Galeni authoritas in præce- *Ibidem.* dentib. illustrata est accuratiùs. Quam obrem omnes actiones originem ducere à partib. similarib. certum est: sed *Quæst. 55.* inter similares & dissimilares actiones plurimùm interesse strictissimè asseverandum. Nam actiones similares á partib. similarib. tãquam á proprijs agentib. dumtaxat producuntur: at verò actiones dissimilares ab utrisque partib. quasi ab instrumentis ortum trahere, asserere possumus: à similarib. quidem partib. tanquã ab instrumentis originis: à dissimilarib. verò, quæ instrumenta propriè dicta sunt, ut ab instrumentis perfectionis. Vnde nulla constitutio instrumentalis potest edere actiones similares, quemadmodum neque temperies perficere aliquam actionem instrumentalem.

Assertio. Quo, tanquam fundamento, iacto decreto, affirmamus, impossibile esse, quòd, vel morb. similaris organicã, vel organic* similarem actionem per se & primò lædere possit.

Nam quælibet in animantis corpore actio 1. Ratio. pecu-

peculiarem habet particulam, per quam perficitur, eòq. actionem lædi necesse est, instrumẽto ipsam efficienti quomodolibet affecto. Atq. ut docuit Galenus, *actio vel læsa, vel integra necessariò comitatur affectum particulæ, unde editur.* Quod quidẽ est principium methodi investigandi locos affectos apud Galenum: sed si actio similaris læditur ab instrumẽto, & actio instrumentalis à parte similari, reperietur actio integra in parte morbo affecta, & actio aliqua impedita in parte naturaliter dispositа, quod quidem fieri non potest. Ergo instrumentalis morb. tantum instrumentalem actionem, & similaris tantum similarem lædere potest.

1. *de lo. aff. cap. 2.* 2. *met. c. 3.*

2. *Ratio.* Præterea si hoc esset, facultas alicujus instrumẽti opera posset vitiosam actionem producere absq. vitio dispositionis ejusdem instrumenti, quoniam facultas partib. intermedijs agit iuxta varias dispositiones illarum: at verò illud impossibile est.

3. *Ratio.* Quamobrem una & eadem actio diceretur læsa & nõ læsa: integra erit, dum nullo vitio laboraret constitutio, à qua ipsa primò trahit originẽ: læsa erit, quatenus ab aliena dispositione offendi ponitur. At verò morb. non potest lædere plures actiones, quam sanitas integras edere, quoniã dispositiones contrariæ sunt, quæ in eadem hærent actione, igitur alterutra nõ potest, cum vitiata est, alterius actionem primò lædere.

4. *Ratio.* Quandoquidem ab una specifica dispositione non possunt genere distinctæ actiones primò provenire: sed actio similaris & organica genere distinctæ sunt, ergo utramq. partem, tũ similarem, tum organicã, suam actionem dumtaxat tueri, cum naturaliter, vel tantum lædere, cum præter naturam se habuerit, expressa res est.

1. *Solut.* Nunc diluamus argumentationes contrarias. Primæ rationis assumptio falsa est, illius verò probatio omninò aliquid valeret, si partes similares subministrarent actiones instrumentis, quatenus partes similares sunt: atverò licet instrumentorum actiones ab una aliqua parte similari primò proficiscantur, ut affirmat Galenus, verũ neq. oriuntur primò ab illius temperamẽto, neq. læduntur primò ab ejusdem intemperie, quoniam omnes partes similares usui sunt instrumentis, quatenus ferunt conditiones organicas. Hinc dixit Gal. *Caro si quatenus caro,* id est, ut similaris, *in compositione tãtum quatuor elementorum differens: a consistere at quatenus pars est instrumentorum cujuspiam, informatione & magnitudine.* Sic musculis quantumvis primò debeatur incessus: cruta verò quasi secundariò incessum faciant, veruntamẽ musculi non mouent quatenus temperati sunt, calidi vel frigidi, sed quatenus naturam organicã participant. Sic humori crystallino, quamvis primo debeatur visio & oculo quasi secundariò: at crystallino humori non debetur, quia calidus vel frigidus, sed quòd splendorem habeat; intemperies autem illius nutritionem vitiat, quatenus similaris est, sed visionem, cum illius perspicuitatem corruperit. Similiter de reliquis omnib. partis similarib. existimandum, quod satis abunde retrò declaratum est.

Hoc lib c. 3

cap. 6.

2. *Solutio.* Secundæ rationi respondemus vẽtriculum & partem similarem, & instrumẽtum dici, quoniam illius actio mista est, similaris & organicæ particeps, ut alio loco diximus. Assumptio igitur omninò neganda est: libro verò tertio de symptomatum causis discrimen ponit Galenus inter similares & organicos morbos eorumq. vires. Dixerat ventriculi facultatis noxam bifariam accidere, aut culpa similaris substantiæ illius, aut dispositionis organicæ. Quæ in propria substantia eueniunt noxæ, intemperies sunt primarum qualitatum: quæ vero in dispositione organica oriuntur, sunt præter naturam tumores, & id genus alij morbi in magnitudine potissimùm, qui ventriculo, ut instrumentũ est, contingunt. Mox addit: *Ac horum quidem omnium occasione, venter malè cõcoquit, ipsa scilicet facultate ejus concoctrice læsa, in temperamenti quidem vitijs, propria ejus substantia: in cæteris morbis, qui tantum sunt instrumentales, dumtaxat impedita: qui verò ex intemperie simul & instrumentali morbo cõpositi affectus sunt, vtroq. modo sunt noxij.* Quib. verbis docet propter vtrumq. morborũ genus ventriculũ malè concoquere, ac facultatem ejus concoctricem irretitam, & implicatam retardari: discrimẽ est, quod intemperie læditur facultas secundum

Quæst. 36.

Cap. 1.

Ibidem.

Lib. de cõst. artis c. 5.

cundum propriam ventriculi substãtiam: at morb. solùm organicus ventriculi substantiam non lædit, sed tantum impedimento est, neut debet, facultas operetur: si autem morb. compositus est ex intemperie & magnitudine aucta scilicet præter naturam tumore, ut est intemperies fluxione humorum comitata, non corrumpitur structura sola, sed etiam similaris & propria substantia. Si existimasset Galenus tumore, quà morb. est tantum organicus, posse lædi facultatem, & similarem ventriculi actionem, non esset usus ea distinctione, nimirũ, quod non offendat facultatem ventriculi secundum propriam substantiam, sed tantum impedimentum inferendo: si verò solus non sit, sed ex intemperatis valdè humorib. constet, utroq. modo lædat. Manifestè igitur constituit duas læsiones in ventriculo, quas ab uno & eodem morborum genere fieri non posse clarè indicat, dum affirmat tumorem, cum solum tumor est, non lædere facultatem concoquendi secundum propriam substantiam, sed lædere tantum, quod inferat illi moram & impedimentum.

Observatio

Objectio Solutio.

Dices, ergo tumor aliquis potest absque intemperie reperiri. Potest, exortus quidem a temperato flatu intus in tunicis incluso, vel ubi pars aliqua ventriculo vicina intumuerit, ut ventriculus introrsùm compulsus & compressus tumorem intus pati videatur, tunc sola structura organica officit facultati.

Objectio. Solutio.

Sed quomodo tumor facultatem, & coctionem impedit, ut substantiã ventriculi non corrumpat. Solum impedit, ut tantam ciborum copiam nõ capiat ventriculus, & corpori præparet quantùm debet, item ut non æquè complecti cibum possit, unde fluctuationes aliaq. talia incommoda sequũtur. Quare morb. instrumẽtalis vitiat actionem ventriculi ex ea parte, qua ventriculus instrumentũ est, non quatenus pars similaris.

3. Solutio.

Vltimæ rationi respondemus ex qualibet actione similari læsa concludere nos morbum similarem, & ex qualibet organica impedita colligere morbum organicum: at præter id signa observanda sunt ad morbi causã cognoscendam. Nam licet actio læ-

E sa & morb. ejus causa notã sit: morbi tamen causa ignota est, quod in morbis organorum internis habet multũ difficultatis & laboris. Primo autem de locis patientib. nulla fuit dubita- *Cap. 1.*
tio, quin morb. à quo urinæ suppressio, fuerit instrumentalis: nam paulò post principium capitis sic loquitur Galenus. *Si igitur, exempli gratia, tumor aliquis in pube, satis evidenter in circunscriptione vesicam impletam esse ostendens, nihilq. excernatur, non ne planè conflat, aut excretoriam urinæ actionem necessariò resolutam, aut urinæ fistulam esse constipatam?* Et in fine capitis. *Ergo necesse est, cum sic retenta sit urina, vel ureteres,*
F *vel renes esse obstructos. Qua propter rursus hic intueri oportet, num antequam supprimeretur urina, aut lapis, aut inflammationis, aut alterius cujuspiam mali præcesserint accidentia.* Quo loco, ut patet, nõ de genere morbi quærere iubet Galenus, sed causam ejus investigare præcipit, quæ multiplex esse potest.

ARG. CAP. XI.

G SOlutionem continui quintũ morbum, & utrisq. partib. communem esse docet, mox tripliciter accidere prodit, vel solis partib. simplicib. vel solis organicis, vel utrisque simùl: tandem quod nomen hic morb. habeat in unaquaque corporis particula ostendit.

CAP. XI. Tex. 42.

RELIQVVM est quintum genus ægritudinis continuitatis
H *solutio, sive hæc alicui ex particulis simplicib. quæ similares appellãtur, sive compositæ, adveniat. Quare inter communes utrarunq. partium morbos, eam paulò ante commemoravimus. Cum enim divellitur ligamentum, vel arteria, cõmunis est, & totius instrumenti, & divulsæ particulæ ægritudo:*

nam

nam utriusque soluta est continuitas, totius quidem instrumenti, cum partes non amplius cohærent, neq. uniuntur: ipsius verò particulæ divulsæ, quoniam non amplius est una, sed in duas divisa est partes. Quòd si non ex toto divulsa fuerit, sed parte aliqua tantum, non erit jam totius instrumenti ægritudo, nisi ex accidenti, quoniam videlicet aliqua ipsius particula patiatur: sed ipsius tantum patientis particulæ propria ac peculiaris erit ægritudo. Vocatur autem continuitatis solutio, in osse quidem fractio: in omni genere carnoso communiter ulcus. Ruptio autem & convulsio ex eodem genere sunt. Fit autem alterum quidem in carnosis, alterum in nervosis partib. convulsis, quæ in ipsis sunt, fibris, cum ex ictu aliquo violentiam patiuntur, aut subitò & affatim intenduntur. Quæ verò apospasmata, id est, avulsiones appellantur, instrumentariarum tantummodo partium propriæ sunt passiones. Hæ quidem sunt universe simplicium morborum differentiæ.

COMMENTARIVS.

Postremis quarti capitis verbis pollicitus est Galenus se disputaturũ de communi utrisq. partib. morbo, ubi primùm dissecuisset in particulares species propriorum morborum genera, quod cum præstiterit præcedentib. capitib. interjectis, hoc loco exolvens, quod promisit, *reliquum esse, ait, quintum genus morbi*, nempe unitatis cotinuitatisve solutionem, quæ utrisque partib. sive simplicib. & similatib. sive compositis & dissimilarib. instrumentisq. advenit, propter quã causam dictum est supra, communem morbum esse. Exposito instituto, tradit hunc morbum tripliciter contingere. Nam solutio continui, vel tantũ fit in partib. similarib. vel tantum in instrumentis, vel in utrisq. simùl. Quæ quidem omnia exemplis demonstrat. *Cap. 4. tex. 19.*

Solutio unitatis morb. est partis similaris dumtaxat, cum aliqua pars similaris vulneratur, quoniam tunc servata unitate instrnmenti, solvitur partis similaris continuitas, unde solutio hæc non potest dici morb. totius instrumenti nisi ex accidẽti, quãdoquidem pars ejus aliqua simplex laborat, ut in sanguinis missione per sectiam venam, morb. est solius venæ, ex accidente autem etiam brachij, ut potecujus vena pars est. *Sol. cont. in partib. similarib.*

Præterea solutio unitatis morbus est instrumenti dumtaxat, quando similares partes, conservata sibi propria continuitate, amittunt conjunctionem cohærentiam, & dictam contiguitatem, quam seruabant, cum componerent instrumenta, veluti cũ musculus á musculo divellitur, & separatur vena, vel arteria, vel nervus, quo tempore nullius partis similaris morb. est. Quam affectionem Galenus ἀποσπασμα, id est, avulsionem appellavit, nempe quum separantur partes, quæ in aliquo instrumẽto sibi invicem adhærebant, seorsum ijsdem ipsis continuis permanentib. *Sol. cont. in instrumen.* *Apospasma.*

Tandem solutio unitatis in utrisque partib. simùl reperitur, quotiescunque ab aliqno instrumento partes divelluntur, vel divellitur pars aliqua similaris integra, ut tota vena, vel arteria. Est morb. partis similaris, quoniam musculus, vena, vel arteria, divulsa & interrupta non servat amplius continuitatẽ cum reliqua parte, qua cum erat continuata, & cum majori trunco, á quo est abscissa: morb. est totius instrumenti, cum deperdita sit cohærentia, quam habebãt partes simplices, ut nervus cum musculo, ligamentum cum osse, membrana cum carne. *Sol. cont. in utrisq. partib.*

Quib. explicatis, ut satisfaceret medicis sui temporis, qui non appellabant uno communi nomine species solutionis in similarib. factæ, sed specierum tantum nominib. utebantur, placuit in fine capitis exponere appel- *Nomina solutionis cõtinui.*

appellationes, quas unitatis solutio in singulis partib. sortitur.

Ergo in ossibus continui solutio
Càtagma. græcis dicitur κάταγμα, latinis fractio vel fractura: siquidem fractura duri propria est, ut sentit Aristoteles.
4. metho. cap. 9. In carne autem solutio unitatis,
Elcos. ex incisione quidem, græcis communiter ἕλκος, latinis ulcus vocatur: ex contusione verò, cum scilicet grave, & durum aliquid deciderit in corpus, aut repentina, & confertim facta distentione citra vulnerationem, græcis ῥῆγμα, latinis ruptio dicta est.
Rhègma.

In nervis tandem, nempe cũ illorum tensa filamenta rumpuntur, solu-
Spasma. tio unitatis dicitur σπασμὸς, hoc est, divulsio absque vulneratione (non convulsio, ut malè convertunt interpretes) cum etiam ex ictu aliquo violentiam patiuntur, aut subitò, & affatim intẽduntur. Sed hæc omnia libro
Cap. 6. de constitutione artis, quarto, & sex-
Cap. 1. to methodi expenduntur à Galeno
Cap. 1. diligentiùs.

Vltimis verbis concludit hanc disputationem de universis, simplicib. primisq. morbis, quos reliquorum veluti elementa esse dixerat, docens has nimirum intemperiem calidam, frigidam, humidam, siccam, & morbum in conformatione, numero, magnitudine, situ atque in solutione cõtinui, esse omnes simplicium morborum differentias: posthac incompositas properabit.

EPITOME.

QVARE quintum morbi genus, unitatis solutio, utrisq. partibus est communis. Cum enim præciditur arteria omninò, talis solutio & toti instrumẽto, & præcisæ particulæ adscribitur. Si non integrè, sed aliqua ex parte præcidatur, solius arteriæ affectio est, non instrumenti, nisi per accidens. Sed pro differentia particularum continui solutio varia sibi nomina vendicat. In osse fractura vocatur. In carne ulcus & ruptura.

In nervosis partib. divulsio.

Avulsiones verò instrumentorum sunt propriè.

(*.*)

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

DE NOMINE SOLVtionis continui, quid sit, & quare commune, & quintum morbi genus dicatur.

QVÆSTIO. LIX.

PRINCIPIO, ut expositio hujus capitis de solutione continui reddatur illustrior, quatuor problemata explicãda sunt. Cur solutio cõtinui hoc nomine appelletur. Quid sit solutio continui. Cur dicatur cõmunis utrisq. partib. Cur vocetur à Galeno quintum morbi genus. *Quatuor problemata.*

De invẽtione nominis hujus morbi gloriatur Galenus, cum à suis maiorib. nullum nomen communi impositum acceperit, sed dumtaxat aliquarum ejus differentiarum propria nomina designata. Quapropter ipse hoc universum genus *unitatis solutionem appellare consueverat, aut unitatis corruptionem, aut cõtinuitatis solutionem, vel quomodolibet aliter, pro ut sperabat sermonem auditorib. fore perspicuum. Vnde qualitercunq. fuerit licitum appellare emiq. permisit, quoniam de nominib. nec in hoc opere, nec in alio medicinalium ullo laboravit, sed quo pacto artis maximè finem consequeretur.* Iam nostri corporis membra ex multis sunt composita: ex elementis quidem similares partes cõpactæ: instrumenta verò ex similaribus constructa. *1. Problema. Lib. de diff. artis c. 6. Lib. de cau. morb. c. 11. Lib. 7. met. cap. 7. & 9. c. 17. & 12. c. 1. 2. Problema.*

Ergo utrisque partibus dum rectè valent, mirabilis inest continuatio, ut alia ex aliis nexa, & omnes interse aptæ colligataq. videãtur. Hinc omnium continuitas Galeno definitur utrarumq. partium unitas, quæ partem unam efficit, & unam actionem perficit, atq. usum aliquẽ animali præstat: discrimen est, quod similares partes propriè continuæ, sive cõtinuatæ sunt, in unum coalescunt, illarumque extrema sunt unum: at instrumentorum partes tangere dicuntur. *Continuitas quid. Lib. de dif. morbor. c. 4. & in arte medica cap. 8.*

tur seſe, aut tangi mutuo: licet enim instrumenta dicantur naturaliter cõtinua, propriè tamẽ cõtigua sũt, quorũ quidem extrema nõ unũ, sed simũl sunt. Nã eorũ, quæ seſe tãgunt, extremitates, cũ nulla inter sit substantia, nõ disidẽt locis. Neq. propterea nos ter Gal. cõtinuitatis, tã secundũ, quã præter naturã, duplicẽ in partib. differẽtiam cõstituit, sed unicã, inutiles arti distinctiones despiciẽs, neq. tam restrictè cõtinuum præfinivit, veluti Arist, sed ut latè patet, atq. ad contiguum, vel attiguum pertinet, brevioris & clarioris doctrinæ gratia. Quare solutio continui, sive alicujus partis similaris sectio fuerit, sive partiũ alicujus instrumẽti divorsium, & dissidium animal offendens, definitur divisio continui actiones partiũ lædẽs.

5. physic. cap. 3. sol. cont. quid.

Præterea posset aliquis existimare hũc morbũ dici cõmunem, quod semper sit morb. partium similarium & organicarum simũl: verũ nõ sic se res habet. Cõmunis dicitur respecto illorum, quĩ proprij dicti sunt, de quib. egimus hactenus, quoniã, neq. proprius est partib. similarib. ut intẽperies omnes, quæ solis similarib. neq. est propri' partib organicis, ut morbi in cõformatione, numero, magnitudine, & situ, qui solis accidunt instrumẽtis. Nã, ut cõmunis natura vocata unitas, vel cõtinuitas, utrisq. partib. inest: sed nõ reperitur necessariò in utrisq. partib. simũl, cũ similaribus adesse possit, abesse verò à disimilaribus. & è contrariò, non dissimili ratione unitatis solutio quandoq. in similarib. tantũ, quandoq. tantũ in dissimilarib. inest: inde communis.

3. Problema.

Sed illud difficile est ad intelligendũ, quod dixerit Gal. se *paulò ante*, nimirum capite quarto, *continui solutionẽ cõmemorasse inter cõmunes utrarumq. partiũ morbos.* Si una tantum est natura communis, & unus tantum morb. communis utrisque partibus, qui pótuit illum inter communes morbos commemorare?

Objectio. Tex. 19.

Respõdi aliquando, in antiquo interprete non haberi ea verba. *Quare inter communes utrarumq. partium morbos, eã paulò ante cõmemoravimus.* Ita enim legit interpres ille. *Restat ergo, ut de quinto genere disputemus*, id est *separatione junctura: sive fiat in similaribus, sive*

Solutio.

A *in compositis. Locus igitur, in quo arteria scinditur &c.* Quæ quidem ad hanc difficultatem mihi satis superq. dixisse videbar.

Neucaddo, apud veteres universalis notio morbi cõmunis, vel ignota erat, vel certè nomine carebat, unde nominib. tantũ specierũ & differentiarũ utebantur, atq. plures morbos utrisq. partib. communes supponebant, qui tamen particulares sunt, & subjecti sub una, & generali morbi natura. Huic, cum nomẽ deinceps imposuit Gal. numerũ morborũ cõmunium visus est auxisse, propterea dixit consultò *se inter communes morbos eam paulò antè commerasse*, hoc est, inter suas species, vel differentias, qui similiter sunt morbi communes.

Solutio alterà.

B

Tandẽ assecuit aliquando Gal. tria esse morborũ genera, intẽperiẽ, structurã instrumentorũ, & unitatis solutionẽ: aliquando sex cõstituit, intẽperiem, morbũ in conformatione, numero, magnitudine, positione, & continuitate: quod sint quinq. nullatenus quadrare potest.

4. Problema.

Auctor, qui contra Montanum scripsit, existimat Gal. inter morbos instrumentales numerasse continui solutionẽ, qua ratione quintum morbi genus dici idẽ Auctor fine dubio arbitratur. Cũ enim capite sexto hujus libri de morbis instrumentorum agere incepisset, & septimo de cõformatione, mox octavo de numero, deinde nono de magnitudine, & sequẽte decimo de situ disputasset, undecimo de unitatis solutione tractavit, quod propterea quintum genus instrumentorum rectè dictum est.

1. Opinio.

C

Sed interpretatio hæc cõsistere nõ potest: sic enim verba Gal. continuata sunt, ut postquam dixerit, *reliquum esse quintum genus morbi, nempe unitatis solutionem*, statim adjungit, *sive illic alieni e particulis simplicib. quæ similares appellantur, sive compositæ adveniat.*

Refutatur Tex. 42.

D

Docebat Solanus ex Salvo Selano Galenum capite octavo reduxisse ad unum genus quantitatis morbos in numero & magnitudine, unde quinq. tantum erunt omniũ morborum genera, intemperies, morbus in conformatione, morbus in quantitate, morbo. in compositione, & solutio continui.

2. Opinio. Com. in artem parvã. Tex. 36.

Veruntamen ipsemet Solanus hãc
Confutatur rejicit interpretationẽ, quoniã Gal. ibidẽ subjungit, *in hoc loco manifestioris doctrinæ gratia placuisse hoc pacto distinguere, ut alteram differentiam quãti sub numero, alteram sub magnitudine cõprehẽderet.* Aliam igitur Solani explanationem adducamus, quam ego magni æstimo.

Dicamus ergo nos Galenum à capi
Vera opin. te quarto usq. ad hunc locum tantũ disputasse de simplicib. morborũ differentijs, quod declarãt ejus verba in fine hujus capitis exarata. *Hæ quidem*, inquit, *sunt universa simplicium morborum differentiæ.* Nã capite quinto nobis exposuit, quatuor esse partiũ similariũ F proprios morbos simplices nẽpe intẽperies calidã, frigidã, humidam, & siccã: & in fine ejusdem capitis dixit.
Tex. 25. *Ego vero jã videor ægritudines omnes commemorasse quæ partib. similarib. tribuuntur.* Initio capitis sexti. *Proximũ est*, inquit, *ut eas jam exequamur, quæ instrumẽtalium sunt propriæ.* Quas totidem numerat capitib. septimo, octavo, nono, & decimo, nempe in conformatione, numero, magnitudine, & compositione: cumq. hoc undecimo capite se voluisset transferre ad cogitationem morbi, quẽ tum in simplicib. tũ in compositis capite quarto inesse dixerat, necesse putavit obser
Tex. 19. vare hoc loco, *unitatis solutionẽ esse quintum morbi genus, sive alicui ex particulis simplicib. sive alicui ex cõpositis adveniat*, hoc est, tam si numeretur in morbis partiũ similarium, quam si in morbis partiũ organicarũ: etenim partes similares non solũ afficiũtur quatuor intẽperieb. sed etiam patiuntur nonnunquã solutionẽ cõtinui, quæ propterea dicitur illarũ quintũ morbi genus. Neq. tantum afflictantur instrumẽta in cõformatione, numero, magnitudine, & cõpositione, quia possunt quoq. laborare unitatis solutione, quæ idcirco debet etiã appellari quintum illorum morbi genus.

Hunc fuisse mentis Galeni sensum
Cap. 6. probant, quæ apud eundẽ libro de artis constitutione legimus, quo loco postquã dixit, *vitium atq; integritatem affectus q. omniũ instrumentaricũ corpora quatuor his generib. contineri figura, numero, magnitudine, & situ*, subjungit. *Verumenimverò, si partes unionis quoq. ex* E *natura participes sunt, quintũ hoc etiam genus bis erit addendum corporib.* Mox de partib. simplib. disputãs. *Sed hoc*, ait, *nõ est prætermittendũ hujusce generis affectus similares etiã partes esse participes.* Et paulò post, cũ recensuerit differẽtias solutionũ in ipsis partib. similarib. *Tot ergo*, inquit, *talesq. in hoc quinto morborũ genere, quum simplices particulas occupat, differentiæ sunt.* Ergo, si continuitatis solutio reponatur in numero morborũ partiũ similarium, cũ illis non ratò accidat, quintũ genus morbi est, si referatur in numerũ vitiorũ instrumentaliũ, cũ instrumentis interdum contingat, itidem quintum est.

VTRVM CONTINVItas præter naturã morb. sit.

QVÆSTIO. LX.

QVI excedentem calorẽ, & figurã præter naturã morbos esse cõstituerunt, similiter continuitatẽ ipsam præter naturã morbũ faciunt, quod his, quæ sequuntur confirmant rationib. præterquam quod Gal. & in hoc G & in his, quos de medendi methodo scripsit libris, continui solutionem morbum vocat. *Iuniorũ opinio. quæstio 24. & 25. Auct. Gal.*

Sanitas & morb. cõtraria sunt: sed naturalis continuitas partium sanitas est, ergo earundem præter naturã continuitas morb. erit. *1. Ratio.*

Præterea morb. est affectus præter naturã primò actionem lædens: sed præter naturã continuitas primo lædit partium actiones, morb. igitur statuendus est. *2. Ratio.*

Tandem, si curationẽ respicimus, nihil aliud procurant medici, cũ divi H sa est continuitas, quã suum contrarium, nẽpe unionẽ, quod quidẽ a morbo ipso postulari nemo non novit. *3. Ratio.*

Porrò ille, qui cũ Galeno inimicé agit, continuitatem præter naturam morbum esse negat. *Opinio Argenterij.*

Illius rationes sint hæ. Morbus est constitutio & res composita: sed continuitas est res simplex, morb. igitur esse nequit. *1. Ratio.*

Deinde morb. est affectus, & res permanẽs, sed continui solutio est actio *2. Ratio.*

vel

vel passio,& res in fluxu posita,ergo morb.non est. Propositio est Gal. libro de differentia symptomatum,secundo methodi & primo de locis patiẽtib.Assumptio valet, quãdoquidẽ solvere est agere,& solvi est pati, solutio ergo actio,vel passio est.

Cap.1.
Cap.3.
Cap.3.

Adhæc morb. est affectus & qualitas, sed continuitas est quantitas, igitur morb.non est.

3. Ratio.

Postremò cõtinui solutio nõ lædit actionem,ergo non est morb. Patet, quoniã naturalis continuitas non edit actiones, sed usum tantum præstat:hæc siquidem,quæ præstant usum in statu secundum naturam, morborum causæ sunt,cum præter naturam redduntur,non morbi.

4. Ratio.

Sed utraq. opinio æquis ponderibus examinanda est.Nam quemadmodum ex mutua actione & passione primarum qualitatum unam contemplamur ab illis ortam, quæ mistũ ad benè,ac facilè agendum disponit, quæq. nec est caliditas, nec frigiditas,nec humiditas,nec siccitas,sed ab his specie diversa,ita ex coalitu,cohærentia,& continuitate corporum, tota per tota miscentur, quædam emergit dispositio, quæ mistum continuum ad facilè agendum disponit, præparat,& præmunit. Similiter, ut in similaribus partibus, cum instrumenta simplicia, vel in his, cum alia magis composita construunt, præditis quidem certa formatione, numero, magnitudine, & positione, una structura inest, & organica dispositio, ita in isdem certo modo cohærentibus,& continuitate continuatis, quædam dispositio existit partes utrasque disponens ad continuas actiones maximè accommodata.Quæ utrarumque partium ex continuitate dispositio communis constitutio est in unaquaq. parte potestate multiplici reposita,cum omne continuũ ex sui natura sit dissolubile, & dividuum in multa.

1. Fundamentum.

Porro,cum solvitur hæc continuitas,quinque cõcurrere observamus. Agens, ut tonsorius culter,patiens, scilicet pars ipsa, quæ dividitur, continui solutio, qui motus est ad quantitatem disjunctam, ut ad numerum, quoniam pars ex una fit duplex, quantitas ipsa disjuncta & discreta per motum, quæ dicitur soluta continuitas, & tandem prava dispositio ex continui divisione consurgens,quæ divisam partem ad suas actiones malè disponit,quæq. nominum penuria vocatur etiam solutio continui.

2. Fũdamẽtum.

Ex quibus facilè colligitur in hoc quoq. morbo & formam & materiã reperiri:quemadmodum enim ex calore, frigore, humiditate, & siccitate præter naturam, per unius excessum mutatis, emergit intemperies, ut ex formatione, numero, magnitudine, & compositione vitiata constitutio,veluti forma ex materia, ita in partib. divisis ex cõtinui solutione tanquam ex materia nascitur præter naturam dispositio, quæ morbus est, ut dicunt, formaliter, licet nomine materiæ continui quoq. solutio nuncupetur.

3. Fundamẽtum.

Quibus sic explicatis, concludo morbum, qui dicitur solutio continui, non esse agens, neque patiens, neque motum. Non esse agens, vel patiens, res loquitur ipsa: non esse motum aperte constat,nam in superioribus dictum est morbum esse affectum, rem permanentem,in non tempore fieri, motus ipsius terminum essetat motus est actio vel passio, res influxu posita,quæ in tempore fit.

1. Conclusio
Ratio.

Quamobrem existimo ipsam continuitatem divisam esse morbũ,ut dicunt,materialiter.Quando quidẽ materia morbi est illamet,ex qua secundum naturã se habente constabat sanitas, tanquam ex materia:sanitas enim,& morb.ex eadem materia sunt: sed utratũq. partium sanitas constat ex continuitate naturali,tanquam ex materia;ergo eadem continuitas, divisa tamen,est materia morbi,& dicitur morb.materialiter.

2. Conclusio
Ratio.

Verum tamen,si loquamur de morbo,ut dicunt,formaliter,arbitramur communẽ utrisq. partib. morbũ esse dispositionẽ præter naturã, quæ nascitur ex quãtitate partiũ discreta,divisaque continuitate, cujus dispositionis ratione utrarumq. partiũ lædit actio.

3. Conclusio

Nam morb.pro forma sumptus est dispositio & ratio,quę partes corporis disponit ad agẽdũ præter naturã, sed illa dispositio in discreto utrasq.

1. Ratio.

partes disponit ad agendum vitiose, ergo illa dispositio morbus est.

2. Ratio. Præterea morb. cum sit dispositio, nascitur ex ordine vitioso eorũ, quę corporis nostri cõstitutionem suffulciunt. sed dispositio præter naturam in partib. divisis nascitur ex ordine vitioso illarum partiũ, quæ totius continuitatẽ sustẽtabãt, mox verò divorsiũ fecerunt, ergo dispositio præter naturã orta ex discreta quãtitate dicendus est utrarũq. partiũ morb. formaliter quidẽ, ut dicunt, intellectus.

Objectio. Dices morb. in eisdem consistit, in quib. sanitas, quæ propositio est in Galeno maximè celebrata: sed cõmunis sanitas ponitur in partib. continuis, ergo morb. communis non cõsistit in disjunctis: nam continuum, & discretum genere differunt.

Solutio. Huic objectioni, si memoriã reno vo, jam satisfactũ est aliàs. Sanitas & morb. in his cõsistunt, quæ sunt idem secundũ rẽ, quãvis ratione distinguãtur. Quamobrẽ cõtinuũ, & discretum fundamẽto. & re ipsa idẽ sunt (fundamẽtaliter, vel materialiter in scholis) tamen genere ac ratione distinguntur, quam rationẽ formalem vocant.

Ergo ijs, quæ in principio sunt objecta, respõsum reddamus, & primũ juniorib. Nã Gal. ferè semper materialiter, ut sic dicã, locutus est: quod si aliquãdo meminit communis dispositionis, eandem continui solutionem vocavit, penuria nominum.

1. Solutio. Prima ratio verum attingit, nã cõtinuitas naturalis secundũ rẽ sanitatis est materia, quemadmodũ cõtraria continuitas præter naturã est materia morbi: veruntamẽ continuitas naturalis sumpta pro dispositione, sanitatis est forma, ut contraria dispositio præter naturam forma ipsius morbi.

2. Solutio. Secundæ respõdemus cõtinuitatẽ præter naturã lædere, sed materialiter lædere: dispositio verò partium divisarum est, quæ formaliter lædit, hoc est, qua tanquam agendi ratione fit læsio.

3. Solutio. Curatio autem materiam respicit, quoniam actiones & passiones sunt suppositorum & subjectorum.

1. Solutio. Alterius opinionis rationum primæ respondemus, communem sanitatem esse constitutionem partium cõtinuarum, quatenus potestate multę: morbum verò quatenus actu multæ sunt, res igitur est composita morb. ipse, non simplex.

2. Solutio. Secundæ dicendum continuitatem divisam, morbum, inquam, de quo sermo est, non esse motum, sed quantitatem, ut sic loquar, materialiter: formaliter verò esse qualitatem permanentem. Idem tertiæ rationi respondendum.

3. Solutio.

4. Solutio. Vltimæ dicamus hunc morbum actiones lædere, quandoquidem continuitas naturalis quamlibet actionem facit unam & continuam, ut in superioribus latiùs dictum est, soluta vero & præter naturam omnes actiones infringit & debilitat.

VTRVM GENERALES differentiæ continuitatis præter naturam sint continuitas divisa, & divisio continuata.

QVÆSTIO. LXI.

Ratio dubitandi. NVNC rimari convenit generales differẽtias continuitatis præter naturã. Nam illud in suspicionem venit, an vitietur continuitas, non modo cũ partes divisionẽ patiuntur, sed etiã cum præter naturã cohærẽt, quæ hiare ac distare debebant, ut cũ digiti, oculorũ palpẽbræ, podicis, vulvæ, aut oris labra cohærent, idq. sive ab ortu, sive deinceps ab ulcere. Nam si tota res ita se habet, asserendum videtur diminutam fuisse hujus capitis Gal. doctrinã, cũ nullã fecerit mẽtionẽ illi differẽtiæ cõtinuitatis præter naturã, in qua divisa continuantur.

Auct. opin. Ego in hac sum opinione, ut putẽ, non minùs affici nostrum corpus vitiositate continui, quando, quæ distant, continuantur, quam cum disidium faciunt continuata.

Gal. Auct. Sed ne quidquã scribã sine sententia, atq auctoritate Galeni, legendũ hortor secundum de medica officina, ubi de generalib. differentijs hujus morbi, quæ sequũtur, locutus est: *Ergo, sicut quæcunque naturali habitu sunt,*

sunt, ubi cum quibusdam continuantur, vel quædam contingunt, amissa unitate & contactu ægrotare & habere præter naturam dicimus: ita etiam, quæ neque continuabantur, neque se contingebant, unitas & contactus morbo implicabit. Quare, cū hæc contraria sint, ubi curentur, contraria consilia exigent. Ecce manifestò competit, non modo in partib. simplicibus in quib. unitas, verum etiam in instrumentis, in quib. contactus, duas differentias continuitatis præter naturā generales, continuitatem divisam, & divisionem continuatam, quas contrarias in eodem genere vocavit, atq. ubi curentur, scopos contrarios habere arbitratus est.

Neq. deerit auctoritati ratio. Nam, si partib. nostri corporis, cū sine molestia degunt, aliquid naturaliter ineſt, quod usum animali præstet, actionesque illius perficiat, omninò utiq. si id ipsum corrumpatur, morb. ipsis constituetur: sed plures partes nostri corporis, nimirum quæ secūdum naturam hiant, cujusmodi oris labra, præditæ sunt quadam quantitate discreta & disjuncta, quæ illis usum præstat, & actiones perficit, ergo si quantitas illa intermissa, & naturæ ipsius habito divisa corrumpatur & continuetur, morbus in ipsis partibus erit constituendus.

1. Ratio.

Quod argumentum confirmat natura contrariorum.

Nam quemadmodum morbus est, cum dividitur continuum, ita morb. fit, cum divisum continuatur, actioq. partium naturā interruptarum impeditur.

2. Ratio.

Continuitas enim sanitas est, quæ semper exiſtit mediū inter extrema: sed unum extremorum est continuitas divisa, ergo alterum est divisio continuata.

3. Ratio.

Veruntamen id habet summā difficultatē. Quoniā hoc capite Gal. præterijt hanc divisi continuationē, quā nos alterā differentiam continuitatis præter naturā constituimus: decimo verò capite ad partiū cōsensum, & cōnexionē reduxit. Quāobrem vel hìc deficit, vel ibi redundat, & superfluit disputatio & deliberatio.

Objectio.

Respondeo, in partib. quæ sunt naturaliter separatæ, si forsan cōjungantur, tria præter naturā posse nos cōsiderare. Primò factā unionem & cōtinuitatē præter naturam. Secūdò sitū partiū mutatū respectu loci. Tertio situm earundem partium mutatū respectu figuræ, vel meatus instrumēti, qui quidem situs nihil est aliud, quā instrumētalis cōsensus, & connexio præter naturā. Noxa, quā partib. sive similaribus, sive organicis intulit denuò facta continuatio pro nihilo habetur. Læsio situs ratione loci, vix, aut omninò non sentitur. Potissimū ergo ponitur in culpa cōnexio & situs, quē præter naturā cōtinent partes inter seſe ratione formationis instrumēti, quod meatu quodā, patentiq. aditu perficiebatur. Nam quādo alicujus meatus extrema, quæ labra vocamus, cōjunguntur, & cohalescūt, manifestè impeditur transitus alicujus substantiæ, cui erat ex usu meat⁹, qui ad formationem pertinet, cujus gratia labra hiare ac patere debebāt. Sit exemplum hoc. Quum oris labra cohærēt, locus partiū mutatus alicui motui fortassis obest. Nara continuitas præter naturā ex duplici actione partiū similariū unicā facit: verūtamē impedimēta hujusmodi partū advertit medicus: quod autē sensū magnopere movet, est connexus præter naturam, à quo manifestò impediuntur plures actiones, quæ aditu, cavitate, ac meatu aperto continebantur, & perficiebantur. En tibi causam, cur noster Gal. cōtinuatā divisionē in caput decimum, & ad vitiatum cōnexū redegit, in hoc vero nē verbū quidē fecit, sed continui solutioni se totū tradidit quoniā hæc differētia sēsum acerbissimū, & dolorē cōmovet, atq; inter alia, sanguinē è corpore fundit, quorū utrūq; symptoma corpus humanū in summas angustias adducit.

A

B

C

D

Objectio.

Sed quare non reduxit ad vitia cōnexus, omnes differentias solutæ cōtinuitatis instrumentorum more veterum? Quia quando in instrumentis separantur partes contiguæ, licet vitietur connexus: tamen actio manifestè læditur à solutione & separatione: noxa verò connexus non sentitur.

Solutio.

Quamobrem continuitas præter naturam generaliter dividitur in divisionem continui, & in continuationem divisi. Quamvis Galenus

Epilogus.

tantum disputet de continui solutione, quoniam hæc frequentissimè contingit, illa ita rarò extat, ut si quando audiatur, portenti, & prodigij similè numeretur.

Observatio Fortasse, quod dixi de situ, consensu, vel connexione, mirú alicui videbitur: mirari desinet, cum sexagesimam octavam quæstionem perlegerit.

DE SOLVTIONE CONtinui in solis partib. similarib.

QVÆSTIO. LXII.

SOLVTAM unitatem aliquando similarium partium dumtaxat morbum esse, aliquando totius tantum instrumenti, interdum verò partium similarium, & totius instrumenti simùl, Galenus dixit. Quas tres differentias separatim perscribere studebimus, interim tollentes omnem dubitationem, si forté offenderimus in difficultates, quas doctrinæ Galeni attulit obtrectator ejus & adversarius. Porrò quod omnes partes similares cum suis particulis naturaliter cohærentes, & continuatæ sint, omnes novisse oportet, incidit ergo in omnibus simplicib. animalis partib. continuitatis solutio. Verú neq. unum nomen in omnibus habet, neq. in singulis propriam sortitur appellationem, sed mutuatur interdum alienam, ut docet Galenus.

4 meth. 1. *6 meth. 1.*

In osse à quacunq. causa fiat, præterquam ab erosione, dicitur *catagma, nomen omnib. ferè hominib. qui græcè loqui norunt, tritum*: latinis fractio, vel fractura. In cartilagine non habet proprium vocabulum, sed Hipp. fracturam etiam nuncupavit abusus catagmatis nomine, ut annotavit Gal. Sunt autem fracturæ plures differentiæ, quas sexto methodi Gal. adduxit, & eas, quæ in ossib. capitis eveniunt, ex Hippocratis sententia. Quum verò solvitur ossis continuitas ab erosione teredon appellatur, latinis caries, nimirum quãdo humor acutus, & acris in osse putrescẽs ipsum exul cerat. Fortè denominatur à nomine teredon, quod significat vermem, qui ligna erodit, quia os cariosum quasi à vermib. corrosum videtur. Galeno alia verbi interpretatio probatur, ut libro de causis videbimus. Initio tamen hoc malum ad aliud ægritudinis genus pertinet, atq. ossis asperitas potius, quam caries nominatur: tractu temporis solvitur continuum, tándemq. adjungitur morb. in magnitudine diminuta, ut voluit Gal. Teredon & sphacelos in osse idem sunt, utrumque tamen nos cariem appellamus.

Fractura. 6 metho. cap. 3. *2. de artic. 48.* *Paulus lib. 6. cap 89.* *cap 5. & 6 Lib. de vulnerib capitis.* *Cels. lib. 8. cap. 2.*

Lib de caus. mor. c. 11. *4 meth. c. 1.*

Sed objicit ille, quod improprié dicatur fractura quælibet solutio cõtinuitatis in osse, quod leviter aliquãdo vulneratur.

Objectio Argent.

Hinc Fernelio, quem hæc objectio deterruit, ossis transversa divisio vocatur fractura, recta verò, fissio.

Solutio Fernelij. 1. de mor. diff. cap 9. Sol. Autio.

Veruntamen Gal. insecutus est Hippocratem, cui Aristoteles assentitur, apud quem crebrò est usurpatũ, ut omnis solutio facta in osse fractura diceretur: nos autè novare vel imponere nomina, ubi non desunt, omnes leges plenissimé vetant.

Præterea quælibet solutio continui in omnib. præter ossa, partibus à quacunque causa proveniat, ulcus dicitur, qua ratione promiscuè, & communiter de ulcere locutus est Gal. hoc capite, quatenus sola unitatis est divisio, ut dixit libro de inæquali intemperie. Sic cõsideravit ulcus tertio methodi secutus Hippocratem, qui librum scripsit de ulceribus in quo ferè omnes continui solutiones amplexus est, & capitis vulnera proprio libro sæpissimè ulcera vocavit. Tertio autem de fracturis, *verisimile esse*, ait, *omnem morbum ulcus esse*, quia probabile est, omnem morbum inducere dolorem, cujus causa est cõtinui solutio.

Cap. 6. *Cap. 10.* *Tex. 34.*

Primum ergo ulcus sumitur communiter, qua significatione omne vulnus subsecontinet: paulò contractiùs verò usurpatum ab eo plurimùm distat. Nam τραῦμα, *vulnus*, solutio est unitatis in carne, quæ ab incisione, seu quovis alio sectionis genere, facta est, sive directim, sive obliquè, sive punctim soluta unitas sit, à vulnerando dicta: id enim vulnus inferte

Trauma. Vulnus.

ferre dicitur, quodcunq. potest extere nè solvere continuum partis carnosæ. Vlcus verò soluta unitas est etiam in carne, sed quæ ab erosione contingit.

Quo diff. vulnus & ulcus c.6. Hoc enim discriminis esse putavit Gal. inter vulnus & vlcus libro de cõstitutione artis medicæ post alios libros conscripto, quod vulnus magis conveniat his solutionib. quæ extrin secus à quovis telorum genere fiunt, quam ijs, quæ ab internis causis oriũtur. Nam, cum à phlegmone suppurata, & aperta continui solutio in parte carnosa fit, vel cum suapte sponte ab erodentib. succis carnosa pars in sua cõtinuitate solvitur, id magis ulcus, quam vulnus dici meretur. Quæ propriora ac verior, tum ulceris, tum vulneris significatio est.

Objectio. Hinc dilues molestiam, quam tibi calumniator exhibebit, dum nugatur inscitè, Galenum confundere ulceris, & vulneris nomen.

Solutio. Etenim hoc loco multisq. alijs promiscuè & communiter scripsit de ulcere: libro verò de constitutione artis, quam propriè de vnoquoq. dixit.

Quæsitum. Sed postulabit á me curiosus nomen solutionis ortæ ab aliqua vulneratione, vel rosione in vena, arteria, nervo, hujusmodiq. partib. nam ulcus & vulnus tantum continuitatis carnis solutiones esse dictum est.

Responsio. Cui respondeo, quum ulcus, vel vulnus in carne solutiones esse dico, nõ solùm musculorũ carnem intelligo, quamvis id præcipuè, sed omniũ partium exceptis ossib. ut significavi, arteriarum, venarum, nervorum, membranarum, ligamentorum, ac etiam cutis. Quod indicavit Gal. cum dixit *continuitatis solutionem in omni genere carnoso communiter ulcus vocari*. Nam, cum hæ partes nomen carnis mutuentur à musculis, consonum est, ut ab eisdem morborum nomina trahant.

Nygmd. Nyxis. Ad vulnus refertur νύγμα, vel νύξις, punctio, continui solutio incidente aliquo acuto, & tenui facta, quæ non modo carnis, sed etiam aliarum partium affectio est.

Rhotio. Rhegma. 3. met c.1. & 4.c.1. Patiuntur etiam carnosæ partes ῥῆγμα, ruptionem, quæ continui solutio est absq. vulneratione. Fit potissimùm distentione ex graui casu, violẽta incursione, contusione, motu vehementi, vociferatione. Vase autem aliquo, vel contuso, vel rupto, statim sequitur ἔκχυμωσις, sugillatio, quæ est effusio sanguinis subtercutem, ut habet Gal. *Ecchymõsis. 4.met.c.1.*

Sed, cum ecchymosis aliquando sequatur ἀναστόμωσιν, apertionem osculorum vasorum, aliquando διαπέδησιν, resudationem, hinc arbitrati sunt Iohannes Fernelius, Iohannes Gorræus, & inimicus molestus anastomosin & diapedesin esse continuitatis solutiones, veruntamen ducti errore in Linacri verbis, ut discutiam protinus, cum particulares differentias continui soluti numero definiam. *Observatiõ Anastomõsin. Diapedesin Iohan. Fernelius 1. de morb. diff. cap 9. Gorræus in d.*

Nervosa substantia non rarò afflictatur continui solutione citra vulnerationem, quæ dicitur spasma, divulsio, & distractio, aliqui abruptionem vocant: evelluntur enim, quæ in nervosa parte sunt fibræ, cum ex ictu, vel contusione violentiam patiuntur, aut subitò & affatim intenduntur: Dicitur etiam hoc malum τύλος, ut aliquãdo annotavit Galenus. *Incidit*, inquit, *spasma, cum musculorum fibræ plurimùm extenduntur, ita ut nonnullæ abrumpantur, cujusmodi mala recentiores medici Tylmata* (sic legendum) *propriè appellant.* Vnde alibi hæc locutus est. *Sed, si qua fortè pars doleat, primùm, nunquid ob externam quandam causam dolor evenerit, animadvertas. Namque in motib quibusdam imprudentes quidam lasi sunt, & dormiendo, qui minùs commodè partem aliquam composuerint, & in convertendo, & contorquendo subitò, partes rigentes & ante refrigeratæ ἐκθερμαίνει καὶ πλήσσει, divulsionibusq. & spasmatis & elisionibus correptæ, dolores maximos creant. Et verò ῥήγματα, ruptiones etiam dolores afferunt, præcæteris, qui sicco sunt temperamento, atq. adeo magis si inclinatâ ætate, vel senes sint.* *Argenterius 1. de morbi generib. c. 12. In fine hujus quæstionis. Divulsio. 3.meth.c.11. Tylmã. 3. de medicã offic. com. 50. Epid. 3. com. 76. Spasmatis & Tylmãcæ sin. Rygmatis.*

Sed avertamus à nostris medicis nefariam pestem, quam ignorantia hostis communis machinata est. Importunissimus homo vãrium fuisse Galenum existimavit, quod libro methodi quarto, & de constitutione artis medicæ, & hoc loco spasmatis nomine solutionem continui significari scripserit, quum secundo de symptomatum causis convulsionem reposuerit in motus depravatos, lõgissimèq. absit depravatus motus à continui solutione. *Objectio. Arg. Cap. 12 Cap. 6.*

Iti4

Alia objectio Arg. Ibidem.

Itidem eũdem alio crimine arguit, quod hoc loco solis nervis tribuat convulsionem, quam libro de constitutione artis ad musculorum fibras spectare scribit.

Solutio.

Tamen hic homo ignoratione græcæ linguæ non modo hæc, sed alia multa peccavit. Multum inter se distant spasma, & spasmus. Nam spasma, vulsio, divulsio, & separatio est morbus, ut diximus, in divisione continuitatis nervosarum partium: spasmus verò distentio, contractio, & cõvulsio masculorum proprié dicitur, nec quidem morb. sed symptoma, ad quod sat pluries alibi putat Galenus, si musculi tendantur, & in suam ipsorum originem contrahantur: ad spasma verò, ut libro de constitutione artis legimus, filamenta musculorum non solùm tendi, verum & rumpi oportere notat. Sed miseris, atq; infœlicis hominis errorem crearunt interpretes, qui spasma, & spasmon, convulsionem reddiderunt, & confusé locuti sunt.

3 de loc. af. c. 1. 6. aph. cõ. 39. 2. de sym. caus. c. 1. Cap. 6.

Interpretatus Galenus Ibidem.

Loco autem dudum citato & alijs, in quib. hac de re mentio facta est, mirificè congruit caput hoc undecimum. Asseveravit Galenus dicto loco de artis medicæ constitutione filamenta musculorum in spasmate rumpi: tertio methodi spasma esse divisionem partis nervosæ: tertio de mudica officina incidere spasma: cũ musculorum fibræ plurimum extenduntur, ita ut nonnullæ abrumpantur: hoc verò loco *Ruptio*, inquit, *& divulsio ex eodem sunt genere* (paulò antea de ossis & carnis continui solutione tractaverat) *consistet hæc in nervosis, illa autem in carnosis partibus*. Sic vertenda sunt Galeni verba. Quare propria musculorũ substantia, ut scribit alibi, duob. constituitur, carne, & fibris. Quando nimia tensione evellitur caro, rhegma, ruptio est: quando fibra, quæ est pars nervosa, spasma & divulsio dicitur.

Cap. 1. Com. 3. 1. de fract. com. 12. in arte parva cap. 59.

Maior em haberet difficultatem objectio si homo arrogantissimus advertisset Galeni locum quarto methodi scriptum, ubi dixit, solutam cõtinuitatem in carnosa parte ulcus dici, in nervo spasma.

Magna difficultas. Cap. 1.

Solutio.

Veruntamen, cum spasma in nervo fieri dixit, nervi fibras intellexit, in quib. tota ferè vis illius consistit, quoniam nervus in musculi caput insertus in varias fibras diducitur, & spargitur per universum musculi corpus: sic enim se ipsum exponens opinatur sexto ejusdem operis cum ait, *divisionem unitatis in nervosis fibris spasmus vocari.*

Cap. 1.

Objectio.

Sed quid est, cur ibidem dixerit, hunc morbum nullam propriam appellationem sortiri, cum in nervum, & arteriam, & venam inciderit? An idem erit de fibris existimandum?

Solutio.

Responde o solutionem fibrarum á tensione factam proprié spasma dicisfactam verò à re secante ac vulnerante, non habere propriam appellationem, ut nervorum, arteriarum, & venarum: sed etiam á carne mutuari, & ulcus appellari. *Caterum parum solicitus de nominib. esse debet is, cui rerum scientiam invenire sit propositum*, ut eodẽ loco scribit Galenus.

6. met. c. 1.

Differentiæ solutionis continui quinq; sunt (admitto, quæ in legitimum numerum veniunt, reliquis omninò rejectis) fractura, ulcus, ruptio, divulsio, quæ partium similarium, & avulsio, quæ instrumentorum est propria, de qua sequenti quæstione disputabimus.

Differentiones solutionis continui quinq.

Objectio. Arg.

Sed ille ipse, qui nihil non carpit, etiam in hoc numero commovetur, & in Galenum vehementiùs invectus est. Nam libro de constitue. art. med. alias tres differentias Galenum addidisse objicit, erosionem, contusionem, & punctionem: quarto verò methodi alias duas anastomosin, & diapedesin.

Cap. 6.

Solutio.

Veruntamen erosio, & contusio nõ solutiones, sed solutionis continui causæ sunt, ut dicemus lib. de causis: punctura est ulcus, veluti observavimus. Methodi autem quarto, cum loqueretur Gal. de Ecchymosi, *fit autem*, addit, *aliquando & exoris vasorum apertione, quam anastomosin vocant, & ex ea, quæ à nonnullis diapedesis dicitur*: mox subjungit, τρίτοιν γὰρ συνέχειαι λύσεων: interpres sic convertit: aliud solutæ continuitatis genus, ac si anastomosis & diapedesis essent genera, vel species solutæ continuitatis. Interpretis verba sequti sunt Fernelius, & Gorræus, hos verò homo ille. Sed quemlibet

Cap. 11. Cap. 1.

bet hoc errore liberabunt Galeni verba optimè intellecta, atq. sic planè conversa. Anastomosis, & Diapedesis: *alind à soluta continuitate genus*: aliud, hoc est, diversum. Quoniam ibi ἕτερον significat diversum, vel alienum, ut a-
1. de rep. pud Platonem, ἕτερα ἀλλήλων, *diversa inter se*: item eodem loco, ἕτερον τῶν ἀπόντων, *alienum à vero*. Quomodo etiam sumitur interdum apud latinos. *Hac non*
In Andria. *succesisit*, Terentius ait, *alia aggrediamur via*. Quam interpretationem liquidò probant verba Galeni quinto ejusdē operis exarata, ubi de sanguinis fluxione ab ulcere dicturus, attendens ab alijs etiam causis provenire, ut evaderet copiosa disputatio, voluit complecti omnes causas, unde oritur sanguinis fluxio, cū sit communis cu-
Cap. 2. ratio. *Quoniam autem*, inquit, *& per anastomosin, & per diapedesin, ut mox docebimus, profluvia hujusmodi fiunt, nō alienum sit, propterea quod curationem communem habent, hoc loco de his meminisse, tametsi ex alio esse morborum genere videantur*: pertinent enim ad instrumentorum conformationem, ubi quidem nulla tergiversatio est. Atq. his factum est satis promisso.

DE SOLVTIONE CONtinuitatis in solis instrumentis.

QVÆSTIO. LXIII.

PARTES similares, quum ope facultatis formatricis cohærent, instrumenta componunt, sibi contigua sunt, & extremis se continguntː hujus verò continuitatis, vel contiguitatis solutio, & separatio vocatur avulsio
Apospasma. ἀπόσπασμα: estq. propria passio instrumentorum, ut in fine præsentis capitis dixit Gal. libro verò de constitu-
Cap. 6. tione artis medicæ. *Apospasmata accidere*, ait, *partib instrumentarijs qua parte maximè corpora genere diversa simul junguntur, & coalescunt*. Quoniam in vero apospasmate, adhærentium partium nulla disrumpitur, sed alia tantum ab alia distrahitur, & separatur. Sic nomen id usurpavit Aristoteles cū scri-
A bit, *polypos ita adhæresce, ut inde non possint avelli (ἀποσπασθῆναι) sed truncari potius patiantur*. Et alio loco, spongijs sē sum inesse prodit, quod ad evulsoris accessum contrahantur, ita ut difficilè fit ἀποσπᾶν, avellere. Cujus verbi significationis non ignarus D. Lucas medicus nobilissimus, cum dixisset, redemptorem nostrum perveniss ad montem olivarum, illumque secutos fuisse discipulos suos, καὶ ἀπὸ, addit, ἀποσπασθῆναι αὐτὸν ἀπ' αὐτῶν ἐν λίθου βολῇ, *ejus avulsus est ab eis, quasi ad jactum lapidis*. Unde medicis apospasma est avulsio, & divisio conglutinationis, & conjunctionis partium, quæ instrumenta constituunt, atque ut definit Gal. *apospas-*
B *ma tunc est, cum, quæ simul conjuncta, & continuata sunt, à se invicem sejunguntur, distractis, divulsis ligamentis, quæ ea conjungebant*, ut licet videre in conjunctione cutis cum subjectis membranis, musculis, ligamētis, nervis, venis, arterijs, & tendonib. quæ partes à se invicem avelluntur in *abscessib. sinib. inflationib. tumorib.* Necessum verò est in hac solutione, ut avellantur, & extirpētur ligamenta, quib. partes coalescunt, sive sint manifesta, ut in articulis sive prope modum insensibilia, cujusmodi sunt fibræ tenues, veluti
C aranearum filamenta. Nam ubicunq. harum interjectione fit coalitus partium diversarum, earūdem avulsione fit instrumentorum apospasma: etenim cum partes instrumenta componentes à se invicem diducantur, integræ permanentes nulla fit in illis solutio, sed dumtaxat in instrumentis.

3. de med. of. com. 31.

2. de med. of. com. 25.

Hac doctrina illustrabitur nonage- *Observatio*
simum caput artis parvæ Galeni, cujus interpretes ignari quid esset Apospasma, similiter ignorarunt, quomo-
D do in partib. instrumentarijs impossibilis esset continui solutionis unio: constat verò ex ijs, quæ dicta sunt, esse impossibilem. Nam, cum in apospasmate avellantur ligamenta, quæ partes instrumentorum conglutināt, fieri nequit, ut amplius pars parti coalescat.

Porrò ferè omnes interpretes artis *Opin. interpretum artis parvæ.*
medicinalis, cum non intellixissent qua ratione curatio apospasmatis esset impossibilis, eo in loco arbitrati sunt, omne apospasma fieri, cum aliqua pars ab instrumento, vel instrumentum

mentum à corpore omninò separatur,& detruncatur,atq. ex toto præscinditur, excluditurq.vel Galeni regulam,& propositionem,quod unio in partib.instrumentarijs sit impossibilis,non esse universalem,sed in illo tantum apospasmatis genere veram esse,in quo pars omninò separatur á corpore.

Refutatur. Quodquidem genus affectus, qua ratione sit apospasma mente complecti non possum, cũ fuerit definitũ ex Galeno apospasma fieri, cũ in aliquo instrumẽto partes diversorum generum á se mutuò sejungantur,ac separantur,sed ex suo toto non præscindantur. Nã licet in omnimoda præcisione adsit unitatis solutio, affectus tamen ille apospasma non est,sed vulnus, vel ulcus, ac præterea morb. in numero,vel in magnitudine deficiente.

Autoris interpretatio Quamobrem asserendum est, propositionem Galeni esse veram,& universalem,quod facilé affirmare poterunt illi, qui artem secandi exercuerunt,cum longa experientia docti observaverint partes omnes beneficio particularum spermaticarum necti, & copulari:exemplo sit totius corporis cutis,quæ,ut scribit Gal. *propagines paucas,tenues,raras,agrè conspicuas,instar aranearum eiusdem filorum, ex omnib. subjectis partib. recipit.* Quod dictum est de cute idem quoq.de reliquis partibus & similarib.& organicis est affirmandum, quandoquidem omnes quibusdam particulis tenuib. membranosis, veluti ligamentis colligantur,ut pars simplex duplex,vel triplex esse judicetur,quemadmodum inseparatione membranæ carnosæ à subjectis partib. dilucidè perspicimus. Cum itaq. in apospasmate membranæ tenuissimæ, ac fibrosa ligamenta disrumpantur,neque possint amplius coalescere, iterumq. generari ob efficientis imbecillitatem,materiæ ineptam dispositionem,partiumq. siccitatem, & duritiem, hinc factum est, ut dixerit Gal. solutionem continui in partib. organicis per unionem sanari non posse. Tametsi enim partes divulsæ, ac sejunctæ in abscessib. aliquando uniri videantur, illa tamen conjunctio non est vera continuitas,vel contiguitas, sed obducta conglutinatio

9. de usup. cap. 15.

Observatio

E mediâ calloså substantiâ.

Reprehen. diser inter pretatio. Argen. Neque citato loco alicujus momẽti est expositio illius interpretis,qui nobis hoc libro importunè insiliit, cum scribit,instrumenta soluta interdum coalescere,si non per se, saltem per accidens,nimirum propter unionem similarium partium, ex quibus constant.Nam,cum dixerit Gal. hanc unionem esse impossibilem, sanè indicavit,eandem neq. per se,neq. per accidens fieri posse,atq.ita rem habere constat ex ijs,quę diximus,cum ligamenta non possint amplius uniri parti,unde sunt avulsa.

Objectio. Argent. Verum hic etiam de apospasmate F gravissimé accusavit Galenum invidus Momus, quòd propriàm instrumentorum affectionem vocaverit: cũ tamen quarto medendi methodi definiat apospasma esse solutionem ligamenti, quod ubiq. in veris partib. similarib.numeravit.

Germanus interpres in suis institutionib. voluit quarto methodi non apospasma, sed diaspasma legendum esse, quoniam hoc capite, ubi loquitur de solutione, & divisione ligamenti,dixit. *Διεσπάσθαι*, non *ἀποσπᾶσθαι*.

Diaspatat. Apospatat Refutatur. Verum hæc emendatio non est re- G cipienda. Nam hoc loco non solùm de divisione ligamenti, sed etiam de divisione arteriæ locutus fuit. Libro autem de constitutione artis medicę, atque secundo,& tertio de anatomicis administrationib.ubi divulsionem hanc in multis partib. similarib. fieri asserit,non connumerato ligamento, etiam utitur hoc verbo *Διασπᾶσθαι*.utpote quæ sit vox communis omnib. divulsionib.& solutionib.partium similarium,non solius ligamenti.

Cap.6. Cap.4. Cap.2.

Diaspatat.

Aut.Sol. Dicamus ergo in organica natura duplicem nos posse contemplari cõ- H tinuitatem, alteram, qua partes simplices conjunguntur, ut instrumenta primi ordinis componant, alteram, qua ipsa instrumenta simplicia ut magis composita conglutinent. Sic duplex apospasma in organis inesse liquet.Primum est, quando simplicium instrumentorum unio solvitur, partib.similarib.integris manentib. nulloq. modo illarum substantia & propria continuitate fracta, sed dumtaxat divulsis,& abruptis subtilibus fibris, quib.telæ aranearum modo particulæ

Apospasma duplex

ticulæ continentur, ac in illa continuitate adhæreſcunt, quæ propria ſignificatio apoſpaſmatis eſt. Alterum exiſtit, cum inſtrumentum ab inſtrumento ſejungitur, quod etiam ſi dicatur apoſpaſma, tamen minus propria ſignificatio eſt, quia non ſolùm in eo fit ſolutio filamẽtorum, quæ inſenſibilis eſt abruptio, ſed etiam ligamentorum, quib. inſtrumenta inſtrumentis cohærent. Gal. hoc libro de apoſpaſmate exquiſito & proprio locutus eſt: quarto methodi ſecutus Hippocratẽ alterius meminit, quod ad ligamenta potiſsimùm refertur. Sed hoc ſequenti quęſtione explicabimus accuratiùs.

DE SOLVTIONE CONtinui, quæ in partib. ſimilarib. & inſtrumentis ſimùl ineſt.

QVÆSTIO LXIV.

QVANDO divellitur aliqua particula ab ipſo inſtrumento, & totius inſtrumenti, & divulſæ particulæ continui ſolutionem morbum eſſe monſtratum eſt: totius quidem inſtrumenti, quod eius partes, neque ſibi invicem cohæreant, neque uniantur, adeoq ipſum inſtrumentum in ſe diviſum, unumq. non ſit: partis verò divulſæ, quod non maneat una, ſed in duas diſſecta, adeoq. illius integritas ſoluta.

Tamen in hac re facili & expedita perdifficilis, & obſcurus locus nobis proponitur libro de conſtitutione artis medicæ ſcriptus. *Sed ſi quæpiã inquit* Galenus, *ſimilaris particula ex toto dividatur (διαιρεθῇ) affectio illa partim illius, quæ diviſa eſt (διαιρεθεῖσαν) dicetur, partim totius inſtrumenti: quam vis nonnunquam huius non niſi ex accidenti dicenda ſit, ut cum vel muſculus, vel aliqua alia huiuſmodi particula patitur: quandoq. tamen etiam primùm, utpote cum ligamentum.* Videtur idem de eadem re contrariè ſcriptum. Nam hoc capite, quod in manib. habemus, uſque quaq. divulſa particula qualibet, ſolutionem continui morbum eſſe conſtituit partiũ ſimilarium, & organicarum ſimùl primò, & per ſe. Ibi verò ſi ligamentum ſit diviſum, & illud, & inſtrumentum primò laborare tradit: at ſi fuerit alia particula, præter ligamentum, diviſa, in illa quidem morbum ineſſe primùm: ſed in inſtrumento ex accidente.

Magna difficultas. *Cap. 6. Diarethemtos.* *Dicremenu* *Manifeſta cõtradictio*

Iacob. Segarra locum de conſtitutione artis medicæ corruptum, & depravatum eſſe putat, quem ex hoc corrigit & reſtituit. *Iuniorum Sol.*

Ego verò librum illum & magnifacio, & mirificè probo, cum in eo G. ſalutares artis præceptiones perſtrinxerit, & nonnullas auxerit, tametſi in epilogo ſuo more. Porrò exaratum eſt ante acta quæſtione apoſpaſma proprié dici, cum nullius partis ſimilaris in aliquo inſtrumento fit manifeſta diſſectio, ſed ſola ſeparatio: alterum tamen minùs proprié uſurpari, cum ſcilicet aliquod inſtrumentum avellitur à vicino inſtrumento propter abſciſsionem ligamẽti, ita ut pars una ligamenti inſtrumento uni, altera alteri adhæreſcat. Sic Hippocrates apoſpaſma vocavit, quemadmodum quoque præcedente quæſtione diximus, cum abruptis ijs, quæ oſſa inter ſe connectunt, ipſa, quæ priùs jungebantur, plurimùm inter ſe dehiſcunt, ut de extremitate lati ſcapularum oſſis oſtendit, & videre licet in oſsibus quæ per ſymphyſin, hoc eſt, naturalẽ unionem copulantur. Hinc noſter G. quarto methodi definit apoſpaſma ſolutionem ligamenti. Nam, cum ligamentorum opera inſtrumentũ inſtrumento cohæreat, apoſpaſma illud adſcripſit ligamento. *Fundamẽtum Auct.* *Cap. 2.*

Sic igitur cenſeo. Aſſeruit Gal. hoc loco ſolutionem continui utriuſque ſimùl, & inſtrumenti, & divulſæ particulæ morbum eſſe primò, & per ſe, quacunque particula ex inſtrumento fuerit abſciſſa, quod ratione confirmavit. Libro autem de conſtitutione idem intellexit: ſed artem amplificare propoſuit, atque ligamentum, cujus hic promiſcuè meminerat, cum alijs partib. ſimilarib. comparare voluit. Nam hoc intereſt inter ligamentum, & alias partes ſimilares, quod tametſi cujuſcunq. particulæ facta diviſione, itum particula ipſa, tum inſtrumentum patiantur, primò, & per ſe: tamen *Auto. Sol.*

tamen ex divisione ligamenti afficitur instrumẽtum multò magis, adeo, ut continui solutio, quæ instrumento contingit, ex aliarum partium sectione, instrumento quasi ex accidente convenire videatur comparata cum solutione, quæ provenit ex dissectione ligamenti: argumento sit nomen, quod nanciscitur ea solutio: nulla enim solutio instrumenti à parte simplici exorta dicitur apospasma præter eam, quæ sumit initium à divulsione ligamenti, tametsi hæc apospasmatis significatio sit minùs propria, quoniam propria est, cum partes omnes similares tametsi divulsæ ac disjunctę, omninò integræ maneant, ut prædictũ est.

Benignè igitur defendenda sunt verba Galeni, atq. sic studiosè legenda. *Siquæpiam similaris particula ex toto dividatur affectio illa partim illius, quæ divisa est dicetur: partim totius instrumenti*, hoc est, utriusq. primò & per se, *quamvis nonnunquam hujus*, hoc est, instrumẽti, licet ei primò & per se conveniat, *non nisi ex accidente* videatur convenire collata cum ea, quæ ex divulsione ligamenti exorditur, quæq. instrumẽto quam maximè congruit. Ergo quãdo ex instrumento particula divellitur, cum toti instrumento, tum particulæ propriè morb. est, sed cum particula distracta ligamentum est, multò magis instrumento morbus convenit. Neque existimet aliquis in verbis *ex accidẽti, & primùm* præcipui aliquid latere, cum promiscuè & communiter loquatur Gal. siquidem paulò antea sic scripserat. *Duplex est affectionum genus, alterum primum, ac maximè proprium, alterum verò ex accidente, aut secundario, vel non primò, aut quomodocunque appellare libeat.* Nam, ut alibi docuit ex Platone, *non est habenda de nominib. cura, quib. tot, ac tantarum rerum investigatio proponitur.*

Galenus locus interpretatus.

Præoccupatio.

2 de diff. feb. cap. 7.

VTRVM SOLVTIO CONtinuitatis sit morb. instrumentalis.

QVÆSTIO. LXV.

HIC constitueretur finis omniũ disputationem de solutione continui, nisi degenerassent posteri philosophiam obliti priorem. Principio nostras aures offendit cujusdam catuli vox leonem allatrantis infensi Galeno inimici, qui solutionem continui tãtùm in partib. similarib. inesse profert.

Aver. lib. collect. 3. cap. 14.

Nam illi tantum parti contingere potest continuitatis solutio, in qua reperitur vera, & propria continuitas: hæc dũtaxat in partib. simplicib. reperitur, ergo partes simplices erũt tantum participes illius affectionis. Vera est propositio. Confirmatur assumptio, quia continuitas duplex est, altera vera, & ex rei natura, altera, quæ dicitur contiguitas, qua potiùs attigua dicuntur corpora, quam continua. Prior tantum est in partib. similarib. atq. in instrumentis esse nequit, cum sit continuum id, cujus extrema sunt unum: partium autem instrumenta componentium extrema non sunt unum, sed contigua solùm, seseq. tangunt, ergo instrumenta non possunt affici continuitatis solutione, nisi ex accidente, quatenus scilicet eandem patiuntur partes simplices, quæ illa componunt. Hinc nonnulli hujus hominis arrogantis sequaces arbitrantur solutionem continuitatis instrumentorum nihil aliud esse, quam vitiatum connexum & morbum in cõpositione, quo partes consociatæ disterminantur & disjunguntur.

Ratio.

In hac quæstione, antequam ad rẽ traducamus animum, observandum est, Aristoteli cõtinua tripliciter dici. Primò simpliciter & propriè continua dicuntur ea, quorum extrema sunt unum, quoniam in unum communem terminum coeunt, ut partes lineæ, quæ ad unum commune punctum copulatur. Secundò minùs propriè continua sunt duo extrema, quæ absq. alio vinculo sibi motnò cohærent, ut videre est in stirpib. quæ inseruntur. Postremò continua dicuntur latissimè, utquæ junguntur inter se clavo, vel glutine. Primam continuitatem mathematicam vocant: secundam naturalem: tertiam artificiosam, quæ significatio ab hoc instituto aliena est. Corporis nostri partes similares continuæ dicuntur prima significatione, & continuitate mathematica: partes verò dissimilares continuæ

Fũdamẽtũ. lib. 5. phys. cap. 3.

Aver. ibidem.

sunt

sant continuitate naturali, quæ adhæsio attiguitas, vel contiguitas prior à nobis retrò dicta fuit.

Quæst. 59.

Quo posito concludimus solutionem continui non modo partib. similarib., sed etiam dissimilarib. contingere.

Assertio.

Nam illarum partium continui solutio morbus est, quarum primò & per se actiones lædit: sed disjunctis, & separatis partibus instrumenta componentibus, ea solutio primò & per se lædit ipsorum instrumentorum actiones, ergo solutio cõtinui morb. est instrumentalis. Siquidem separatis partibus similaribus, quæ instrumenta primi ordinis componunt, vel instrumentis simplicibus, quæ composita conglutinant, ut in apospasmate, lædontur instrumentales actiones, quæ neq. à solutione continuitatis partium similarium ortum habent, ut patet, cum hæc superstis relinquatur, neque à vitiata connexione, quæ plurimùm

Ratio.

Quæst. 68.

distat à continuitate, ut demonstrabimus, ergo peculiaris quædam continuitas instrumentalis concedenda est, sive continuitas, sive contiguitas appelletur.

Observatio

Ex quo fit, ut qui à Galeno sese alienant & inimicantur, eundem explicent inopinato, cum differunt duas esse continuitates. Nam secundo de medica officinâ permisit nobis licentiam vocandi continuitatem partium similarium unitatem veram & propriam: dissimilarium verò minus propriam & contactum. *Primas quidem*, inquit, *abest omnibus fractis, ulceribus fissis, contusis: contactus verò abscessibus simil. inflammatis tumoribus.* Quo loco patet Galenum in similaribus unitatem exploratè cognovisse: sed contactum, vel contiguitatem in dissimilarib.

Com. 26.

Veruntamen cum instrumentalis continuitas sit magis perfecta, quam dicta naturalis, à qua fortasse plus distat, quam à mathematica, quoniam quoddam commune vinculum videtur nanciscì, quod naturali denegatur, hinc dissimilitudinem continuitatis partium utrarumque parvi esse ducendam hoc loco existimavit, aeque utramq. uno continuitatis nomine appellavit.

Observatio

A Quare propositio rationis adversariorum falsa est, cum Gal. loquatur de cõtinuitate, quæ latiùs patet, quã ipsi exposuerint: continet enim mathematicam continuitatem in similaribus. & naturalem in organicis.

Solvitur opposita ratio

Quod si quærat aliquis, cur asserue rim continuitatem in organicis distare plus à naturali, quam à mathematica, & quod sit commune vinculum quod in ea sum contemplatus.

Quæsitum.

Respondeo tametsi nostri corporis instrumenta cõtinuitatem habeãt naturalẽ, si diligentiùs de his ac physicè dicamus: tamen, si rem communiter consideremus in quolibet instrumento pars parti coalescit per fibras, & membranulas: instrumenta verò instrumentis intermedijs ligamentis, quorum omnium termini quasi unum fiunt cũ partib. quas simul copulant, & conjungunt. Quæ quidem continuitas licet revera mathematica non sit, verum neq, naturalis omninò dici videtur, sed media, penuria tamen nominum dicta est naturalis.

Responsum.

VTRVM SOLVTIO continuitatis sit morb. partium similarium.

QVÆSTIO. LXVI.

Arg. lib. 1. de morb. ge. cap. 12.

SED ecce vespa cicadæ obstrepens maledicus conviciator, cujus nos reconditos aculeos jam pridem obtusimus, atq. post hac penitus evellemus, & extirpabimus. Putavit hic nugator omnem unitatis solutionem instrumentalem morbum esse, sed eò differre, quòd aliqua primò accidat organo, aliqua primò parti similari & secundariò ipsi organo, ut figura, conformatio, magnitudo, quas primò participant similares partes, ut instrumẽti fabricã respiciunt. Porrò in Galenum hujusmodi argumentis insultat.

1. Ratio.

Morb. earũ partiũ est, quarũ lædit actiones: sed cõtinui solutio non lædit actiones partiũ similarium, ergo partiũ similariũ morb. non est. Propositio est Galenica: probat assũptionẽ.

Actiones similariũ partiũ, quæ naturales dicũtur, quatuor sũt, attractio, retentio, concoctio, & expulsio: sed hæ tantum lædũtur ab intemperie, ergo nihil efficit in eas continui solutio. Nos juvemus & ornemus hanc assumptionem. Nequit enim actio aliqua lædi permanente illæsa dispositione, à qua primò profluit, ut supra dictum est: sed actionum naturalium principium, & causa est sola temperies, ergo tametsi pars vulnerata sit, nunquam lædũtur ejus naturales actiones, donec accesserit intemperies. Quare solutio continui sola non lædit actiones partiũ similariũ. Quòd sola tẽperies sit causa, & principium omnium naturalium actionũ multis in locis docuit Gal. Quòd actiones naturales tantum lædantur ab intemperie, libro secundo secundũ locos observavit, cum scribit, *in partib. similaribus solùm fieri morbos ex intemperie*: hinc fortasse dixit secundo de naturalib. facultatib. *ulcus non posse lædere concoctionem ventriculi, nisi febris accedat.*

Cap. 10. q. 58. in arg. 4.

Cap. 1.

Cap. 8.

Deinde nõ minùs patiuntur partes similares, cum propriam cõformationem, vel magnitudinem amittũt, quã quando corrũpitur illarum continuitas sed morb. ex conformatione, vel magnitudine non est morb. partium similariũ, quoniam obstructio venæ portæ non est morb. venæ, sed hepatis, docente Gal. ergo neque solutio contiguitatis illarũ morb. est. Valet propositio. Ideo continuitatis solutio dicitur morb. partium similariũ, quòd cum secundum naturam se habent, actionẽ, vel usum aliquẽ illis præstet, ut capite quarto dixit Gal. sed cõformatio, & magnitudo, nõ minus deserviunt partib. similarib. quã continuitas, ergo partes similares nõ minus afficiuntur, cum illarum conformatio, vel magnitudo vitiatur, quam quando dividitur in illis continuitas. Probatur assumptio. Nam si aliquem usum exhibet unio similaribus, aut alio modo confert, vel nocet, idem etiam illa efficiunt. Quare, cũ ex figura, vel magnitudine similarium corruptis, nullus morb illis cõtingat, profecto neq. ex divisa continuitate aliquis morb. eisdem potest advenire.

2. Ratio.

2. methodi cap. 4.

Tex. 19.

Postremò, si continui solutio esset morb. communis utrisq. partib. non posset reperiri morb. ex solutione in parte instrumẽtali, quin similares etiam eodẽ morbo afficerentur: sed aliter legimus apud Galenũ, qui apostasmata organicarũ partiũ morbos esse putat, non similariũ, igitur unitas communis non est utrisq. partib. sed organicis propria.

3. Ratio.

Plura sunt levis auctoris argumenta, illa tamen ad trifinium reduxi, & quò præclariùs potui confirmavi, ut quantum in eis roboris esset, ac nervorum contenderem.

Observatio

Vt verò in tantis tenebris præferamus clarissimum lumen, quò possit veritas illustrari, memoria repetam*, quæ in superioribus dicta sunt, nimirum tres esse partium cõstitutiones, duas proprias temperiem, & organicam structuram, tertiam cõmunem dictam continuitatem, actionesq. omnes præcipuè fieri à proprijs constitutionib. communẽ tamẽ ipsis actionib. permultùm opitulari, & cũ proprijs constitutionibus conjungi usu maximè necessario.

1. Fundamentum.

Deinceps animadvertẽdum est in ipsa primæ carnis generatione, cujus est opifex tẽperamentum partis, duplex oriri excremẽtũ, alterũ tenuius, quod in solutione & ulcere dicitur sanies: alterum verò crassius, quod nuncupatur sordes, atq. extenui ulcus redditur humidum, ex crasso autem sordidum, quib. duob. excrementis impeditur productio carnis. Generantur autem excrementa hæc etiã existente corpore sano, sed nullo sensu percipi possunt, & maximè quod tenuius est, quoniam à partium natura valida facilè ejiciuntur.

2. Fundamentum.

Quare ulceri curando, cum pars debilitata sit, duplici genere medicamentorum est opus, utriq. ut humidum est ulcus, siccantib. ut verò sordidum est, quæ ipsum detergeãt: quãvis enim carnis generatio fit opus naturæ, tamen in ulcere replendo, natura ipsa juvatur medicamentis sarcoticis dictis, quæ modicè siccant & saniem absumunt, sorditiemq. absterguntet purgant.

3. Fundamentum.

De sarcoticis 3. meth. cap. 2. & 5. simp. cap. 2.

Quib. jactis assertio sit. Continui solutio non modo instrumentòrum, sed etiã partium similariũ morb. est.

Assertio.

Nam

Nam ad generationem partiũ similarium prima corpora interjectione primarũ qualitatũ mutuò agentiũ & patientium alterantur, & uniũtur, ut verò ex primis qualitatib. ad certam proportionem redactis emergit partium similarium tẽperies, ita ex primis corporib. minutatim confectis, & comminutis fit coagmentatio & continuitas partium similarium. Quæ duplex unio qualitatum & corporũm ipsarum partium similarium, quatenus similares sunt, compositionem, & sanitatem constituit, absolvitq. Iam verò intemperies, quæ unionis qualitatum quædã dissolutio est, ab omnib. medicis judicatur morbus partium similarium, ergo solutio cõtinui, quæ unitatis corporum est divisio, earundem partium morbus constituendus est. 1. Ratio.

Rursus omnis corporis præter naturam affectus, qui primò lædit actionem morb. est: solutio continui partium similarium primò lædit illarum actiones, ergo illarum morb. est. Probatur assumptio. Quando pars continua est, excrementorum humidi & crassi fit invisibilis evacuatio, partis viribus validis existentibus, cum verò pars simplici ulcere laborat, tametsi nec fluxione vexata, nec intemperata sit, manifesta est ichoris supervacui, sordiumq. affluentia, quòd vires partium sint imbecillæ, nec ferant alimentum, quod justum est, sed veluti ab injusto graventur, ergo ab ulcere simplici læduntur actiones partium similarium naturales. 2. Ratio.

Nam si æquales & pares essent vires partis continuæ ac divisæ, pares ac similes producerentur effectus: sed in parte undiq. una & continua non relinquitur à concoctione sanies, fordes, vel pus, ergo nec prodire debẽt, cum est multiplex & divisa. Vnde cũ tanta fiat excrementorum collectio & congregatio, ut nec alimenti appositio, nec conglutinatio, nec tandem oportuna assimilatio fieri possit, concludendum est, facultates partium similarium esse fractas, atq. illarum actiones manifestò diminutas. 3. Ratio.

Iam si rumpatur os puero triũ, vel quatuor annorum, nulla subborta intemperie, partes quidẽ medio callo conjunguntur, sed os iterum nequit A generari, cum ejus procreatrix facultas imbecillior reddita sit. 4. Ratio.

Dices id non evenire propter facultatum imbecillitatem, sed ob materiæ defectum, quia os est pars spermatica. Refugium.

Sed maiorem defectum patitur hæc responsio, nã si puer ætate procedat, os etiam se ipsum crescit suprà dimidium, nõ quidẽ alia, quã propria materia, ergo infirmitas facultatum causa est, cur os divisum non possit iterum generari, & consolidari. Confutatio.

Adhæc si partium similarium vires valentes essent, cũ partes carnosæ patiuntur solutionem, nõ indigeremus sarcoticis medicamentis: sed illorum B usus magnus est, ergo partium similarium actiones læduntur à solutione continui. Siquidem in cavo ulcere id tãtum nobis proponitur, ut caro generetur: caro autem generari non potest, quin removeamus impedimenta, & excrementa saniem, & sordem, quæ nequit expellere debilis facultas partis solutæ. 5. Ratio.

Dices, fortasse generatio carnis ab aliqua intemperie prohibetur. Evasio.

Aliter tamen se res habet, quoniã hîc loquimur de ulcere simplici nullo cum alio morbo implicato, in cujus curatione unicus dumtaxat scopus est unio, quæ quidem fit sola opera sarcoticorum medicamentorum, C quorumquidem non multiplex, sed unum tantum genus est, nõ ad alterãdum, attemperandumq. sed tantum ad exsiccandum & detergendum accommodatum, designatumq. Refutatur.

At nimirum hoc maximum est experimentum, cũ constet vulnera multò faciliùs, & citiùs agglutinari, si adducantur labra, & constringãtur, quã D si disjuncta maneant. Quamobrẽ continuitatis partium similarium divisio illarum actiones impedire potest, quẽadmodũ unio plurimũ adjuvare. 6. Ratio.

Nunc diluamus contrarias argumẽtationes. Primæ respondemus falsum esse naturales actiones tantum lædi ab intemperie, possunt enim continui solutione violari. Propositio confirmationis veritatem obtinet sic prolata. Non potest actio aliqua lædi permanente illæsa partium dispositione, à qua primò profluit, & ijs, quæ partib. quà tales sunt, ad 1. Solutio.

Cap. 10. agendum proximè deseruiunt. Sic fuit à nobis deducta superiùs, cũ hoc additamento.

Dubitatio. Sed effiagitabit aliquis, ut exponam, quæ sint ea, quæ partibus sunt ex usu in actionibus, nam temperies videtur etiam utrisq. partib. inservire, ut apparuit in oculo.

Responsio. Respondeo me hoc in loco tãtum habere sermonem de ijs, quæ proximè usui sunt. Vnde partibus similaribus ut similares, submministrat actiones temperamentum: cõtinuitas usum instrumentis tota illorum structura suggerit actiones, usum verò ipsa contiguitas: temperies autem nulli organo proximè deservit, si organum proprié atq. ut tale est, usurpemus. Ergo sic declarata & cõcessa propositione, negamus assumptionem: quãtumvis enim actionum partium similarium causa efficiens propria & præcipua sit sola temperies, tamen continuitas est causa, non modo, sine qua non licet naturaliter agere, sed etiam cur actiones meliores fiant. Siquidem temperamentum ad suos usus necessarios sibi adjungit continuitatem.

Interpretatus Gal. Quotiescunq. autem Gal. docet, temperiem, solam esse causam omnium actionum partium similarium, verba facit de natura propria, & constitutione peculiari, unde principiũ motus. Auctoritas deprompta ex secundo libro secundũ locos *jam* à nobis aliàs exposita est.

Quæst. 26. ad primum Primo de naturalibus facultatib. non loquitur Gal. de ulcere in ventriculo existente, sed in alia parte lõge à ventriculo remota, in qua, cum ulcus, vel bubo insunt, non lædunt actionem ventriculi, nisi febris accesserit, quæ totius corporis morb. est.

2 Solutio. Secundam rationem pronihilo ducimus Nam partes similares, ut similares sunt, neq. formationem, numerum, magnitudinem, vel situm usurpant, neq. illis corruptis, vel depravatis, quidquam patiuntur: omnia enim hæc cõtingunt eis ratione instrumentorũ: at continuitaté requirunt, quã tales sunt, ut rectè habeãt, & graviter conqueruntur, si aliquando solvi contigerit.

3. Solutio. In tertia ratione homo iste simplex, & multarũ rerũ imperitus, vel ignoravit, cur soluta unitas dicatur à Gal. cõmunis morb. vel non satis intellexit, quomodo continuitas partiũ organicarum distincta sit à continuitate partium similariũ. Cõmunis dicta est, non quòd in utrisq. partib. semper reperiatur, ut animal in homine & leone: sed quòd interdũ partib. similaribus interdum dissimilaribus accidat, nonnunquam utrisq. simũl, quo distinguitur à morbis proprijs, intemperie, & organica structura præter naturam, qui alterutris partib. tãtum advenire possunt. Iam verò continuitas partium similarium, & instrumentorum ita distant, ut possit lædi unitas similarium superstite remanẽte continuitate organica, & hæc corrumpi, ut in apostemate, remanentib. particulis similarib. in propria substantia omninò continuatis, quod ex ijs, quæ supra dicta sunt, præclarè constare potest. Quæst. 62. & 63.

VTRVM COMMVNIS morbus constituatur, eo corrupto, quod actionem, vel vsum præstat utrisq. partib. cum naturaliter se habẽt.

QVÆSTIO LXVII.

Argentur. Gal. infectũ nitrõ. TANTA fuit hominis petulãtis & audacis inexausta reprehendẽdi cupiditas, ut nec in his, quæ dudũ adduximus, potuerit animum satiare. Perrexit igitur, & Galeni methodũ, qua morbum communem concluſit, acriùs persecutus est. Galeni methodus erat hæc. *Si quid commune omnibus partib. insit, cum secundum naturam se habent, quod actionem, vel usum aliquem animalib. tribuatur, omninò eo corrupto, communis quidam affectus morb.* Sed adest cõmunis omnib. partib. cõtinuitas, quæ *causa est, ut pars qualibet una esse dicatur, unaq. actionem, vel usum perficiat*, ergo si ea ipsa continuitas corrumpatur, cõmunis quidã partib. morb. erit.

Carpitur Gal. Hujus Galenicæ demõstrationis ac cusator malitiosus, & negavit propositionem, & debilitavit assumptionẽ. In assumptione docẽdũ fuisse, ait, quẽ usũ similarib. præstaret unio, & quomodo

modo utrarumq. partium,& prodeſſet,& obeſſet actionib.

Sed ignarus homo,quod petit,intus habet. Imprimis docuit Gal. ope unitatis omnem partem eſſe unam, quandoquidem, quemadmodũ pars ſimilaris accepit ex temperie, ut temperata dicatur,calida, vel frigida, diſſimilaris ex natura organica formata, vel figurata, eadem ratione quælibet habuit ex continuitate, ut diceretur una, & in multas dividua, ſimilaris quidem in ſui ſimiles, diſſimilaris in multiformes. *Defenditur Gal.*

Docuit præterea eadem unitate quãlibet partem unã actionẽ perficere:quantũvis enim ex partium ſimilarium téperie,atq. diſſimilarium ſtructura profluat actio,tamen unitas illius actionis perfectio & abſolutio adſcribitur continuitati,utpote quæ ſit maximum momentum ad actionis incorruptam integritatem. B

Addit tandem unitate quamcum q. partem, unũ perficere uſum, hoc eſt, aptam & accommodatam eſſe ad unã actionem,unumq. munus,quod propriæ cõſtitutiones exequũtur, neli' ſuſtinẽdũ:ſiquidẽ uſus hic nihil eſt aliud,quã utendi commoditas.

Ecce quam utilitatem afferat continuitas. Læſionis menſuram,ſi quærat, poterit quiſq. definire ac terminare ex oportunitatis & utilitatis modo, quem partes ſervant,cum ſine molestia vitam degunt.

Propoſitionem,ut dixi (quam ego hac de cauſa in quæſtionem vocavi) omninò inficiatur,& redarguit. Negat communem morbum conſtitui eo corrupto, quod actionem, vel uſum præſtat utriſq. partib. cum naturaliter ſe habent.Illius rationes ſunt hæ. *Arg. rationes.*

Cum inveſtigamus an aliquis affectus ſit morb.non ex ſublato uſu,ſed ex actione læſa tantũ id concludim', ergo non conſtituitur cõmunis morbus eo corrupto,quod uſum tantum præſtat utriſq. partib. cum naturaliter ſe habent. Nam Gal. in definitione morbi uſus non meminit,ſed tantum actionis, ergo propoſitio Galeni falſa eſt,atq. ex illa exorſa methodus inanis & vana. D *1. Ratio.*

Præterea,cum Gal. diſtinxit, quis partiũ affectus ſit morb.& quis morbi cauſa, docuit earum partium affectus, qui planè offendunt actiones, morbos appellandos eſſe: eos verò, qui uſum aliquem ſubtrahũt, morborum cauſas. Ex læſione igitur actionum,morbi ex ſola ſublatione uſus, cauſæ morborum colliguntur. A *Cap.6.& 8* *2. Ratio.*

De quo fideliter docemur à natura contrariorum. Nam ſi ex integritate actionum, ſanitatem,& ex uſu neceſſariò ſanitatis cauſas intelligimus, profectò morb. ex actionis impedimento, & ex remotione uſus cauſæ illius comprehenduntur. *3. Ratio.*

Deinde ratione agit ducente ad incommodum. Si communis morb. eſſet conſtituendus ex corruptione cõmunis naturæ, quæ priùs actionem, vel uſum largiebatur, liceret ſimili argumento concludere formam, numerum,magnitudinem,& cõpoſitionẽ communem morbũ cõmittere, cũ hæc etiã partib. utriſq. uſui ſint: etenim ſimilares conformatæ dicũtur à conformatione,figuratæ à figura, ut à continuitate continuæ. *4. Ratio.*

Tandem prodit potuiſſe Galenum illud incõmodũ,atq. morborũ & cauſarum confuſionẽ evitare, ſi inveſtigaſſet utrum ſolutio fuerit morbus communis ex actione ſola,nulla uſus facta mentione. Quoniam vitiata natura communi, quæ utrarumq. partium actionis ſit cauſa, concluditur apertè morbũ adeſſe communẽ eandem vitians actionem. In Galenũ igitur hujus rei confert culpam delirus, cum omnis in ſuam ignorantiam potiùs transferenda ſit. C *5. Ratio.*

Principio eſt obſervandum noſtri corporis actionum magnam eſſe varietatem ortam ex diſſimilitudine operum, vel objectorum. Vnde pro actionũ varietate diſpoſitiones partium diſcrepare omnib. notum eſt. Sed primum,& univerſum actionum genus duplex eſt,nimirum actionum ſimilarium,& diſſimilarium:tametſi genus tertiũ alibi addiderim',ex participatione quidem mediũ, & ad dicta duo reduci poteſt.Hinc propriæ diſpoſitiones partium,per quas potiſſimũ aguntur actiones,duę ſunt,partiũ ſimilarium diſpoſitio temperamentum eſt,diſſimilarium inſtrumentalis quædã ſtructura. Non poſſunt autem propriæ diſpoſitiones per ſe ſolæ *1. Fundamentum.*

absolvere & perficere omnes actiones, ad has ergo quandam communem dispositionem concurrere, quæ proprijs dispositionib. ministret usum, necesse est.

Alt. Fundamentum. Porrò, quæ usum habent in nostro corpore, quædam sunt, sine quibus agere non licet, alia gratia agendi melius, alia ad solam conservationem reliquorum creata sunt. Hæc autem, præsertim quæ congenita sunt gratia agendi melius, profectò actionem quodammodo dicuntur edere, dum corporis partes naturaliter habent. Nam cum dicimus crystallino humori potissimùm adscribi actionem, profectò alijs quoq. partib. intelligimus adscribi, & attribui, tametsi minùs. Quæ proculdubiò causa est, cur partium hujusmodi affectus debeant esse immodici, ut morbi cõstituantur, quemadmodum supra obser-
Cap. 6. Tex. 27. vavit Gal. Nam cum minùs auxilium ferant instrumento, minusq. ad actionem concurrant, sic maius debet esse vitium, quod inferat læsionem.

Objectio. Si objiciat aliquis, partib. habentibus usum nunquam apud medicos adscribi actionem, sed solùm usum.

Solutio. Respondeo id quidem esse verum, si easdem contemplemur comparatione facta cum parte principe: tunc enim, cum vim illarum describimus, tacitùs præterimus actionem, usum verò solum exprimimus, qui ab illis potissimùm præbetur. Simpliciter tamen, si loquamur, pro certo affirmãdum est, partes hujusmodi, cum secũdum naturam se habent, ut humorem scilicet aqueum, & vitreum, plurimũ prodesse actioni secundum naturam, atq. subinde *immodicos* illarum affectus eandem sæpissimé vitiare primò
Cap. 3 q. 18 & perse. In superiorib. autem, quid conferat continuitas utrisq. partib. explanatum est, ut inde constet similarium propriam cõstitutionẽ absq. natura communi actiones suas minimé perficere posse. Nam continuitate actio & roboratur, & melioresc-cit.

Assertio Auctoris. Hæc ergo sit assertio nostra. Cum manifestè corrumpitur illa dispositio, quæ, cum benè habet corpus, inest utrisq. partibus, & actionem, vel usum aliquẽ animali præstat, morb. communis vtrisque partibus constituitur.

1. Ratio. Nam morb. evadit partium naturalis affectus, quicumque in statum præter naturam mutatus, læserit actionem (adde primò ex Galeni consilio, quia cum homine rixoso sermo est) sed cum manifestò corrumpitur cõmunis dispositio, quæ cum naturaliter ineat, actionẽ, vel usum largitur, partium actionem lædit primo, ergo si manifeste corrumpatur illa dispositio, quæ cũ benè habet corpus, cõmunis est utrisque partibus actionẽq. vel usum animali præbet, morb. cõmunis constituendus est. Probemus assumptionem ex ea parte, qua usum includit. Actio læditur quotiescunq. dispositio propria, cui potissimum debetur, nequit eãdem exercere: sed cum præter naturam vitiatur dispositio communis, quæ ministrat usum, propria dispositio non potest actionem exercere, vel eandem exercet vitiosè, igitur cum manifestè corrumpitur dispositio communis, quæ, cum naturaliter ineat, usum animali præstat, actionem partium lædit. Probatur assumptum. Nam, quæ usum necessarium & proximum habẽt, alia sunt, sine quib. non fit actio, alia, sine quibus fit deteriùs.

Lib. de diff. symp. ca. 1.

Alt. Ratio. Quamobrem hæc ipsa, quæ necessarium & proximum præbent usum, & præcipuè, quæ, ut aliquando diximus, meliorare possunt actiones, eadem etiam edere dicuntur. Ergo quũ in statum præter naturam abeunt, similiter actionib. impedimento sunt. Iam verò temperamentum, si partes cõtinuatæ extiterint, commodiùs agit, sin autem divisæ, tametsi naturaliter se habeat, multò deteriùs. Vnde licet propriæ dispositioni adscribatur actio, & ea corrupta, sine mora depravetur, veruntamen actio melius & commodiùs fit continuis partibus existentib. & continuitate sola divisa maximè debilitatur & frangitur. Quam continuitatis efficientiã longiore oratione persecuti sumus aliàs. Hæc volui ex proprijs principijs elicere, declarare, & probare omissis auctoritatib. Galeni, quoniam res illius agebatur.

Quæst. 18.

Flectamus ergo judicium adversus Galeno mastigen, cui quidem nõ vir

Solvuntur rat. Arg.

vir Galenicus, sed alter Mastigophorus erat opus, qui cohiberet seditiones, quas ipse concitavit. Nam illius in hoc fuit omnis error, quòd fuerit opinatus affectus partium usum præbentium semper esse causas morborum, nunquàm morbos.

1 Solutio. Quare primæ illius rationi dicendum, ex actione læsa morbos quidem colligi, non ex usu, atque propterea morb. definitus est per actionem læsam, non per usum ablatum. Verum aliquando, immò frequèter, quæ usum aliquem subtrahunt, nullo alio interjecto affectu, offendunt actionem, cui ministrabant usum. Sic amplitudo pupillæ morbus fit, humore crystallino salvo existente, similiter suffusio, effusio nempe humoris aquei. Sic in horologio pulsatio debetur soli tintinabulo, sed eo illæso, vitiatur non rarò pulsatio propter solum excessum, vel defectum alicujus alterius partis præstantis usum.

2 Solutio. Tex. 35. Octavo capite primùm disputavit Gal. de ijs, quę partium usum præstantium augent numerum, quorum quęcunque primò impediunt actionem, morbos esse dixit, ut suffusio, quę mediāte affectione partis principis, morborum causas, ut tunicę rhagoidis tumor, propter quem crystallinus humor sursùm, vel deorsùm fertur, mutatq. sedem. Mox de affectib. partium, quæ deficiunt, verba facit, quorum etiam quæ per se impediunt actionem in morborum genere collocavit, ut in oculo, si deficiat cornea tunica. Quę verò partem actionis opificem intemperant, ut gurgulio funditus exectus, vel ei non latis alimenti trāsmittunt, ut defectus arteriæ, vel alicujus venę, in causarum numero. Tandem subjungit. *Nam, cum didiceris in*

Tex. 36. Ibidem. *ijs, quæ de usu partium habentur, quòd ex omnibus animalis partibus nonnullæ quidem operationem toti animali utilem conferunt* (quæ nos instrumenta originis appellavimus) *nonnullæ autem nihil ipsæ agunt*, (hoc est, nullam habent actionem in instrumento) *sed usum aliquem agentib. afferunt* (nimirum partib. principib.) *liquet earum lasiones, quæ actiones immediatè offendunt, ægritudines esse appellandas: earum verò, quæ ad usum*

Com. 5. Tex. 27. *aliquem tendunt* (sed non perse ipsas impediunt) *ægritudinum causas*. Sic est interpretandus Galenus cum Galeno.

3 Solutio. Tertiæ respondemus, esse nonnulla, quę in statu naturali usum tantum præbent, quia verò in statu præter naturam immediatè lædunt actiones, ideo illorum affectus in morborum numero ponuntur.

4 Solutio. Quarta ratio transacta quæstione diluta fuit. Partes similares figuratæ sunt, non sui quidem, sed instrumentorum ratione: continuatę verò ex propria natura, & ut similares sunt.

5 Solutio. Postrema ratio reijcula est. Nam hujus argumentationis, in qua de usu nulla fit mentio, falsa esset assumptio. Si aliquid est commune utrisq. partib. quod actionis sit causa, eo vitiato, communis morb. adest: sed continuitas est causa actionis utrarumque partium, igitur vitiata continuitas communis est morb. Quoniam Galenus causæ nomine, præsertim cum de causis actionis secundum naturam loquitur, perpetuò intelligit causam efficientem proprié dictam, unde principium motus, quæ in continuitatem non convenit, quamvis adjutrix causa dici possit. Quamobrem usum adjungit, ut accuratiùs, & compressiùs loqueretur, & omnia cōplecteretur, quib. congruit morbi ratio, quā pervestigabat, ratus posse quoque primò impedire actionem, morbiq. habere rationem per multa, quæ tantum prę bent usum, cum præter naturam se habent.

VTRVM INSTRVmentorum soluta continuitas distinguatur à vitiato connexu.

QVÆSTIO. LXVIII.

SI quid est, de quo subtiliter & cōpiosè me dicturū esse diffitear, hoc proculdubiò est, cum neminem legerim, qui se huc paraverit, hæc cogitaverit, ad hæc se exercuerit: nemini ergo mirum videri debet, si vel de ijs, quæ ad hanc disceptationem pertinent,

nēt, nihil attigero, vel modica & pau ca fuerint, quæ appositè dixero, satis superq. habeo, quod posterorum mē tes alliciam, & ad veritatis investigationem traducam.

Vetus opinio. Porrò, cum apud veteres ea solutio, quæ organis per se accidit, nimirum apospasma, ignota esset, ut quæ rarò admodum eveniat, fortasse sub pravo consensu vicinarum partium cognoscebatur, quem nexum, & connexum, & connexionem appellavimus. *Auto. Gal. Cap. 10.* Quib. videtur favere Gal. libro de causis morborum, ubi dixit. *Vicinarum partium consensum depravari, cum aliquod appendiculum, aut vinculum abrumpitur*, quæ sanè cōtinuitatis abruptio instrumentorum solutio est.

Nova opinio. Nos verò, quib. instrumentorum apospasmata perspecta, & cognita sunt (pro quo beneficio in nos collato meritam Galeno gratiam persolvere, vel minima ex parte, nullo modo possumus) de instrumentorum solutione continui dubitamus, nunquid à vitiato connexu eorundem distin-& a sit.

Ratio dubitandi. Primo intuitu contiguitas & connexus nulla ratione distingui aliquib. videri possunt. Nam illa sunt omninò idem, quorum unum absq. alio, nō modo non inveniri, sed ne cogitari quidem potest: at quandocunq. corrumpitur continuitas organica, partium connexus pariter vitiatur, & quotiescunque connexus divellitur, nullumq. adest commercium, partes etiam disjunctæ, & interruptæ sunt: continuitas præterea excogitari non potest absq. connexu, vel connexus absq. continuitate, ergo instrumentorum contigeitas, & connexio idem sunt omninò. Patet assumptio, quoniam continuitas organica nihil est aliud, quam societas, & contagio particularum, quæ instrumenta conglutinant: connexio verò est consociatio, & vicinitas earundem particularum. Quis autem poterit hæc, vel reipsa, vel ratione, nisi tantum nomine à Galeno imposito, separare?

1. Fundamentum. Vt expediam fautores Galeni ex laqueis, in quos se induerunt, si qui sunt, quib. id in dubium venerit, principio ad faciliorem rei explicationē, præmeditari convenit, ex Aristotele & Galeno, quid sit in origine sua illa connexio, quam partes obtinere diximus, ut instrumenta componant, quoniam Segarra tametsi aliquam inter hos affectus noverit distinctionē: tamen quid sit connexus neq. decimo capite, neq. undecimo explicavit. Ergo dispositio, ut ex quinto libro metaphysices superiùs observavimus, *est ordo habentis partes, aut loco, aut potētia, aut formæ.* Dispositio ex potentia pertinet ad primam speciem qualitatis. Dispositio ex loco est categoria situs. Dispositio ex forma, vel figura, est differentia quædam quantitatis. *Quæst. 3. & 7.* De prima qualitatis specie multa nos in superiorib. & in sequentib. fortasse, nunc reliquis duab. dispositionib. dumtaxat nobis opus est, quæ nomine situs apud Aristotelem in categorijs appellatæ sunt: dispari tamen ex causa. Quoniam plurimùm distant habere partes situm habentes, & habere partes situm habentes interse: illud enim est habere partes in loco: at habere partes situm habeates inter sese est differentia quantitatis continuæ permanentis, & existentis in aliquo subjecto. *Quæst. 2. 3. & 4. Lib. de dif. sym q. 1.*

Vnde situs duas habet differentias. Prima est situs & positio partium, quatenus respiciūt locum in ipso toto: altera verò est situs earundem partiū, quatenus respiciūt formā, & figurā totius (situm partium in toto vocavit Aristoteles.) Quas positiones philosophi quidam nuperi quantitatis extensiones appellant, scilicet extensionem partium in ordine ad locum, & extensionem partium in ordine ad se. Prior situs, vel extensio cernitur in quantitate, quatenus est coextensa loco, in quo totū est, ut cū Petrus stat, caput, & ejus quantitas occupant supremam partē loci, pedes, & eorum quantitas infimam, & partes mediæ corporis, medias loci partes, contra verò si cōtrariam habet positionem. Qui fit? dupliciter dicitur, vel in omnib. partib. nostri corporis similarib. quia in omnib. particulæ considerantur, loco extensæ, vel in instrumentis, quorum proprius est, de quo in prima parte capitis decimi hujus libri cum Galeno diximus. *Situs duplex.*

Alter situs, vel extēsio est partium quantitatis continuæ permanentis, quatenus sunt in toto seseque respiciunt,

ciunt, modificanturq. Nam in linea, superficie, corpore, & loco una pars est extra aliã, & una est in alia, quemadmodum digitus in manu, & manus extrema in brachio, possumusq. designare hãc partem in illa, & quod hęc sit ante, illa retrò, alia sursum, alia deorsum, non quidem, quod una sit extra aliam secundum locũ, sed quod una sit post aliam, & una sit ab alia re ipsa distincta secundum magnitudinem, & figuram totius, quandoquidem figura dimensiones terminando solet corpora distinguere, & variare, propterea figura modus quantitatis à philosophis dicta est: aliter enim ponuntur, & componuntur partes ad figurandum oculum, atq. ad formandum pedem, pro varia conformatione oculi & pedis: quemadmodum figulus aliter cretam, & fictiles partes disponit ad fingendum cantharum, atq. ad illam eformandam, nimirum pro varia figura uniuscujusq. Vnde situs hic duplex est: alter essentialis cujuscunq. continuitatis permanentis, à qua nulla potestate separari potest, qui quidem in omnib. corporib. & partib. similaribus propriè continuis reperitur: alter verò proprius est rerum dissimilarium, & quib. varia est forma, ut sunt instrumenta nostri corporis, de quo hic tantum disceptamus, qui situs, cum sequatur naturalem instrumentorum continuitatem, similiter duplex est, veluti continuitas illorum. Nam una continuitas est, qua partes similares adhærescũt, quãdo instrumenta componunt: altera instrumentum cum instrumento conglutinat. Non dissimili ratione duplex est instrumentalis situs, & extensio, alia partium cujusq. instrumenti, alia instrumentorum, quæ contigua, & vicina sunt.

Alterum fundamentum.

Gal. de situ similiter philosophatus est. Nam in arte parva postquam disseruit de morbis exformatione, numero, & magnitudine, de situ disputavit, nomine cujus loci positionem, & partium connexum complexus est, ut etiam secundo methodi. Idem significavit primo de locis patientib. cum hæc loquitur. *Verum ea, quæ nuper proposuimus* (quæstionem intelligit) *ad instrumentum opus propriè pertinet: intelligitur autem ex ipsa, quod imprimis per artem secandi corpora accuratè cognoscere oportet, qualis sit cujuslibet partis essentia: deinde verò & actionem, & κοινωνίαν*, id est, *societatem, quam cum proximis habet, intelligere, qua etiam in θέσει*, id est, *positionis vocabulo comprehenditur.* Quib. verbis docet societatem, vel connexionem esse situm, sed situm latius patere, cum tanquam genus contineat etiam subsecutum loci positionem. Septimo quoque methodi tradens indicationes, quæ à læsæ partis natura desumuntur. *Quarta sumitur*, ait, *ab ipsius partis circumpositarum, cujus portio*: id est altera species, *est ad vicinas partes κοινωνία, societas.* Similiter decimo tertio ejusdem operis, *Illa capiuntur ἐκ τῆς κοινωνίας*, hoc est, *à societate cum vicinis partib. quod idem est* (nimirum genere) *cum thesi*, hoc est, *positione* (loci positionem intelligit.) Situs ergo in duas differentias Galeno dividitur, in situm nomine generis, hoc est, loci positionem, & in connexionem.

koinonian. *Theseos.* *Cap. 13.* *Cap. 17.* *Apo tes Koinonias.*

Veruntamen hoc libro ubi ex professò rem hanc tractavit, ut planè & dilucidè loqueretur, has duas differentias *συνθέσεως*, id est, compositionis, cõmuni nomine designavit.

Cap. 10. *Syntheseos.*

Nam compositio (quasi cum positione dixeris) quæ una cùm formatione, numero, & magnitudine constituit ultimum genus morborum instrumentalium, in duas ibidem discriminatur differentias, in situm, hoc est, loci positionem, & connexum. Siquidem capite quarto recensuit quatuor genera morborum instrumentalium, atq. in quarto genere sic scribit. *In reliquo autem genere morborum ex compositione, aut naturali situ variato, aut κοινωνίας, communicatione partium inter se se.* Decimo autem capite. *Cæterum*, inquit, *eva riante ea, quæ secundum naturam est, compositione, morbi fiunt, & situ quidem, sicuti cũ articuli à suis sedib. excidunt, aut loca tantum movemus.* Et paulo post. *In non naturali verò partium omnium copulatione, vel applicatione, si vinculum alicubi laxum sit.*

Tex. 16. *Coinonias.* *Tex. 41.* *Omilia.*

Conexus igitur ex Galeno compositio & situs est, cumq. situs sit ordo partium, connexus itidem ordo erit. Vnde libro de constitutione artis medicæ, & libello de optima corporis constitutione prodit Gal. partes instrumentarias magnitudine, nume-

Cap. 5. *Cap. 2.*

ro, formatione, ordineq. moderatiſſimè, ac præſtantiſsimé conſtructas & conſtitutas eſſe: per ordinem autē intelligit utrumq. partium ſitum, & qui ad locum, nempe loci poſitionē, & qui ad figurā ordinatur, dirigiturq. ſcilicet connexionem.

Quod autem conſenſus, vel connexus ad conformationem, vel figuram referatur, obſervavit Galenus ſeptimo libro methodi loco ſuperiùs adducto, ubi ſic locutus eſt: *Iam ad varuationes quoq. non nihil ſitus indecat, dum ſocietatem laborantis particulæ cum aliis docet Nam, niſi illud compertum haberemus, quod cavo ſecinoris ſubjicitur ventriculus & jejunum: tum quod jejuno ipſi tenue inteſtinum ſuccedit: id verò colon excipit: ac colon, quod appellant rectum: minq. inveniſſe illud non licuiſſet, quod ſecum, & per alvū, & per vomitum expurgari poſſit.* Similiter decimo tertio libro ejuſdem operis à ſocietate colligit, quod gibba jecinoris per renes expurgari oporteat: cava verò per inferiorem ventrem. Quare connexus ſitus eſt ordinatus ad partium cōformationem, & figuram.

Eſt autem connexus bipartitò diſtributus. Alter in partib. ſimplicib. reperitur, quoniam omnes ſunt prædictæ particulis, quę ſimùl invicem in toto, & copulatæ ſunt. Qui quidem connexus veluti diximus, eſſentialis differentia eſt cujuſcunq. continuitatis permanētis, atq. incertus & interminatus dicitur, quemadmodū formatio, numerus, magnitudo, & loci poſitio, quæ in ſimilarib. incerta, & indefinita ſunt, ut retrò diximus, de quo quidem ſitu diſputare nihil ad medicum: alter connexus proprius inſtrumentorum eſt, de quo citatis locis à Galeno fit mentio, utpote qui inſtrumentorum continuitati, vel contiguitati naturaliter ſe habenti neceſſariò accidat, quemadmodum formatio, numerus, magnitudo, & loci poſitio in inſtrumentis. Nam cum hæc in ipſis inſtrumentis certa, & determinata ſint, non diſſimili ratione illorum cōnexus certus, & definitus eſſe debet.

Connexus quid. Nobis hoc loco de hoc inſtrumentorum connexu ſermo eſt, qui, ſi propriam vim expedit definitione declarare, nihil eſt aliud, quam compoſitio, qua partes inſtrumenta componentes ordinatę, ac in illis ſociatæ perſiſtunt, & ſunt ſimùl invicem, ratione formationis illorum. Qui præterea duplex eſt, ut duplex inſtrumentorum unio. Alter reperitur in partib. ſimilarib componentib. prima inſtrumēta. Alter eſt in ipſis inſtrumentis, cum alia inſtrumenta magis compoſita jūgunt, & conſtituunt. De quo ultimo inſtrumentorum connexu loquebatur Gal. ſeptimo, & decimotertio methodi, cum dicebat, ſocietatem nobis indicare, quæ pars per quam partem expurgari poſsit. Nam, cum is connexus pateat, & notus ſit omnibus, in eo poſſumus apertè videre omnem connexum ad formationem directò ſpectare.

Connexus duplex.

Cap. 13. Cap. 17.

Sed quoniam rerum diſtinctio quæritur hoc loco, hāc à philoſophis mutuemur, quib. rerum diſcrimina perquirere, & inveſtigare proprium eſt. Diſtinctio, quæ unius rei ab alia ſeparatio definitur, duplex eſt, alia rei, alia rationis. Diſtinctio rei eſt, qua una res diſtinguitur reipſa ab alia re: quæ quidem, ut pertinet ad hoc inſtitutum, ſimiliter duplex, alia eſt diſtinctio rei, ut res à re, ſive mutua, qua duo extrema ita reipſa diſtinguntur, ut poſsint mutuò, invicemq. ſeparari, ut Petrus & Paulus, duo lapides: alia diſtinctio eſt rei ſecundum modum, vel ex natura rei, vel non mutua, ex dimidio dicere poſſumus, diſtinctio modalis in ſcholis, qua ita duo differunt, ut unum poſsit eſſe ſine alio, nō contra: quomodo diſtinguntur res & modus, ut Petrus & ſeſsio, relatio & fundamentum. Nam licet fundamentum poſsit eſſe ſine relatione: tamen relatio non poteſt eſſe ſine ſuo fundamento: ſubſtantia enim genita poteſt eſſe ſine filiatione, quoniam mortuo patre filiatio evaneſcit, genita ſubſtantia remanente: at filiatio nequit eſſe ſine ſubſtantia genita. Præterea diſtinctio rationis eſt, qua extrema ſolo intellectu diſtinguntur. Nam licet á parte rei revera idem ſint: habent tamen diverſos reſpectus, penes quos ab intellectu ſeparātur, ut actio, & paſsio, quarum à parte rei una eſt omninò entitas, ſed intellectus cogitatione ſejunguntur, quoniam actio refertur ad agens, atq. ad paſſum paſsio. Cujus diſtinctionis ex ratione ulteriùs

3. Fundamentum.

Quæſt. 20.

terius procedit partitio, sed huic disputationi non est opus.

Quib. actiter intellectis, affirmo in
1. *Assertio.* strumentorum connexum Galenicũ nihil aliud esse, quam situm Aristoteleum, & extensionem partium instrumentorum respectu formationis illorum.

Quod hac ratione ducor ad credẽdum. Consensus, vel connexus situs
1. *Ratio.* est: sed connexus non est situs in ordine ad locum, ergo connexus est ille situs, qui in quantitate positus, totius formam, vel figuram respicit. Pro
Cap. 1. positio est Galeni primo de locis pa
Cap. 13. trientib. septimo, & decimotertio me
Cap. 17. thodi. Assumptio patet, quoniam cõnexus & loci positio sunt species cõtrariæ, in quas dividitur compositio quarto, & decimo capite hujus libri statuente Galeno.

Præterea partes in quolibet instru
Tex. 16. mento, vel disponuntur, & ordinan-
Tex. 41. tur ratione potentiæ instrumenti, vel
2. Ratio. ratione loci, vel ratione figuræ illius,
5 metaph. ut ex Aristotele monstravimus: sed
Cap. 19. connexus est ordo partium instrumẽ-
Cap. 5. torũ, ut ostẽsum est ex lib. de artis, &
Cap. 2. de optima corporis constitutione, ergo vel est ordo partium ratione potentiæ, vel ratione loci, vel ratione figuræ. Connexus non est ordo ratione potentiæ, quia non est qualitas, neq. est ordo ratione loci, cum non sit loci positio, ut probatum est, ergo est ordo ratione figuræ, qui situs est, extensio quæ partium respectu figuræ instrumentorum. Vnde connexus apud Galenum solam formationẽ respicit.

Nam situs, qui societatem laboran
3. *Ratio.* tis particulæ cum vicinis monstrat, & indicat per quam partem vacuare cõveniat figuram, cavitatem, & meatus partium respicit: sed connexus docet commercium, & communitatem, societatemq. laborantis particulæ cum aliis primo de locis patientib. docente Galeno, *Cap. 1.* connexus ergo ad partiũ formationem refertur.

Tandem ad idem demonstrandum
4. *Ratio.* firmissimo argumento sint, quæ me in hanc viam, quam sequor, induxerunt, Aristotelis, & Galeni verba. Nã Aristoteles, cum exponit vim situs in categoriis capite de quantitate, sic scribit. Amplius autem alia quidem A constant ex partib. positionem habẽtib. πρὸς ἄλληλα. Gal. cum naturam connexionis declarat capite quarto & decimo hujus libri, eandem formam dicendi exprimit, & connexionẽ collocat in consensu partium πρὸς ἄλληλα. *Pros allela* Præterea libello de optima corporis constitutione superius adducto itidem in ordine partium πρὸς ἄλληλα, id *Pros allela* est, ad invicem, vel ad se invicem, vel interse se.

Quib. dictionib. natutæ vates & interpretes exposuerunt statum partiũ mutuam confirmationem præstantium, & sub eandem rationem veniẽtium seu cadentium. Nam quæ ad locum referuntur, non ita mutuò inter-
B se respõdent, quemadmodum ea, quæ figuram instrumentorum respiciunt. Quoniam si particula instrumenti ali cujus excidat sua sede, seq. mutaverit aliò, reliquæ partes immotæ manent, vixq. mutatur figura instrumenti: at verò propter mutationem cõnexus, & hujus extensiones tota figura mutatur, quando quidem figura in certis quantitatis dimensionib. reposita est. Ideo Democritus, quemadmodum *Cap. 2. hu-* ex Arist. diximus, extensionis nomine *jus libri* utebatur ad significandam figuram, *Com. 8.*
C quia, quę extenduntur, & fluida sunt, facilè in omnem figuram verti possunt. Quamobrem Arist. & Gal. attenti ad hanc rem, ter, vel quater usi fuerunt illis verbis πρὸς ἄλληλα, interse se, *Pros allela* cum de illa partium adhæsione, & copularione, ac subinde mutua relatione ad dimensiones terminandas maximè necessaria toto animo cogitaverint.

Quæ cum ita sint, mea opinio fert, *Altera as-* continuitatem instrumentorum, & *sertio.* eorundem connexum re ipsa distingui: non tamen, ut res à re, sed ex natura rei.
D
Hæc assertio tripertita est. Quoad *1. Ratio.* priorem partem ex eo suadetur, quoniam, quod adesse, vel abesse potest citra subjecti corruptionem, & subjecti accidens est, & ab eo reverà distinguitur: sed instrumentalis connexus ad continuitatem, vel contiguitatem ad esse, vel ab ea potest abesse citra continuitatis corruptionem, ergo re verà distinguitur à continuitate.

Deinde proprium in primo modo *2. Ratio.* Porphyriano reipsa distinguitur ab

eo,

eo, cujus est proprium, ut musicum esse, quod licet homini sit proprium, ei soli conveniat, separabile tamen est, cum non conveniat omni: hæc autem connexio, de qua sermo est, ita se habet. Quia instrumentorum connexus illorum soli continuitati convenit, cui ex præscripto naturæ solis illis sit constitutus iuxta figurã, quã naturaliter obtinuerunt: tamen non adest in omni continuitate, ab ea igitur maxime distinguitur.

3. Ratio. Quamobrem tunc aliqua distingũtur realiter, ut dicunt Philosophi, quũ illorum saltem unum potest separari ab alio: sed nimium sæpe corrũpitur connexus superstite remanente continuitate, ergo instrumentorum connexio, & continuitas plurimùm distinguntur.

Porrò harum demonstrationum assumptiones confirmandæ sunt, quarum ego probationem de industria produxi, quoniam quatrib. occurrere in manib. erat. Connexus depravatur duob. modis. Primùm, & frequentius continuitate vitiata, veluti cum disjunctæ sunt partes, quas conjunctas esse conveniebat, ut in apostemate, vel, cum sunt conjunctę, quæ hiare debebant, ut cum oris labra cohærescunt. Secundò, & non rarò vitiatur connexus instrumentorum, prorsus illæsa eorundem continuitate, ut in ligatione linguæ, strabismo, uteri prolapsu, ergo aliquando corrumpitur connexus manente salva continuitate.

4. Ratio. Quod alteram assertionis partem inde constat, quia illa solùm differũt reipsa, ut res à re, quæ possunt invicẽ ac mutuò separari: sed continuitas instrumentorum, & illorum connexus non possunt mutuò separari, ergo nõ distinguntur reipsa, ut res à re. Valet assumptio, quando quidem tametsi certus connexus vitietur sine vitio continuitatis, ut diximus in uteri prolapsu, & aliis similib. affectib. tamen continuitas nequit solvi, quin vitietur connexus: corrupto enim subjecto, ejus affectiones corrumpi est necesse.

5. Ratio. Posterior ejusdem assertionis pars sequitur ex duab. prioribus, atque liquet ex eo, quia res una, & eadem requidem vera nequit à se ipsa separari: sed connexus reipsa potest separari à continuitate instrumentorum, igitur eandem continuitatem & connexum reipsa distingui concludendum est.

Objectio Sed dicet aliquis, separatio unius ab alio duplex est, mutua quidem, qua unum extremum invenitur sine alio, & econtra, quomodo reipsa distingũtur quælibet extrema, ut Petrus, & Paulus, duo lapides: est & non mutua, qua unum est sine altero, non tamen contra, quæ quidem separatio non videtur inferre distinctionẽ, quam realem vocant.

Solutio. Respondemus hanc separationem ex natura rei, non mutuam, vel ex dimidio, vel secundum modum (realiter modaliter in scholis) utiq. inferre veram distinctionem, &, ut dicunt, realẽ.

6. Ratio. Nam quando unum alteri accidit, & aliquando ab eo sejungitur (simul assertionẽ comprobo, & objectionis solutionem provoco) sine dubio distinguitur ab eo: sed connexus accidit continuitati, & aliquando removetur ab ea (diximus hoc dudum) ergo ab illa revera distinguitur. Propositio Aristotelis est, qui primo topicorum constituit regulam universalem, quod quando unum ab alio reipsa sejũgitur, requidem vera distinguitur ab eo. Ergo separatio realis dicta, tametsi non sit mutua, infert realem (ut dicunt) distinctionem inter duo extrema.

Magna difficultas. Nunc difficultatem avertemus, quę videtur adesse contra ac dictum sit. Nam connexus est essentialis differẽtia quantitatis permanentis, quoniã constitutum est, esse partium situm in ordine ad totum, ergo non potest corrumpi, connexus permanente integra corporis continuitate.

Solutio. Difficultatem hanc, quæ præfati sumus, exorbuerũt fundamẽta, in quib. observatum est duplicem esse situm, alterũ cujuslibet quantitatis permanentis, quæ, simpliciter dictus respicit quãcumq. figuram: alterũ, qui proprius est instrumentorum quantitati, & formationi definitus, & certus. Ergo respõdeo (ut hæc res in perfacili cognitione versetur) connexum simpliciter dictum (de quo, quæ dicta sunt, cursim annotavimus, cũ alio potiùs, quam ad id, quod agimus, spectare noverimus)

verimus) essentialem esse quantitatis continuæ, permanentis, atq. ita non posse perire salva permanente continuitate. Verũ instrumentalis connexus (de quo nos cũ Gal. in altera parte capitis decimi necessariò quidẽ, in hac verò controversia curiosè disputavimus) quãtitatis & magnitudinis est proprietas dũtaxat in primo modo: & licet conveniat soli quantitati permanenti, omni tamẽ nõ convenit. Nã, cũ debeat esse certus, & determinat', qualisq. unicuiq. instrumẽto debetur pro sui magnitudine, & figura, sæpissimè corrũpitur, incolumi permanente continuitate instrumenti, quemadmodũ crebrò vitiatur in instrumentis certus numerus, cognata forma, tãta magnitudo, locus acõmodatus, qualibuscũq. remanentib. forma, numero, magnitudine, locõ.

Vnde, cũ dicimus vitiari cõnexũ cõtinuitate permanẽte, id nõ intelligimus de simpliciter dicto connexu, qui semper comitatur continuitatẽ, sed propriã, & peculiarẽ instrumenti cõnexionẽ usurpamus, quæ corrũpi potest, salva remanente cõtinuitate. Quod in exẽplis Gal. fiet manifestũ: na in luxatione, & apospasmate corrumpitur uterq. cõnexus, essentialis quidẽ, quoniã corrupta continuitate ruit etiã cõnexus, qui essentialiter in est in cõtinuitate: perit etiã instrumẽtalis accidentaria q. cõnexio, quãdoquidẽ corrupto subjecto, nẽpe cõtinuitate, accidentia quoq. omnia illi corrumpi est necesse. At in ligatione linguæ strabismo, uteri prolapsu, cõtinuitas remanet cũ essentiali & communi cõnexione, quæ quidẽ adquamlibet continuitatẽ adest: sed cõnexio instrumentalis corrumpitur, de qua hìc controversamur quæque linguæ, oculorum, utrique naturæ organicæ propria & peculiaris est.

Interpretatur Gal.

Galeni verò auctoritas in initio quæstionis adducta nihil habet dubitationis. Libro de causis morborum meminit omnium causarũ, quæ cõnexum corrũpunt, quarum licet aliquæ vitient solùm connexũ: aliquæ tamẽ detrimentũ etiam adferunt continuitati instrumentorũ, simulq. continuitatẽ, & connexũ, ut dictum est, corrũpunt. Ex quib. non cõcluditur voluisse continuitatẽ instrumentalem in illud genus admittere. Nã licet aliquãdo una & eadem causa cõtinuum solvat, & simùl cõnexum corrumpat: tamen in eo capite dumtaxat cõsiderat, ut certũ connexũ, & certã positionem removet, quã instrumentalẽ appellavimus, non ut aufert cõmunẽ terminum, quo ipsa continuitas copulatur. Rationis assumptio falsa est, nam connexus vitiatur remanente cõtinuitate, ut patet in uterinis prolapsib. strabismis, linguã ligatis, hypospadijs, multisq. alijs affectibus similibus. Atq. hæc sint satis. *Solvitur ratio.*

Quæ verò in quæstionib. hujus capitis tractauimus, siquis conjunxerit cum ijs, quæ in superioribus præfati sumus, copiosam, & splendidam disputationem habebit de solutione continui. *Quæst. 18.*

ARG. CAP. XII.

TRACTAT de morbis compositis simplicium ac similarium partium ex utraq. secta: mox quotupliciter morbi similarium complicentur perscrutatur.

CAP. XII. Tex. 43.

NVNC verò supereſt, ut compoſita exequamur, initio iterũ à ſimilarib. ſumpto. Erit igitur juxta priorẽ ſuppoſitionẽ, ex dilatatione, & anguſtia meatuũ, ægritudo cõpoſita, nõ particulatim ſingulis hæc utraq. patientib. meatib. ſed vicißim hæc quidem latioribus. illis verò anguſtiorib. redditis, ut non magis laxitatem, quam anguſtiam eorundem in tota ſimilari parte accuſes: nec ulla ſenſibilis particula eius poßit oſtendi, cui alterum tãtũmodo adſit, ſed quæcunq. ſumpta fuerit, utriq. paſſioni reperietur obnoxia. In ſecunda autem ſuppoſitione, in unaquaque ſimilari particula, qualitatib.

ratib. solis naturæ modum egressis, sunt compositæ ægritudines numero quatuor, calida simul & humida, calida & sicca, frigida & sicca, frigida & humida. Profluente verò ad ipsas aliqua substantia, erunt pariter aliæ cõpositæ ægritudines quatuor, quæ ex earundem qualitatũ cõjunctione proveniũt.

COMMENTARIVS.

PRÆFATVS est capite primo hujus libri, statim ab initio definiendum esse morbum, deinde quot in universum essent primæ simpliceſq. illius differentiæ, postremò eas, quæ componuntur ex simplicib. aggrediendum. Vsque adhuc priora duo persecutus est, hìc pergit ad reliquũ in partibus similaribus ex sententia utriusque sectæ, exorsus ab ea, cui autor se præbuit Asclepiades, qui statuit morbos in meatuum immoderatione. De cujus sectæ judi- *Tex. 13.* cio, ut dixit capite quarto, duo erant simplices morbi partium similarium, unus latitudo meatuum, vel laxitas, alter eorundem angustia, vel densitas, erit ergo partium similarium unicus tantum morb. compositus ex latitudine & angustia: non quod singuli particulatim meatus latitudinem & angustiam simùl patiantur: nequit enim fieri, ut unus, & idem meatus simùl laborer affectibus contrarijs, simulque laxetur, & constipetur: sed quod vicissim alij latiores, alij angustiores reddantur, ut in una parte similari aliqui meatus dilatati & laxati sint, aliqui verò angustati & densati præter naturam, nec liceat invenire aliquam particulã, cùi alterũ tantũ adsit, sed quamcunque sumpseris, semper tota & latitudinẽ, & angustiã patiatur.

Alterius sectæ, quæ ex primis qualitatib. morbos constituit, cujus primarius fuit Hipp. quatuor sunt partium similarium compositi morbi, calidus simul & humidus, calidus simùl & siccus, frigidus simul & humidus, frigidus simùl & siccus. Quæ quidẽ differentiæ ex diverso cõpositionis modo inveniũtur. Nã quatuor tantũ esse possunt qualitatũ conjugia, vel conjugationes, quas differentias, intẽperies nudas appellamus, cum nimirũ solitariæ qualitatis naturæ modum egrediũtur. Verũ, si humor aliquis affluxerit, qui comitetur qualitatũ conjugationib. totidẽ fieri morbos arbitramur. Cũ igitur octo sint partium similariũ morbi simplices nẽpe quatuor intẽperies nudæ, & quatuor cũ fluxione humoris, ut supra cũ Galeno diximus, & demonstravimus, par numerus etiam erit intẽperierũ compositarum, quatuor scilicet nudæ, & quatuor ex fluxione alicujus substãtiæ, quæ tuebitur exuperantes qualitates. *Com 15. & 21. & q. 18*

TEX. XLIIII.

QVOniam verò continuitatis solutio, non in compositis tantum instrumentis, sed in simplicib. quoq. particulis fit, implicabitur, & hæc nuper dictis juxta utrãq. suppositionem, compositis ægritudinib. & simplicib. ijs, de quib. statim ab initio sermonem habuimus. Nam fieri potest ut idem mẽbrũ, & ulcus patiatur simul, & siccitatem habeat, aut humiditatẽ, vel frigiditatem, vel caliditatem præter naturam, aut unà cum ulcere caliditatem simul atque humiditatem. Exulcerata igitur atque una inflammata membra, tripliciter naturæ modum egrediuntur, cum ob ulcus quidem unitatem suarum partium amittant, ob inflammationem verò calidiora atque humidiora reddantur plus quam naturalis exigit habitus. Namque, qui in ipsis est tumor, si ad tantam magnitudinem attollitur, ut ob hoc ipsum operationem impediat, tunc jam morbus

bus est existimandus : si autem membrum ex hoc nullam patiatur in operatione jacturam, accidens tantummodo, & passio ipse censebitur, veluti & dolor. Omnia igitur, quæ simùl inflammata, atque ulcerata sunt corpora, tres quidem necessariò, nonnunquam verò & quatuor ægritudines pàtiuntur. Hoc verò in loco inflammationem appellamus, non ut antiqui consueverunt, quendam veluti fervorem in corporis partibus accensum, sed rubescentem, ac renitentem, dolorificumque tumorem. Ita & erysipelata nonnunquam ulcera comitantur. Nam carbunculi eam naturam habent, ut aliter consistere nequeant. Mediam verò sortiuntur naturam herpetes & cancri, qui maiori quidem ex parte cum ulceribus eveniunt, nonnunquam verò seorsum.

COMMENTARIVS.

Non solùm intemperies cum intemperie consociatur, compositũq. morbum faciunt, sed etiam solutio continui cũ intemperie, tũ simplici, tũ cõpositã cõjungitur, quæ alia cõpositionis differẽtia est. Nã continui solutio, & similarib. & instrumentalibus partibus accidit, idcircò docet Gal. hãc ipsam de utriusq. sectæ sentẽtia morbis jã dictis instrumẽtalib. & similarib. implicari posse (cõcedebat enim Asclepiades sensibilis unitatis solutionẽ, de qua nos in sequentib.) atverò, cum placita prioris sectę aspernetur Gal. illis relictis, ostendit quomodò solutio continui cõpuletur cum morbis partium similarium, quos constituit altera secta. Pars ergo similaris aliquando laborat ulcere, & simul aliqua intemperie præter naturam simplici, vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca. Interdum unà cum ulcere patitur intemperiem cõpositam, vel calidam & humidã, vel calidam & siccam, vel frigidam & humidam, vel frigidam & siccam, quarum quælibet potest humoris præsentia sustentari. Vnde fieri nonnunquam solet, ut fluxio sanguinis inflammationem pariat, atq. per id temporis triplex adsit morbus necessariò, solutio continui, intemperies calida, & intemperies humida.

De caus. morb. q. 1.

Objectio.

Quod si dixerit aliquis, tunc etiam adesse tumorem, ergo quatuor adsũt morbi, non tantum tres.

Solutio.

Respondet Gal. tumorem nõ semper esse morbum, sed symptoma sæpe ac sæpiùs. Quò fit, ut triplex interdũ tunc morbus necessariò, quadruplex verò aliquando. Nam tumor eo tempore tantum morb. est, cum fuerit in tantam magnitudinem sublatus, ut per se solus possit actionem lædere, veluti tumor in crure auctus, qui ambulationem remoretur. Si verò pars inflammata nullam patiatur in actione læsionem ex tumore ipso, tumor quidem tantum symptoma est intemperiei cum fluxione, atque pathos, id est, passio, non magis, quam dolor. Omnes igitur partes inflammatione simul & ulcere laborantes tripliciter necessariò laborant, ex ulcere scilicet, ac intemperie duplici : nonnunquam verò quadrifariam, nimirum etiam ex tumore magno.

Objectio.

Sed dicet aliquis, solutio continuitatis nõ semper sectatur inflãmatione. Huic confestim occurrit Gal.

Fundamentum observandum.

Sed antequam responsum illius expediamus, observandum est, inflammationem dici duobus modis, vno quidem generaliter, pro vehementi solùm æstu, ac humoris calidi fervore, phlegmone sicca dicitur, & propriè φλεγμονη. Atque hæc fuit apud Hippocratem & veteres inflammationis prima significatio. Altero modo specialiùs dicitur, & Erasistrati seculo cœpit ad significandũ præter naturã tumorẽ ex sanguinis influxu coortũ, cũ rubore, calore, pulsu, renixu, & dolore cõjunctum. Qui quidem nascitur per systrophen, id est, colle-

Phlogosis.

13. meth. c. 2. de differ. resp. c. 7. & 3. cap. 5. 1. prog. com. 29.

4. de rat. vict. comm. 21. collectionem, unde phlegmonem syſtrophicam in Aſia vocari ſcribit Gal. cumque frequentius contingat, id circo totius generis appellationem ſibi vendicavit: quem tamen Hipp. non inflãmationem, ſed compoſito nomine durum & dolorificũ tumorem vocare conſuevit.

Solutio. Ergo reſpondet Gal. ſe in præſentia inflammationem nominare non generatim, ut veteres conſueverunt, quamcunque partium inflammationem & fervorem, ſed ſpeciatim quendam ex ſanguine copioſo tumorem, qui & dolorem inferat, & cum rubore, renixuque, ac pulſu partem afficiat. Sic & in alijs tumoribus ſolutio continui reperitur, & morborum implicatio, ut in eryſipelate, anthrace, herpete, cancro.

Eryſip. De his præter naturam tumoribus latiùs alias: hoc loco Eryſipelas in duas ſecemus differentias. Nã vel abſque exulceratione, vel unà cum hac incidit: ſed hæc rarò contingit.

Carbunc. Antrax, id eſt, carbunculus tumor dicitur à ſanguine nigro, & craſſo, fœculẽto, ac ferventi, qui puſtulas quaſdam per ſumma cutis excitat, ſimiles ijs, quæ ex igne fiunt, quibus diruptis cruſtoſum ſub ipſis ulcus invenitur. Vnde meritiſsimò docet Gal. carbunculos ſine ulceribus conſiſtere non poſſe.

Herpes. Herpes tumor eſt, à flava bile ſyncera proveniens. Sunt autem tres illius differentiæ. Nam ſi bilis ſubſtantia craſsior eſt, atque acrior, totam cutem uſque ad carnem ſubjectam exulcerat & dicitur ab Hippocrate

Herp. exedens. herpes exedens.

Si bilis tenuior eſt, & minùs acris, ſuperficiem ſolùm velut inurit, appellaturq. ſimpliciter herpes citra cognominis adjectionem.

Herp. miliaris. Sin autem bilis ſit tenuior & minùs tum acris, tum calida, puſtulas exiguas multaſque per ſummam cutem excitat milio ſimiles, atque ob id herpes miliaris dicitur.

Cancer. Cãcer tumor eſt malignus, inæqualis durus, oris prætumidis, aſpectu teter, lividus, & indolens, ex melancholico excremẽto generatus. Eſt au-

Ætius li. 16. cap. 94 tem duplex cancrorum differentia: quidam enim ſine vlcere, quidam cũ ulcere conſiſtunt, quæ differentia frequentiſsima eſt. Ergo ulcera rarò accidunt Eryſipelatis, carbunculis perpetuò, herpetib. & cancris frequentiſsimè. Hinc dixit Gal. herpetes, & cancros mediam naturam habere inter eryſipelata, & carbunculos.

Concluſio Galen. Quamobrem tumores morbi compoſiti ſunt partium ſimilarium, quod potiſsimum inſtituerat demonſtrare Gal. ut ex verbis, quæ confeſtim ſequuntur, fit perſpicuum.

TEX. XLV.

OMNES igitur huiuſmodi ægritudines, etiãſi vlcere vacent, compoſitæ ſunt. Vna quidem ratione, quoniam omnes à ſuperfluo humore ſeu calido, ſeu frigido procreantur, à flava quidem bile, eryſipelas: ab atra vero, cancer: à ſanguine autem, inflammatio: à pituita tumor quidam laxus: oedema græcè dictus: alia verò, quoniam nunc dicti omnes humores, etſi formã rei humeſcentis præ ſe ferant, vim tamen habent, atra quidem bilis, frigidã & ſiccã: flava verò calidã & ſiccã: pituita frigidã & humidam: calidus autem & humidus eſt ſanguis: tertia verò ratione, quoniam ſimùl commiſcentur omnes, & rarò admodum ex ipſis vllus purus ſincerusve conſiſtit. Nam magna ex parte inflammationes, aliquid ex eryſipelatis, vel laxi, vel duri tumoris, natura complectuntur: aut eryſipelatibus aliquod inflammationis, vel laxi, aut duri tumoris, ſpeciem referat, admiſcetur. Ita ſimiliter in reliquis omnibus perpende. Multiformiter

ergo

ergo omnes hujusmodi ægritudines compositæ fiunt, de quibus eo in libro in quo de causis morborũ agemus, pleniùs differemus: atq. etiam uberius, in eo, qui de morborum accidentibus inscribitur: ac præterea in ijs, in quib. curandi ratio tractatur, ad quam omnia, quæ hic scribimus, diriguntur.

COMMENTARIVS.

DE tumoribus præter naturam loquitur, non quidé ut tumores sunt, sed quatenus sunt intemperies cum fluxione, quos morbos cumpositos esse docet, etiamsi cõsistant citra ulcus, idq. demonstrat trib. rationib.

Prima est, omnes tumores præter naturam nascuntur ex redũdante humore, vel calido, vel frigido, vel humido, vel sicco, qui fovet intemperiem, ergo omnes tumores sunt morbi cõpositi. Probat antecedens, quia omnium consensu phlegmone à sanguine fit, erysipelas à flava bile, oedema à pituita, cancer ab atrabile. Quã rationem Segarra non satis firmam esse putat: sed hoc in controversijs examinabitur. *1. Ratio Galeni.*

Secunda ratio hujusmodi est. Omnes tumores fiunt ab aliquo humore, qui omnes suas vires tandem in partes introducit: sed in singulis humoribus duplex qualitas invenitur, qua humores in partem agunt, ergo in tumorib. duplex tandem fiet intemperies. Propositio perspicua est, assumptionem ostendit, quia tametsi omnes humores idea, & actu sint humidi, facultate tamen non omnes humidi sunt: nam sanguis calidus & humidus est: pituita frigida, & humida: bilis flava calida & sicca: sed atra frigida & sicca. *2. Ratio.*

Tertia ratio sic habet, rarò aut nunquam simplex aliquis humor in partem aliquam decumbit, sed cum vix synceri purique sint, qui in vasis subsistunt succi, fluunt perpetuò in se commisti, ex quo fit, ut neque tumores ipsi morbi simplices sint, sed necessariò compositi. Vnde tumores appellationem accipiunt ab humore, qui præcipuè dominatur, cognomen verò ab humore huic permisto. Hinc variæ fiunt tumorum differentiæ. Sic phlegmone dicitur erysipelatodes ex multo sanguine, cui exiguum bilis permistum est: oedematodes, cum pauca pituita: scirrodes, cum modicum succi melancholici. Idem dicendum est de erysipelate, oedemate & scirrho. *3. Ratio.*

Itaque multis modis omnes hujus generis morbi compositi sunt, de quibus uberiùs in libris de morborum causis & symptomatis tractaturum se pollicetur, atque in scriptis de medendi methodo libris, cujus gratia hæc omnia se scripsisse profert, ut nos inde colligamus maximum & necessarium usum horum librorum ad penitus intelligenda præcepta, quæ de curandi ratione divinus, & singularis vir studiosé dedit. Summa est *4. Ratio.*

EPITOME.

IVXTA priorem sectam in una particula simplici morbus erit compositus, cum illius hi quidem relaxantur, hi verò condensantur meatus. Iuxta Hippocratis dogma quatuor numero calidus & humidus, calidus & siccus, frigidus & humidus, frigidus & siccus. Quod si etiam illis qualitatibus accedat humorum fluxus totidem morbi erunt. Similiter continui solutio miscetur proprijs morbis partium similarium secundum utramque sectam. Vnde omnes inflammatæ simùl & exulceratæ particulæ tres morbos patiuntur, aliquando quatuor etiã tumorem. Est autem hic inflammatio rubens renitensque tumor, qui dolorem infert, similiter erysipelas, carbunculus, herpes, & cancer morbi compositi sunt. Nam carbunculus semper cum vlcere invadit: herpes, & cancer sæpissimè: erysipelas minus sæpe. Sunt autem omnes hi morbi compositi, vel nullo vlcere comitante. Nam ex abundantibus nascuntur humoribus, quorum quilibet duas habet qualitates, atq. ferè semper in se misti dofluunt.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

EXAMINANTVR EA, quæ docuit Gal. duodecimo capite.

QVÆSTIO. LXIX.

MIRABILITER locutus est Gal. de compositis partium similarium morbis. Verum, ne videamur in præterita magis, quam in hæc irruere, quæ dixit, diligenter discutienda sunt, ut nos magis ad sui cognitionem intelligentiamq. convertant. In initio quærendum erat, ad quod symptomatum genus referatur præter naturam tumor, cum nõ pervenit ad tantam magnitudinem, ut possit actionem vitiare: sed quoniam de generib. symptomatum nihil dum exquisitum est, ad eorum librum hãc quæstionem prorogamus.

1. Objectio. Nunc verò illud primùm in dubium venit, quod dixerit Gal. tumorem interdum symptoma, interdum morbum esse: mox verò idem dolori contingere exaravit. Si tumor, inquit, attollatur ad tantam magnitudinem, ut actionem impediat, tunc morbus est, si verò pars eo nihil patiatur, symptoma solũmodò, & passio, veluti dolor, ergo cum dolor cruciat, & actiones vitiat, morb. est, cum remittit, symptoma dumtaxat, & passio.

Solutio. Verum dolor parti posteriori exemplo fuit. Quasi diceret: Quemadmodum dolor nunquam est morbus, sed tantum symptoma, & passio, sic tumor, si non augetur, nunquam fit morbus, sed symptoma tantum, & passio est.

2. Objectio. Iam tumores, qui dolorẽ inferunt, aliquando comitatur ulcus (dixit Galenus) aliquando sine ulcere contingunt: at nonne dolor à solutione cõtinui prodit necessariò? Ergo ulcus semper adest ad inflammationes.

Respondeo duplicem esse contiSolutio. nui solutionem, ut colligitur ex primo de locis patientib. & de fracturis tertio, altera manifesta est, oculis percepta, fœda, & impura, cui sæpius origo spontanea ex interiori vitio est quivis humor præter naturam collectus: altera verò adeo exigua est, *ut neque à nobis cognosci, neque laborantium sensu percipi possit, cum separatis causis facientib. illico finiatur, & à sola natura sanetur*, tametsi *rationali contemplatione comprobata*. Porrò licet nostrum corpus doloribus opprimatur obquamcunq. solutionem continui, & quidem, ob insensibilem solutionem frequentissimè intolerabili dolore laceretur, Galenus tamen hoc loco accessurus ad affectuum curationem, qui sensibus manifesti sunt, solutionem, & ulcus intelligit oculis manifestum, quod ob magnitudinem natura vincere non potest, atque propterea externo eget auxilio. De solune autem insensibili non meminit in hoc sermone, ut neque illius mentionem fecit quotiescunq. instituit curationem: sed hac de re primo de symptomatum causis ducemus longiùs orationem. 1. delo. aff. cap. 2. 3. de fract. com. 34.

3. Objectio. Præterea omnes partes, quæ simùl inflammatæ, atque ulceratæ sunt, tres necessariò morbos pati scribit, nonnunquam verò quatuor: at ex necessitate duo tantum sunt, solutio continui, atq. intemperies calida, humida, interdum tres, solutio continui, intemperies & tumor.

Solutio Segarræ. Hoc errore ductum video Iacobum Segarram qui Magistri doctissimi despiciens explanationem sic insulsè verba hæc interpretatur, ut existimet Galenum constituisse intemperiem compositam unicum dumtaxat esse morbum.

Refutatur. Solutio auctoris. Sed contra est: nam, cum disputet de morborum compositionibus atq. tunc numeret morbos simplices, ex quib. constat compositio, & complicatio, quæ affligit partem inflammatam simul & ulceratam, severè distinguit ac separat intemperiem calidam ab humida, atque duos morbos esse reputat.

4. Objectio. Porrò disputans tantum de morbis partium similarium, cur tumorem adduxit, quæ affectio est instrumentalis?

Profe-

Profectò non erat ei hoc propositum, sed ne aliquid prętermitteret eorum, quæ sequuntur inflammationem, ideo adduxit.

Solutio.

Quare non meminit depravatæ conformationis, quæ tumorem sequitur aliquando? Nam, si phlegmone in bucca fiat, quæ interior malarū pars concava est, prętер ulcus, intemperiē, & tumorem oris adest, figura vitiata, quæ lædit locutionem. Certè in artificiosé dixisset, si ea, quæ raro eveniūt, commemorasset.

5. Objectio

Solutio.

Veruntamē, ne quid relinquatur in tactum, quamvis ad hanc disputationem directò non spectet, scrutemur, & quęramus, quid mente complectatur Gal. cū hic, & in primum de nat. huma. prodit, omnes humores esse humidos, κατὰ τὴν ἰδέαν, *secundum ideam*, nos rectè speciem, vel formam dicere possumus.

6. Objectio

Com. 42.

Hujus rei expositio ex libro secundo, de nat fac. repetenda est, ubi, cum is autor sermonem instituisset de generatione humorum ex Hippocrate, & alijs veterib. philosophis & medicis, hæc habuit verba. *Eadē de causa sanguinē ipsum succū calidū, & humidū facultate dicunt: eqnē ut flavam bilem calidam, & siccam, quantumvis sit ab aspectu humida: quippe illis viris dissidet id, quod secundum* φαντασίαν, hoc est, *apparentiam, humidum est, ab eo, quod secundum facultatē.* Ergo idea humidum, hoc loco illud est, quod liquidum, & fluxile cum sit, formam, & especiem rei humidæ sensibus repræsentat, ut muria, & aqua marina, quę alioquin & carnes siccāt, & in corruptas servant.

Solutio. Cap. 9.

Phantasian.

Sed accedamus ad rationes, quas Gal. in extremo capite subjecit. Prima quidem non videtur concludere, in omnib. tumorib. prætер naturam esse compositā intemperiem: tametsi enim omnes tumores nascantur ex abundantib. humorib. tamen ex eo nō sequitur in omnib. tumorib. esse compositam intemperiem, quoniam ex illius sententia designata fuit simplex intemperies cum fluxione humoris: ideo dixit Segarra hanc rationem esse propositionem rationis secundæ.

7. Objectio

Verum duplex est intemperies simplex. Alia ex unius tantum qualitatis excessu dicitur simplex: alia verò quę cūq. humore orbata est, sive ex unius sive ex duarū qualitatū excessu facta sit, nudā, vel nudatā appellamus. Totidem sumitur modis intemperies composita, una constat ex duab. intemperieb. ut intemperies calida humida, quę præcipua & propria compositionis usurpatio est: altera solùm composita dicitur, sive unus qualitatis adsit excessus, sive duplex, eò tantum, quòd humoris præsentia sit comitata. Quam distinctionem tum ex Galeni decimo methodi colligere licet, ubi diariam febrem simplicem affectum appellat, quod illius causæ ademptæ sint, & secundo secundum locos, ubi citra humorem intemperiē vocavit simplicem, tum etiam ex cujusq. intemperiei cum afluxu curatione, quæ opus compositum est ex præservatione, & curatione: unde quælibet intemperies cum fluxione potest dici composita. Cum igitur Gal. hæc omnia scribat gratia medendi methodi, verisimile est attingere voluisse hunc etiā compositionis modum. Quamobrem capite quinto intemperiem calidam, vel frigidam cum fluxione simplicem appellavit prima & legitima significatione: hujus capitis initio etiam proprié locutus est de intemperie composita: sed in fine, ut omnia comprehenderet, compositionem suscepit communiter, & minus proprié, quoniā unius qualitatis intemperies cū fluxione ambiguas habet utrinq. notas, ut tum simplex, tū composita videatur.

Solutio.

Cap. 1.

Cap. 1.

Tex. 11.

Tex. 43.

Demùm tertia ratio non videtur à secunda distinguī: licet enim ad unā partem fluant duo humores, nihilominus tamen generare non possunt aliam intemperiem compositam à calida, & humida calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca, quod probavit secunda ratio, tertia igitur nihil novi attulit.

8. Objectio

Sed quantum ea ratio habeat virium accipite. Monstravit omnem intemperiem cum fluxione tandem cōpositam evadere, quoniam quilibet humor habet duplicem qualitatem, mox exaggerat fluxionem, ac si diceret. Tantum potest humorum fluxio ad compositam intemperiem producendam, ut etiam si una tantum qualitate prædictus fuisset quilibet humor, uel tametsi duab. & prima invectione

Solutio.

ctione solùm ageret altera, nimirum efficatiori, ferè semper tamen fieret composita intemperies, cum rarò admodum accidat, ut aliquis eorum syncerus inveniatur. Plurimùm ergo differunt tres Galeni rationes.

ARG. CAP. XIII.

DISPVTATVRVS de morbis compositis partium organicarum, primùm jacit tria fundamenta, deinde tradit tres modos, quibus morbi cõponuntur, vel implicãtur, & instrumentis primò conveniunt.

CAP. XIII. Tex. 46.

NVNC verò, quoniam quomodo simplices se invicem complectantur explanavimus, jam ad instrumentorum ægritudines veniamus, ac quo pacto, & hæ compositæ fiant, aperiamus. Primum verò illud meminisse oportet, quod aliæ quidem primorum corporum, videlicet similarium, sunt ægritudines: aliæ autem instrumentariorum, & compositorum. Inflammatio enim primorum est corporum, exarticulatio verò instrumentariorum. Quando igitur aliquod mẽbrum luxatur simulq. inflammatur, totius quidem instrumenti primo ægritudo est exarticulatio: inflammatio autem non primo neq. propriè, sed ex accidenti tantum. Quoniam enim inflammatio singularum ejus partium ægritudo est, fit ut ex accidente totius etiam instrumenti sit ægritudo. Et lippitudo quidem est inflammatio membranæ, quæ adnata est corneæ, ex accidenti vero est totius oculi ægritudo. Contingit vero nonnunquam ut tunica cornea appellata prosundum habeat ulcus, qua deinceps exesa tota, aliquid ex ea tunica procidat, quæ secũdo post corneã ordine sita est, uuea appellata: & ipsa pupilla unà divulsionem patiatur. Atque ex his trib. omnib. quælibet passio oculi existimatur, quamvis ulcus & erosio ad solam corneam pertineant, procidentia ad uveam, & divulsio ad pupillam. Sed, ut diximus, similiarium partium ægritudines, ex accidenti toti instrumento attribuuntur. Igitur cum una quæpiam ex ipsis morbo aliquo composito laboraverit, & hic ex accidenti totius instrumenti erit ægritudo composita: cum vero plures quidem sint affectæ, sed unaquæq. uno morbo laborarit, sic totius erit instramenti ægritudo composita. Nam, ut in oculi exemplo persistamus, fit ita ut eundem oculum (neque enim impossibilis est suppositio) unguis & lippitudo infestet, & erosio corneæ, & procidentia uveæ, quib. etiam malis accedat aliquod suffusionis initium. Quod non una neque simplex sit ægritudo, omnib. in propatulo est. Appellabit autem hæc quispiam compositum oculi morbum, alter vero non unum compositum morbum, sed plures dicet ægritudines, in diversis oculi partib. constitutas. Nihil vero refert quantum ad veram curandi rationem, ad quam hæc omnia diriguntur, sive unus sit morb. compositus, sive plures, pugnantib. remedijs indigentes. Pleniorem vero de hisce

discus-

discutionẽ differimus ad eos libros, in quib. curandi præcepta tradentur. In præsenti vero sermone, hoc tantum commostrasse ac indicasse sufficiat, probabilem utrosque afferre sententiam, & qui plures in oculo morbos esse arbitrantur, & qui, quemadmodum unum est instrumẽtum, ita & unum compositum existimant esse morbum, quando (ut ante diximus) plures in eodem partiũ labo raverint.

COMMENTARIVS.

Posteaquam varios modos cõpositionis morbõrum partium similarium abunde exposuit, ad morbos compositos accedit, quib. afflictãtur instrumenta, & ostendit quib. modis ipsi quoque commisceantur & implicentur.

Hoc, ut exequatur, tria duxit observanda, quæ tanquam fundamenta præmittit. *Tria fundamenta Galeni.*

Primum in superioribus fuit satis superq. constitutum, nimirum alios esse partium similarium proprios morbos, alios partium organicarũ, quod ostendit exẽplo inflammationis, qui proprius morb. est partium similarium, quoniam est intemperies calida & humida ob sanguinis fluxionẽ, atq. exemplo luxationis, qui morb. est totius instrumenti proprius, cum sit morb. in compositione, nimirum insitu. *1 Fundamentum.*

Alterum fundamentum est, quemlibet morbum partium similarium esse quoq. morbum totius instrumenti, sed ex accidente. Nam cum affecitur præter naturam pars simplex, quæ cũ alijs componit instrumentum, ut musculus inflammatione, meritò etiã patitur totum instrumentum, at per accidens, scilicet ratione partis similaris. Vnde si aliquod instrumentum simul & luxatur, & inflammatione laboraverit, ut manus, vel crus, luxatio quidem totius instrumenti primò, & per se morb. est: inflammatio primò & per se musculi: instrumenti autem neq. primò, neq. proprié, sed ex accidente, & secundariò. Quod etiam ostendit, quoniam ophthalmia, oculorum morb. ac tunicæ adnatæ inflammatio ex accidẽte oculi totius morbus est, quòd nimirum aliquam ejus partem occupet. Idem probat alio exẽplo. Nam si ulcere aliquo afflictetur cornea, cujus ulceris & fissionis occasione, aliquid procidat ex tunicã uvea, quæ sub ipsa cornea sita est: si tandem distorqueatur pupilla, hoc est, uveæ foramen (cujus distortio cõfestim sequitur uveæ procidentiam) horum quidem trium affectuum quilibet totius oculi vitium existimatur, quamvis ulcus & erosio ad solã corneam pertineat, procidẽtia ad uveã, distortio ad pupillam. Verum, si res æquis ponderib. examinetur, similaris partis morb. totius instrumẽti est ex accidente, ut solutio corneæ, vel ulcus, quemadmodum Gal. in primo exemplo significavit: at morb. organicus, ut procidentia uveæ, atque pupillæ distortio, qui morbi sunt in cõpositione, totius instrumenti morbi existunt primò & per se.

Tertium fundamentum oritur ex secundo, atque illud est, bifariam fieri posse morbum cõpositum in quolibet instrumento. Primò ex accidente, cum in aliqua parte instrumenti similari reperitur morb. compositus, ut inflammatio in adnata, intemperies nimirum calida & humida, tunc etiam totus oculus patitur eundem morbum, sed per accidens. Secundò verò fit in instrumento morb. compositus, nõ quidem per accidens, sed primò, ubi in eodẽ instrumento plures partes simul affectæ fuerint, & singulæ singulis morbis laboraverint, ut si in oculo fuerit unguis, inflammatio in adnata, ulcus in cornea, procidentia in uvea, & suffusionis principium, tunc enim certum est totum oculum morbo composito laborare. *3. Fundamentum.*

Sed dicet aliquis, non esse unum morbũ compositum, sed plures morbos in diversis partibus consistentes. *Objectio.*

Respondit Gal. utramq. sententiã esse probabilem & tolerabilem. Nam quocunq. modo statuatur ad curatrices indicationes investigandas, quarum gratia hæc omnia perquirũtur, nihil *Solutio.*

nihil omninò refert: sive enim pluralitas hęc, sive una compositio morborum dicenda habendaque fuerit, illius tamen semper maximam curã geret, quicunque sanandos suscipiet
Cap. 9. morbos, de quo tertio methodi monemur, ut sciat, quæratq. diligenter, quis morb. cujus morbi sit causa, & cujus ducenda maior ratio fuerit, quam alterius, atq. an aliquis inter eos reperiatur, qui nisi curetur pri⁹, reliqui non possint curari.

TEX. XLVII.

VT igitur ex simplicib. morbis, F unus quidem erat primò totius instrumenti ægritudo, veluti suffusio, alius verò ex accidenti, veluti corneæ exulceratio: ita & ex morbis compositis, propriij quidem erunt totius instrumenti, qui plures simul ejus partes occupaverint: ex accidenti verò, quicunq. compositi unam tantummodo ipsius instrumẽti obsederint partem, veluti lippitudo, quæ membranæ adnatæ est inflammatio: siquidem inflammatio è numero compositarum ægritudinum fuit ostensa. Eidem verò membranæ ulcere adveniente, multo etiam magis compositam ægritudinem pati hanc particulam dicemus: sed nec propterea minus oculus totus morbo composito laborare censebitur. Tales quidem ex accidenti totius instrumenti ægritudines esse putantur. H At, cum plures eodem tempore particulæ aliquo malo afficiuntur, ipsorum instrumentorum primo compositæ sunt ægritudines: atque eo magis, si particulatim unaquæque simplicium, non ex accidenti, sed primo totius instrumenti fuerit ægritudo: quemadmodum in oculo unguis, E suffusio, atque ea passio, quam à græcis rhoeada antea diximus appellari: nam ex ijs quælibet propria est oculi ægritudo. Et, cum simul omnes conjunguntur, oculo propriam ægritudinem compositam faciunt. Hac, si quis ratiocinabitur via, omnes instrumentorum compositos morbos facilè inveniet. Mihi vero superfluum visum est opus, omnia complecti, & componere, quoniam si quis omnium simplicium morborũ fuerit scientiam consecutus, atque eorundem compositurę modos non ignoraverit, facile in singulis per se ipsum poterit exerceri. Quare si quispiam semel tantum quæ in hoc libro conscripsimus, legerit, is se parum profecturum intelligat, nisi post modum plurimum quoq. exercitationis adjunxerit.

G

COMMENTARIVS.

Positis fundamentis, explicatè & distinctè dixit, quot sint modi, quib. instrumenta dicuntur affici primò cõpositis morbis.

Quemadmodum, inquit, simpliciũ G. Assertio morborum alius primò ac propriè totius instrumenti morb. erat, ut suffusio ipsi oculo: alius verò ex accidẽte, ut ulcus in cornea, quod erat secũdum fundamentum: ita quoq. in morbis compositis contingit. Nam aliqui morbi compositi primò conveniunt instrumentis, aliqui verò ex accidente. Tunc autem dicitur totum instrumentum affici morbo composito ex accidente, quando una dumtaxat illius similaris pars laborat morbo composito, ut cum adnata inflammationem perpetitur: tunc verò dicitur totum instrumentum affici primò cõposito morbo, quando plures partes similares illis uno tempore plures morbos perferunt, quod erat tertiũ fundamentum.

Sed

Sed hoc trifariam potest accidere, ad quod intelligendum maximè conducit primum fundamentum.

Morb. cõpo. triplicit.

Primò.

Primò, cum plures partes similares alicujus instrumenti laborant ex morbis proprijs, sive fuerint simplices, sive compositi, ut adnata ex intemperie calida, uvea ex frigida, cornea ex intemperie & erosione: etenim tunc morb. ille primò cõpositus est in toto oculo, quamvis particulatim quivis illorum morborum simplicium ex accidente conveniat instrumento. Quæ differentia compositionis morborum instrumentalium impropria est.

Secundo.

Secundò fieri potest morb. totius instrumenti primò compositus, quãdo in varijs partib. instrumenti varij morbi insunt instrumentorum proprij, ut oculo pterygium, suffusio, & rhocas, hoc est, angulorum imminutio, de quib. superiùs. Hic morb. cõpositus est primo, & per se toti conveniens instrumento. Atq. hæc inter compositos morbos instrumentales maximè propria differentia est, ut Gal. indicavit, cum scripsit, atque eo magis si particulatim unaquæq. simplicium, non ex accidenti, sed primò totius instrumenti fuerit aegritudo.

Tex. 35. & 40.

Tertiò.

Tertio & ultimò quando ex morbis illis varijs, quidam sunt partib. similarib. proprij, quidam vero proprij toti instrumento, ut si in oculi parte aliqua sit intemperies, in alia procidentia, in alia distortio. Quæ differentia minùs propria est. Hac, si quis utatur instrumentorum quomodocunque patientium resolutione, omnes differentias cõpositionis morborum, quos instrumenta sustinent, planè inveniet. Nam morbi in conformatione conjungi possunt cum morbis in numero, magnitudine & compositione: itidem possunt consociari morbi proprij instrumentorum cum proprijs morbis partiũ similarium, & tandem cum morbo communi solutione unitatis, & partis similaris, & partis organicæ. Quare, si quis omnes morbos simplices cognoverit, ac deinceps quo pacto interse componantur didicerit, satis idoneus erit, qui in particularib. se exerceat.

Concludit Gal. atq. ea, quæ ardua & difficilia hic scripsit, maximè tamen futuro medico necessaria, non semel evolvenda suadet. Nam si cursim ac veluti per transennam hæc legerimus, nullum sanè à lectione fructum reportabimus. Proinde hortatur ac monet, ut studiosè diligẽterq. libellum hunc lectitemus, ut ex crebra lectione fiat, cum animus ad intelligendum promptior, tum ipsa rerum lectarum memoria firmior. Nihil enim homini liberaliter instituto potest esse beatiùs, quam scire: discendum verò, ut sciamus: discimus autem cũ omnib. nervis contendimus, vehemẽterq. laboramus. Nam Vulcani arte Pallas ex Iovis cerebro prosiliit. Summa sit.

EPITOME.

Morborum alij sunt partium similarium, alij organicarum: quilibet autem morb. similarium totius instrumenti morb. est, veruntamen ex accidenti. Quare bifariam fit morb. in instrumento compositus, nimirum quando pars aliqua similaris afficitur morbo composito, quo tempore instrumentum patitur per accidens, & quando plures partes afficiuntur singulæque singulis morbis laboraverint, quã ratione totum instrumentum patitur morbum primo compositum, quod trib. modis fit. Primo, cum omnes morbi sunt similares. Secundo, cum omnes sunt instrumentales. Tertio, cum partim similares sunt, partim instrumentales.

CONTROVERSIÆ PATHOLOGICÆ.

DISCVSSIO EORVM, quæ decimotertio capite docuit Galenus.

QVÆSTIO. LXX.

REPREHENDIT & exagitat temerarius accusator usq. adeò, ut etiam ea, quæ præclarus autor de

de instrumentalium morborum compositione docuit laboriosiùs. Existimavit, tum aliqua dixisse Galenum contra ea, quę in superioribus adduxit, tum nonnulla, quæ sunt inter se repugnantia.

1. Objectio Cap. 12. Tex. 43.

Imprimis dixerat suprà, morbos partium similarium compositos esse, cum duæ simùl qualitates sine humore, vel cum illo, naturalem symmetriâ excesserint: hoc verò capite morbos compositos in partib. instrumentarijs aliquos vocat, qui plures partes similares occupant.

2. Objectio Tex. 44.

Constituerat etiam inflammationem, si tantú crescat, ut ratione magnitudinis actiones instrumenti impediat, instrumentalem morbũ esse: hic tamen inflãmationem morbũ esse totius instrumenti ex accidente.

3. Objectio Cap. 4. Tex. 16.

Præterea docuerat solùm instrumenta laborare ex conformatione, numero, magnitudine, vel situ: hoc loco scribit, instrumenta ex accidente pati morbos partium similarium: nam si morbi partium similarium nullatenus sunt morbi instrumentorum, neq. poterunt esse illorum morbi ex accidenti.

4. Objectio

Rursus morb. compositus similarium partium non est ille, qui plures tenet partes instrumentales, ergo morb. organicus non erit, qui multas partes similares occupaverit, ut Gal. hic voluit: contrariorum enim eadẽ est disciplina.

5 Objectio

Deinde bis dixit partium similarium morbos ex accidente ad totum instrumentum pertinere: postea verò statuit eos, qui multas partes simùl apprehendunt, ad totum instrumentum primò referendos esse: eos verò, qui unam quampiam partẽ invadunt, & compositi sunt, ut inflammatio, per accidens fieri morbos in instrumentorum.

6. Objectio

Postremò scribit, non referre, sive quis unum esse dicat morbum compositum, sive plures in instrumento morbos diversos in diversis ipsius partib. consistentes, quatenus ad indicationis curatricis varietatem pertinet: tamen non docet quomodo capiantur morbi, quatenus variant curationem. Quod si Gal. dicat illud reservasse ad libros methodi, nullibi hoc præstitisse aperté constat.

Fũdamẽtũ Auctoris.

Sed, ut hæc plena sunt futilitatis sumnæq. lævitatis, ita facilé omnia confutabo, si primùm Galeni methodum enarravero: decepit enim facilem adversarium, quod scite voluerit Gal. simùl demonstrare & complicare morbos proprios instrumentorum, cum illis, qui eisdé per accidens conveniunt, ut his satisfaceret, quæ curanti medico videbat contingere frequentissimé.

G. Method.

Ergo morbi omnes compositi, qui utcunq. solent instrumenta afflictare, vel tantum ordiuntur à natura partium similarium, ut inflammatio, ulcus: vel tantum ab organica, ut pterygium, procidentia uveæ: vel ab utraq. ut pterygion, & inflammatio. Qui à natura similarium sumunt initium, vel in una tantum similari parte existunt, ut inflãmatio adnatę, aut ejusdem inflammatio, & ulcus: vel in plurib. partib. similarib. ut inflammatio adnatæ & exulceratio cornęę. Præterea qui sunt in organica structura, vel unam tantum partem apprehendunt, veluti si magnitudo simùl & figura particulæ cujuspiam viticntur, ut in magno tumore manus, vel in plurib. ut in oculo pterygion, suffusio, rhoeas. Postremò compositus in strumentorum morb. & à natura similari, & ab organica exorditur, ut pterygion, inflammatio, erosio cornęæ, procidentia uveæ, suffusio.

1. Assertio

Quib. positis sic extrico Galeni documenta. Compositi morbi, qui solùm à natura partium similarium principium capiunt, & in una similari parte reperiuntur, totius instrumẽti morbi sunt ex accidente, quod nõ indiget probatione.

2. Assertio

Qui tamen reperiuntur in plurib. licet tantúmodo profluãt ex natura similarium, morbi sunt totius instrumenti primò compositi.

Observatio

Observandum verò non dixisse Galenum morbum hunc compositũ proprium esse instrumento: sed esse morbum primò compositum instrumenti: quasi diceret, hanc compositionem, quatenus compositio est, quęcunque illa sit, primo pertinere ad instrumentum.

Ratio.

Nam is morb. ita cõpositus, unius vel alterius partis similaris nequit esse morb. sed omnium simùl, erit igitur

tur morb. instrumenti quomodoli bet affecti. Quare ut instrumentum, quod utcunque afficitur, unum est, ita unum quoque morbum esse, ac præterea instrumenti primò compositum morbum, concludendum est. Hæc est exquisita Galeni ratio.

3. Assertio. Præterea, qui morbi compositi tantum contingunt organicæ structuræ, & in una parte, proprij sunt instrumentis, quemadmodum qui fiunt in pluribus.

4. Assertio. Qui tandem manant ex utraque natura etiam dicuntur primò compositi totius instrumenti, quæ quidem omnia manifestissima sunt. Qua methodo Gal. tantum est persecutus differentias cognitu difficiles. Nam, si quis simplices omnes cognoverit, non est dubium, quin reliquas omnes compositas è vestigio nanciscatur.

1. Solutio. Abjiciamus nunc omnes molestias & solicitudines. Simplices morbi diversarum partium similarium seperatim sumpti, nullam compositionem efficiunt in ipsis partib. cum unusquisque ducat originem ab excessu unius qualitatis: sed communiter constituti toti instrumento aliquã compositionem præ se ferunt, quæ ex necessitate debet primò cõpetere toti instrumento.

2. Solutio. Tumorem in inflammatione constituerat esse morbum instrumentalem, cum lædit actionem: hic docet inflammationem, hoc est, intemperiem cum fluxione calidam & humidam, esse morbum compositum instrumenti per accidens.

3. Solutio. Instrumenta patiuntur per se morbos natos ex vitiata conformatione, numero, magnitudine, & situ: ex accidente verò patiuntur morbos partium similarium, cum ex illis componantur.

4. Solutio. Contrariorum eadem est disciplina in ijs, quæ proportionem habent: A inter similares partes & instrumenta nulla est proportio in his de quibus nunc sermo est. Nam partes similares non componuntur ex instrumentis, ut hæc ex illis. Vnde laborantibus tantum instrumentis, possunt benè valere partes similares: at his affectis ex accidente patiuntur instrumenta necessariò, quoniam temperies ad actiones instrumentales, licet remotè, confert plurimum: conformatio, numerus, magnitudo, situs, ad actiones similares nihil prorsus.

5. Solutio. Morbi omnes compositi partium similarium ex accidente referuntur B ad instrumenta, quod in inflammatione alicujus partis fit manifestum: verum quamvis plures morbi simplices nullam compositionem faciant in partibus similaribus, quorum unusquisq. suam tantum afficit, ex multis tamen similaribus unus consideratur compositus, qui primò dicitur & debet convenire toti instrumento: non quod illa compositio conveniat illi propriè, atque ut instrumentum est: sed quia quomodo convenit, primò convenit: si quis C enim viderit oculum, cujus pars quælibet simplex laboret ex suo morbo similari, & simplici, liberè judicabit totum oculum pati compositionem illam, quam propterea toti oculo primò imputabit, quamvis unumquemque affectum cuilibet parti proprium esse fateatur.

6. Solutio. Tandem hoc loco non erat docendum qua ratione in morbis varijs curatio varietur, methodi ter- D tio in complicatis affectibus curandis triplicem nobis finem docuit esse propositum, septimo idem observavit, & quinto aphorismorum. *Cap. 9. Cap. 12. Com. 19.*

Sed hujus libri de differentia morborum summam faciamus.

EPITOME.

SANITAS est omnium partium nostri corporis naturalis constitutio, qua ppter morbus sanitati contrarius est earundē partium cōstitutio præter naturam. Porrò animalium corpora magis, & minus suscipiunt, atque pati, & alterascere possunt, tot ergo genera morborum simplicium contrahent, quot sunt elementa, ex quibus constantur.

Compositio verò triplex in corpore reperitur. Prima similarium partium ex elementis. Secunda instrumentorum ex similaribus. Tertia totius corporis ex utrisq.

At verò prima elementa quatuor sunt, calidum, frigidum, humidum, siccum, ex quibus moderatè confusis oritur partium similarium sanitas: immoderatè verò morbus. Erūt igitur similarium partium primi morbi quatuor, caliditas, cum naturalem moderationem excesserit, frigiditas, humiditas, & siccitas. Similiter instrumentorum morbi quatuor sunt, in particularum forma, numero, magnitudine, & compositione. Quemadmodum autem prima instrumenta dicuntur, quæ cum conflentur ex partibus simplicibus unius operationis gratia sunt constituta, ut vena, ita rursus ex ijs ipsis primis instrumentis secunda coalescunt, ut digitus, quo quidem pes instrumentum magis compositum est, & pede crus. Atque hi sunt morbi partium omnium proprij. Est tamen unus communis utrisque unitatis solutio.

Quare ad reliquas differentias simplicium morborum partium similarium nos convertamus. Nam interdū similaria corpora solis qualitatibus alterantur; interdum cum fluxione humorum, qui sanè secundus modus in tumoribus est manifestus. Altera differentia, quæ in sola qualitate consistit, vel est intemperies calida, vel frigida, vel humida, vel sicca.

Vt ad partium instrumentalium F discutiendos morbos deveniamus, observandum est, totius instrumenti functionem tunc præcipuè vitiari, ubi pars princeps, quæ actionis est causa ægrotaverit: quamquam, & reliquarum partium primæ inservientium vehementiores affectus actionem impediunt. Affectus igitur, qui primò, & per se actionem totius instrumenti lædunt, morbi sunt: at si primò, & per se non lædunt, sed quatenus parti principi nocent, morborum sunt causæ. G

Est autem morb. formæ triplex, in figura, cavitate vel meatu, asperitate & lævitate, quæ quidem vitia, vel nativa, vel adventitia sunt. Porrò ubi pars aliqua in tumorem attollitur, atque id circo meatus illius occluduntur, siquidem talis particula nullam habeat propriam actionem (læsam) unicus tantum morbus est, nempe obstructio: tumor autem est obstructionis causa. Cæterum si affecta pars aliquam actionem propriam obtinuerit (læsam) hac ratione duplex morbus erit, alter alterius causa, scilicet particulæ tumor, & obstructio: ut si tunica alicujus venæ, quæ in gibbis hepatis est, adeo in tumescat, ut ejus cavitas H

vitas obstruatur, ipse quidem tumor morbus dicetur, quòd sanguificationem oblædat, obstructio autem similiter, quòd impediat distributionem: siquidem qui affectus primò lædunt actionem, hi & sunt, & verè dici morbi merentur. Si verò nihil laborat vena, crassi autem & viscidi humores meatibus impacti distributionem impediant, unus tantum visceris morbus est, nempe obstructio, humores autem morbi, scilicet obstructionis causa.

In numero duas morborum differentias assignamus, aut enim pars aliqua deest, aut abundat, quarum differentiarum utraque in binas alias secatur. Siquidem eorum, quæ superfluunt, nonnulla sunt ex genere naturali, ut si cui sextus adnascatur digitus: nonnulla verò toto genere præter naturam, ut lapis in vesica. Similiter deficientium particularum, nonnullæ quidem penitus abolitæ sunt, nonnullæ verò ex dimidio præcisæ: utrunq. autem, aut naturæ, aut morbo. Ex his tamen, quæcunq. functionem impediunt, eadem ratione in morborum genere continentur. Quæcunq. verò partem aliquam operationi dicatam, vel refrigerant, vel non satis ei alimenti transmittunt, causæ morborum dicuntur. Quædam tamen & morbi, & morborum causæ censentur, ut si gurgulio radicitùs præcidatur. Nam & vocem perturbat, & pectus, & pulmonem refrigerat.

In magnitudine etiam varij morbi contingunt, ubi scilicet totũ corpus, vel pars aliqua, aut in prima generatione, aut postquam in lucem editum fuerit animal, magnam contraxerint molem, vel præter modũ fuerint imminuta.

Qui morbi in vitiosa compositura consistunt, duas sortiuntur differentias, vel enim particularum situs, vel consensus illarum inter sese variatus est.

Reliquum est quintum morbi genus, nempe unitatis solutio, quæ utrisque partibus accidere potest. Nam si in manu omninò præcidatur nervus, talis solutio erit communis, & toti instrumento, & ipsi nervo. Quòd si non integrè, sed aliqua ex parte præcisus fuerit; soliùs nervi est affectio, instrumenti verò tantum ex accidenti. Sed pro differentia particularum, solutio continui varia sibi nomina vendicat. In osse dicitur fractura. In carne ulcus, vulnus, ruptura. In nervosis partibus divulsio. In solis instrumentis avulsio.

Superest, ut ad morbos compositos veniamus. Erunt igitur in partibus similarib. cõpositi morbi quatuor, calidus simul & humidus, calidus simũl & siccus, frigidus & humidus, frigidus & siccus. Quod si qualitatib. ijsdem plus justo adauctis, accedat humorum fluxus, totidẽ morbi nascentur: Quibus morbis & simplicib. & compositis miscetur etiam solutio continui. Vnde omnes inflãmatæ simul & exulceratæ particulæ, tres necessariò morbos patiuntur, nonnumquam quatuor. Est autem inflammatio rubens, renitensq; tumor, qui dolorem infert. Quia verò tumores omnes oriuntur ex redundante humore, omnesque humores duab. qualitatib. præditæ sũt, qui quidem fere omnes mutuò inter se commiscentur, necessariò dicẽdum est erysipelas, herpetem, carbunculum, cancrum, atq. alios id genus tumores, morbos cõpositos esse: è quibus carbunculi semper cum ulcere invadunt, erysipelata nõnunquam, herpetes verò, & cãcri mediam obtinent naturam; non quidem semper ut carbunculi, nec rarò, ut erysipelata, sed magna ex parte, cum ulceribus consistunt.

Demum accedamus ad instrumentorum morbos compositos, quorum quidem differentiæ tres sunt. Prima, cum plures partes similares alicujus instrumenti proprijs morbis laborant, ut adnata ex intemperie calida, uvea ex frigida, cornea ex erosione: tunc enim morbus ille primò compositus est in toto oculo, quamvis particulatim quivis illorum morborum simplicium ex accidente conveniat instrumētis. Quæ quidem differentia impropria est. Secunda, cum in varijs partibus instrumenti varij morbi uno eodemq. tempore insunt instrumentorū proprij, ut in oculo pterygium, suffusio, & angulorum coarctatio. Hic morbus compositus est primo, & per se toti instrumento, atque hæc inter compositos morbos instrumentales maximè propria differentia. Tertia & ultima est, cum ex morbis illis varijs, quidam sunt partibus similaribus proprij, quidam verò proprij toti instrumento, ut si uno tempore in oculi parte aliqua sit intemperies, in alia procidentia, in alia distortio, quæ differentia minus propria est. Nihil autem refert, si dixeris unicam esse ægritudinem compositam, an plures in diversis partibus constitutas.

Hac, si quis utatur methodo, omnes instrumentorum morbos compositos facilè inveniet.

COMMENTARIORVM AD LIBRVM *de differentia morborum finis.*

IOHANNIS F. ROSSELLI CATHALANI BARCINONENSIS.

AD

Librum Galeni de causis morborum Commentarij.

PRAEFATIO.

2. Poster. cap. 2.

ARistotelis est A
præceptū, quæstionem quid sit, confestim subsequi alteram, qua quæritur res propter quid sit. Post traditam ergo morbi naturam, & differentiarum illius, statim propter quid morbi sint, quærere debemus, hoc est, illorum causas investi B
1. Posterio. cap. 2. gare: *tunc enim perfectè scimus, cum causas cognoscimus.* Porrò Hipp. medicus
1. Physico. cap. 1. nobilissimus, qui solus de ignorantia triumphavit, libro de flatib. multum interesse prodit, explorate cognoscere, *quæ tandem sit causa morborum, quodq principium, & quasi fons, ex quo mala corporis omnia scaturiunt: siquis enim causes corporis affectus probè noverit, valdè potens est, ea adferre, quæ corpori* C
Sentен. 2. *commodent.*

Ex quo loco Herodotus in suam
Cap. 8. introductionem transcripsit causarum notitiam desiderari, *ut affectuum origines, quibus convenit existere, intelligam.* Quamobrem primo de morbis
Sent. 87. mulierum docet Hipp. *precare medicos morbi causam non exactè percunctantes.*

Quam doctrinam secutus noster
Lib. de The. ad Pisonē. cap 10. Gal. *medicos, qui solam experientiam sequuntur, non admittit, quoniam & ipsi, sicut vulgares faciunt, quæ videns inspicientes, rerum eventū quidē mirantur, sed eventus causam ignorant. Quā iurē methodicos admiratur magnopere, qui causarū notitiā* Ibid. c. 16.
curandis morbis inutilē arbitrantur: nescit enim quo pacto tales ægrotos sanare possint, cū uniformis, & similis sit morsus à cane rabido, & non rabido illatus. Quē enim, inquit, curationis modū ipsis ostēdit cōmorsus locus nullā ex vulnere distinctionē habēs, si internā mordentis causam scrutari nolunt? Nā causarū indagatio ad utrūq. artis opus, nimirū ad curationem & 1 san. tuen.
præcautionē, maximè necessaria est: cap. 15.
causas enim si nesciat medicus, ac veluti de facie ignoret, nec venientes Lib. de theriaca ad Piso. cap. 16.
morbos repellere, ut cōservetur sanitas, nec corpus ipsum tenentes, ut eadem recūperetur, expellere & propulsare cū ratione poterit, tanta est causarum scientiæ necessitas. Quinimò non solū, quando præsentes sunt causæ, conferunt, quāvis tū illo tempore plurimū: sed etiam cum absentes, & præteritæ, in morbi naturā dignoscenda, magnopere usui sunt, docente Galeno.

4. metho. cap. 3.
Sed hæc præcepta illustremus, & 1. sec. loc. cap. 1.
concludamus apophthegmate peripatericorū principis, à cujus doctrina exorsi sumus. *Cum aliquando Aristoteles ægrotaret, Ælianus ait, jussisseq.* Cap. 9.
D *ipsi medicus nescio quid. Tunc ille. Ne cures me, inquit, tanquā bubulcum, aut fossorē: priùs tamen morbi causam expone, ut utaris me ad obsequendū paratissimo. His docens nullā curationē, non inventa priùs causa, adhibendam.*

GALENI DE CAVSIS MORBORVM LIBER.

Nicolao Leoniceno interprete.

ARG. LIB.

ORDINE, quo morbos disposuerat, diligenter servato, inquirit causas internas & externas morborum simplicium & compositorum, tum eorũ, qui similarib. partib. & instrumentalib. proprij sunt, tum morbi cõmunis, nempe solutionis continui.

ARG. CAP. I.

SVMMATIM narrat, quæ docuerat superiori libro, mox causas omnium morborum se investigaturum proponit juxta opinionem Hippocratis, quam existimat esse veriorem.

CAP. I. Tex. 1.

QVOT quidem sint & quænam ægritudines omnes, in propria genera ac species divisæ, tum simplices, tum compositæ, altero jam libro explanavimus. Reliquum est, ut singularum causas explicemus, exordientes à simplicib. animalis partib. quæ similares appellantur, à quib. deinde ad compositas, & dissimilares veniemus. Quoniã igitur ostendimus juxta illos, qui arbitrãtur substantiam, quæ ortui, atq. interitui subjicitur, simùl uniri, *atq alterari, quod omnis ægritudo similaris ac simplicis, quo ad sensum particulæ, vel intẽperies quadã existit, vel continuitatis partiũ divisio. Juxta verò illos, qui non unionem statuunt, sed quia intercipiatur vacuum, omniũ corporum constitutionẽ concretionem putant, immoderatio meatuum, & ejus, quæ sensu deprehenditur, continuitatis solutio. Incipiemus & nunc considerare causas morborum omniũ, quì ad primam attinẽt suppositionem, quam nos veram existimamus. Erant autẽ (ut arbitror) quatuor simplices, quatuor verò cõpositæ. Cũ aliquãdo quidẽ sola supra modũ excrescẽte caliditate, vel frigiditate, vel ex altera oppositione aliqua veluti humiditate, vel siccitate: aliquãdo verò duab. simùl supra modũ auctis, ut morb. pariter calidus & siccus, vel frigidus, & siccus, vel calidus & humidus, vel frigidus & humidus fiat.*

* ὑφίστασι.

COMMENTARIVS.

Suo more priùs quam ad susceptum consilium accedat Gal. exponit quàm brevissimè potest, quid docuerit præposito libro, ut, quæ dicenda sequuntur, possit cum superioribus facilius

ciliùs coagmentare. Dixit ergo libro de differentia morborum, quot qualesq. sint omnes morbi per genera, & species diviſi, tum ſimplices, tum compoſiti, nunc reliquum eſſe ait, ut ſingulorum cauſas perſequatur, quò hinc pateat, non ſatis eſſe dogmatico & rationali medico morborum genera, & differentias quæſiviſſe, quoniam cauſas quoq. teneat inventas, neceſſe eſt.

Porrò animo intendit eundem tenere ordinem, quem in libro de differentia morborum eſt exorſus. Eo loco de morbis partium ſimilarium diſputavit, mox, qui morbi partium organicarum eſſent, dilucidè expoſuit, hic pariter eſt eadem mente: initium quidem ſumit, à cauſis, quæ partes ſimilares peſſimè vexant, & earũdem morbos generant: exinde verò ad compoſitas, & organicas, morboſq. illarum tranſit.

Cap. 5. Cap. 6. & ſequentib.

Iam de morbis partium ſimilariũ duplex ibidem dogma tradidit, alterum fuit Hippocratis, quem ſequuti ſunt Plato, Ariſtoteles, & Theophraſtus, quorum opinio eſt, ſubſtantiam generationi & corruptioni ſubjectã, tum per omnia unitam, & cotinuam eſſe, quod elementorum, ex quib. cõſtat, corpora uniantur, & coalescant, tum alterari, & immutari, quod elementorum qualitates mutuò agant, & patiantur. Alterum dogma fuit Leucipi, Democriti, Epicuri, & Aſclepiadis, qui, cum elementa conſtituerint atomos, & incompacta corpuſcula, quæ nec immutari, nec alterari poterant, profectò fateri cogebantur neq. uniri, neq. miſceri recte poſſe, niſi ut in acervo. Ex quo vacuum ſemper ſpatium aliquod ineſſe reb. interſperſum & infertum dicere impellebantur, ut primo de ſimplicium medicamentorum facultatib. & tertio de differentia pulſuum dictũ eſt. Vnde corporum conſtitutionem ſolam concretionẽ eſſe putarunt. Nam, quæ non rectè miſcentur, & confunduntur, non poſſunt coire, ut unum fiant, ſed contreſcunt, & veluti coacervantur, & tantummodo congluti-nantur, accumulanturq. contigua ſolùm, non etiam cõtinua facta, ut ideo interceptum, atq. implicatum vacui ſemper aliquid ſit.

Cap. 2. & 4.

Cap. 13. Cap. 6.

Quib. jactis refert Galenus quid de morbis partiũ ſimilarium utraq. ſecta deliberaverit, ut deinceps poſſit cauſas perſcrutari ex judicio illi, quę majorẽ autoritatem eſt adepta.

Hippocrates omnẽ morbum partis ſimilaris, ac ſenſus judicio ſimplicis, vel intemperiem eſſe, vel continui ſolutionem aſſeveravit. Epicurus & Aſclepiades etiam duplicem morbum partium ſimilarium ſtatuerunt, vel immoderationem meatuum, vel ſenſibilem continui ſolutionem. Veruntamen Gal. tantum approbat & laudat ſectam, & ſuppoſitionẽ priorem, juxta quam ſingulorum morborum cauſas indagare decernit. Quoniã autem ea conſtituebat octo partium ſimilarium morbos, quatuor ſimplices, & quatuor cõpoſitos, eoſdem memorat, ut ad ea, quæ conſequuntur, meliorem nanciſcatur occaſionem. Quid multa?

EPITOME.

Cum expoſuerit quot qualeſque ſint omnes morborum differentiæ, tum ſimplices, tum compoſitæ, convertit ſe ad cauſas diſcutiendas, juxta Hippocraticam ſuppoſitionem, quam veram eſſe credit, exorſus à cauſis ſimpliciorib.

CONTROVERSIÆ ÆTIOLOGICÆ.

EXPENDVNTVR, quæ in primo capite difficultatem habent.

QVÆSTIO. I.

QVOTIESCVNQVE noſter Gal. ſummam facit cogitationũ ſuarum, vel quædam mutat, nonnulla præteriens, vel aliquam acceſſionem adjungit ad priora: hoc tamen non debet admirationem concitare, quoniam in hoc vir peritiſſimus divinum ingenium, & mirum ſemper oſtendit artificium.

Libro de differentia morborum nomine

1. Objectio Cap. 3. 5. 7. & 12.

nomine primæ suppositionis eã sem per accepit quæ impassibilia constituit elementa, scilicet Epicuri aut Asclepiadis: nomine secundæ Hippocratis positionem complexus est, & illorum, qui elementa pati suppo nunt: hoc tamen capite instituit considerare causas morborum omnium, qui ad primã attinent suppositionẽ, per quam Hippocraticam intelligere debet, ut patet, quam ipse veriorem existimavit.

Solutio.

Sed hoc nullam difficultatem habet. Nam libro de differentia morbo rum appellavit suppositionem veterum primam: hoc est, tempore priorem, & admodum antiquam: hoc loco vocat primam, quam hîc primo loco narravit, utpote quod illi hactenus primas detulerit.

2. Objectio

Iam quare facit mentionem in repetitione de morbis partium similarium, intemperie scilicet ac solutione continuitatis, nulla verò de morbis instrumentorum?

Solutio.

Respondeo dixisse initio capitis in explicatione causarum, exordiendum esse à simplicib. partib. à quib. deinde ad compositas & dissimilares veniendum: at postremò similarium morborum tantum meminit, quoniam libro de differẽtia morborum prædixerat sectas contrarias in morbis partium similarium discrepare: in morbis tamen instrumentorum, quod sint notissimi, undiq. convenire. Vnde ibidem postquam scripsit morborum partium similarium discrepantiam, quam habebant oppositæ sectæ, sic de consensione locutus est *Compositorum verò in nobis instrumentorum ægritudines utriq. suppositioni communes existunt: hæc igitur breui sermone exequemur.* Mox ostendit qua ratione sint communes. Vnde hoc loco, de instrumentalib. minimè solicitus, altius paulò repetivit morbos similares, & quadam præfatiuncula, secũdum caput, quo de illis dicere ordiẽtur, præmunivit, quòd videret minus facilem & longiorem disputationẽ illorum.

Cap. 4.

Tex. 16.

3. Objectio Solutio.

Iam verò, quam corporum concretionem hîc intelligit? Hoc prædicto libro fuit explicatum. Veteres elementa impassibilia constituerunt, quæ, cum non alterarentur, nec vera unione miscerentur, constitutionem omnium corporum appellabant syncrisin, hoc est, concretionem, concrementum, vel condensationem, non veram mistionem, & legitimam: corpora verò syncrimata, id est, concreta & coacta, non vere mista, vocare cogebantur.

4. Objectio

Sed quam de veterum opinione sensibilis unitatis solutionem adjũgit, cujus nondum meminerat, exponere fortasse laboriosum erit.

Solutio. Cap. 12. Tex. 14.

Sanè libro de differentia morborum dixit, unitatis solutionem nonnunquam implicari & instrumentorum & partium simplicium morbis ab utraq. secta constitutis, sed utrum illa unitas sensu deprehenderetur, veluti hoc loco, non dixit. Hujus tamen difficultatis facilis explicatio pendet ex iis, quæ paulò ante dicta sunt. Nam mistio à natura profecta corporum alteratorũ vera unio est. Cum non alterantur corpora, sed tãtum iuxta ponuntur, quantumvis in unum coacta & conducta, ut in theriaca, tamen unitas illa judicio tantum sensus mistio & confusio est, nõ secundum naturam.

Com. 1.

Quare, cum solvitur continuitas partium similarium, sententia Hippocratis, ea solutio re ipsa est veræ unitatis, atq. unionis divisio, quam non solùm sensus perspicit, sed etiã mens & vera ratio exploratè cognoscit: at opinione veterum, omnis partium similarium solutio erat divisio continuitatis sensibilis, hoc est, unitatis judicio tantum sensus approbatæ.

5. Objectio

Ad extremum potest aliquis quærere, cur disputaturus de causis Galenus, nec causæ definitionem adduxit, nec divisionem.

Solutio. Cap. 1. Cap. 1.

Dicendum est, Galenum hanc disputationem tam quam facilem præter misisse, cum natura causarum, præsertim quas inquirit medicus, in promptu sit. Dixit verò quarto de differentia pulsuum, nihil inutilius, quam definitione uti, cum res ex ipso nomine intelligitur. Et libro de causis procatarcticis: *possumus nos quidem*, inquit, *& sine ullo ferè negocio explicare, quod hoc nomen, causa significat, & ea res adeo exigua est, ut nullus ferè in hac lingua educatus illius ignoret significatum.*

Tamen

Cap. 1. Tamen libro de differentia symptomatum ubi docebit, quid inter sit intercausam & morbum, impelletur ad hanc disputationem, quam quidē nos in hunc locum tyronum gratia transcripsimus: atque hinc nascetur exordium.

DE CAVSIS.

QVÆSTIO. II.

Causa tripliciter. NOMEN causæ tripliciter usurpatur, admodū latè, nimis præsse, & medio modo.

Primò cum principio reciprocatur, qua ratione causæ nomen accepit Aristoteles duodecimo metaphi *Cap. 2.* fices, cum privationē vocat causam.

Secundo causam vocamus solam agentem, & efficiētem causam. Nam, cum ipsa causa consideretur, ut respicit effectum, & effectus ab efficiendo dicatur, hinc omnis causa vulgò judicatur efficiens. Sic magister Plato in Hippia majore, ubi loquitur ut vulgus, *efficiens, & causam nihil omnino differre* putavit.

Tertiò, & postremò apud philosophos causa quatuor genera palàm prompta complectitur, definiturque *Caus. quid.* id, *quod aliquid primò sequitur*: vel *id, à quo aliquid per se dependet*: Quam definitionem ex secundo physicorum eliciunt Aristotelis interpretes. Hanc noster Gal. sapienter interpretatus *Cap. 7.* est, cum libris de differentia symptomatum, & de causis procatarcticis definit, *causam esse id, quod suapte naturâ ei, quod fit, aliquam suæ generationis partem inducit.*

Cap. 1. Cap. 1.

Ergo causa quadruplex est, materia, forma, efficiens & finis, quia tot *Caus. quadruplex.* sunt, quæ respondemus, cum inquiritur, propter quid res quæq. ita se habeat, veluti Aristoteles est arbitratus. Nam interroganti, cur factus est homo, respondere possumus, quia ab homine, quæ illius causa efficiens: vel quia ex humano semine, & sanguine, quę materia: vel quia humanū animū accepit, quæ forma, vel ut generaretur simile, atque species produceretur, qui finis est. Nō sūt plura, quæ respōdeamus, quā hæc quatuor.

2. physico. cap. 3. 2. post 11. 1. met. 3. 1. de gen. 1. 1. de par. 1. 2. phy. 7.

Quæquanquam ita sint, Galenus tamen plura causarum genera dinumeravit, nimirum, *materiam, exemplar, efficiens, utilitatem, finem, scopum, instrumentum, & causam dicitur, sine qua non.* At non propterea dissentit ab Aristotele de numero causarum.

Quot caus. Galeno. Lib. de dif. sym. cap. 1.

Nam exemplar, cujus meminit ex Platone sexto de usu partium, forma quædam est, atque nihil aliud, quam id, ad quod respiciens operatur agens, & imitando exprimit, ut in artefactis videre licet: omnia enim per se pendent à suo exemplari, quemadmodum cuncta, quę in natura fiunt, ab ideis divinis. Nam ratio communis formæ nihil est aliud, quam rei quidditatem & speciem tribuere, hinc duplex erit forma, interna, quæ materiam informando, & externa, scilicet exemplar, quod imitationis interventu, id præstabit. Cujus exemplaris causæ inventionem, & excogitationem theologi nostri studiosè re ceperunt.

Exēplar. Cap. 12.

Præterea utilitas (indigentiam, vel commoditatem intellige, propter quam) finis, & scopus una causa est: sic enim loquitur Gal. libro de causis procatarcticis. *Vnde hæc omnia ad idem genus attinent, sive id dicas propter quod aliquid factum est, sive utilitatem, sive finem, sive scopum: nam nec quidquam inter hæc interest.* Quod si libro de optima secta & de salubri arte ad Trasybulum (cui assentitur Herodotus in suo introductorio) dixerit scopum à fine differre, facilè Galenum cū Galeno concordabis. Nam, cum accuratè & expressè loquitur, scopus multùm differt à fine, quoniam scopus est propria ratione ejus, quod fuit præmeditatum: finis verò est propositi consecutio. Philosophi scopum, vel propositum appellant finem in mente: consecutum verò, finem in re. Hinc septimo metaphysices Aristoteles dixit, *ex valetudine fieri valetudinem*: efficitur igitur ex scopo finis, & est consequens. Tamē, cū promiscuè loquitur Galenus, atq. utilitatē, sive finē, & scopū id appellat, gratia cujus aliquid fit, nihil curando, an id ipsum cōsequamur, an non, profitetur finē, & scopum nihil inter se differre, cum sint una & eadem res, quamvis ob rationes diversas distinguantur.

Vtilitas. Cap. 11. Objectio. Cap. 5. Cap. 12. Cap. 6. Solutio. Cap. 7.

Porrò

Porrò instrumentum, de quo etiã cum Platone loquitur Galenus sexto de usu partium, ad causam efficientẽ, á qua sumit agendi vim, reduci potest. Atq. hæ proprie, verèq. dicuntur causæ.

Instrumentum. Cap. 13.

Nam illa, de qua libro de differentia symptomatum, & de causis procatarcticis, quam ejus, sine qua non, rationem obtinere dixit, ex accidenti rei causa est, ut tempus & locus.

Sine qua non. Cap. 1. Cap. 1.

Sed attendamus quæso, quamobrẽ Galenus instrumentum ab efficiente separavit, & qua vi ac necessitate coactus frequenter celebraverit causam dictam sine qua non, id est, sine qua res fieri non potest.

Quæsitum.

Dico philosophum nonnunquam à causis primis ad secundas atq. ad actiones usque descendere, sed offensum protinùs revocare ac reflectere animum ad contemplationem, qua quidem sola contentus est. Quo circa perpetuò causas quærit, quæ tandem satisfaciant quæstioni, nec amplius quærendum relinquatur. Nam exquirẽti philosopho, quamobrem sit domus, si respondeamus, quia serra, & malleus interfuerunt, nihil proficit hæc responsio, quoniam adhuc ei quærendum restat, cur serra, & malleus domum fecerint, atque ita respondendum, quod hæc instrumẽta mota fuerint ab ædificatore, quæ sola responsio satisfacit, & philosophum delectat. Medicus verò, si quãdo ab actione conscenderit ad contemplationem, nunquam expletur, nec satiatur ejus cupiditatis sitis, veruntamen quamprimùm ad opus descendit causasq. proximas illius. Vnde, si exquirat medicus, quamobrem in nostro corpore fiat sanguis atque respondeamus, quoniam anima in illius generationem incumbit, nullius momenti putatur hæc responsio, cũ sit ulteriùs postulandum, per quod agat & moliatur anima, ut tandem ad jecoris temperiem instrumentum animę perveniatur. Atq. hæc est causa, cur medicus causam instrumentalem seorsim ab alijs tractare debeat. Nam cum medico potissimùm sit curæ de actionib. & ad lædendam aliquam actionem sufficiat perturbatio instrumenti, quantumvis superiores causæ benè habeant, propterea Gal. instrumentum in causis numeravit. *Si enim causam quæris*, Gal. inquit, *cur faber lecticam malè coagmentavit, qui tamen non esset malus artifex, ille statim respondebit, quod pravé affecta erat dolabra, terebellũ crassum, lima & malleo carebam, securis etiam erat obtusa.*

Respõsum.

Lib. de caus. procatarcticis. Cap. 1.

Quamobrem Gal. arbitratus est nõ solùm esse necessarium præsentire, à quo res quælibet sit, ex quo, propter quid, & quid ipsa sit; sed etiam necesse putavit præcognoscere, per quod fiat: *per quod autem*, ut ipse ait, *instrumẽtum est*, quod omni actioni proximat.

Ibidem.

Et præterea illius, sine quo res nequit fieri, quæ causa dicitur, sine qua non, magnus est usus in curatione. Quoniam licet nihil operetur, nequit tamen á causis prędictis separari. Exemplo sit cavum, & sordidum ulcus, quod nulla ratione glutinari potest, nisi carne impleatur: at carne impleri nequit, nisi sordes expurgetur. Vnde puritas ad cavitatem habet rationem causę, sine qua non, quemadmodum impleta cavitas ad cicatricis obductionem.

Lib. de dif. sym. cap. 1.

Causæ igitur separatim considerandæ quatuor sunt philosophis, medicis verò sex. Materia, ex qua tanquam ex subjecto, quippiam per se fit, libro primo physices, & de causis procatarcticis. Forma, in qua cujusq. rei essentia præcipuè continetur, secundo physicorum, & libello, quod animi mores &c. Efficiens, unde principium motus, secundo physicorum, & libro de differentia symptomatũ. Finis, cujus gratia aliquid fit, secundo physicorũ, & libro de causis procatarcticis. Instrumentum, id, per quod aliquid fit, libro de causis procatarcticis. Tandem, sine qua non, & ex accidenti quædam causa, quæ nihil operatur, sed tamen ab ijs, quæ ex sui natura conferunt, sejungi non potest, libro de differentia symptomatum, & de causis procatarcticis.

Cap. 9. Cap. 1. Cap. 2. Cap. 3. Cap. 2. Cap. 1. Cap. 3. Cap. 1. Cap. 1. Cap. 1. Cap. 1.

DE MORBI CAVSIS.

QVÆSTIO. III.

QVAS addidimus quadruplici causarum generi causas duas, instrumentum, & sine qua non, officio medici

medici opus esse diximus: at, cum rerum substantiam diligentius consideramus, philosophique personam gerimus, tunc philosophorũ precipuas causas exquirere sat est. Disputaturis ergo nobis de morbi causis, vt configuratam illius notionem habeamus, satis erit, quod materiam, formam, efficiens, & finem illius pervestigaverimus.

Efficiens. Porrò de causa efficiente nullus medicorum planè in dubium venit, cum hoc libro, & eo, quem de causis procatarcticis inscripsit, & quotiescunq. in hanc disputationem incidit, ferè nunquam de alia causa verba fecerit Gal. Quoniam medicus perpetuò contemplatur causam quantum respicit, producit, vel conservat morbum: atque hunc semper quatenus est effectus, qui juxta illius etymologiam ab efficiente dicitur. Solam igitur causam efficientem attento animo intuetur medicus, quando quidẽ sola hæc miserum corpus, & medicũ
Cap. 2. solicitum habet. Quamobrem in arte parva salubrem causam esse docuit Gal. quæ sanitatem, in salubrem verò, quæ morbum efficere, vel conservare potest.

Autor controversiarum Franciscus Vallesius materiam in morbo ne
Materia. gat, quod sic de materia prima confirmat. Sola substantia corporea cõstat ex materia prima: sed nullus morb. est substantia, ergo nullus erit ex materia prima. Quod neq. ex secũda ita probat. Solum artefacta sunt ex materia secunda, ut statua ex ære, morb. res arte facta non est, carebit igitur materia secunda. Tamen Vallesius morbo permittit subjectum pro materia, nimirum corpus humanum, atq. hoc, aut secundum partes simplices, aut secundum multiformes, quæ in morborum differentiis enarrandis manifestò deprehensæ sunt. Comes Montanus præter materiam hanc & subjectũ, in quo morb. in est, aliam materiam admittit, non tamen in omnib morbis, sed in illis, quos aliqua substantia fovet, ut sunt omnes intemperies cum fluxione, obstructiones, morbi in numero, & magnitudine auctis: hanc enim substantiam materiam morbi esse putat, & partem substantialem illius (sic ip-
A se loquitur.) Quæ opinio in sequentib. exagitabitur.

Morbi formam omnes concedunt, *Forma.*
cum eundem essentiam habere, qualiscunq illa sit, planè fateantur. Christophorus Avega relationem esse putat. Vallesius qualitatem simplicem. Iacob. Segarra morbi formam analogam esse statuit. Quæquidem omnia nos in controversijs libri de differẽtia morborum prorsus abjecimus, quidq. tenendum sit constituimus.

Demùm define morbi per difficilis, & perobscura quæstio constituta *Finis.*
est. Loquimur autem hic, non de fine rei genitæ, quę operatio est, cujus gratia unumquodque esse dicitur, ut fœlicitas, quę dicitur finis hominis:
B sed de fine generationis, qui à generante intenditur.

Vallesius arbitratus est causã mor- *1. Ratio.*
bi nullã esse in fine. Quandoquidem propter finem dumtaxat fiunt, quę habẽt essentiam suam in aliqua perfectione: perfectio enim illorum est finis, & causa: quæ verò habent essentiam in imperfectione, cujusmodi est morbus non fiunt propter finem, cũ enascantur ex defectu cõtrariæ perfe
C ctionis, ut morb. ex defectu sanitatis.

Deinde, quod generatur ex acci- *2. Ratio.*
denti, non fit propter finem: sed morbus ita se habet, ut præcedenti libro dictum est, igitur morb. non videtur fieri propter finem.

Tandem monstra non fiunt causa *3. Ratio.*
finis: sed morbi sunt quædam monstra, ut sextus digitus, ergo non fiunt causa finis. Probatur assumptio. Nam *Monstrum*
monstrum est effectus naturæ à recta *quid.*
& solita secundum speciem dispositione degenerans, quæ definitio videtur etiam morbo convenire.

Vt hæc commodissime persequa- *1. Fundamentum.*
mur, attendamus ad fundamenta, qui
D bus niteturhæc disputatio. Primum sit, nos in morbo contemplari naturam, & qualitatem quandam simplicem, licet virtute compositam, quoniam ex multis emergit. Præterea cõtemplamur in morbo illa multa, ex quib. oritur prædicta qualitas, quæ quidem in similaribus sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas: in partibus dissimilaribus formatio, numerus, magnitudo, & situs: in utrisque partibus quantitas disjũcta.

Nam

Nam morbi natura perpetuò suppo E natura impedita, quatenus impedita vergit, & inclinatur ad effectionē monstri, ergo illud intendit: quoniā unaquæq. causa inclinatur ad illum effectum, cujus per se vim effectricē habet: natura verò quatenus abutitur materia exuperante, de se habet vim effectricem monstri, cum illud necessariò sequatur ex naturæ, atque impedientis causæ conjunctione. Quam obrem mōstra per se fiunt propter finem: licet enim causa per se non feratur ad illa, cum ex se abhorreat à monstris; tamen, quatenus utitur causa solitum ordinem impediente, á primariò instituto digreditur, & ad generationem illorum deflectit. Vnde monstra dicta sunt ab Aristotele παρεκβάσεις, hoc est, naturæ transgressiones. Similiter dicendum est de morbis, quos etiam vocavit Galenus ἐκτροπὰς, eversiones & declinationes à naturali constitutione.

F

4. de gen. anim. c. 4. Parecbases: Lib. de dif. morb. c. 4. Ectropas.

His positis sit assertio prima. Morb. materiam habet ex qua. Hæc probatur ex interrogationis genere, ex quo petitur materia rē constituens.

1. Assertio Ratio.

Nam si requirat aliquis, à quo morbus, respondemus factum esse à sua causa efficiente. Si rursus quærat, ex quo: nihil aliud possumus respondere, quam, quod factus sit ex sua materia, ergo morb. materiam habet, ex qua dicitur constare.

G

Assertio altera est. Materia morbi, ex qua, in partib. similarib. est caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas: in dissimilarib. conformatio, numerus, magnitudo, positus: in utrisque ipsum discretum.

Alt. Assertio.

Nam materia morbi, ex qua, est id, ex quo morb. fit: atquærenti, à quo, & ex qua materia facta sit febris, respondemus, à sole, vel ab igne, quæ causa est efficiens, & ex naturali calore in igneum converso, quæ materia: quærenti verò, à quo, & ex quo factus fuerit tumor, respondemus ab humore quodam ad partem fluxo, & ex quantitate partis ab humore aucta, veluti ab ense vulnus & ex continuo soluto; ergo morbi materia, ex qua in similarib. est caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas: in dissimilarib. conformatio, numerus, magnitudo & situs: in utrisq. verò continuum divisum.

1. Ratio.

H

Dices,

Particula, ex, trip. dicitur. Primo. Secundo. Tertio.

Particula verò, ex, tripliciter sumitur. Primò pro habitudine termini, à quò, ut cum dicimus, corpora naturalia fieri ex privatione. Secundò pro habitudine partis componētis, ut cum dicimus corpora naturalia fieri ex materia & forma. Tertio utroq. modo, ut in definitione principiorum apud Aristotelem primo physices. Hic sumitur secundo modo, ut accepta fuit ab eodem primo de generatione animalium. Sic dispositiones multaq. alia accidentia tanquam ex materia fieri dicimus ex ijs, accidentib. in quib. sunt primò, ut pulchritudinem ex proportione mēbrorum, & coloris quadā suavitate, figuram ex quantitate, situm ex eo, quod est, esse in loco, & sic de alijs, quod in controversijs libri de differentia morborum explicavimus latiùs.

Alt. Fundamentū.

Præterea de monstris observandū est, causam impeditam, ut naturam equinam, per se sumptam non producere mōstrum propter finem, ut bicipidem equum, quia, si per se spectetur, nititur producere effectum sibi similem sine errore & vitio: verum, si accipiatur causa impedita simùl cū causa impediente, id est, unā cum exuperantia materiæ, quę in causa est, ut equus genitus præter naturæ ordinem, duplex caput sortiatur, tunc natura monstrum intendit. Nam intendere naturam aliquem effectum, nihil aliud est, quam in illius effectionem vergere, & inclinatam esse: sed

Universidad de Sevilla

Dices, morbum in multis consiste
Quæsitum. re dictũ est, quemadmodum sanitas, ergo febris materia, ex qua, non est sola caliditas.

Respondeo, sanitatis partiũ similarium materia sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, simùl invicem, & naturaliter se habentes: intemperiei calidæ naturalis, ut sanitas, & temperies est, eædem ipsæ materia sunt: verum quatenus calida est, sola caliditas. Intemperiei præter naturam calidæ, ut morbus & intemperies est, quatuor etiam eædem conjunctæ: sed ut calida est similiter sola caliditas. Forma igitur scilicet temperies, & intemperies in omnibus existit, quoniam ex omnibus elicitur: ab una verò, vel duab. excedentibus denominatur calida, vel frigida, quoniam denominatio in hujusmodi accidentibus a materia est.

Respon-sum.

Præterea, materia, ex qua morbi, ea est de cujus potentia educitur morbi forma, sed in similaribus intemperies educitur de potentia calidi, frigidi, humidi, & sicci: in dissimilaribus vitiata structura ex conformatione, numero, magnitudine, & compositione, atq. morb. communis ex cõtinuitate utrarumq. partiũ, igitur hæc ipsa materia sunt. Probatur assumptio. Nam, ut aliqua forma de materiæ potentia educi perhibeatur, duo requirũtur ac sufficiunt. Primò, ut materiæ insit ad illam formam naturalis potẽtia. Secundò, ut quod educitur, sine tali materiæ adminiculo, nec effici, nec permanere possit: sed hæc novem propria naturæ feruntur in sanitatis, & morbi formam, atque sine his, sanitas, & morbus, nec generari, nec persistere possunt, ergo materia sunt illorũ.

1. Ratio.

Postremò rerum omnes formæ abditè latent in efficientis, & materiæ potentijs facultatibusque, in quibus veluti in stirpibus & seminibus continentur: sed formæ sanitatis, & morbi latent potestate quadam in causarum efficientium, & horum novem, potentijs, & facultatibus, in quibus tanquã in seminib. insunt, & continentur, ergo hæc novem erunt materia, ex qua, de hac enim loquimur, trium morbi differentiarum. Propositio philosophorum est. Assumptionis probatio colligitur ex Galeno, cujus hæc sunt verba unde cimo methodi. *Quisquis igitur*, inquit, *sanaturus est febrim, hic causam ejus adimat oportet, simul calorem, qui in animali excitatus ab ea est, refrigeret.* Quibus verbis, cum aperte dicat, non modo febris causam esse tollendam, sed etiam caloris vim reprimãdam, proculdubiò indicavit formam febris in facultate causæ efficientis, & caloris potestate contineri.

3. Ratio.

Cap. 4.

3. Assertio.

Tandem assertio tertia est. Morbus causam habet finalem, cujus gratia fit.

1. Ratio.

Quoniam finis est id, cujus causa fit aliquid: sed in morbi generatione semper invenitur id, cujus gratia fit morb. ergo morb. fit causa finis.

2. Ratio.

Præterea morbus ex omnium cõsensu habet causam efficientem: sed efficiens nunquam operatur, nisi alicujus finis gratia, quandòquidem an tequam agat, & materiæ formã inducat, à fine movetur, ergo morbus est causa finis. Nam absurdum esset dicere, calorem humoris putridi, cum intemperat cor, agere sine fine: intendit enim generare sibi similem calorem, & exconsequenti parẽ intemperiẽ promovere, quemadmodũ lapis, cũ delabitur in collũ vesicæ, intendit quidem obstruere, atq. vitium producere in meatu.

Objectio.

Dices, hæc carere prorsus omni finis cognitione. Verum quidem est: Tamen propter finem agere dicuntur, cum dirigantur à superiori causa, nimirum naturæ opifice.

Solutio.

Solutio rationum.

Rationes partis adversariæ nullũ habent momentum. Nam materia dicta prima, vel secunda substantiarum est: nos autẽ loquimur de materia accidentium, quorum quidem cõpositio proportionem & comparationem habet ad compositionem substantiarum, unde ex materia, & forma quadam, cõponi dicuntur. Rationes de fine pro nihilo habendæ. Respõdendũ ad imperfectiones, & ad ea quæ fiũt per accidẽs, & tandẽ ad mõstra intendere naturales causas occasione finis. Quoniam facultas formatrix, quatenus abutitur exuperantia materiæ, revera intendit producere sextum digitum deformitatemq. illam & ex consequenti morbum,

qui per accidens gignitur ex aucto numero, ad quem est per se motus.

ARG. CAP. II.

Exponit causas morbi calidi, quas quinq. præcipuas esse prodit, motum, putredinem, calidi alicujus corporis viciniam, constipationem, & calidam substantiam. Mox ad objectionem respondet, cur non semper ob aliquam dictarum causarum febris accendatur, cujus occasione docet, quæ requirantur, ut aliquid in aliud agat. Postremò dividit causas in internas, & externas.

CAP. II. Tex. 2.

ITAQ. quænam sint cujusq. prædictorum morborum procreationis causæ, jam inspiciamus sumpto ab eo initio, qui in caliditatis immoderatæ intemperie consistit. Apparet autem & in alijs corporibus omnibus, quæ se ipsis plus satis incalescunt, vel ex motu quodam augeri caliditatem, vel ex putredine, vel ex vicinia alterius corporis calidioris, vel ex stipatione, vel ex alimento ad calefaciendum accommodato. Ex motu quidem, veluti in ijs, quae quovis modo exercitantur, & in lapidibus invicem collisis, & lignis, & flamma ventilata. Ex putredine autem, tum reliquorum corporum, tum præsertim seminum ac stercoris. Mihi quidem non nunquam videre contigit in columbarum (agrestium) excrementis, ex putrefactione ignē accensum. Nec est quispiam, qui ambigat, quin calidorum corporum vicinia, alia concalescant, si modo ad memoriā revocet, & balneas, & solē æstivum, & omnē flammā. Ita quoq. si hybernis temporibus in ampla domo ignem accēderis, atq, omnes meatus stiparveris, per quos spirandi habeat facultatem, interiùs calorē acervabis: quòd si quaq. versus patentes exitus liqueris, nihil amplius effeceris. Sed non aliter balneæ, atq. fornaces, suum interiùs acervant calorem. Ex quo evidens est, stipationem augendo calori occasionem præstari. Sed nec in obscuro est, quòd idem ex ipsa materia provenit. Nā aridi calami, facilius in maximam flammā attollūt: ligna autem viridia, & præsertim si plura super ignē congesseris diutiùs quidē aggravant, & veluti obruunt flammā, demum verò augent.

COMMENTARIVS.

Explicaturus similarium partium morbos simplices, ab intemperie calida exordiū capit, tum quod ea sine discrimine non rarò & ex parva occasione apprehendat humana corpora, tum quod de nullo alio morbo, quam de hoc medicū solicitiorē esse planè videret. Hujus quinq. causas recenset, motum, putredinem, vicinitatem rei calidæ, constipationem, & cibum, potum, vel calidum alimentum. Quæ morbi calidi causas esse hac ratione demonstrat. Nā ea possunt calidam promovere intēperiem in nostris corporib. quæcunq. solēt calorem, & generare, & exaggerare: *apparet autem, & in alijs corporib. omnibus*, ex his quinq. causis augeri caliditatem, igitur hæc proculdubiò calidæ intēperiei causæ sunt. Quod verò id pateat in corporib. externis, experientia, & usu quotidiano ante oculos ponit.

Motum calorem augere monstratrib. exemplis. Primò in ijs, qui quovis

vis modo exercitantur. Secundò in sapidibus invicem collisis, & lignis. Tertio in flamma ventilata. Exercitatio dupliciter dicitur. Primò & communiter omnis motus vehementior anhelitum immutans, qua ratione significat idem, quod labor, *quippe cum, & qui fodiunt, & qui metunt, & qui equitant, non laborent modo, sed etiã exercitentur, communi saltem exercitationis appellatione. Propriè verò exercitatio vocatur, quæ suscipitur eo loco, quem græci gymnasion appellant.* Sunt autem *exercitationum prima genera tria, utique quot motionum differentiæ: quippe aut à nobis ipsis moveantur, aut ab alijs, aut à medicamentis.* Nam gymnasiũ dicebatur locus, ubi nudabantur & exercebantur athletæ. Hic tamen Galenus quamcũq. intelligit exercitationẽ, quãdo calorẽ augere profert, *ingressi quovis modo exercitãtur.* Nã eodẽ libro de sanitatẽ tuenda: *exercitando*, inquit, *in siti caloris augmentũ animalib. excitatur ex ipsorum corporib. atq. is omniũ exercitationum cõmunis effectus est.* Quæ Platonis est, atq. Aristotelis opinio communi philosophorũ assensu cõprobata. Neq. id tantũ est verũ in animalibus, quæ cõcitatiore motu mouẽtur: sed etiã in omnib. corporib. inanimatis, duris, & solidis. *Nã ligno, aut lapidẽ attereas, confricando q. nonnunq. ignẽ accendes*, ait Gal. Tertiũ protulit exẽplũ ex flãma vẽtilata. *Omnes antẽ flammæ*, ut scribit libro de utilitate respirationis, *duplici motu moveri videntur: altero sursum feruntur, & undiquaq. dispergũtur: altero huic cõtrario, ad sui ipsarũ principiũ, hoc est, ad pastũ, ac veluti radices vergente per quẽ consistũt, & cõtrahũtur. Vnde si facis, quã maximè supernã extremitatẽ accenderis*, licet perpetuò sursum feratur, *confestim ad infernã per veniet ignis.* Qui cũ sit ex lignis viridibus atq. humidis, nos flãmam, quę altero suo motu per aerẽ dispergitur, & dissipatur, flabello ventilamus, cõtrahimus, & ad materiã applicamus: augescit ergo motu ipsa flamma.

Secũda causa caloris putredo est, ex qua vehementer calefieri omnia corpora docet exẽplo seminũ & stercorũ, quę putrefiunt. Conspexit Gal. aliquando *excrementa iumentorũ, simul & colũbarũ à sole in agro adeo vehementer calefacta, ut instar fumi multam evaporationẽ mitterẽt in sublime, non parũ mordacem ac dolorificã, & si quis proximè ac cessisset, manes oculosq. ladentẽ. Ipsa etiam excrementa tãgentib. adeo calida sentiebãtur, ut qui longiori tẽpore manus & pedes admouisset, exureretur.* Vnde *in ea Mysiæ, quæ est Asiæ pars domũ hac aliquando ratione conflagrasse*, scribit, nẽpe *stercore colũbino putri ac vaporẽ emittente in ligna, quæ large nuper illita resina fuerãt.* Semina etiã ex putredine calefieri patet, atq. ex eo morbos calidos generare, cũ dicat alicubi Gal. *se quosdam noviſſe arreptos cõmuni morbo ex cõmuni causa (nimirũ aere, quo respiramus) quod triticũ semiputridum comesſe famis necessitate compulsi fuerint.*

Tertia causa est vicinitas rei calidæ, qua proxima corpora calefieri probat in balneis, quarũ aer & aqua calida luculenter calfaciunt corpora propter vicinitatẽ: & in longa mora sub æstivo sole, quã, qui experiũtur, nimios illius ardores defendere nequeunt: tandemq. in flamma, quam proxima corpora vehementer calfacẽre manifestius est, quam, ut probare oporteat.

Quarta causa est constipatio, qua calorẽ augeri trib. exẽplis monstrat. Primũ si tempore hyberno in amplo cubiculo fiat ignis, diligẽterq. occludantur omnia spiramẽta nec ubi frigidus aer per meare possit, maximũ statim in cubiculo excitari calorẽ videmus, quoniã constipatio prohibet dissipationem calfacti aeris, qui reflexus, & in se coactus calidior redditur & fortior. Id planè confirmant hypocausta, latinis vaporaria dicta, quòd in regionib. frigidis vaporãdis cubiculis adhibeãtur, loci nẽpe concamerati & fornicati habentes antẽ præfurniũ, quo igne impoſito calefiunt. Præterea idem probat exemplo balnearum. Demum exemplo fornacum, in quibus calor propter obstructionem, & stipationem cumulatiùs augetur.

Quinta & ultima causa est alimentum, & materia calida, quam caloris causam esse confirmat exemplo calamorum, & lignorum. Quanquam in materia calida magnum discrimen positum esse putat Galenus, quia *calamus, aridus, quod sit parùm ceps plurimi aeris, prompte accenditur:*

2. de sanit. tu. cap. 2.

Ibidem.

Cap. 9.

In Theæteto 2 de cæloc. 7. & 1. meteo cap. 3.

Lib de Palpitatione cap. 6.

Cap. 3.

Putredo.

2. de tempe ramẽt. c. 2

1. de diff. feb. cap. 5.

2. de nat. humana com. 3.

Vicinitas rei calidæ.

Constipatio.

Cicero.

Plin. Iunior Epist. 2.

Materia calida.

1. Simpli. cap. 13.

ligna verò viridia, præsertim si plura fuerint injecta, aliquandiu quidem flammam & gravant, & suffocãt, tamen tandem calfacta flammam in se suscipiunt, eamq. augent (sine dubio contemplabatur animo Gal. varios humores tum paucos, tum multos, quorum alij citiùs, alij tardiùs calorem concipiunt, & augent) Ex ijs ergo quinque causis externa corpora seipsis plus satis incalescere demonstravit.

TEX. III.

QVOMODO igitur in animalium corpore ex ijs unũquodq. perficitur? Cum quispiam immoderata exercitatione usus fuerit, lassitudinem sustinet corpus, hoc est, caliditatem immodicam in musculis, atq. articulis habet: hi enim sunt, qui primò motũ excipiunt. Quod si non ultra progrediatur calor, atq. eũ solvi contigerit, antequam totũ animalis corpus invaserit, nihil ultra lassitudinem consequetur. At si in totum extensum fuerit corpus, tũc hujuscemodi affectus febris nuncupatur, quæ est quædam totius corporis immoderata caliditas. Ita & ira, quæ fervor quidam est existentis in corde caloris, ob immoderatum motum, per totum non nunquam diffusa corpus, ita febrim accendit. Iam ea, quæ putrescunt in animantis corpore, calorem quendam immodicum in his partib. in quibus putrent, efficiunt, sicuti erysipelata, & herpetes, & carbunculi, & inflãmationes, & phygethla. Hæc autẽ, E ubi totum concalefecerint corpus, excitant febrẽ. Et quidem tertia causa immoderati caloris ex his fit manifesta, quòvam modo animalib. adveniat, & ex ijs, quæ exustiones appellantur. Nam in bubonib. & inflammationib. & erysipelatis, atque omnibus adeo calidis morbis, semper contingens pars, atque continua, ipsa quidem primùm caliditatem assumit, deinceps verò & partem vicinam F afficit, & hæc deinceps sibi proximã: atq. ita, usq. ad principiũ insiti caloris ubi pervenerit intẽperies, totum celeriter corpus principij sentit affectũ. Diuturnæ quoq. moræ in locis Soli expositis, nudis quidem, totam aliquando cutem supremam calfaciunt: at ijs, qui vestibus operti sunt, solum caput: atque hæc exustio appellatur. G Quod si jam totum animalis corpus occupet, tunc ita febris accenditur. Quartum verò causæ genus, quod insitum calorem immoderatè succendit, in adstrictionibus & frigefactionibus fieri videtur. Nam, siquis vehementer riguerit, aut in aqua nataverit, quæ aut alumen, aut talem aliquam naturam acceperit, huic stipari cutem, atque densari contingit, ut, quæ H difflari consueverant, intus cohibeãtur. Quod si fumosa fuerint, quæ intus collecta sunt, febris inde generatur. Quinta vero species auctæ supra modũ caliditatis. Sunt esculẽtorum acres ac calidæ qualitates, veluti alliorum, porrorum, cæpa-

rum,

rum, atque hujusce modi omnium: nam & horum usus immoderatus febrem aliquando suscitat. Et quidem calidæ potationes immodicæ, veluti vini veteris & acris, imbecillo corpori liberalius ingesti, & medicamina acria, sive alexiteria, id est, amuleta fuerint, sive venena, causam, ut homines febricitarent, attulerunt.

COMMENTARIVS.

Demõstravit hactenus vim quinq. causarũ generationis caloris in corporib. externis. Nunc accedit propiùs ad institutum, & quomodo ab eisdem quinq causis calor in nostris corporib. augeatur, ostendit a motu exortus. Motus in homine duplex est, animi & corporis, uterq. verò pariter corpus immutat. Motus animi sunt ira, lætitia, timor, & cupiditas, quæ animi pathemata, hoc est, passiones appellantur. Motus corporis duplex est, naturalis, ut motus ventriculi, & voluntarius, qui per nervos & musculos fit. Naturalis nec defatigatur, nec intemperiem aliquam inducit: voluntarius verò, membrorum lassitudinem adfert, hoc est, calorem præter naturam promovet, quem ex ipsomet corpore suscitat *in musculis, atque articulis: hi enim sunt, qui primò motum excipiunt.* Nam in hoc motu, & defatigatione ossium articuli, & conjunctiones atteruntur confricanturq. unde maximus calor: ideo enim ipsis quandam pituitam crassam, & viscosam circunfudit natura, docente Galeno, ut minus læderentur. Musculi etiam, *in quibus utique, vel maximè lassitudo continetur*, cum his primò debeatur motus voluntarius, *largius inter exercitandum exhausti aridiores & graciliores reddantur.* Quoniam in lassitudine simpliciter & propriè dicta, ut in aphorismis docet Gal. *articuli una cum musculis laborant, atque ultra modum concalescunt.* Hinc facilè accenduntur spiritus, *quoniam promptus*, ait Galenus, *ad alterandum spiritus, utpote ex tenuissimis constans partib.* Galeno teste, *aereis nimirum, & igneis*, ut alibi dixit. Quæ omnia febres & calidi morbi, ut idem etiam scribit, plerunq. excipiunt. Si quidem currentes, luctantes, confricantesque ac alio quodam modo se moventes nihilominùs incalescunt, quam si quis in sole æstivo, & apud ignem incaluerit. Quod si calor ille exercitatione excitatus in musculis & articulis manserit, nec ultrà progressus fuerit, sed solutus, priusquã in totum corpus fundatur & spergatur, id, quod genitum fuerit κάμα, *lassitudo*, tantum dicetur, quæ quidem duplex est, una simpliciter dicta, quæ fit à nimia exercitatione, de qua hic loquitur Galenus, altera dicitur spõtanea, quia sponte incidit in corpora, quæ & mali succi sunt, & excremẽtis abundant. De his libro secundo de causis symptomatum abunde dicemus. Si verò idem calor in totum extendatur corpus, affectus febris nominabitur, quæ totius animantis immodicꝰ quidam calor est, vel potius præter naturam calida intemperies in calore reposita, ut subtiliùs agamus.

Similiter ira, cujus nomine intelligit omnes animi motus, febrem accendere potest. Ira definitur à Platone *fervor quispiam caloris in corde.* Ab Aristotele dicitur *ebullitio sanguinis circa cor.* A Galeno hic & secundo sanitatis tuendæ *fervor quidam caloris in corde existentis.* Primo autem libro de febrium differentia *vehemens motus & fervor potentiæ irascibilis in ipso cordis corpore sita*, quo aliquando spiritus substantia calefit, aliquando etiam sanguis. Vbi igitur causa, quæ iram concitaverit magna, & vehemens fuerit, & junxerit motum spirituum in corde cum fervore, qui per totum corpus dispergatur, ira febrim produxisse dicetur.

Secunda causa putredo est quæ, cum sit corruptio caloris præter naturam aucti, corpora nostra vehementius incendere certum, & palã prõptum est. Quod evidenter admodum ostendunt inflammationes & tumores præter naturam in contextu à Galeno recitati. Nam, cum in partib. his tumorib. afflictis putrescant humo-

Motus.

3. de usup. cap. 8. & 3 de arti. cõ. 30.

3. de san. tu. cap. 8.

4. Apho. com. 31.

De inæquali intemperie cap. 4. 5. de placi. cap. 3. 3. de san. tu. c. 8. & lib. de palp. cap. 6.

Copos

In Timæo. 1. de anima cap. 1. Cap. 9. Cap. 2.

Putredo

humores, & corpus calfaciant, & febrem excitent necesse est.

Vnde etiam constat quonam pacto tertia causa, vicinitas nimirum, possit excitare calorem immodicũ in animantium corporib. Quandoquidem ab ea parte in qua inflammatio consistit, calefiunt partes vicinæ, à quib. in proximas alteratio derivatur, deinde in alias, donec ad cor perveniat, quod principium caloris est, à quo in totum corpus diffunditur. Ecce tumorum exemplo confirmavit putredinem & vicinitatem rei calidæ calorem exagerare, cum vigeat in illis utraque causa. Idem probat in vicinia exadustione solis. *sive ipsa operatio solis talem sortiatur appellationem*, ut dixit primo de differentia febrium, sive qui ab eodem *fit in corpore affectus, sive ille, qui jam affectus est, est quidem sanè, & hoc ipsum calor præter naturam*, quam videlicet, tam corporis totius nudi, quam capitis cutis insolata, exustaq. æstuat. Nam, si vestito corpore reliquo, solum caput ex diutina in sole mora æstuans utatur, reliquum deinceps corpus propter vicinitatem concalescit: at in nudo cutis à sole tacta uritur, mox interiora, primum quæ proximè accedunt, necessariò inflammantur: febris verò non adest, donec totum corpus fuerit occupatum.

Quarta causa constipatio est, quã, ut possimus ratione & intelligentia tenere, observandum est, poros, id est, meatus esse in nostro corpore, per quos aliquid influit, vel effluit, sive sit spiritus, sive aer, sive humor, sive excrementum. Sũt autem in universum duo pororum genera: alij sensibiles: alij insensibiles: illi magni & parentes sunt, quales in ventre, jecinore, liene, intestinis, venis, arterijs, & reliquis hujusmodi vasis, per quos humores, & spiritus currunt: hi verò parvi sunt, & visum fugientes, *quorum non modo reliquum corpus universum*, caro, ossa, cartilagines, nervi, ligamenta, membranæ, *sed etiam tota cutis plena est*. Ijs foraminib. totius corporis diffiatio fit. Nam, quæ græcis dicitur διαπνοὴ, latinis est diffiatio, perspiratio, transpiratio, quæ per dictos cutis meatus corporis totius veluti quædam respiratio est.

Vicinitas.

Cap. 3.

Constipatio.

1. san. tu. cap. 13.

2. de temperamentis cap. 6.

Diapnoe.

Nam, ut respiratio duplici motu cõstat, uno, quo aer frigidus attrahitur, altero, quo fuliginosa excrementa vacuantur, *sic duplici modo diffiantur animalium corpora*, uno quidem attracta substantia aerea nativum calorem refrigerante, & ventilante, altero quidem effusis ad exteriora vaporibus, & fuliginosis superfluitatibus. 1. de diffe. feb. cap. 3.

Porrò στένωσις græcis, constipatio latinis, generaliter est omnis tam vasorum, quam pororum intercluſio. Pororum constipatio græcis πύκνωσις est, latinis densitas, vel condensatio vocatur: at, quæ in vasorum osculis fit, ἔμφραξις, hoc est, obstructio vocatur à Galeno. Vnde Paulus constipationem duplicem esse scribit, vel obstructionem, vel pororum densitatem: quælibet autem intercluſio, potest esse morbi calidi causa. Stenosis. Pycnosis. Emphraxis 4. meth. cap. 1. Lib. 2. c. 21

Quamobrem Gal. constipationis nomine usus est, qua omnem intercluſionem significavit: potissimùm tamen intellexit externorum meatuum constipationem, quæ fit à causa externa, qualis est aqua calidissima, aer ambiens frigidus, aut alia stringens causa, ut aqua aluminosa, cujus meminit Galenus octavo methodi. Vtraque igitur constrictio, & refrigeratio densans cutem prohibet excrementorum effluvium, atq. aeris frigidi attractionem: excrementa verò, quæ antea liberè diffabãtur, intus detenta calefiunt, hinc inflammantur spiritus, unde febris, præsertim si excrementa fuerint acria, & mordacia: nam si optima & vaporosa extiterint, *in plethoricam dispositionem incidit corpus*, veluti rectè dixit primo de differentia febrium Galenus. Cap. 2. Cap. 3.

Quinta, & ultima causa immodicũ inducens caloré in corporib. est calida substãtia, quę subtile cõtinet alimẽta nimis calida, ut sũt allia, porri, cepæ, itẽ & calidas potiones, ut vinum vetus, & acre, atq. medicamenta calida, & acria, sive fuerint alexiteria, hoc est medicamenta, quæ foris imponuntur, non veneni modo, sed etiam depellendæ fascinationis causa, ut quæ collo appẽduntur, periamata, id est, amuleta vocantur, cujus generis plurima Galenus libro secundo Subst. calida.

secundò secũdum locos recenſet ex Archigene, ſive fuerint deleteria, hoc eſt, venena intrò aſſumpta, quæ totius naturæ ſuæ contrarietate corp' animalis corrumpunt; quorum omnium immoderatior uſus poteſt febrim excitare.

TEX. IIII.

SED cur, inquiunt, non ſemper ob quamlibet harum cauſarum febris accenditur? Quoniã cauſæ efficientis quantitas par non exiſtit: & quæ conſtituta eſt ab eadem cauſa in corpore diſpoſitio, magnã, in eo, quod plus, & minus varietatem admittit: ac præterea animantium corpora plurimum alterum ab altero differunt, in hoc ut aut facilè aut ægrè à naturali recedant habitu. Quemadmodum igitur minimé ambigis, cur non omnis motus laſſitudinem facit, ſed pro confeſſo habes, quod, ubi non exceſſerit ac potẽtia ſuperavexit articulorum muſculorumq. naturam nunquam eos fatigari continget: ſic tibi erat cogitandum, quod nec talis affectus, qui laſſitudo nuncupatur, niſi dignam eſſatu, tum magnitudinem, tum moram aſſumpſerit, nunquam univerſum corpus afficiet. An motus quidem parvus laſſitudinem nequit efficere: parva autem laſſitudo, omnino febrem accendet? aut motus quidem effectus, in relatione conſiſtet, laſſitudinis autem minimè? ac quidem omnib. etiam vulgarib. ac rudib. in propatulo eſt, athletarum corpora diuturniores ac vehementiores motiones citra laſſitudinem perferre: & nos privatos, ſi paulò ſuprà conſuetudinem exerceamur, ſtatim moleſtia affici. Nil igitur mirũ, ſi quiſpiam quãvis laſſitudinẽ ſenſerit, non tamen febricitavit, vel enim parva eſt laſſitudo, vel exigui temporis, aut viribus corporis inferior. An, ſi fuit exercitatio haudquaquam diuturna, nec vehemens, atque etiam minus, quam pro natura ejus, qui exercitatus eſt fortis, nunquam quidem laſſitudinem afferet. Sed & hoc ipſum in ea re, quæ ad agendum potentiſſimam naturam habet, nimirum in igne, poſſumus innueri. Nã frigefactos, non abſque tempore ac virib. calefit ſiquidem, cum aliquãdo è locis gelidis diſceſſerimus, manus per maximam flammam ignis ſine aliqua noxa transferimus. Neque omnis materia æquè facilè ab eodem accenditur, ſed arentes quidem calami primo attactu inflammantur, ligna autem humida ac viridia ut accendantur longo tẽpore vehementique flamma indigent. Quo pacto igitur nihil horum in igne admirans, in laſſitudine admiraris, quod magnitudine egeat, ac tempore, ac corpore incendio oportuno? Satius itaque fuerit, ſi nulla te hujus rei capiat admiratio, ſed potius animadvertas quale nam animalis corpus facilè ſui natura calorem admittit, & quale non facilè. Sed de hoc quidem poſtea es auditurus. Nunc verò nihil tibi ſit mirum, ſi unumquodque quod aliquid ſit effecturum, & tempus & magnitudinem

nitudinẽ exigat, ac præterea ut proximum sit quod prompte patiendi habet naturam: quoniam etsi hæc desint, nec ignis comburere, nec gladius abscidere valet. Nec aliquid aliud, in efficiendo potentissimum, in aliud agere potest, quod ipso validius extiterit, aut ubi non intervenerit tempus effatu dignum. Super lucernæ quidem flammam, nunquã totum effunderes oleum, nedum aquam: & gladio incidere lapides nequaquam tentaveris, nedum adamantem. Vis autem ut lassitudo, & calefactio, & frigefactio, & reliqua hujusmodi, febrem semper accendant, quamvis parva sint, et exiguum tempus perdurent, sive etiam totum corpus minimè idoneũ ad susc ipiendum calorem extiterit? Quod enim jam calidum est, paratius est ad hoc ut excessum caloris admittat, sicuti & frigidum ut plus satis frigescat: quod verò e diverso se habet, ad hoc minimè est aptum: usq. adeo cæca & rudis est eorum, qui talia perquirunt dubitatio. Qui vero nihil dubitant, sed prompte ac temerè enunciant, quod nihil eorum, quæ nuper diximus, excitat febrem, horum stupiditas quidem miserationem, contentio verò odium meretur. Soluta quidem sunt & horum sophismata in altero volumine, quod seorsum de causis procatarcticis dumtaxat docere instituimus.

COMMENTARIVS.

Postquam ab enatratis proximè causis calfieri nostrum corpus asseveravit, diggreditur parumper ab instituto, & asperè in veteres medicos invehitur, meritò quidem, & jure cõmotus.

Erasistratus & imitatores illius morborum causas admittebãt: à causis tamen externis, ut ab æstu, vel á frigore morbos fieri negabant. Illorum addubitatio erat hæc, ut in libro de causis procatarcticis protulit Gal. *Cap. 2.*

Si causæ externæ haberentur in numero causarum morbi, semper ab illarum qualibet morb. fieret, atq. á frigore v.g. semper accéderetur febris, *& qui magis refrigerantur, magis febre tenerentur: sed hoc non ita est, multi siquidẽ, qui ad extremum usq. periculum prægelu devenere, mox ab eo servati absq. ulla febri permansere.*

Themison autem Dogmaticus, & ejus æmuli *contendebant nullius externæ causæ notitiã pertinere ad curationẽ, unde causas externas cõtemnebãt, ac si non essent.* *Cels. lib. 1. in proœmio*

Erat autem Methodicorum ratio hæc. Quæ verę causæ sunt, *ex se habent agendi vim*: sed hæc ipsa, quæ nos dudum causas appellavimus, nõ ex propria natura, *sed ab invalidis corporib. habent, ut effectrices dicantur*, ergo veræ causæ non sunt. Assumptionem probabant, *quoniam videmus quidem mille simùl in theatro sedentes, è quorum numero quatuor tantum æstuant, & in eis, unus à febre arripitur, nec plures.* *Ratio dogmaticorum lib. de cau. proc. c. 2.*

Horum ergo veterum occasione duo problemata explicat Gal. quæ ad perfectam causarum cognitionẽ videbantur pertinere. Primùm, cur intemperies calida, ut febris, non sẽper accendatur ob aliquam dictarũ causarum, cum sint verę causæ morbi calidi. Alterum est, an causæ externæ possint alterare animalium corpora, & morbum calidum febrimq. generare. *Duo problemata Galeni.*

Vt primùm dissolvat problema constituit pro fundamento, quatuor esse necessaria, ut possit aliqua causa suum effectum producere, hæc sunt, vehementia, Proximitas (quam solùm in corporeis causis intellexit) tẽpus, & habilitas corporis patiẽtis. *1. problema.*

In

Inprimis vehementia, robur, & magnitudo necessaria est. Nã motus exiguus, vel levis exercitatio nõ possunt lassitudinem inducere, neque musculos, vel articulos fatigare. Quod in igne re omnium efficacissima videre licet, qui quidem nequit refrigeratos calefacere, nisi robur obtinuerit. Vnde ad ligna viridia cõburenda indiget fortiore flamma.

Vehemẽtia

Debet etiam agens patienti esse proximum. Nam, ut habet Aristoteles, *ea, quib. mutui tactus facultas deest, neque agere, neque pati propriè quaunt*: tactum autem duplicem facit, mathematicum, eorum scilicet, quæ ultima simùl habent, & physicum, eorum, quę mutuo agunt, & patiuntur. Quare certa distãtia inter illa necessaria est. Nam summa hyems, & tempestas frigida minus offendit incluſos in cubiculum ex omni aditu clausum, quã eos, quos aer maximè frigidus circũfundit.

Proximitas.

1 de ortu Cap. 6.

Nec minus tempus est necessariũ, quoniam exercitatio, quæ ad brevẽ, exiguumque tempus durat, non potest luculentor calefacere. Ignis etiã tempore indiget: siquidem redeuntes ex gelido aere manus per maximam flammam audaciùs transferimus, neque materiam quamlibet promptè accendit: in humida enim ligna, & viridia lentè invadit. Vnde lucernę flammę paulatim affundimus oleum, nedum aquam.

Tempus.

Postremò patientis corporis habilitatem & dispositionem plurimùm conferre omnes intelligunt, etiam si rudissimi sint, præsertim illi, qui labore assiduo, & quotidiano sunt assueti. Quando quidem athletæ vehementissimos simùl & diuturnos motus citra fatigationem sustinent: nos verò privati, si paulò supra consuetudinem laboraverimus, statim ægrè ferimus. Quando igitur exercitatio corporis robore fuerit inferior, nihil incommodat. Similiter aridi calami facilè accenduntur, at humida viridiaq. ligna difficilius. Multa præterea corpora secamus gladio nullo negocio, lapides verò, ut adamantẽ, ne quidem aggredi possumus.

Habilitas patientis.

Quib. jactis suppositio exemplo de lassitudine, ut primum explicet problema, sic argumentatur adversus

Cõtra Erasistratum.

A Erasistratum in causis externis hæsitãtem. Quemadmodum motus lassitudinem inducit, eodemmodo lassitudo febrim, verum non omnis motus lassitudinem facit, sed cum fatigaverit articulos & musculos, quod sine ulla dubitatione approbat Erasistratus, ergo lassitudo febris causa erit, cum fuerit magna & diuturna paratumq. ad febrim corpus defessum. Similiter ex ijs, quæ de igne dicta sũt, idem colligit: nihil enim in igne mirabatur Erasistratus, quod aliquãdo indigeat fortiore flamma, longiori tempore, certa distantia, & dispositione patientis, de lassitudine verò demirabatur, quod indigeret magni

B tudine, tempore, ac patienti corpore ad febrim dispositio, cum tamen ignis, & lassitudinis aliarumq. causarum par et similis ratio sit.

Iam verò dissolutio sophismatis illius *non videtur expescere multam peritiam dialecticæ* Nam illius propositio falsa est, quando quidem febris causæ dici possunt motus, putredo, vicinitas rei calidæ, constipatio, & calida substantia, quamvis non semper generent febrim, quia si constipatio ex refrigeratione (ut hoc ponamus exẽplum) possit febrim efficere *absque*

C *patiente apto*, & febrim ferè semper efficeret, *& qui magis refrigerantur, magis quoque febricitarent. At res hæc non ita se habet. Nam frigus non omni corpori febrẽ afferre potest, sed illi tantum, quod paratũ est ad hoc, quo tempore non amplius est necesse, ut qui restrixerint magis, magis quoq. febricitent: immò facilè reperias aliquos, qui ne semina quidem febris concipiunt.*

Solvitur ratio Erasisti de cau. pro. cap. 2.

Ibidem.

Qua sophistarum captione discussa Galenus ad alterũ accessurus problema, quod erat, num à causis externis alterentur animalium corpora,

D in eo noluit detineri, quãdo quidem proprio libro de causis procatarcticis vocatis à græcis, latinis verò externis scitè fuit exagitatum, atque animalium corpora ab eisdem plurimùm alterari dilucidè monstratum, adversus illos, qui nihil dubitarunt, sed promptè ac protervè pronunciarunt, has causas non posse excitare febrem, quorum hercle tarditas, ut ait Galenus, commiserationem, contentio, odium meretur. Nam si è mille, qui in theatro aderant, quatuor

Alterũ problema.

tuor tantum fuerint à febre arrepti, vel unus solummodò, nihil hoc absurdi secum habet. *Nam hic solum idoneus fuit, ut in eo temporis spacio ab ea affectione læderetur, aliorum nonnullos, ob corporis bonum habitum, æstum omninò neglexisse, aliquos verò imbecilliores quidem fuisse, quam ut possent se ab æstu omninò tueri, verum fuisse opus longiori intervallo temporis, ut ea læsio in febrim desineret.* Sed hæc citato libro latiùs exarata sunt: hoc verò noluit Gal. hac in re, quæ nullius momenti putatur, nos vel impedire, vel diutiùs morari, præsertim cum instituerit, vera dumtaxat persequi, non errata.

TEX. V.

RVRSVS igitur ad propositi nostri seriem revertamur. Erat autem, ut arbitror, omnium simplicium ægritudinũ præcedentes causas, usque ad præincipientes explicare. Non enim est fortassis inutile eos, qui ita earum appellationes manifestioris doctrinæ gratia distinxerunt, imitari. Quascunque enim in ipso animali, vel dispositiones, vel motus præter naturam, ægritudinum præcedentes causas nominant: quæ verò extrinsecus adveniunt, & alterant corpus, atque trasmutant naturam vehementer, præincipientes appellant.

COMMENTARIVS.

Revertitur ad propositum, à quo aberraverat textu quarto: propositum erat explicare singulorum morborum, tum simplicium, tum compositorum omnes causas, ut in primo introitu est præfatus. Hic tamen addit, investigandas esse causas προηγουμένας, *præcedentes usque ad* προκαταρκτικὰς, *præincipientes*, undè nos hujus libri collegimus argumentum. Quib. verbis communissimam tradit divisionem causarum efficientium, de quib. hoc loco potissimùm scribit, cum animo intendat curationem morborum, quos efficientes causæ generant & tuentur.

In qua divisione Gal. sequitur Athenæum, quẽ intelligit cum scribit, *fortasse non inutile fore imitari eos, qui ita earum causarum appellationes perspicuitatis gratia distinxerunt.* Nam commentario secundo in secundum Hippocratis de natura humana. *Si quis*, inquit, *voluerit in his uti nomine proprio, causæ* προηγουμένας, *quasi præcedentes dicas, erunt appellandæ, ut fecit Athenæus: sicuti ea, à quib. hæ ipsæ præcedentes, inquam, efficiuntur,* προκαταρκτικὰς *præincipientes, vel* προκαταλλήλους, *antegressas, nominabis.* Proegumenæ. Procatarticas.

Nec miretur aliquis, quod Galen. Athenæi exprimat & imitetur causarum divisionem, quoniam primo de differentia febrium sermonem de antiquo dogmate considerans, omnem febrem ex humorum putredine fieri asseverante. *Siquidem*, ait, *ejusdem sententiæ esse periclitatur omnis ab Athenæo chorus, viri tum in cæteris, quæ ad artem pertinent, tum præsertim in febrium contemplatione, minimè cõtemnendi. De quib. ego maximæ ex parte illis consentio.* Quare etiam de differentia pulsuum, sic locutus est. *At verò familia Athenæi omnis utrumque motum in functionib. habet, & distentionis, & contractionis, inquam etiam nos sententia sumus.* Quare cum Athenæo ejusq. sectatorib. causas morborum præcedentes hîc vocari scribit, quoscunq. affectus, vel motus præter naturam, qui intra nostrum corp. morbos procreant: ea verò, quæ extrinsecus adveniunt & alterant, atq. transmutant vehementer corpus, & antegressas, & præincipientes causas appellari. Procatarcheontas. Præoccupatio. Cap. 5. Cap. 12.

Ex quo loco, ubi nostro Galeno fuit propositum de causis disputare, depromere debemus divisionẽ causæ in antecedentem, & præincipientem, hoc est, internam, & externã, ut easdem notemus juniorũ nominib. Nam si morbi sunt dispositiones præter naturam, quæ in partib. actionum præter naturam sunt causę, atque dispositiones dictę sunt intemperies partium, vitiosa conformatio, earũq. Observatio

Proegumenat. Procatarticas.

divisa

divisa continuitas, tot constat morborũ esse causas, quot sunt res, quæ vel intemperiem, vel constructionẽ depravatam, vel continuitatem divisam partium notabiliter, hoc est, eatenus offendere possunt, ut actionẽ sensibiliter impediri necessarium sit. Possunt autem hæc tantùm efficere, tum externa, tum interna, igitur meritò ac iure duo genera causarum constituta sunt. Sed vltimam huic capiti manum imponamus.

EPITOME.

ERGO animalium corpora plus æquo incalescunt, vel ex *motu*, vel ex *putredine*, vel ex *vicinia* rei calidæ, vel ex *astrictione*, vel ex *materia calida*. *Motus*, & exercitatio lassitudinem pariunt, quando calor inde ortus non occupaverit totum corpus: cum verò per totum extenditur, febrim accendit. In tumoribus præter naturam, ubi humores putrescunt, interdum communicatur calor, & febris fit, in quo etiam *vicinitatis* vis apparet, quoniam de parte in partem producitur alteratio: veluti, cum ob *astrictionem* cohibentur diffluri solita excrementa, quippequæ retrusa non rarò febrim accendunt. *Vsu* etiam calidorum alimentorum, vel medicamentorum interdum febris fit. Verum non semper ob hasce causas febricitam⁹. Nam ad hoc, ut calida intemperies accendatur, oportet, ut efficiens sit validum, non multùm remotum, certum tempus sortitum, nostrumq. corpus accomodatum, & habile. Causæ verò, quæ in corpore humano præter naturam oriuntur, internæ vocãtur: quæ verò extrinsecus, externæ.

CONTROVERSIÆ ÆTIOLOGICÆ.

EXAMINATVR *secundum caput.*

QVÆSTIO. IIII.

1. *Obiectio. Argent.*

SED antequam hæc ducamus in lõgius Galeni verborum omniũ pondera diligenter examinemus. Primũ, qui semper Galenum oppugnat, reprehendit quinarium numerum causarum morbi calidi. Quum enim quatuor rerũ genera alibi statuisset, quæ corp⁹ quocunq. modo mutandi vim habent, eodem profectò seruato numero oportebat ab eisdem etiam morborum calidorum causas petere. *Lib. 1 san. tuẽda c. 4.*

Verũ ibi non loquitur G. de causis mutationis, vel alterationis: sed de causis corruptionis, quæ quidem generaliter quatuor sunt, duæ internæ, assiduus substantiæ fluor, & excremẽta, duæ verò externæ, aer ambiens, & quæ contundunt, vel secant. Iam verò corporis mutatio, vel alteratio longè distat à corruptione. *Solutio.*

Sed calumniator alium fortasse Galeni locum intelligit, & conqueritur, quòd non reduxerit Gal. calidi morbi causas ad illa quatuor genera, quib. iuniorum sui temporis probatissimi sanitatis causas omnes cõplexi sunt: ab ijsdem enim, contrariè tamen procedentib. profluunt sanitas, & morb. Illorum vnũ eas res cõtinet, quæ assumuntur: alterum ea complectitur, quæ fiunt, geruntur ve: tertium comprehendit illa omnia, quæ vel retinentur, vel excernuntur. Postremum vniuersa ambitu suo complexum est, quæ foris corpori, vel admoventur, vel sponte accidunt. *Et assumendorum quidem nomine, cib. potus, & si quid medicamentorum intrò sumitur, etiam aer attractus intelligitur. Faciendorum verò, frictio, ambulatio, vectio, æquitatio, deniq. omnis motus, somnus, vigilia, & venus. Ex foris incidentib. primus circundatus nobis aer, denique quæcunq. lauantium, vngentium ve cuti propinquant. Educendorum verò singula corporis excrementa.* *2. Obiect.* *Lib. 1 san. tuenda c. 15.*

Enimverò in his magis elucet Galenicæ doctrinæ magnitudo. Nam illa quatuor causarum genera, ex quibus materia medica resultat, nimis generalia sunt, ficq. tanto magis confusa: Gal. autem particulares causas investigare voluit, & eas persequi nominatim, quę morbo calido proximè ferè adjunctæ sunt, nobisq. magis manifestę. *Solutio.*

Aliud præterea crimen objicit Galeno morosus homo, quod multa *3. Obiectio*

præ-

præterierit, quæ calorem inducunt, & in quinq illis generib. apte comprehendi nequeũt. Ex merore febris
Cap. 1. fit primo de differentia, & de cura-
Cap. 1. tione febrium ad Glauconem. Ex ti-
Cap 5. more calefiunt interiora secundo de
Cap. 2. causis sympto. Cura, & solicitudo calorem gignit primo ad Glauconem. Vigilia inter causas febris numeratur primis de differentia & de cura-
Cap. 2 tione febrium ad Glau. similiter, &
Cap. 2. eruditas primo de differẽtia febriũ.
Cap. 2. Tandem ex inædia generatur calor octauo medendi methodi, & in bilio-
Cap. 2. sa natura febris secundo aphorismo
Aph. 22. rum. Hæc igitur febrim inducunt frequentissimè, tamen non referuntur ad aliquam ex hisce causis quinq.

Veruntamen G. integro ac libero animo est. Meror, timor & solicitudo
Solutio. motus animi sunt, de quib. omnib. dictum putavit, quod de ira dixit, quæ similiter animi motus est, per quos motus intelligit animi pathemata, & quædam etiam, quæ spectant ad facultatem animalem.

At irâ ipsa qua ratione ingraueſ-
Obiectio de ira. cit calor? Profecto, quia ira sangui-
Solutio. nis, & spirituum feruor est. Quemad modum verò efferuescant sanguis, & spiritus interpretari liquet.

Fervor in externis est motus loca-
Sanguis & spiritus ut ferueſcant. lis, præcedente motu alterationis. Nam dum aqua fervet in aheno se ipsam non capit, sed intumescit, quoniam partes quędam illius mutãtur in vapores, qui ob lęuitatem sursum continuò feruntur, & quasi erumpunt, secum verò elevant alias aquæ partes vsq. ad certam distantiam, cũ autem non possint vlterius sublevari, celeriter decidunt, atq. sic fit illa dicta ebullitio, quę tamen non ita contingit in ira, quoniam ibi non adest calor externus, quo tanquam causa inducatur fervor, neq. ira, vt est animi passio, potest calorem illum per se producere. Veruntamẽ in ira cor dis partes motib. maximis, & incompositis agitantur, & compelluntur à facultate irascibili, cuius proprium est affectare injuriæ acceptæ vindictam: adeo verò tumultuantur, & excitantur cordis partes, ut sanguis & spiritus moveantur velocissimè locali quidem motu illi simili, qui extrinsecus in aqua efferuescenti repe-

E ritur. Eo ergo motu sanguis & spiritus rarefiunt, calorq. augetur, & amplificatur.

In timore autem, & sanguinem & spiritus ad ipsum cor retrahi: in me- *Timor.*
rore similiter intrò inculcari: in soli-
citudine verò corpus nullo consiste- *Meror.*
re loco, nec quiescere, indeq. nimiũ *Solicitudo.*
produci calorem ipsa solis luce cla- *Vigilia.*
rius est. Vigilia, si fuerit immodica, parit calorem præter naturam: refertur autem ad motum animi, ut ex Galeno colligitur libro primo de causis symptomatum. *Rursus*, inquit, *qua-* *Cap. vlt.*
lis est vigilia in sentiendi actionib. talis cõvulsio in epilepsia: ambo enim hæc depravati sunt cerebri motus. Nam, ut in vigilia ægri supra modum exercent sentiendi actiones, ita per cõvulsionem, quæ in epilepsia, totum corpus præter voluntatem convellitur, & plus iusto movetur. Cum igitur in vigilia immodica, tum cerebrum, tum reliquę omnes corporis partes depravatè moveantur, in somno verò quiescant, meritò vigilia censetur labor facultatis animalis, ut somnus eiusdem quies. Cruditas ad putredinem *Cruditas.*
refertur. Inædia verò hic non su- *Inadia.*
mitur pro alimẽti privatione, quia tunc nullius effectus positivi causa G est, sed sumitur pro dispositione relicta ex alimenti defectu. Ab illa igitur dispositione fit morb. calidus. Nam calor, & siccitas bilis remittuntur permistione sanguinis ex alimẽtis geniti: sanguis enim humidus est, ac moderatè calidus, cujus debita quantitate deficiente continuo bilis excandescit, & ardet. Quamobrẽ inædia ad calidam materiam refertur.

Rursus excrementa retenta, vel *4. Obiectio*
præter naturam emissa calidos morbos patiuntur. Nam bilis, quæ per alvũ excerni consuevit, dum retinetur, pituita verò dum excernitur, quo tempore augetur calor bilis, eosdẽ morbos concitant. H

Huic obiectioni respondenda, quæ *Solutio.*
ad præcedentem dicta sunt. Nam bilis, tum retenta, tum ex evacuatione pituitę relicta, majorem calorem acquirit, & calida materia est.

Ad hęc putredo nequit calorem *5. Obiectio*
parere, quin proximet corpori, similiter alimentum calorem dumtaxat gignit, cum ad partem propius

accedit

accedit: hæ verò duæ causæ no differunt à vicinia rei calidæ.

Solutio. Sed homo hic multarũ rerũ ignarus nõ vidit calcẽ, ad quẽ sibi decurrendum putavit Gal. Quælibet causa ex his quinque indiget proximitate ad producendũ morbũ calidum, quæ *Text. 4.* tertia fuit cõditio retrò à Gal. tradita cuilibet agenti necessaria: ex eo tamẽ nõ est colligendũ, ꝙ aliqua ex illis causis reducatur ad viciniã, vel cõtactũ rei calidæ, quoniã per vicinitatẽ intelligit causam potissimũ externã, quæ per se ac sine alterius interjectione calfacit, vel causam internam, quæ dũ operatur, externã similitudine refert. Hoc voluit nos docere G. *Text. 3.* exẽplo adustionis solis, quæ causa est externa, & vicinarũ nostri corporis partiũ, quarũ una calfacit aliam, quæ, quãtũvis interna sit, tamen operandi modo externã imitatur. Præterea nomine alimẽti calidi mẽte cõplectitur id, ꝙ intus nutriẽdo calefacit, nõ solũ prima qualitate, quia hoc nõ convenit alimẽto, ut alimentum est, sed quòd reparet substantiam calidã. Nã alimentũ, quãdo agit prima qualitate, medicamenti vices gerit, continetur q. tũc sub vicinia rei calidæ, vel ꝙ extrinsecus adveniat, vel quòd ipsius vicinitatis vim solã exprimat. Quare licet putredo, & calida materies aliqua ratione possint cõtineri sub cõtactu rei calidæ: tamẽ quia cõtactus, & vicinitas pariũt sæpissimè febrim sine putredine, vel calida materia, ideo perspicuitatis gratia noster G. seorsum de putredine ac materia meminit, potiùs attẽdens ad variã curationem, quæ colligitur ex vario modo operandi, quam ad naturam ipsarum causarum.

Sed abeamus ab hoc homine futili, & vano, & ad maiorẽ rei explicationẽ nosmetipsi quæstiunculas inuestigemus, atque exordiamur à motu, quasi rẽ de integro incuntes.

6. Objecto. His quæ de motu dicta sunt, videtur, & ratio, & experiẽtia, reclamare. Quoniã motus lationis, de quo hîc Gal. verba facit, vel dicitur causa caloris effectrix, quod sit ipsa caloris productio, vel quòd sit prævia dispositio, quã caloris generatio cõsequitur. Sanè nõ est ipsa productio caloris, quoniã neq. motus, quo inter se corporã fricãtur, fertur ad calorẽ, sed ad ubi, & ad locũ, ut patet ex ijs, quæ diximus aliàs, neq. potest dici prævia caloris dispositio, quoniã tũc quies illi cõtraria eodẽ modo frigus induceret, causarũ enim oppositarũ Aristot. cõtrarij sunt effectꝰ. Verũ quies animaliũ calorẽ fovet, ut apparet in ijs, quæ per hyemẽ in latebris degũt: è cõtrariò autẽ motus nõnunquã frigus inducit, quãdoquidẽ per æstũ aer flabello motus refrigerat, & aqua calida, si sursũ, ac deorsũ agitetur, citiꝰ calorẽ deponit, ut experimur ĩ jure.

Christophorus à Vega libro tertio artis medẽdi, & cõmentario in librũ primũ Gal. de differentia febriũ huic satisfacere voluit difficultati: præfatur tamẽ ignẽ in mistis contentũ opprimi ab alijs elemẽtis ferèq. extingui, veluti parva flãma sub multis lignis vitidib. & quemadmodũ hic parvus ignis oppressus à lignis flatu eget, ut accẽdatur, & magnã flãmam edat, ita & ille ignis, quẽ subigunt, & quasi vincunt in mistis corporib. reliqua tria elementa, indiget ventillatione, ut ad maiorẽ gradũ perveniat. Quib. positis sic solvit difficultatis nodũ. Cũ confricãtur duæ substãtiæ duræ, aer vehementius impulsus per poros subit in res ipsas, quæ moventur, atq. in illis partes igneas ventillat, unde ignis incrementum sumit, ac non nihil de elementis alijs ad suam naturam convertit, & maximè aeris jam attenuati.

A Vegæ opinio. *Cap. 2.* *Cap. 4.*

Hæc opinio reprehẽditur his, quæ sequuntur. Primò, quoniã verisimile non est, aerem impulsum penetrare per densissima corpora, cũ liceat illi per latera effugere. Præterea fieret, ut res nõ incalescerent motu, nisi vehementer confricaretur: at observatum est ab Aristotele, magno impetu missa in sublime sagitta, cõtingere plũbum in ea præ calore liquari, quam tamen constat solum moveri cõfricatã cũ re alia dura. Postremò, si ex fricatione & suscitabulo ignis oppressi, corpora ignescerent, profectò, quæ plus ignis intus habẽt ex prædominio ardore flammæ conflagrarent magis, quam, quæ minus ignis habent: videmus tamen ex ferro frigido, & silice motis, ignem promptissimè gigni, magis quam

Refutatur. *Primo.* *Secundò.* *2. de cæl. cap. 7.* *Tertiò.*

exfricatu aliorũ corporum calidorũ.

Franciscus Vallesius quarto libro controversiarum aliã solutionẽ adduxit, quã ex M. Anto. Zimaræ theomatis fortasse transcripsit. Quum, inquit, res aliquæ duræ confricantur, causa generandi calorem est intercepti aeris calefactio: aer enim compressione, & distractione Aristoteli rarescit plusquam pro sua natura, tunc q. ad ignis naturam disponitur, eòq. in calescit.

Vallesij opinio. Cap. 3. Theo. 45.

Confirmatur.

Confirmatur hæc opinio. Nam, cum aliquæ perfectiones sibi mutuò connexæ debentur alicui corpori, naturæ lege imperante, unius productionẽ sequitur alterius generatio. Vnde cũ calor, & summa raritas sint duæ perfectiones igni debitæ, quotiescũq. corpus aliquod summopere rarefit, etiã calefieri est necesse. Quãdo igitur corpora duo vicissim cõfricantur, alterũ alteri obsistit, & resistit, eaq. repugnantia, & attritu aer interceptus cedit coactus. partibusq. suis distrahitur, & rarefit, raritatem verò protinus sequitur calor, qui est raritatis socius & comes.

Objectio.

Objicies tamen ignem potius extingui rarefactione, quam gigni, calor ergo non producitur rarefactione. Antecedens patet, quoniã flãma rarefacta, & dissipata extinguitur.

Solutio.

Respondet flãmam non esse ignẽ, sed fumum ardentẽ, rem scilicet ignitam, quæ dissipatis ac distractis partib. deponit ignitionem, & evolat.

Objectio.

Si præterea dixeris ex qualitate, quæ non est agens, cujusmodi raritas est, non potest quid quam perse generari. Respondet calorem fieri à raritate per accidens, per se verò ab agẽte universali, quod particularis agẽtis vicem gerit.

Solutio.

Refutatur.

Hæc Vallesij sententia similitudinem veri consecuta est: mihi tamen vehementer displicet, quia commentitium est generationem aliquam fieri ab agente universali propter solam dispositionem materiæ absque agentis particularis interjectione.

Ratio.

Nam causa universalis, cum indifferens sit ad plures affectus, non potest esse causa effectus particularis, nisi determinetur, & modificetur à causa particulari, quæ pariter respiciat effectũ particularem, cũ universalis causa sit effectus universalis, & effectus peculiaris sit à causa particulari docere Aristotele. Quãobrem si calor profluit ab ipsa raritate tãquã à causa, vel producitur ab ea, ut à causa synonima, vel ut à causa homonyma, vel posita raritate actutũ subsequitur tanquam illius comes & assecla. Atverò raritas non est causa caloris synonyma, ut patet, quoniam causa synonyma specie cõvenit cum effectu. Neq. est causa caloris homonyma. Nã impossibile est, quod duo sibi mutuò sint causæ homonymæ principales, quoniã hujusmodi causę semper sũt effectu nobiliores: sed calor (ut ex philosophis accepimus) est præcipua causa efficiẽs homonyma raritatis, ergo raritas nõ potest calorẽ gignere in eodẽ genere causæ. Neq. tandẽ calor ex raritate fit, quod illã necessariò subsequatur. Quãdoquidẽ cũ duæ qualitates disponũt alicujus formæ introductionẽ & perfectionẽ, una posita, nõ est, cur ponatur alia, licet enim calor, & siccitas sint duę perfectiones & dispositiones ad formã ignis, tamen posito calore, non ponitur siccitas: quãtũvis ergò raritas disponat productionẽ ignis, nõ sequitur ex eo, quod aucta motu locali raritate insequatur calor. Ex quib. liquidò constat Vallesij opinionis cõfirmationem nullius esse momenti.

2. phis. c. 3. Tex. 38.

Auctoris opinio.

Nos igitur dicamus medio motu ad locũ produci calorẽ præcedente raritate, *quoniã* ut scribit Arist. *motus rei solidæ aerẽ secernit*: distractione verò rarescit plusquam pro sua natura, unde ad ignis naturã disponitur, eòque calescit. Verũ raritas ipsa non est causa caloris effectrix, sed hac ratione se res habet. Motu rarescit aer, rarefactus fit capax intẽtioris caloris, qui quidẽ producitur, ut ab agente particulari ab aeris forma, in qua virtute cõtinebatur, intẽtior ipse calor, quoniã aer ex sua natura calidus est, quã intentionẽ antea prohibebat naturalis aeris densitas: ut enim aliquorum corporum actionem auget, vel minuit densitas, aliquorum verò resistẽtiam, ita in ipso aere prohibet totam caloris intentionem. Sed impedimento sublato, nempe densitate, raritateq. aucta, educitur, & augetur calor ab aeris forma, atq. adeo potest

crescẽ-

crescere in aere raritas, suggerente forma illius ac suppeditante calorem, ut ab eo aucto & amplificato dissipetur aeris humiditas, & protinus emergat ignis.

Porrò solidiora corpora, ut ferrum, magis, quam ligna, & in lapidibus, qui duriores sunt, & in genere metallorum calibs magis atterunt aerem, extenuant, distrahunt, rarefaciunt. Quod si nonunquam motu frigiditas inducitur, ex accidēte fit. Nā aer, qui nos ambit nostro contactu cōcalefactus flabellis discutitur, cui, qui succedit alius, frigidior est.

Quod verò liquida refrigerentur citius mota, quam quieta, causa est, quod citiùs exhalet in motis liquotib. empyreuma, id est, ignitio, quæ in cōbustis omnib. relinquitur, ut libro nono de simpliciū medicamētorū facultatib. in proœmio ex Arist. tradit Gal. Est autem empyreuma vis ignea, quā in reb. omnib. ustis experimur, quamq. probabile est inesse ex admistione aliquarum exhalationū ignearū, quæ faciliùs dissipantur in ambiēs, exhalātq. liquidis motione distractis, quā reservatis, & quietis.

Empyreuma quid.

Similiter quies, licet non sit verū ens (positivum dicunt) per accidens tamen est causa frigoris, quatenus est privatio motus, qui calorē suscitat: fovetur autem per quietem animalibus calor, quia sic declinatur alius, atque alius occursus, & attractus frigidorum corporum: item quia sic vitatur spirituum dispendiū, in quib. insidet calor.

Ecce qua ratione motus inducit calorem, non sanè, ut causa efficiens, sed ut causa, sine qua non, & ut conditio quædam: forma verò aeris est causa caloris efficiens particularis, utpote in qua virtute quadam eminet ipsius caloris incrementū, quod quidē hoc loco supposuit noster Gal. tanquā artis principium à philosophis confirmatum.

Sed antequam hæc prætermittamus, quæ de corporib. solidis potissimùm dicta sunt, respondendum est problemati, quantum attinet ad res liquidas, num scilicet motu eadem etiam calefieri contingat. Respōdet Vallesius res liquidas non incalescere motione, eo quod, neq. tam violenter feriant, ut ad tantam raritatē aerem transferant, neq. etsi ferirent, ille ad igneam naturam verteretur, quoniam adest rerum ferientium humiditas, quæ corrigit. Attamen Vallesius celebris oraculi divini dictatoris oblitus est. Monstraturus Hippocrates primo de natura humana pituitam esse frigidissimam, cōfugit ad tactum æquissimum judicem. Tactus judicavit pituitam esse omnium frigidissimam, sive in aliqua parte collecta maneat, sive extra corpus vacuetur, tantùm, ut quando à purgante medicamento attrahitur, quo tempore per vim tracta, & coacta, violēto, inquā, eo attractionis motu, calfieri debuisset: tamē adhuc manet frigidissima, talisq. semper à tactu percipitur. Ecce Hippocrates arbitratus est motū esse causam caloris in reb. liquidis, & fluidis, quæ quidē sententia cum ratione conjuncta est: cōstat enim ipsa maria suopte impetu crebro ventorum flatu agitata intepescere: aquas præterea fluminum motu constantissimo conservari calidas, hoc est, minùs frigidas, docet hoc rerum eventus, quando quidē quiescentes aquæ brumali tempore, hoc est, hyemis brevissimis dieb. facilé conglaciant, & frigorib. concrescunt, geluq. durescunt. Huic opinioni videtur subscripsisse Gal. octauo de Placitis, ubi hanc transcripsit Hippocratis sententiam.

Tex. 31.

Cap. 6.

Quæret tamen aliquis modum & rationem, qua ex motu locali producatur calor in nostris corporibus, quod ad nostrum institutum magis videtur pertinere.

8. Objectio

Respondeo eadem ratione augeri calorem in humanis corporibus ex locali motu, qua producitur in alijs corporibus, quæ ad se ipsa allidūtur: corpora enim humana, cum se nimis exercent, illorum nervi, tendones, musculi, & ossa substricta confricantur, frequentiq. frictione, tum aer in partium meatib. inclusus extenuatur, rarescit, & incalescit plus satis, tum sanguis, & spiritus naturā calidissimi vehementer excitati & incitati magno incursu erumpunt, efferveſcūt, & exardescūt, ex quo partiū & totius corporis nimius calor.

Solutio.

7. Objectio

Objiciamus præterea unūquodq.

9. *Obiect.* fieri à suo in specie simili, quæ communis omnium philosophorum opinio est, motus autem, & constipatio, non modo specie, sed etiam genere differūt ab intēperie calida, ergo nō possunt caloris causæ munere fungi.

Solutio. Solutio tamen est, omnia fieri à suo simili, cū per se fiūt: at, cū generātur per accidens ab ijs, quæ lōgè dissimilia sunt, fieri possunt: & quoniā causa, quæ per accidens operatur, semper supponit causam per se, profecto constipatio calorem à se ipso amplificatū supponit, qui causā existit per se: medicus tamen curationē respiciēs, auctū caloré appellat morbum, quod verò auxerit calorem, vel per se, vel per accidens, morbi causam.

10. *Obiect.* Deinde secunda causa supervacanea iudicanda est, atq; ad putredinē referenda. Nā constipatio, vel obstructio calorem auget febrimq; inducit putredine media, unde putredo sub genere cōstipationis subiciēda est.

Solutio. Verum, licet in putredine semper existat constipatio: tamen sæpissimè parit febrim absque putredine, ideo perspicuitatis gratia noster Galenus seorsum de putredine mentionem fecit: satis est enim ad hujusmodi causas distinguendas, ut una sine alia reperiatur, opereturque. Quandoquidem Gal. non consideravit discrimen, quod sumitur ex natura rei, sed, ut dicere cæpi, animo perspexit causarum varium agēdi modum, qui plurimùm confert ad diversam curationem.

11. *Obiect.* At quid tandem Gal. lassitudinē esse putavit? Etenim in illius natura constituenda videtur multas fecisse varietates. Nam ex ijs, quæ docuit in hoc capite, tum morbum, tum morbi causam esse concludere licet: libro tertio & quarto sanitatis tuendæ judicavit esse morbum, viasque tradidit, quibus ea, ejusque differentiæ persanandæ sint.

Cap. 5. & 7 *Cap. 1. & 2*

Com. 5. Vnde aphorismorum secundo verba faciens de lassitudine simpliciter dicta: *lassitudo*, inquit, *non est nomen ejus immoderantiæ, quæ fit ex motionibus, sed ejus dispositionis, quæ advenit corporibus animalium.* Docet non accipi lassitudinem eo loco pro ea, quæ sequitur ex motu immodico, sed pro spontanea, id est, intrinseca, quæ ab interna causa fit. Quibus modis perpetuò morbus est. Libro verò secundo de causis symptomatum in symptomata, & actiones depravatas lassitudinem reposuit. *Cap. 5.*

Solutio. Respondemus nomen lassitudinis, cum eo utimur promiscuè, & pro morbo, & pro symptomate consequente morbum accipi posse, ut nomen convulsionis, & apoplexiæ: proprié verò lassitudo (formaliter quis dicerer) symptoma est, molestaq; sensatio in musculis percepta. Hoc loco, libris de sanitate tuenda, & secundo aphorismorum lassitudo sumitur pro morbo, nimirum intemperie calida musculorum, quæ quidem febris causa plerunq; fit eo modo, quo morbum morbi causam dici permisimus commentarijs ad librum de differentia morborum. Quoniam autem proprié, verèque symptoma est. ideo disputans de symptomatis sensus depravati libro secundo de causis symptomatum, numeravit in illis. *Com. 5.* *In contro. quæst. 47.* *Cap. 5.*

12. *Obiect.* Iam cur totam causarum inventionem tribuit experientiæ, rationem verò parvipendit? *Nam qualem facultatem ad ambulandum utrumque crus exhibet, talem habet in Medicina experientia, & ratio.* Sit licet *vera sint, quæ ab experientia constituuntur præcepta: tamen numerosa invēta esse ratione vidētur.* Sanè totā causarū invētionē tribuit experientiæ, quoniā ut scribit secundo aphorismorum, nonnunquā *sufficit sine causa* (quā inquirit ratio) *novisse, quod experientia cōprobat*: ubi alicui rationi non fidit, nec aliquam afferre voluit, præter experientiam. Vnde secundo de temperamentis: *inauditam sapientiam promiscuit, immò, si verū fatēri licet, stuporem potius, si verū sensibilium alium quempiam habere se judicem meliorem putant, quam ipse sit sensus.* 8 *sec. loces cap. 6.* 1. *Epid. com 1. in præfatione.* *Solutio.* *Com. 24.* *Cap. 2.*

Nam, cum duo sint rerum judicandarum instrumenta, sensus, vel experiētia, & ratio, pro varia quæsitæ rei natura, nunc hoc, nūc illo uti oportet. Quippe, si de re quapiam sensibili inciderit quæstio, ut hoc loco, ubi Gal. ea persequitur, quę sensuū evidētiæ, perspicuitatiq; subjiciūtur, absurdū est neglecto sēsu cōsulere rationē.

13. *Obiect.* Rursus dubitatur de causis præceden-

cedentib. & internis, quas dixit esse, *vel dispositiones, vel motus in animali.* Vt quid dixit, *vel dispositiones, vel motus?* Nonne omnis corporis affectus, & dispositio, quæ à naturali statu recessit, vel morb. est, vel morbi causa, vel morbi symptoma? Sane, si omnis causa morbi est dispositio, non erat distinguendus motus à dispositione.

Solutio. Hæc difficultas cõfirmat opinionẽ, quę apud nos est de nomine affect⁹, quòd permanentib. qualitatibus tantum convenire putamus, morbis quidem omnib. causis verò, & symptomatis, non omnib. sed illis tantum, quæ dispositiones sunt. Quamobrem appositè dixit noster autor: *quæsitq. in ipso animali, vel dispositiones, vel motus præter naturã morborum causas præcedentes nominari*, quandoquidem nonnullæ sunt dispositiones: aliquibus verò solius motus nomine cumulatissimè fit satis.

14. Objectio. Præterea causam præincipientem & externam esse docuit, quæ extrinsecus adveniens, alterat nostrũ corpus: cum tamen omnes causæ febris diariæ sint externæ, sed ferè nulla illarum posita extra corpus, ut ira, moeror, tristitia, vigilia, lassitudo, inædia, ulcus, bubo.

Solutio. Quam objectionem, ut solvamus, dicendum est, causam omnem externam cujuscunq. sit morbi, extrinsecus advenire, *Quæstio. 5.* de quo mox videbimus.

15. Objectio. Postremò causarum divisio in internam & externam, diminuta videtur. Nã Gal. libro primo de morbis *Comm. 1. in prohœmio.* vulgarib. causam partitur in tria genera. Vnum genus est in ijs, quæ offerũtur: alterum in ijs, quæ fiũt: & tertium in ijs, quæ extrinsecus incidũt. Item, ut ex alijs Galeni libris cõstat, quos infra citabimus, alia partitione causa triplex est, interna, externa, & continens.

Solutio. Verũ divisio primi libri de morbis vulgarib. nõ est divisio causæ cõmuniter acceptæ, sed externæ. Quoniã per ea, quæ offeruntur, intelligit cibũ & potum: ea, quæ à nobis fiunt, sunt motus localis, & animi passiones: demũ extrinsecus incidũt variæ intẽperies aeris nos ambientis. Porrò quoad pertinet ad aliam divisionẽ hæc objectio nominatim postulat A quæstionem de causa continente, quã statim aggrediemur, *Quæst. 6. & 7.*

VTRVM EXTERNÆ causæ sint, quæ extrinsecus adveniunt.

QVÆSTIO. V.

EXTERNÆ causæ, vel agunt per se, vel alterius causæ interjectione: propriè dicuntur causæ, quæ morbos proximè creant, quæ autẽ omninò externæ sunt, interpositisq. alijs B causis operantur, à Galeno dicuntur *Cap. 5.* causæ per accidens libro primo de *Com. 12.* causis symptomatum, sed ab Hyppocrate occasiones libentiùs, docente *& 23.* Gal. primo de humorib. primo in primũ, primo in tertiũ, & tertio in tertium de morbis vulgarib. secundo prog. & quarto de victus ratione. In hac verò quæstione occasiones, vel causas per accidens causis per se, & propriè dictis omnes coagmentamus planeq. jungimus.

C Iam causas præcedentes, antecedentes, vel internas definit hoc capite Gal. eas esse, *quæ in ipso animalis corpore consistũt*: procatarcticas verò, præincipientes, prægressas, vel externas, *quæ extrinsecus adveniunt*, quemadmodum etiam libro de optima secta, secundo de natura humana, primo de causis pulsuum, quarto sanitatis tuẽdæ, sexto de locis patientib. primo methodi, & tertio commentario in Hippocratis librum de humoribus. Cæterum multis alijs in locis sub nomine causarum externarum comprehendit plures causas, quæ non extrinsecus, sed in ipso corpore fiunt. Nã D libro primo de differentijs febrium. *Vnum hoc est præcipuum febrium diariarum indicium, incipere à causa procatarctica*, id est, externa. Verum primo de curatione febrium ad Glauconem. *Diariæ sunt propter lassitudinẽ, cibi tædia, iras, furores, mœrores, atque alias animi curas vehementes.* Et quæ ex bubonibus (inflammationes sunt glandularum in inguinibus utrobique sitarum) *febres ortum habent, ex*

1. Objectio *Cap. 30.* *Com. 1.* *Cap. 1.* *Cap. 2.* *Cap. 4.* *Cap. 8.* *Com. 3.* *Cap. 7.* *Cap. 2.*

hoc genere sunt. Quibus addit ulcus manifestum, & vigilias. Ad idem genus pertinet *ulcusculum aliquod parvum expers doloris, atque inflammationis propè unguem*, ut scribit secundo de differentia febrium: *si enim neglegatur, neque coalescat, atque ad cicatricem perducatur, adnata deinde carne, quæ ab ungue comprimitur, primùm quidem ibidem dolor excitatur*, deinde in toto digito, *nonnunquam verò, vel manus, vel pes ad magnam inflammationem effertur*, quæ non rarò febrem diariam inducit. Quamobrem omnes ferè hujusmodi febris causæ intrinsecus in ipso animalis corpore fiunt.

Cap. 11.

Quod de ira, & cutis meatuum cõstipatione aperté docuit Gal. primo de causis pulsuum tradens illorum alterantes causas internas, vel externas. *Densetur*, inquit, *ab occursu externi frigoris cutis, cujus densitas naturalem halitus digestionem reprimat, repressus ille coacervetur, tandem accendat febrim, ob quam usus pulsuum mutetur, atque etiam ipsis pulsus: hic externa causa est occursus externi frigoris, cetera, ut stipatio, & febris, usque ad usum pulsuum omnes præcedentes*, & internæ. Præterea primo de præsagatione expulsibus. *Causa præcedentes, quæ robur facultatis augent, partim in ipso insunt corpore: ac humores quidem sunt semicocti, & crudi, qui iam concoquantur, & natura ad justicationem impetus, nisi hic sit etiã in eodem genere: ad hæc ira, partim extrinsecus adveniunt, ut vinum, cibus, exercitationes modicæ.* Ecce constipatio, & ira internæ sunt apud Gal. quantumvis aliàs febrium diariarum causæ.

2. Obiect. Cap. 1.

Cap. 8.

Præterea ungues supercrescentes, & pili contorti sæpe dolorem inducunt, ex quo diaria febris: illa tamen adventitia non sunt.

3. Objectio

Postremò ex levi obstructione nascitur etiam diaria febris, octavo methodi docente Galeno, quæquidem obstructio extrinsecus quærenda nõ est. Ergo externa causa non est, quæ extrinsecus accedit, cum per multæ reperiantur, quas constat intus esse.

4. Objectio Cap. 4.

In hac disputatione deliberatum mihi est quamprimùm Galeni sensum exprimere, quoniam ex illorum commentationibus, qui ab ipso recedunt, me aliquid utilitatis capere posse diffido.

1. Fũdamẽtum.

Ut verò argumentum hujus quæstionis innotescat, omnemq. devitemus ambiguitatem seriò notandum est, tria esse omnium causarum genera. Vel enim omninò extra sunt, vel omninò intra corpus, vel mediam naturam habent, hoc est, partim extra, & partim intra corpus existunt.

Triplex causarum genus.

Quæ omninò sunt extra corpus, revera insunt in aliquo subjecto à nostro corpore diverso, atque indidem perspicuè nocent immutando causas internas, & propterea externæ causæ dicuntur, ut aeris nos ambientis calor.

Quæ omninò sunt intra corpus, intrinsecùs, & in occulto latent, ibiq. morbum abdite producunt, quæ internæ causæ dictæ sunt, ut plenitudo, putredo.

Quæ demum tertiam, & mediam naturam fortiũtur, ambiguas utrinq. notas habent, & ad utrunque genus causarum videntur pertinere: quia tamen procedunt ex causis primi generis, quarum similitudinem, speciemq. referunt, quoniam in agendi modo ita se habent, ac si occurreret, advenirentq. forinsecus, & morbos pariunt manifestò immutando causas internas ut spiritus, vel humores, quemadmodum causæ primi generis, propterea externæ causæ similiter dictæ sunt. Hinc ad duo causarum genera nostram divisionem reducamus.

2. Fundatum. Exothen.

Ex quo fundamẽto nascitur, quòd ἔξωθεν, adverbium, quo hic utitur noster Gal, non solùm *foris*, vel *extrinsecus*, interpretemur: verum etiam, *ab externis*, ut non modo extrinsecus dicatur advenire id, quod est extra corpus, externumq. dicitur: sed etiã, quod in corpore consistens ab externo quopiam proximum sumit suę generationis initium.

Externum quid.

Quamobrem externum est, tum quod omninò est extra corpus, tum illud, cujus proxima origo extra corpus est, & cujus externum quidpiam est principium motus. Quoniã autem manifestum, & evidens sit aliquid ex eo, quod externum sit, atq. hoc, cum sit externum, exiguum tempus durare solet, id circo manifestum,

festum, euidens, ac recēs erit, non mo A do, quod foris est, ut ingens frigus, sed etiam, quod gignitur quam proximè ab eo, quod foris est, ut constipatio.

Quib. breuiter positis, sit prima 1. Conclus. conclusio. Causa externa rectè definitur, quæ extrinsecus advenit.

Nam extrinsecus advenire dicitur Ratio. apud Galenum non modo, quod extra corpus est: sed, quod ab eo, quod extra corpus est, suæ generationis proximum principium habet. Sic libro quarto sanitatis tuendæ dixit, duplicem esse causam, aut quæ *intra ipsum animalis continetur corpus*, quæ interna causa est, *aut quæ non omninò in* B *est*, quæ causa est externa: quasi diceret, aut quæ non omninò continetur intra corpus: externarum enim plures videntur esse intra corpus: non tamen omninò insunt, quoniam ab alia causa externa, quæ omninò extra corpus est, originem ducunt, ut lassitudo, quæ à motu: ira, quę ab obiecto molesto, & odioso: stipatio, quę à causa extrinsecus comprimente, initium sumunt. Vnde causa externa nō ita vocatur, quod existat in aliquo subiecto extra corpus: hoc enim nō est necessarium, licet aliquando contingat, quod omninò sit extra cor- C pus, sed, ut aliqua causa dicatur externa, satis est, quod in operandi modo ita se habeat, ac si extrinsecus adveniret. Nam animi pathemata, quæ nos intus cruciant, febres inducunt immutando causas internas, non minùs, quam si foris irruerent in corpus. Qua ratione ferè semper contēplatus est G. causas externas, ut hoc libro, primo de differentia febrium, & primo de cur. feb. ad Glauconem, quib. in locis perpetuò respexit dignotionem, & curationē, ad quas maximè conducit obseruare respectum, D quem habent causæ, tum ad inuicem, tum ad morbum, quem producunt.

Secundò concludimus causam ex- 2. Conclus. Tex. 54. et 55. ternam semper manifestam esse, euidentem, & recentem. Quoniā Hipp. quarto de ratione victus causas omnes videtur distinguere in eas, quæ sensu percipi possunt, quarum plures externę sunt, & in eas, quæ ad ratiocinationē tantum spectant, quę potissimùm sunt internæ. Hinc Cel- In proem. sus, iuxta rationalis Medicinæ professores, causas externas omnes vocauit euidentes: antecedentes verò abditas, quod & ratio confirmat. Nā, cum externa causa definita sit, quæ aduenit extrinsecus, siue sit ipsa foris, siue proximum suę generationis principium petatur foris, proculdubiò manifesta est, similiter & recens, quoniā causę omninò internę sunt, quę inueterascunt. Vnde G. primo Cap. 7. de differentia febrium *præcipuum febrium diariarum signum* esse prodit, *ab aliqua incipere causa recenti, & manifesta.*

Sed obijciet aliquis, non nullas Obiectio. esse causas occultas, adeo ut conjectura tantum judicentur à medico prudenti, ac multarum rerumperito. Id præclarè constat ex illa historia, in qua narrat G. Erasistratum *cognouisse* Lib. de præ *nouercam amari à priuigno*, atq. rursus cognitione alia, in qua ipse G. quandam *mulierē* ad Posthu- *Tyladis amore captam deprehendit.* mum c. 6.

Respondeo medicis multas cau- Solutio. sas externas esse incognitas, ut animi pathemata, satis est, quod ęgris manifestæ sint: hoc longè aliter euenit causis internis, quę quidem omnibus occultę, ac penitus abditę sunt.

At quid est, cur omnis externa cau- Obiectio. sa sit recens, non ne aliqua potest Solutio. inueterare? Nequaquam potest. Quā doquidem, aut recentissima corpus offendit, sine mora, aut sensim evanescit, ut insolatio, licet postea humores ex ea malé affecti morbum plerunq gignāt, genitumq. producant.

Nunc paulo fidentius respondebimus ijs, quæ obiecta sunt. Nam cor- 1. Solutio. poris, & animi passionum, quę solēt diariam febrem generare, subest origo res externa, ut lassitudinis exercitatio, iræ ille, qui fecit iniuriam, mœroris tristis nuntius, ideo enim dicūtur causę externę, ac præterea quod operentur veluti causæ omnino externæ. Quod ipsemet G. videtur sig- Iad. Glau. nificare, quando in causis febris dia- cap. 2. riæ numerat ulcus manifestum. Nam ulcus, quod nascitur ex mordaci aliquo, & acri humore, qui decumbat in partem, carnemq. corrodat, interna causa merito vocatur: verum, si ortum habeat ex requapiam manifesto

extra

extra corpus comperta, quæcum in modo agendi sit illi similitudo, tunc illo tempore vlcus externa causa planè censebitur. Hoc stabiliunt, quæ de bubone quarto Apho. scripta sunt. *Aph.54.* *Ex bubonib.* inquit Hipp. *febres omnes malæ, præter diarias.* Galeni commentarius sic planè habet. *Febres diaria omnes ab ipso vocantur, quæcunq; sui ratione una die durant. Tales autem sunt, & quæ ex bubonib. proveniunt, quando ex causis manifestis consistunt,* ut ex labore, & nimia crurum defatigatione. *Alios verò bubones, qui sine causa manifesta fiunt, verisimile est ex viscerum inflammationib. fieri: atq. ideo febres, quæ vnà cum ipsis eveniunt, malas esse.* Itidem ulcusculum, occasione cuius, carnem vngue comprimente, fit aliquando febris, causa externa est, cum ducat originem ab vngue causa quodammodo extra corpus existente.

Secunda obiectio non poterit nos *2. Solutio.* deterrere, quominùs Galenum sequamur. Aliud est causas pulsuum, aliud verò causas morborum considerare. G. cum pulsuum causas disquirit, animo duntaxat intuetur illarum substantiam, & locum, in quo existunt, vt cor in ira, vel circa cor. Quum verò perquirit externas morborũ causas, omnib. reb. anteponit generationem, & illarum agendi modum, ad quæ investigãda rationales medicos impellit dignotio, prænotio & curatio, ut scribit ipse primo de differentia febrium. *Cap.3.* Cũ igitur primo de pulsuum causis, & præsagatione tantum contemplet. G. causarum locum, quæ in corpore existunt, causas internas vocat. Hic verò, cum ex disposito recipiat cognitionem, cuius causa *saepe cogimur de externa causa inquirere*, ac præterea curationem, ad quam etiã facit causa externa saltim remotè, ideo causas illas externas vocat, quæ foris ad corpus delatæ similiter faciunt ad morborum productionem, ac si omninò extrinsecus advenirent. *4. Metho. cap. 3.*

3. Solutio. Præterea, si ab vnguib. palpebrarũve pilis contortis, & deflexis excitetur inflammatio in manib. vel pedib. vel oculis, à qua febris, negabit nemo inflammationem illam esse causam febris externã, utpoteq; orta fuerit ex causa foris ad oculũ reflexa.

Postremò respondemus, diariam *4. Solutio.* febrim duplicem esse, unam propriè, & simpliciter dictam, atq. legitimam, quæ spacio unius diei terminatur: alteram, quæ cum adiectione dicitur diaria, plurium scilicet dierum. Ea diaria febris, cuius est inseparabile signum, fieri à causa externa, proprie diaria dicitur, reliqua verò, quam interna, sed exigua parit obstructio, semi putrida est, de quâ sic eo loco loquitur G. *Sed, quæ ex parva oritur obstructione, ea saltem inter initia similis diarijs est: protracta tamen inclinatione, suspecta redditur, quamvis putredinis indicia in pulsu adhuc non appareant* (manifeste intellige, quemadmodum in putrida vera.) *8. Metho. cap. 4.*

VTRVM CAVSARVM divisio in internam, & externam sufficiens sit.

QVÆSTIO VI.

CAVSA bipartitò fuit à Galeno distributa, nimirum in internam, & externam hoc secundo capite, in fine hujus libri, sexto de locis patientib. tertio in Hippocratem de humorib. secundo de natura humana, quarto de sanitate tuenda, quarto de ratione victus, primo medendi methodi atq. ab autore de optima secta ad Thrasybulum. *Tex.5. Cap.11. Cap.4. Comen. 3. Comen. 1. Cap.2. Comen 4. Cap. 8. Cap.13.*

Sed non omnib. placuisse videtur hæc divisio, quin etiam ipsi Galeno displicuisse liquet. Nã primo de causis pulsuum. *Triplex*, inquit, *est causarũ genus, non in pulsib. modo, sed & in aliis cunctis. Vnum, quod primum & præcipuũ, quod quidem etiam continens appellant.* Mox internas & externas causas addit. In synopsi de pulsib. *Causas autẽ, tum quæ pulsus faciunt, tum quæ alterant, alibi percurrimus: illic autem ostendo, primas quidem, quæ velati continentes ipsorum causæ sunt: secundas autem, quæ præcedentes: & tertias, quæ praincipientes, atq. etiam antegressæ nominantur.* Sexto de morbis vulgarib. summam faciens eorum, quæ docuerat in eo libro. *Quemadmodum*, ait, *& de causis, quas ante* *Cap.1. Cap.9. 3.Com.20.*

ante incipientes vocant, & quas antegressas, & quas contentrices. Huius tertij causarum generis, quas continentes appellauit, etiam meminit libro de sectis ad eos, qui introducuntur, primo de symptomatum causis, libro de plenitudine, secundo de causis pulsuum, tertio de præsagatione pulsuum, secundo prognosticorum, tertio de morbis vulgarib. secundo, & decimo methodi, secundo de natura humana, septimo aphorismorum, & libello aduersus Iulianum. Diuisionem eandem commemorant Herodotus in suo introductorio seu medico, autor definitionum medicarũ, autor libri de historia philosophica, & Cornelius Celsus.

Cap. 7. Cap. 2. & 5. Cap. 3. Cap. 1. Cap. 8. Com. 43. Com 1. 2. Cap. 4. Cap. 10. Com. 1. Comm. 30. Cap. 6. & 8. Cap. 8. In proœm.

Controuersiam hanc tripliciter sedari video. Aliqui respondent Galenum recte diuisisse causam in internam, & externam, quæ quidem differentiæ communissimæ sunt, ut constat ex libro de optima secta, verum internam deinceps in duas alias differentias minùs cõmunes distribuisse. Vna est interna dicta nomine generis: altera verò continens. Quam subdiuisionem his, quæ sequũtur explicant. Causa interna dicitur, quæ non primò, siue immediatè (ut dicunt) morbi causa est, sed alia causa intercedente: à continente verò primò, & sine alicuius rei interjectione morbus fit. Nam quemadmodum in rebus externis unius, ejusdemq operis possunt esse plures causæ sese mutuò consequentes, ita & in interno corpore. Id, quod exemplo plurium calculorum, quorum primus ab homine motus movet secundum, secundus tertium, atque ita deinceps, Gal. in lib. de diff. sympt. aperte declarauit. Sic intra corpus habet res. Nam crassus & viscosus humor obstructionem inducit, obstructio perspiratio nem cohibet, transpiratio cohibita putredinem gignit, putredo febrẽ accendit. Ex hac hypothesi sunt febris causæ quatuor ordine sese cõsequentes, e quibus proxima & conjũcta putridæ febris causa putredo est, sed maximè remota crassus & viscosus humor: omnes tamen internæ sunt. Itaque ut inter eas discrimen esset, veteres medici proximam causam continentem vocarunt, reliquas verò antecedentes. Quod septimo aphorismorum Galenum explicasse dicunt, ubi sic scribit. *Fiunt aliquando alui excrementa spumosa spirituoso humore ex capite ad ventriculum defluente: fiunt & vasis, quæ ad ipsum pertinent, illũ effundentib. fieri etiam potest aliquando, & id ab ipso ventriculo unam habens (ut quispiam diceret) causam continentem, quomodocunq. excernatur, aut fiat, antecedentes verò plures.*

Cap. 31. Cap. 1.

A

B

C

D

1. Opinio.

Com. 30.

Permulti verò tenent hanc diuisionem causarum in internam, & externam sufficientem esse, atque causam continentem, non modo ad causam internam Galenum remisisse, sed in utramque reposuisse, cum non solùm internarum, sed etiam externarum quam plures continentes sint. Quod autem externarũ aliquæ sint continentes primo ex Herodoto cõfirmant, qui in suo introductorio postquam definivit causam continẽtem, pro exemplis supponit spinam & telum, quæ causæ continentes sunt externæ, atque ante omnium oculos positæ.

2. Opinio.

Authorit. cap. 8.

Secundò, quoniam æger quidam attraxit per asperam arteriam in pulmones amygdali crustulam, quæ tussim excitavit per tempus multorum annorum, atqui crustula causa continens externa fuit illius pathemathis.

1. Ratio.

Tertiò, nam si quis deglutiat lapidem, cujus interventu vitietur vẽtriculi concoctio, lapis erit causa continens externa illius affectionis.

2. Ratio.

Demum, quãdoquidem plumbea glãs est causa externa morbi existentis in coxa, vel tibia, vel alio instrumento.

3. Ratio.

Quod si objicias illis Galenum libro de sectis appellasse causas continentes abditas, externas verò recentes ac manifestas, unde nulla externa possit videri continens, respondent Galenum in ibi ex ore methodicorum locutum fuisse.

Objectio. Cap. 7. Solutio.

Si dicas præterea causas externas per se non agere: sed interjectione internarũ, ut ex primo de causis pulsuum aperte constat, statim occurrunt, non dixisse Galenum omnes causas externas agere medijs internis, sed aliquas, pulsus nimirum alterantes, quæ quidem agunt intervẽtu illarum,

Obiect. 2 Cap. 2. Solutio.

illarum, quæ pulsus generant: observamus enim & aerem frigidum sine causa interna corpus intemperare, & gladium dividere, aliaq. adventitia multa, ex quibus nostrum corpus graviter ægrotat.

Objectio. 3 Cap. 6. Postremò, si in dubium venerit, quòd primo de causis symptomatũ, causa externa opponitur causæ, quæ agit primò, & per se, ex quo sequatur externam non esse continentem, cum continens semper sit proxima, huic difficultati cumulatissimè satisfaciunt Nam Gal eo loco docuit tactum oblectare omnia ea, quorũ præsidio ad naturalem statum revertimur: fit autem semper hujusmodi reditus per contraria, qualia sunt motus, & quies, calor & frigus. Quò verò possimus deprehendere contrarietatem, hortatur, ut attendamus animum ad id, quod primò & per se operatur. Nam, si consideremus id, quod agit ex accidenti, longè fallemur opinione, existimantes reversionem in naturalem statum nõ semper fieri per contraria, quod plerunque experimur in illis causis procatarcticis, quæ per accidens agunt, interventu scilicet causarum internarum, ut cum aqua frigida perfusus quis evadit ex tetano. Quamobrem causa externa non semper opponitur causæ perse operanti, sed cum ipsa causa externa per accidés agit. Quæ opinio, si nobis permittitur in morbis, causa continens, procul dubio vera est.

Solutio.

3. Opinio. Non pauci tamen, qui ad Galeni decreta magis accedere videntur, arbitrati sunt, eundem tantum admisisse continentem causam in rebus, quæ omninò fiunt, cujusmodi est motus: at in rebus factis & subsistentib. cujus generis morbi sunt, palàm negasse, atq; propterea hîc, ubi de causis morborum ex professò agit, causam continentem silentio præterijsse, cum ejus cognitionem nullibi nobis usui fore vidisset. In qua certè explanatione quidam inest, sine ullo fucco, veritatis color.

Sed quoniam gradatim devenimus, vel potiùs ex improviso incidimus in litigiosam disputationem de causa continente, rem omnem altè, & à capite repetamus, quo tandem huic sextæ quæstioni, ex qua egredimur, possimus liberè respondere.

AN SIT CAVSA continens.

QVÆSTIO. VII.

QVÆSTIONVM artis nostræ genera summa tria ferè sunt. Primum continet eas, quæ ad usum artis præcipuè pertinent. Alterum illas potissimùm comprehendit, quæ artis usum transcendunt, & quæstiones logicæ à Galeno vocatæ sũt. Tertium genus reperies earum, quæ mediæ videntur, atque ad utrunq. genus pertinere. Generis prioris quæstiones, qualis est, num in principijs morborum, aut in die critico, purgandum sit, vel an fluente alvo sanguis mittendus, sobriè tractandas esse reor. Nam in ea parte artis, quæ ad usum tota transfertur, periculosum est à communi sententia absq. firmissimis, & certissimis rationib, discedere. De quæstionibus medijs, ut an ventriculus nutriatur chilo, vel utrum venæ generẽt sanguinem, modica debet esse solicitudo: mediæ quæstiones sunt, medio modo tractari debent. De reliquis liberiùs disputari posse arbitror, cum id citra periculum cujusquam fiat, quoniam quodcunq. censeas, curatio morborum semper eadem permanet. Talis est quæstio, quam Gal. proponit primo de locis patientib. an scilicet patiatur particula, in qua præter naturam aliquid continetur: an ipsa nihil patiente, nihilominùs lædatur ejus actio, & an actio lædatur, cum à lapide supprimitur urina, an non lædatur, sed impediatur. Talis est investigatio causarum dierum criticorũ. Talis est disceptatio de causa circuituum in febribus. Talis est disputatio, non tam utilis, quam celebrata de causa continente. Nam, qui putredinem febris putridæ continentem causam statuit, non aliter eandem febrem, ex eo curabit, quam is, *Cap. 1.*

qui

qui non continentem, sed antecedẽtem causam esse putat. Liberior igitur licentia nobis data est exercendi ingenia in his potiùs, quam in primi generis quæstionib. ubi cum periculo multorum objicitur error.

Quamobrem ad disputationẽ hãc fidenter aggredior, eandem initio in quatuor partes distribuens. Primum investigabimus, an talis aliqua causa sit. Præterea, quid illa sit mente circunspiciemus. Deinde, cur, quomodo, & quando sic explicare tentabimus. Ad extremum an morborum talis causa existat serio decernemus.

Porro, qui Zenonij à Zenone principe primùm dicti sunt, deinceps verò Stoici ἀπὸ τῆς στοᾶς, id est, à porticu, eò quod Zeno docebat in quadã porticu Athenarum, rerum omnium duo principia statuerunt Deũ, & materiam, ita ut Deo præsente res fierent ex ipsa materia: eodem tamen absente (si fas est dicere) corruerent protinus. *Alterum namq. posuerunt esse id, quod contineret, alterum verò, quod cõtineretur: spirituosam substantiam id, quod continebat, alterum verò, quod continebatur, esse voluerunt.* Nam stoici non poterant intelligere, quomodo forma in materia, vel exiguo tempore permaneret, si non quasi vinculo quodã repressa detineretur. Proindo spiritum quendam per omnia corpora penetrantem constituerunt, qui formas cum materia constringeret, atq. obligatas retineret. Hunc alij Iouem, alij ignem, alij aerẽ, alij aliter vocarunt, ab effectu quidem, & operemam, quod formam quamlibet suæ materiæ alligatam contineret, propterea causam continentem appellarunt. Galenĩ tempore nonnulli, qui Herophili sectã sequebãtur, quã etiã Zeno fuerat prosecutus, *ne somnientes quidem hac unquam tutelle xere: & tamen de contentrice vi subinde pronunciare ausi sunt. Nimirum fatebantur se ignorare, si sit aer, aut ignis, aut utrumq. id quod lapides, ligna, cæteraq. hujus generis continet: id tamen affirmabant, omnia egere re contentrice, & quod omninò aliqua vis sit, qua hæc omnia cõtineat: diffluerentur enim ac dissluerent, nisi aliquid esset, quod ea cõtineret, & compesceret.* Quamobrem interrogati, num omnia egere causa contentrice arbitrarẽtur, statim respondebant, omnia agere. Sed si deinde ad aliquod absurdum deducebantur, graviter ferebant, & illum, à quo fuerant redarguti, sophistam appellabant. Quod proculdubio contigit ipsi Galeno, ut colligitur ex ijs, quæ libro de plenitudine scribit: solebat enim Gal. eos redarguere, qui de maximis decretis audacter statuebant: quum verò illorum errores convincebat, injuriosé tractabatur, quemadmodũ ab illo, qui Atthænei Athalei dogma docebat, ut legimus primo de elementis, adeo, ut postea, ne contentiosus videretur (erat enim animo tranquillus & quietus noster Galenus) plurima silentio præterijt, & secum ipse in sola meditatione laboravit. Iam, cũ posteriores philosophi, ac medici nullam substãtiã præter materiam, & formam, atq. ex his cũpositum agnoscerẽt, & quomodo in materia inhærerent formæ vel ex uno Aristotele cognovissent, omnes hoc figmentum stoicorum despexerunt, & pro nihilo reputarunt. Hinc continentis causæ solum, inaneq. nomen relictum est. Quamobrem stoicos irrisit Alexander Aphrodiseus.

Gal. autem in eo, quem de plenitudine conscripsit libro, sic adversus Herophileos, & aliquos ex stoicis iuniores disputavit ratione ducente ad incommodum *Si res qualibet, ut sit, eget causa contentrice, sit inde, ut sit necesse & illam causam altera egere causa, ex qua consistat, & mox hanc etiam quapiã altera, ut res tandem sit in infinitum habitura.*

Voluit autem Gal. eo loco hujus sui argumenti solutionem leviter attingere, & quasi patrocinium illorum suscepere. Breviter ergo respondit, rerum alias quidem aliqua alia causa egere, ut sint, alias verò ex se ipsis hoc habere, hoc est, ex se ipsis esse, & subsistere. Sed, cum *multi nõ modo ex Herophileis sed ex stoicis iuniores, nullam attulerint demonstrationem ad ostẽdendum, cur hæc egeant causa, illa verò se cus*, omissis illis, rem in aliud tempus rejecit.

Libro verò adversus Iulianum hac de re sic deliberavit. *Diximus porrò alibi quoq. de continentibus causis* (fortasse proprio libro de causis continentibus inscripto, qui desideratur) *ubi*

Apo tes stoas.

Lib. de plenit. cap. 3.

Ibident.

Cap. 35

Cap. 61

Lib. de mist. cap. 3.

Galeni objectio.

Solutio ejusdem.

Lib. de plenit. cap. 3.

Alt. solut. cap. 6.

ubi ostendimus, tam nomen ipsum, quam E *rem, cui impositum nomen sit, ex stoica esse secta neq. recte recentiores medicos* (Herophileos, & Stoicos sui temporis intelligit) *genus hoc totum, aut nominasse, aut tractasse, nosq. ne de nominib. contendere videamur, sæpius concedere secundum eorum sententiam, ut causæ quædam sic nominentur, non eorum quidem* (sic vertendum) *quæ absolutè esse dicuntur: sed quæ in generatione ipsa essentiam habent.* Quē locum recordatur in synopsi librorum de pulsib. quum scribit. *Meminisse sanè præ omnib. oportet, quemadmodum diximus, nominare nos quandoq. continentem causam, non propriè certè, sed appellatione abutentes: causam enim, quæ pro* F *priè continens dicitur, neq. nominavit quispiam alius ante Stoicos, neque esse concessit. Quæ verò à nobis veluti continentes dicuntur generationis, non hyparxeos, id est, subsistentiæ causæ sunt.*

Cap. 9.

Quib. jactis hæc sint tria sympe- 1. Conclus.
rasmata, id est, conclusiones, totiusq. orationis exitus & terminatio. Primum est, causam cōtinentem primò & propriè accipi pro substantia quæ dā res omes efficienter continente, cujus nomen tum philosophis, tum veterib. medicis incognitū, ab Stoicis fuit excogitatum unà cum ipsa re significata, quoniam ante Stoicos, G neque nominavit causam continentem quispiam alius, neque esse concesit.

Secundum est, Galenum neque no- 2. Cōclusio
men causæ continentis, neque rem per illud nomen significatam, admisisse. Rem quidem non admisit, quoniam, si omnia, quæ sunt, haberent causam continentem, in ea est opinione, ut putet, futurū esse progressum in infinitum. A nomine prætera plurimùm abhorruit, quādoquidem medici ætatis suæ hoc nomen non bene reb. accommodarunt. *Volucrant illa vim continendi habere, quæ tenuissima & mollissima sunt aerem, inquā,* H *& ignem, & hac eadem in causa esse, cur tum aqua, tum terra detineantur, atq. dura solidaq. sint, cum potius* (inquit Gal.) *quod durum, & densum est, continere videatur: contraria verò, quod molle, cedens, rarumq. est, altero indigere, à quo contineatur:* propterea dixit alibi *recentiores medicos genus hoc totum causæ cōtinentis non rectè, aut nominasse, aut tractasse.*

Lib. de plenit. cap. 3.

Adversus Iulia, c. 6.

Tertium & ultimum est, nostrum 3. Cōclusio.
Galenum, *ne de nominib. contentionem facere videretur, sæpius concedere juxta sententiam Stoicorum, ut causæ quædam sic nominentur*, hoc est, vt causæ aliquarum rerum, quæ reverà causæ sunt, & non ad arbitrium cujuscunq. introductæ & inventæ, nominentur causæ continentes: veruntamen minùs propriè, & ut dicunt, abusivè, ita ut revera continentes non sint, sed veluti continentes, & ad quandam similitudinem. Nam duo sunt genera rerum, ut legimus secundo & undecimo methodi, alterum eorum, *quæ absolute esse dicuntur, quæq. verè subsistentia sunt, ut redundantia sanguinis, vel corporis vitiosus color: alterum verò eorum, quæ absolutè non existunt, sed in ipso fieri esse dixeris, ut actio, cujus nullo temporis spacio partes manent, sicuti profectò nec sermonis.* Observat autem Gal. hujusmodi causas, quas ipse permittit nominari continentes, licet minùs propriè, non esse causas eorum, quæ absolutè esse dicuntur, verèq. subsistunt: sed causas eorum, quæ fiunt, & in sola generatione essentiam habent: *ostensum enim est*, Gal. ait, *neque alterius cujusdam rei causam priorem ullam esse*, hoc est, existere, quatenus causa est, *nisi generationis*, quoniam causa tunc propriè dicitur causa, cum agit, & ab ea res fit: cum verò desit agere, verè causa non est.

Ibidem.

Cap. 3.
Cap. 12.

Adversus Iul. cap. 6.

Summa sit. Causa continens du- *Epilogus.*
pliciter dicitur, propriè, & minùs propriè. Causam continentem propriè dictam, quod est inventum Stoicorum, negat omninò Gal. tamen admittit causam continentem minùs propriè dictam, quam veluti continentem vocat in synopsi de pulsib. eandem tamen in rebus, quæ fiunt tantum admittit, atque in his invitò, argumento sit, quoniam, quotiescunq. illā nominat, ferè semper subjungit, ὡς ἐν ἄτυ τις; *ut quispiam dixerit*, quemadmodum videbimus, tam alienus fuit ab hoc homine. Habemus ergo causam continentem esse, & generaliter quarum rerum sit,

Quæst. 12. in 2. concluſ.

QVID

A

QVID SIT CAVSA continens.

QVÆSTIO. VIII.

PRIMVM omnium, quoniam de causa continente controversia est, veritatis investigandæ causa, in ipsius rei natura conveniamus oportet, quod ex nulla re, quam ex illius definitione totam rei essentiam explicante, oportunius consequemur. Galeni ætate duæ fuerunt causæ continentis vulgatæ notiones, sive descriptiones, quarum prior libro primo de causis pulsuum expressa invenitur, altera in fine libelli contra Iulianum scripti, fuit adumbrata. In priori loco sic proditum est. *Nam triplex quidem est causarum genus, non in pulsibus modo, sed & in aliis cunctis. Vnum, quod primum est, & præcipuum, quod quidem continens appellant, cujus inde appellatio deducta est, quod illorum essentiam contineat.* Ex quo loco præclarè colligitur cõtinentem causam esse, quæ rei cujulibet prima sit, atque adeo quæ cujusque rei essentiam contineat. Porrò dixit Galenus primo de causis pulsuum *non posse ullam causam continentem mutari manente immoto illius effectu, neque effectum posse immutari, priusquam continentem causam attingat alteratio.* Vnde etiam principem ac præcipuam esse hujusmodi causam existimasse constat. Cumque tantum eandem concedat, ut præterita quæstione dictum est, in rebus, quæ suam essentiam habent in fieri, quæque tamdiu sunt, quandiu fiunt, cujusmodi pulsus est, profectò causa continens alia esse non potest, quam actionis prima, & proxima causa efficiens. Hoc illud est, quod in Synopsi de pulsibus his verbis consignavit. *Sed non omnem generationis causam nominamus continentem, sed illam dumtaxat, quæ factiva est eorum, quæ essentiam in fieri obtinent, ut saltationis, pugnæ, luctæ, cursus, omnium denique actionem.* Hæc

1. Definitio causæ continentis.

Cap. 1.

Cap. 8.

B

C

D

fuit Galeni tempore usitatissima hujus nominis significatio, qua morbus, & causa continens præter naturam habita fuit à plerisque pro eadem re, ut aperte constat ex libro secundo medendi methodi quando sic locutus est. *Verba autem faciemus, non solùm contra methodicos, sed etiam contra eos rationalium, qui non cognita ipsius actionis prima causa, quam continentem etiam nominare sunt soliti, methodo quadam, ac ratione artem constitui posse putant.* Vbi causæ continẽtis nomine videtur exprimere Galenus causam primam, & proximã oblæsarum actionum, quã nos morbum appellamus, qua significatione ipse frequẽtissimè usus est. Nam secundo de natura humana probans plenitudinem non esse causam continentem, sic ferè ratiocinatur. Id dicitur esse causa continens, quod actiones per se, & primò lædit: sed *morb. affectio quædã est in animantis corpore, quæ primò actionem lædit: plenitudo verò ipsa primũ minimè lædit actionem, sed intermedia alia affectione*, scilicet morbo, ergo plenitudo non est causa continens. Quam significationẽ usurpavit etiã primo de causis pulsuum, in Synopsi de pulsib. & secundo methodi, ut dictum est, quemadmodum secundo de causis pulsuum, primo de causis symptomatũ, decimo methodo, tertio de morbis vulgarib. secundo prognosticorum, & septimo aphorismorum.

Cap. 4.

Com. 1.

Cap. 1.

Cap. 5.

Cap. 2.

Cap. 10.

3. Com. 2.

Com. 43.

Com. 30.

Quamobrem causa cõtinens Galeno est *causa efficiens prima, præcipua, & proxima, quæ rei essentiam continet.* Efficiens est, ut ex Galeno monstravimus dudum, & confirmatur, quando quidem est causa, unde propriè & principaliter oritur primũ principium motus, quæ definitio est causæ efficientis. Prima est, præcipua, & proxima (ab Aristotele summa, ut voluit Simplicius) quoniam proximè attingit effectum (causam immediatam vocant.) Demum essentiam rei continet, hoc est, rem efficaciter, & proximè procreat, illiusque generationem inducit, regit, atque moderatur. Quod si *causam, quæ rei essentiam continet*, quis definire voluerit, quæ fusiùs dicta sunt, in pauca conferet, ac eadem

Causa continẽs quid. 2. physi. cap. 3.

Synèchо. sermonis vis erit. Nam συνέχω, contineo, cohæreo, alligo, quandam efficientiam penitus inhærentē præ
Syneichôto desmois. sefert. Συνειχόμενοι δεσμοῖς, apud Platonem, M. Tullius convertit, *colligati erant vinculis.* Quum verò Aristoteles de vitulis marinis, καὶ συνέχονται ὑπ' ἀλλήλων πολὺν χρόνον, Plinius reddit, *Initu cauum modo cohærent.* Et cum dicimus causam hanc continere, eandem proximè efficere adsignificamus. Facit verò, & operatur hæc causa dumtaxat quando res fit, quia postquam res ipsa genita est, firma, stabilis, & constans, non indiget alio, à quo ejus
Hyparxis. ὑπάρξις, hoc est, subsistentia contineatur, vel detineatur. Nam, quo tempore aliquid producitur, tunc procliviùs labitur, ac defluit, quamobrem per id temporis naturaliter postulat causam, à qua comprimatur, & quasi constringatur, ne vanescat, & ad nihilum recidat. Vnde συνέχω interdum convertitur, comprimo, vel constringo, ut
Cap. 8. apud D. Lucam, τινὰ τοῦ ἔχειν συνέχειν: vetus interpres reddit, *præceptor turbæ te comprimunt*: alij constringunt. Quare, cum Plutarchus appellat religionem συνεκτικὸν ἀπάσης κοινωνίας, Iustus Lipsius convertit, *vinculum, sive coagulum omnis societatis.* Hanc nonnunquam idem est, quod cohibeo. Nam τὸ συνεκτικὸν αἴτιον continentem causam,
Cic de Fato. M. Tullius interpretatur, *causam in se cohibentem efficientiam naturalem.* Quæquidem concordant cum Stoicorum dogmate, qui continentem causam invexere, ut diximus, quo formam cum materia colligatam retineret, juxta quam opinionem Galenus aliquando admisit causam hanc, ut odiosam de nominibus altercationem evitaret. Quamobrem sanitas dicitur causa continens, retinens, comprimens, constringens, in se cohibēs, ac probè tenens actionum secundum naturam. Morbus autem actionum præter naturam similiter causa est.

Altera continentis causæ descriptio à nonnullis medicis Galeno antiquioribus introducta fuit.
Alia definitio causæ cōtinentis. His dicebatur causa cōtinens, *quæ, cum adest, præsens est effectus, cum tollitur, solvitur effectus*, ut colligitur ex Herodoto in introductione seu medicō, ex auctore definitionum medicarum, & libri de historia philosophica. Nam, cum Stoici fuerint arbitrati præsente spiritu ab illis invento rem nullam perire: res verò cunctas necessariò diffluere ac dissolvi, eodem absente, videtur hinc alia definitio causæ cōtinentis orta, quæ à medicis quibusdam postea producta est, ut ea sit, qua præsente, præsens sit effectus, & qua absente, idem etiam absit. Hanc methodici omnes libentissimè receperunt, quorum Galeni coætanei non aliam pervulgarūt. Scripsit hoc Dioscorides apud Galenum magni nominis vir, qui de methodicis verba faciens sic habet. *Hinc ad causarum differentias transeunt, affirmantque causarum aliquas evidentes esse, quæ, dum adversam valetudinem creārunt, separantur, cujusmodi sunt frigus, labor, æstus, & similia. Quasdam continentes, quæ permanent postquam morbum excitarunt, hoc est, quibus præsentibus, & effectus eorum adsunt, increscentibus effectus augentur, decrescentibus minuuntur: & cum desinunt, eodem finiuntur, quibus solis ac per se manentibus effectus quoque ipsi manent.* Est imprimis causa continens efficiens causa, de qua medici præcipuè loquuntur, ut apparuit retrò. Deinceps dicitur, quæ, cum adest, effectus etiam est præsens, id est, primò adest. Quoniam tanta est vis causæ continentis, ut ea posita continuò ponatur effectus. Demùm abeunte causa continente discedit effectus, ut qui ex ea tanquam à causa tutrice & conservatrice omninò pendeat.

Cap. 8. *Lib. 7. c. 1.*

Exēplum. Nam, ut hoc utamur exemplo, cum halitus seu spiritus terræ visceribus inclusus, & quasi strangulatus, ultrò citròq. libertatem quæritans, ferit terram, & concutit, atque hac illac refugiens eandem quassat, terræ motus fit: veruntamen exhalatione consumpta, & exitu libero invento, protinus terremotus cessat. Similiter de interpositione terræ inter solem, & lu-
Alt. exemplum. nam, quæ causa est eclypsis, arbitrādum est.

Hanc

Hanc descriptionem adumbratam habemus in Aristotele secundo de posteriori analysi, ubi docet, quomodo per hujusmodi genus causarum efficientium aliquæ proprietates demonstrentur de suo subjecto, in quo non semper inhærent. *Cum interrogamur*, inquit, *cur fuit, vel fit, vel erit, vel est luna defectus, accommodatissimè respondemus, quia fuit, vel fit, vel erit, vel est, terra inter solem, & lunam.* Similiter, cum interrogamus, *quid est glacies*, respondemus, *glaciem fieri, cum absentia caloris omnimoda, inqua est, & fuit, cum fuit, & erit, cum erit.* Cujus rei rationem reddens Aristoteles subjungit. *Ea igitur, quæ hoc pacto causa est, sit, & est, & fuit, & erit unà cum eo, cujus esse causa dicitur.* Quibus verbis Aristoteles proculdubio docet causas dari, quibus positis, effectus ponantur, & ablatis, non amplius sint: tametsi appellationem causæ continentis nunquam usurpaverit. Quã definitionem susceperunt, cum Asclepiades, Iulianus, & veteres non pauci, tum Arabes omnes, recentiorumq. permulti, qui hac in re tam inani, & levi, tot turbas dedere.

Cap. 12.

Ibidem.

Quamobrem liquet, & ante Galenum, & tempore Galeni causæ cõtinentis nomen à plerisq. acceptum fuisse in ea significatione, quã ferè omnes hodie probant, & sequuntur, pro causa nimirum effectrice, qua præsente sit effectus præsens, quaq. absente simùl quoq. abeat effectus, & extinguatur. Atq. hæc vera, & propria causæ cõtinentis usurpatio est. Nam minùs proprié sumitur ab aliquib. juniorib. nimirum pro qualibet causa, qua posita ponitur effectus, & tollitur sublata, sive fuerit efficiens, sive non fuerit. Quæ postrema definitio ex priore, quam invexerunt Stoici, traxit originem, quandoquidem cum eo, quod rei essentiam continet, rem oriri, & urgente crescere, desistente minui, tandemq. absente desinere, ac pariter extingui, res loquitur ipsa.

Collatio definitionum.

Veruntamen harum definitionũ non una ratio est. Quoniam prima definitione, causa, quæ rei essentiam continet, dicitur verè causa continens: causa enim, quæ in præsentia operatur, verè causa est, libro de cõstitutione artis docente Gal. causa verò, qua solùm posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus, verè causa non est, quoniam suo complexu cõtinet causas conservãtes, quæ tametsi numerentur in causis efficientib. quandoquidem perseverantiam, effectusq. stabilitatem servant: impropriè tamen dicuntur causæ à Galeno libro de differentia symptomatum, cum jam desierint agere, vel sensibiliter nihil agunt. Præterea quoniam prima definitio minus patet, magis contracta est, atque propterea magis declarat naturam definiti: sed altera definitio ad plura pertinet, magisq. generalis est. Atq. hæc est causa, cur prior definitio à Galeno studiosissimè recepta est, neglecta posteriore. Veruntamen, cum hac nostra ætate posterior in ore omnium versetur, ideo diligentiùs à nobis explicata est, atque mox explicabitur accuratiùs, si priùs monstravero, non esse Galeni definitionem, qua quidem re non pauci perturbantur, & concitantur, penèq. desipiunt.

Cap. 15.

Cap. 1.

VTRVM DEFINITIO causæ continentis, qua posita ponitur effectus, & qua sublata tollitur, *Galenica sit.*

QVÆSTIO. IX.

FORTASSE nulla foisset de causa continente disceptatio, si Galeni scripta, vel ei adscripta, præclarè sibi constitissent: nunc verò illorum nonnulla ita sunt confusa, & variata, atque in illis conscripta theoremata dubia, & incerta, ut de utriusque inter medicos perpetuum sit opinionum dissidium. Verum verò definitio causæ continentis, cum definitur, *qua posita ponitur effectus, & tollitur sublata*, Galenica sit, in omnium conspectu hic proferendum est, & ex legitimis ejus libris, vel sermone, quem de veterum medicorum sententia in illis

habet, penitus eruendum.

Multorum opinio. Qui hanc definitionem Galeno propriam esse rentur, primùm adducunt librum, qui introductio, seu medicus inscribitur; ubi sic legitur, *causa continens est, qua præsente constat & morbus, & sublata discedit, ut spina, & telum.* Prætereà libro definitionum medicarum eadem his verbis traditur definitio. *Continens causa est, quæ, cum adest, præsentem servat morbum, sublata tollit, ut calculus in vesica.* Item libro de historia philosophica, *continens causa est, quæ rem, quam facit, non deserit, nam ea præsente, res gignitur, absente desinit, urgente crescit, desistente minuitur.* Rursus in defensione Hippocratis contra Iulianum probaturus Galenus adversum idē Iulianum & Asclepiadem, plenitudinem esse causam continentem quorundam morborum (quod illi capiti lemma est affixum à Iulio Alexandrino interprete) ista facit verba. *Nunc autem ad nomenclaturas usque causarum progreditur ille quidem* (Iulianum intelligit) *ut, quo ab antecedentibus modo differant, non intelligit.* Mox subjungit. *Supponatur tamen causam morborum continentem interdum esse plenitudinem, necesse statim est, ut hujus evacuatione morbus tollatur: atque ut Asclepiades ait, nunquam est causa continens.* Quibus verbis duo concludit Gal. Primum non posse curari morbum ab antecedente causa genitum, nisi antecedens causa priùs tollatur: deinde evacuata plenitudine morbum tolli, quando scilicet plenitudo causa continens est. Ex quibus quid inter causam antecedentem, & continentem inter sit, quod ignorabat Iulianus, præclarè dixit Gal. Illius ergo est definitio causæ continentis, de qua litigamus. His addunt exarata in extremo illo libro, quæ quidem hoc institutum, quod prosequimur, ad extremum perducunt. Disputans enim Gal. cum Iuliano de causæ continentis definitione, sic locutus est. *Cum tamen nullam aliam continentis causa afferre rationem possit, quam quod ab ea aliquid fiat, ac cum ea pariter cesset.* Hæc est definitio causæ continentis, qua noster Gal. in magnas angustias adduxit methodicum Iulianum. Tandem libro primo de locis patientibus, hæc hujus causæ notio his verbis explicatur. *id, inquit, quo tangente gignitur in nobis pathos, & separato statim quiescit, id causam esse, omnes homines arbitrantur.* Definitio est hæc, de qua disceptamus, quam planiùs & apertiùs indicare non poterat Gal. dum id communi hominum fide causam esse statuit, quæ, cū adest, vel qua tangente afficimur, & cum permutatur, vel qua separata, cessamus affici, & conquiescimus: nō enim potest ea causæ definitio convenire causæ externæ, vel internæ, quæ modo non sit continens. Galenicam igitur esse hanc definitionem, ita perspicuum & exploratum videtur, ut nullus dubitationi relinquatur locus.

Ratio. Ad hæc firmissimam rationem adjungunt. Nam multa causarum munere fouguntur apud Galenum, quibus convenit hæc definitio, immò nō nulla causas esse monstrat Gal. quòd illis conveniat talis definitio, Gal. ergo hanc definitionem admisit, & recepit libentissimè, atq. ita Galenica putanda est definitio controversa. Antecedens, ut quivis facilè perspiciet, probatione indiget, quæ tamen solis luce ipsa clarior apparebit. Galenus primo de motu musculorum constituit vinculum causam proximam impeditæ musculorum cō tractionis: *quo enim, inquit, abscisso in extremum contrahebantur, hanc causam priorem, cur non contraherentur, posuimus.* Quasi diceret. Integro existente vinculo, impeditur contractio: abscisso vinculo in extremum contrahuntur musculi, ergo vinculum est causa prima impeditæ contractionis. Libro de differētia morborum docet Gal. crassos humores obstructionis causam esse, ita verò, ut positis humoribus in cavitate alicujus venæ, ponatur obstructio, & illis evacuatis omninò vanescat. Paulò post verò ponit hoc exemplum. Si nasus ob violentum aliquem ictum, simus factus fuerit, adeo constringitur ejus internus meatus, ut per ipsum nullo modo, vel ægrè fiat respiratio: tunc meatus *angustia morbus est, quia primò, & per se ladit actionem respirandi: causa* verò

1. *Aucto.* Cap. 8.
2. *Aucto.*
3. *Aucto.*
4. *Aucto.*
Cap. 6.
5. *Aucto.*
Cap. 8.
6. *Aucto.* Cap. 2.
Cap. 9.
Cap. 7.
Tex. 34.

verò præcedens similitas nasi. Sanè facta similitate clauditur internus meatus nasi, sed quam primùm fuerit adhibitum similitati remedium, patebit meatus. Octavo capite ejusdem libri, quod est de morbo in numero, scribit, illarum partium, quæ in instrumentis superfluunt, quasdam esse morborum causas. Nam
Tex. 35. pterygion, ubi plurimùm increverit, morbus est: at in naribus germen, hoc est, carnis incrementum, causa morbi scilicet obstructionis meatus narium: præsente autem in naribus germine præsens est obstructio, eo absente, etiam abest ob-
Cap. 94. structio. In arte medicinali lapidem addit in collo vesicæ detentum, quo quidem præsente, fit obstructio, &
Com. 1. abeunte dissolvitur. Quinto aphorismorum cujusdam adolescentis narrat historiam, qui occasione æruginosi humoris in ventriculi ore contenti, tum febrim, tum convulsionem patiebatur. Verum eo humore vacuato confestim & febrim, & convulsionem cessasse affirmavit. Ejus verba hæc sunt. *Et*
Cap. 2. *ærugine evacuata febris statim, & convulsio cessavit.* Primò de locis patientibus sevissimos intestinorum dolores à vitreæ pituita excitatos fuisse tradit, qui statim atque vacuata fuit, desierunt. Porrò insignem acerbumque dolorem adesse, ubi nullus sit morbus dicendum non est: multò minùs affirmandum, per evacuationem pituitæ dolores cessavisse, non sublato morbo, ergo simùl cum dolore morbus evacuatione illa sublatus est. Vnde secun-
Apho. 22. do aphorismorum. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicunque ex evacuatione, repletio,* scribit Hippocrates, Gal. autem in commentario differit, aliquos morbos unà cum causis ipsos efficientibus destrui. Tandem in secundo
Com. 1. de natura humana. *Sanatio igitur,* inquit, *dicitur & eorum, quæ morbos faciunt* (sic vertendum, non ut Trincavellius) *non solùm ipsorum morborum, qui facti sunt.* Hìc apertè dicitur, ipsis causis pulsis, morbum quoque tolli, cum illarum remotio curatio sit: etenim causæ depulsio non esset sanatio, si causa depulsa, morbus nihilominus remaneret. Ex quibus liquidò confirmatur rationis antecedens, nimirum aliqua vocari à Galeno causas, eo quod illis conveniat hæc definitio, quasdamque causas in illius doctrina inveniri, quibus positis, effectus, & morbi quidam gignantur, simul etiam cum ipsis causis planè deficiant. Quamobrem, cum hæc sit natura causæ continentis, profectò ex illius doctrina hujusmodi causa sic definita necessariò concedenda est.

Fundamentum.

B Verum in duplicem cadimus intelligentiam, cum quærimus, an definitio causæ, continentis, *qua posita ponitur effectus, & aufertur sublata, Galenica sit.* Primò an in doctrina Galeni detur causa, qua posita ponatur effectus, & qua sublata tollatur. Secundo an Galenus existimaverit causam, qua posita ponitur effectus, & aufertur sublata, continentem esse, hoc est, an fuerit arbitratus hanc esse definitionem causæ continentis.

1. Assertio.

C Si primo modo res intelligatur, respondemus, hanc definitionem Galenicam esse. Nam li-
Auctor. quidò constat Galenum primo de locis patientibus constituisse, id causam esse, quo tangente, affe-
Cap. 2. ctus certus in nobis fit, & quo remoto, subitò cessat. Est præterea ita perspicuum in Galeno, multas causas esse, quibus positis, aliqui effectus producuntur, atque illis sublatis tolluntur, ut ipsis oculis videri possit.
Ratio.

2. Assertio.

D Attamen, id si quæramus secundo modo, ut omnibus Galeni fautoribus tantum errorem eripiamus, affeverantèr affirmandum est, Galenum in eam opinionem nunquam adductum fuisse, ut putaverit, causam continentem esse, qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus. Atque ita in hoc sensu concludimus, hanc definitionem causæ continentis Galenicam non esse. Quod quidem & autoritate, & ratione confirmamus. Auctoritas desumitur ex primo de
Auct. Gal. Cap. 2. locis patientibus ubi Galen. hanc definitionem tradidit, quo loco non dixit esse definitionem cau-

ſæ continentis, ſed cujuſdam cauſæ efficientis.

Quod autem non intellexerit talem cauſam eſſe continentem, perfacilè demonſtrabimus. Quãdo quidem illam definitionem tranſcripſit ex libro de veteri Medicina. *Oportet autem* (inquit Hippocrates) *cauſas uniuſcujuſq. ea putare, quæ, cum adſunt, talem modum fieri neceſſe eſt cum permutantur, in aliud temperamentum ceſſare.* Vbi cauſam continentem Hippocrates, nec cogitatione finxit.

Sent. 33.

Ratio talis eſt. Admiſit Gal. cauſam, qua præſente, præſens eſt effectus, & abeſt abſente: atqui hanc non vocavit continentem, immò tantum abeſt ab iſta ſententia, ut potiùs eandem appellaverit præcedentem, vel antecedentem, ergo non putavit cauſam continentem ſic definiri, & ex cóſequenti definitio hæc ſecundo modo intellecta Galenica non eſt. Valet propoſitio, nam obſtructionis cauſam conſtituit humores craſſos, ſimitatem, polypũ in naribus, lapidem in collo veſicæ, pituitam vitream, quib. quidem cauſis poſitis continuò ponuntur affectus, & ſublatis protinùs tolluntur, ita ut harum cauſarum depulſio cenſeatur curatio. Aſſumptio patet, quoniam libro de differentia morborum ſimitatem appellavit cauſam antecedentem, & craſſos humores undecimo methodi. Quamobrem Gal. nunquã cogitavit talem definitionem eſſe definitionem cauſæ continentis.

Ratio.

Cap. 7.

Cap. 13.

Nunc diluamus ea, quæ contra nos propoſita ſunt. Primò reſpondemus librum de hiſtoria philoſophica inter ſpurios, & ſubdititios eſſe conſtitutum. Idem eſt dicendum de medicis definitionib. Galeno enim attributæ ſunt, ſed tanto auctore non videntur dignæ. Liber inſcriptus Introductio ſeu Medicus Galeno etiã adſcriptus eſt, cum tamen illius auctor ſit Herodotus. Nam ſexto de morbis vulgarib. in ſectione ſecunda citatur liber Herodoti, qui inſcriptus eſt Medicus. Non eſſe autem Galeni legitimum librum illum evidentiſsimum fiet, ſi quis exempla, quæ auctor ille ad cauſæ continentis definitionem adjungit, intimiùs expenderit, nempe *ſpinam & telum*: quandoquidem evulſo telo, inflictum vulnus adhuc remanet.

1. Solutio.

2. Solutio.

3. Solutio.

Com. 43.

Non me latet Marcum Antoniũ Montiſianum Geminianenſem medicum Florentinum in ſuis quæſtionib. medicinalibus dixiſſe, ſpinam, & telum partes additas toto genere præter naturam cauſas eſſe continentes morbi in numero, qui conglutinationem impedit, & carnis generationem. Verum hæc ſubtiliùs, quam verè dicta ſunt. Nam licet telum ſit morbi cauſa: tamen eodem extracto, non tollitur morb. qui moram, & perſpicuum impedimentum infert. Quod ſi dixerit tolli morbum in numero: tamen illud numeri vitium nõ lædebat manifeſtam actionem, ſed ipſum vulnus eſt affectus, qui actionem lædit manifeſtò, propterea exépla illa non ſapiunt Galenum, qui manifeſtæ offenſionis perpetuò rationem habet, num verò adſit aliqua inſenſibilis læſio, nihil curat: ſeriò enim ſemper, nunquam inutiliter aliquid profert Gal.

Præoccupatio.

Quæſt. 7.

Præterea libro adverſus Iulianum methodicum, tantum abeſt, ut defendat Gal. plenitudinem eſſe cauſam continentem contra Iulianum & Aſclepiadem, ut potius eandem antecedentem conſtituat: hæc enim eſt vera illius capitis inſcriptio. *Adverſus Iulianum & Aſclepiadem, quod ex Hippocratis aphoriſmo ſecundo primæ ſectionis non ſequatur, plenitudinem eſſe cauſam continentem.* Nam Iulianus methodicus (ſic illum Gal. vocat libello de proprijs libris) compoſuit quadraginta octo libros cõtra Hippocratis aphoriſmos in quorum ſecundo acerrimè vituperavit ſecundum aphoriſmum ſectionis primæ: *In perturbationib. ventris, &c.* quum ex eo tanquam ex fonte manaverit plenitudinem humorum eſſe cauſam morborum continẽtem. Sic igitur invehitur Iulianus argumento ducente ad incommodum. Si vacuationib. juvarentur ægri, plenitudo eſſet morborum cauſa continens: ſed plenitudo non eſt cauſa cõtinens, ergo juvamentum non ſequitur ex evacuatione plenitudinis. Galenus dupliciter Iuliani rationem vitio vertit. Primum negat maiorem propoſitionem. Nam poſito, quod proſit humorum evacuatio, tamen

4. Solutio.

Cap. 6.

Cap. 6.

inde

inde non sequitur plenitudinem esse causam continentem. Quoniam cum febricitantibus sanguinem mittunt Thessalij (Galenus ait) si hoc faciunt, ut lædant, non rectè faciunt, si, ut juvent, necesse est, supponant, plenitudinem esse causam continentem, quod tamen negant. Sed dicet fortasse aliquis (inquit Galenus sibi ipsi objiciens) quæ tandem necessitas est, ut juvante evacuatione, plenitudo sit causa continens? Huic respondet Gal. necessitatem nullam esse Iulianus tamen est, qui hanc infert consequentiam. Præclarè igitur constat, eo in capite Galenũ minimè statuisse plenitudinem esse causam continentem. Nam id, si instituere voluisset, negasset minorem propositionẽ assumptam à Iuliano: at ipse negat maiorem propositionem, vel sequelam illius, putans non sequi, plenitudinem esse causam continentem, ex eo, quòd plenitudinis evacuatio juvet, & quidem rectè conjicit. Idem còlligitur præterea ex ijs quæ subjungit. Quandoquidem deinde Iulianum reprehendit, quòd abutatur nomine causæ continentis, neq. intelligat, quo differat ab antecedente. Differunt enim (Gal. inquit) quod antecedens hac natura prædita sit, ut quandiu illa remanet, quod factum est morbi, curari nequeat: si verò abscindatur, possit curari, quod ab ea relictum & factum est: at continente sublata confestim tollitur morb. Ex his probat Gal. non sequi plenitudinem esse causam continentem, licet ejus evacuatio juvet: sequi tamẽ esse causam antecedentẽ, quoniã antecedente causa evacuata, æger melius habet, potestq. medicus curare affectum â causa sublata relictum, quod, cum plenitudini congruere videatur, eandem antecedentem esse concludit. Supponatur tamen (addit Galenus) plenitudinem interdũ esse causam continentem, necesse statim est, ut ejus evacuatione tollatur morb. Siquidem ista sic reciprocantur, ut si plenitudo sit morbi causa continens, ejus evacuatione morb. tollatur, & si plenitudinis evacuatione tollatur morb. plenitudo sit morbi causa continens. Quamobrem, si dixisset Hippocrates evacuationib. ægros omninò liberari, quod in causam continentem cadit, sequeretur quidem opinione Hippocratis plenitudinem esse causam continentem: nunc verò, cum dixerit vacuationibus juvari, quod causæ antecedenti mirificè convenit, concludẽdum est, atq. firmiùs credendum plenitudinem esse causam antecedentem, non continentem. Quid, quod Asclepiades ait (inquit Gal.) plenitudinẽ nunquam esse causam continentem.

Objectio. *Solutio.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Vnde Iuliano relicto sermonẽ cõfert Gal. cum Asclepiade, qui similiter sibi persuasit Hippocratem in illo aphorismo constituisse plenitudinem esse causam continentem. Sic adversus Hippocratem insurgit Asclepiades. Si plenitudo esset morborum causa continens, humorum evacuatio in principio facta, leniret morbos: sed evacuata plenitudine, nonnunquam augentur morbi, tantum abest, ut reddantur mitiores, ergo plenitudo non est morborũ causa continens. Cui Asclepiadis sophismati, hoc est, fallaci conclusiunculæ, antequam responsum reddat Gal. & plenitudinem, & causam continentem distinguit. Primò, cum plenitudinem nominat Asclepiades (Gal. ait) interrogandus est, quam plenitudinem intelligat, eamne, quæ comparatione virium talis æstimatur: an eã, quæ ad vasorum capacitatem refertur. Priorem non admittit Asclepiades, quippe qui facultates é medio sustulerit. Posterior adhuc duplex est: aut enim quia mensuram & mediocritatem excedit, quæ secundum naturam est, aut quia vasa eam vix capiant: utraque autem in toto corpore, hoc est, in omnibus vasis intelligitur, aut in una aliqua, pluribusve partib. solùm reperitur. Præterea prodit monstratum alibi esse (libro de causa continente fortasse) continentem causam eorum esse, quæ fiunt, nõ eorum, quæ permanentia, & facta sunt. Quibus positis, respondet falsum esse, quod Asclepiades supponit, ac de Hippocrate judicat, nimirum plenitudinem esse causam morborum continentem, quoniam morbi absolutè esse dicuntur, atque ita carent causa cõtinente. Deinde quasi pertransiens, ac omittens suppositionem,

tionem, rationis propositionem concedit, & assumptionem prorsus negat, *ostensumque esse à se*, ait, *in his commentarijs, in quibus symptomatum causas enarravit, atque ubi tumores præter naturam tractavit, convulsionem interdum tremoremq. ac universum phlegmonem, & erysipelas, idq. quod à recentioribus medicis œdema vocatur, aliosq. præterea affectus, plenitudinis inniti hypothesi*, hoc est, tustentare se, ac niti plenitudini: *tum, si plenitudinem quis evacuet, ad naturalem quam primùm statum redire membrum.* Et in fine capitis septimi disputationem concludens, sic ait. *Cæterum nos sæpius inter ipsa artis opera, post utriusq. plenitudinis inanitionem, homines sanitati continuò restitutos ostendimus.* Atque in hoc, & *Æsculapiadis sophismatis*, consistit explicatio, & illius capitis sexti epitome, argumentumque, in quo noster Gal. nihil statuit, vel deliberavit, nullamq. dedit auctoritatē huic definitioni, de qua sermo est.

Sed ad calcem illius libelli accedamus. Arbitratur Iulianus causam febris, qui morbus est sparsus in omne corpus, non posse consistere uno in loco, sed debere similiter & æquo in idem diffundi. Gal. rectè ac scitè Iulianum exagitat, & irridet, quod id pro certo haberet, ac stabiliret, sumpto medio ex definitione causæ continentis: cum tamē nullam aliam causæ continentis definitionem afferre posset ex methodica secta, cujus erat æmolus, quam quod ab ea aliquid fiat, & cum ea esset, nisi forté repente se stoicum esse profiteatur: Stoici enim definiebant causam continentem, quæ rei essentiam contineat. Quasi diceret Gal. Si Iulianus continentem causam poneret, quæ rei essentiam continet, ut Stoici posuerunt, excusari posset, cum scribit, eam non posse in una parte consistere, morbo in toto corpore existente, videtur enim probabile, ut quod alicujus rei essentiam continet, cum ipsa contentæ rei substātia, suo quodam modo protrahatur, & coextendatur. Verum, cum tantum asserat cōtinentem causam esse, qua præsente fiat effectus, & qua abeunte dissolvatur, non rectè negat talem causam, in vna sola parte consistere posse: id enim demonstrari potest bubonis exemplo, qui una in parte sola consistens, nihilominus tamen fovet febrim toto corpore dispersam. Ecce hoc loco, neque hanc definitionem confirmat, neque infirmat Gal. sed tantum methodicam esse indicat.

Solutio.

Postremæ auctoritati respondendum definitionem illam esse Galeni, verumtamen non causæ continentis: id enim Gal. animadvertisset, ut præstat, cum occurrit occasio, sed causæ efficientis validæ, quæ lævisi mè attingit corpus passum. 6. Solutio.

Rationi tandem respondemus in doctrina Gal. per multas esse morborum causas, quibus positis, & sublatis, ponuntur, & tolluntur morbi, atque hac ratione Galenicam esse definitionem hujusmodi arbitramur. Verum negamus Galenum hac definitione definire voluisse causam continentem. Quamobrem in hoc sensu hanc definitionem Galenicā esse omninò negamus. Solvitur ratio.

DEFENDITVR DEfinitio *causæ continentis*, qua posita & sublata, ponitur, & tollitur effectus, *tametsi Galenica non sit.*

QVÆSTIO. X.

QVOD causa continens definiatur, *qua posita ponitur, & sublata tollitur effectus*, non Galeni, sed aliquorum veterum, seu methodicorum dogma esse monstratum est. Verum, cum his nostris temporib. qui de causa continente ingenij sui monumenta prodiderunt, nullam aliam definitionem percelebrent, neque de alia, quam de hac, ingenio conflictentur, rationi consentaneum esse videtur, ut nos in hujus definitionis patrocinium toto pectore incumbamus. Nam permulti hac in definitione aliquid redundare,

dare, aliqui non nihil deficere mordicùs tenent: objecta igitur, redundantia, & defectio projicienda est.

Cap. 3. Redundantia. Franciscus Vallesius libro quarto controversiarum arbitratus est, hæc duo non esse in essentia causæ continentis, ut ea posita, ponatur, & ablata auferatur effectus: sed alterum tantummodo, ut scilicet ablata ea auferatur effectus. Redundare igitur, & superfluere definitionē, atque propterea ex ea particulā hanc, *qua posita ponitur effectus*, detrahendam esse *In lib. metho.* putavit. Cui opinioni Fabius Pacius libenter acquievit.

Vallesius sententiam hanc, & dictis Galeni, & ratione confirmavit. *Cap. 6.* Gal. libro adversus Iulianum de sententia Stoicorum sic locutus est. Causa continens est, quæ in generatione ipsa essentiam habet. Quibus nihil aliud Galenum intellexisse Vallesius existimavit, quàm quòd causa continens sit causa, cur generetur, & sit effectus.

Est etiam apud Gal. citato libro *Cap. 8.* definitio causæ continentis, vbi sic legitur. *Cum tamen nullā aliā continentis causæ referre rationem possit, quam quod ab ea aliquid fiat, & cum ea pariter cesset.* Cujus definitionis pars prior est definitio causæ in genere, quoniam causa est, à qua aliquid fit. Est ergo ac si dixisset causa continens est causa, cum qua pariter tollitur effectus, ut pars prima sit posita loco generis, secunda loco differentiæ. Quibus addere poterat Vallesius particulam definitionis alteram, nimirum, *qua sublata, tollitur effectus*, crebrò usurpatam fuisse apud Galenum: priorem verò admodum rarò. Galenus *Cap. 6.* libellò adversus Iulianum. *Supponatur causam morborum continentem interdum esse plenitudinem, necesse statim est, ut hujus evacuatione tollatur morb.* Et *Ibidem.* paulò post ex Asclepiade. *Si continens morborum causa esset plenitudo, factis non nunquam largis inter morbi initia evacuationib. fore, ut nocumentum statim à se omne æger depellat.* Item ex Iuliano. *Si, quę morbos faciunt causę, humores sunt, fieri potest, ut exinanitis quam primùm ijs, nullum diutiùs consistere permittamus morbū.* Tandem primo de locis patientib.

A *Quo excreto ilico dolor sistitur, hoc ex com* *Cap. 2.*
muni hominum opinione doloris causam censeri par est.

Porrò Vallesij rationem Galeni au *Vallesij* toritate sustentatā sic habeto. Primò *ratio.* & secūdo de causis pulsuum tres causas continentes pulsus esse dixit G. instrumētum, facultatem, & vsum: sed nulla illarum hoc habet, vt ipsa posita, ponatur pulsus: quælibet habet, ut ea sublata, pulsus tollatur, ergo in illa definitione superfluit, quod posita ponatur effectus. Valet assumptio. Nam posito instrumento, ut in homine mortuo, in quo sunt cor, & arteriæ, non ponitur pulsus: itidem posita facultate, non ponitur pulsus ne B cessariò, quoniam, si deest usus, etsi reliqua adsint, nunquam pulsus fiet. At de quacunq. trium causarum verè dixeris, illam pulsum facere, & cū ea pulsum simūl tolli.

Accedamus nunc ad defectionem, quam temerè quidam nuperi effutiunt. Deficit, inquiūt, huic definitiō ni causæ efficientis expressa proximitas, quoniam causa continens debet definiri per causam efficientem proximam. Vnde sic illis habet definitio. Causa continens est causa efficiens proxima, quā posita ponitur C effectus, & qua sublata tollitur. Causæ efficientis proximitatem exprimendā esse, ista ratione demonstrāt. Illa differentia est simpliciter necessaria, in aliqua definitione, quæ sola separat definitum ab ijs, quæ cum definito genere proximo conueniunt: sed hæc sola differentia separat causam continentem ab aliquib. causis efficientib. quib. positis, & sublatis, pariter ponitur, & tollitur effectus, quę tamen propterea continentes non sunt, ergo exposita proximitas simpliciter necessaria est in definitione D causæ continentis. Assumptionē probant. Quoniam posito, & detento humore multo, crasso & vicido in meatu alicujus venæ, quemadmodum lapide in collo vesicæ, impeditur sanguinis transitus, & excretio vrinæ: illis verò sublatis, aditus maximè patet: ratverò humor, & lapis non sunt causæ continentes harum impeditionum, sed causæ remotę, igitur necessarium est definire causam continentem

tem per efficientis proximitatem, ut distinguatur causa continès à causa remota.

Sed antequam progrediamur ulteriùs, quoniam huius definitionis propugnationem suscepimus, tanquam fundamentum, faciamus explanationem illius, qua sensus intimos inventorum eius exprimamus. Efficiens morborum causa, ut ex Galeno dixi mus, duplex tantum est, præincipiès, vel antecedens, hoc est, externa, vel interna, qua sola divisione fuit contentus G. hoc capite, cum antiquissimi, & celeberrimi medici, quos imitandos sibi proposuerat, causas morborum, non alias, quam in internas & externas diduxerint. Hac de causa in libro de natura humana secundo sic scribit. *Quod si quis in ipsis nomine proprio vtatur, ejusmodi morborum causas antecedentes appellabit, id quod fecit Athenæus, seu sicuti ea, à quib. hæ ipsa proueniunt, præincipientes.* Recentiores verò insecuti aliquos ex veteribus causam vtramq. in remotam, & proximã partiti sunt: externa remota, ut balli sta, proxima, ut sagitta: interna remota, ut plenitudo, proxima, ut putredo. Nam, cum internarum (cum his enim causis potissimũ res illis fuit) alias re ipsa morbos parere, vel augere cernerent, alias tãtum fore producturas, perspicuitatis gratia inde re singulis proprium nomẽ placuit, tametsi G. sub uno nomine utraq. complexus fuerit, & antecedẽtes, id est, internas vocauerit. Eas igitur, quę actu jam faciunt, augẽt-ve morbum, conjunctas, vel proximas: quæ verò postea facturæ morbum videntur, antecedentes, vel internas communi nomine vocarunt. Illasq. conjunctas, vel proximas appellarunt, quod inter ipsas, & morbum nulla intercederet alia, sed unà cum morbis semper essent. Has autem remotas nuncuparunt, quod morbum antecederent, necdum cum eo congressæ fuissent, sed congressuræ adhuc essent. Quæ sanè causarum subdivisio non modo utilis est ad intelligendas causarum differentias: sed etiam ad curationẽ per commoda visa est, cum non similiter inter curandum vtraq. semper tractetur. Nam proxima, ut putredo, lapis, sæpissimè ex corpore & loco, in quo morbum parit, ejicitur: sed antecedens remota, ut sanguis effervescens, omni industria à peritis medicis ad benignum reducitur. Quod, cum in alijs morbis, tum maximè in febrib. locum habet.

1. *Fundamentũ Auctoris.*

Com. 5.

Com. 1.

Quamobrem obseruãdum est, has duas continentis causæ proprietates, *qua posita ponitur effectus, & qua sublata tollitur*, originẽ trahere ex propinquitate & eiusdem proximitate, qua ipsa cum effectu conjuncta est. Quærenti enim, cur posita continente causa, statim ponatur effectus, & tollatur sublata, respondebit quilibet sanæ mentis, id causæ continentis proprium esse, quando quidem effectui proxima est. Humor multus, crassus, aut glutinosus ad venã fluit, cujus meatum claudit ejus portio: fluxio remota causa est, portio humoris otiosi & quieti, qui meatum obstruit, causa proxima. Cogita nunc quæso, ad quid primò sequatur obstructio, & cujus ablatione primò tollatur. Nam fluxio, tametsi longiùs progrediens, nunquam perse obstructionem suscitat, neq. retardata per se aufert: at humor, qui jam interclusit meatum, præsens cum sit, obstructionem efficit, factamq. conservat, & cum recedit, obstructionem simul tollit: hoc autem fit, quia portio impacta meatui obstructionem attingit sine rei alicujus interjectione. Cum igitur ab una, & eadem causa nascãtur, tanta est inter has duas proprietates societas, & conjũctio, ut unà perpetuò sint, & una in altera, veluti utraq. in causę proximitate, & proximitas in utràq. penitùs includantur. Siquidem ista reciprocantur, ut si proximitas causæ sit, hæ duæ proprietates sint: & si hujusmodi proprietates adsint continuo proximitas sit. Non possum cogitatione capere causam, cujus effectus sit præsũs propter solam præsentiam illius: idem vero permaneat, eadem absente: neq. animo habere causam, qua sola discedẽte, removeatur effectus, qui non fuerit introductus, propter positionem illius. Vnde causa continens definiri potest, causa efficiens proxima, vel qua posita ponitur effectus,

Alt. fundamentum.

Observatio.

fectus, vel qua sublata tollitur, quoniam vtraq. proprietas sibi sociam includit: cum verò ambas conditiones adjungimus, perspicuitati studemus. Hoc tamen verum est, proprietatem eam, *qua sublata tollitur effectus*, magis movere sensum continentemq causam magis patefacere, ac plus in lucem proferre.

Objectio. Sed aduersus hæc, quæ dicta sunt, objiciet aliquis. Posita causa continuum solvente, ponitur continui solutio: hæc tamen remanet sublata causa soluente. Itidem posita putredine febris adest, verum sublata putredine, frequentissimè perseverat febris: ergo non semper removetur effectus remota causa, qua posita effectus fuit introductus.

Solutio. Respondeo cessante causa soluente, ac dividente cessare motum, & solutionem fiêtem, qui est effectus causæ dividentis: quod verò remanet jam divisum, sublata causa dividente, tunc proprié nõ est effectus, cum a nulla causa dependeat. In febri putrida post humoris putridi purgationem, si perseveraverit febris, vel humor putridus non est omninò evacuatus, ex quo adhuc febris, sed mitior, vel jam febris putrida non est, sed hectica, cujus quidem, cum fiebat, putridæq. superveniebat, putredo erat causa continens; cum verò jam facta est, causa caret, á qua dependeat, vnde non mirum si perseverat sublata putredine, quoniam putredo tantum est causa fientis interiei, quæ mutatur, non illius, quæ jam mutata est, nullaq indiget causa, ut foveatur. Sed argumentum hoc in *Quæst. 11. & 13.* seriùs refricabimus.

Quib. positis asserimus continentem causam omninò efficientem esse. *1. Assertio Aut. Gal.* Hæc conclusio ijs cõfirmatur, quæ ex Galeno diximus quæstione octaua, qui non omnem generationis causam vocavit continentem, sed illam dumtaxat, quæ efficiens est. *1. Ratio.* Quod quidem illud etiam probat, quoniã Gal. fere nunquam aliam, quam efficientem causam in ore habeat. Iam, *2. Ratio.* si ab Stoicis inventoribus argumentum repetamus, ut rationi consonum est, profectò causa continens, neq. forma erit, neq. materia, ab illis constituta, sed spirituosa quædam

A substantia rerum omnium effectrix, quæ per materiæ intimam unãquãq. partem sese mergeret, illiq. incumberet, quo posset in ea formas omnes suo conplexu coercere & continere.

Quib. quidem verbis (ut Stoicorum sententiam Stoicè defendamus) Deum optimum maximum, & omnipotentem proculdubio intellexerunt, qui cœlum, atq. terras tuetur & regit, adestq. ad omnia ubiq. sua *essentia, præsentia, & potentia*, nosq. undi quaq. cõtinet, universumq. mundum B complectitur, quando quidem *in ipso vivimus, & movetur, & sumus*. Quod uno verbo attingit Græcus poeta Cilix asserens Mar. Tullio interprete, *Iovis esse omnia plena*. Quæ à D. Paulo ad verum DEVM translata sunt. Ad idem alludit poetarum Latinorum princeps, cum cecinit:

Spiritus intus alit, totamq. infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Item & alter.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

C Ex quib. omnib. concluditur actualis & continua dependentia creaturæ in sua operatione, & virtute operandi, & in suo esse, à DEO, *qui quidem omnia opera in nobis operatur, & omnia in omnibus, ac præterea velle, & perficere, nam sine ipso nihil nos possumus, cum omnis sufficientia ex eo sit*, veluti tota dexteritas & habilitas securis ab artifice. Cum igitur mundi opificé, qui omnia architectatus est, cunctisque præest, continentem causam statuerint hi Philosophi, eandem cau- D sam efficientem constituisse, perspicuum, & exploratum est. Vnde si Gal. ex sententia Stoicorum (ne de nominib. contendere videretur) sæpiùs concedit, ut causæ quædam dicantur continentes (tametsi eas ad res fientes duntaxat retulerit, & restringerit) profecto præcipuam, & principalem, *Vnde mutationis, aut quietis primum est principium*, nimirum efficientem causam, continentem statuisse credendum est.

Præterea concludimus non minus pertinere ad definitionem causæ cõtinentis, vt ea posita ponatur effectus, quam quod ea sublata, auferatur.

3. Ratio.

D. Th. 1. p. q. 8. ar. 3.

Aratus in Phænomi.

D. Paulus in act. Apost. c. 17. n. 28.

Virgilius 6. Æneid

Ouidius in metamorp.

Lorinus in Act. Apo.

Esai. 26. 12

1. Cor. 12. 6.

Philip. 2. 13.

Iohan. 15. 5.

2. Cor. 3. 5.

Esa 10. 15

D. Greg. in illud cant. 5. quo abijt dilectus.

4. Ratio.

2. Physicor cap. 3.

2. Assertio

Nam

Nam fides habenda est verbis auctorum introductorij, definitionum medicarũ, & historiæ Philosophicę, qui quidem huic definitioni plurimum auctoritatis dederunt, nullaq. parte diminutam nobis tradiderunt. 1. Ratio.

Ideo enim ad definitionem causæ continentis pertinet, ut ea sublata primo tollatur effectus, quoniã hæc proprietas est certum indicium, tum proximitatis causæ continentis cum suo effectu, tum dependentiæ ipsius ab ipsa causa: sed altera proprietas, qua posita ponitur effectus, non minus indicat eandem propinquitatẽ, & dependentiam, ergo non minus pertinet ad causæ continentis definitionem, ut ea posita ponatur effectꝰ, quam, ut auferatur, ea sublata. Propositio veritatem obtinet. Nam hoc distinguitur causa continens à causis remotis, quoniam remotis causis sublatis, non aufertur effectus, aut si aufertur, non aufertur, quòd ipsæ auferantur, sed quod auferatur proxima, á qua primo, & per se dependet: hæc vero tollitur ablatis causis remotis. Assumptio probatur, quoniã, quemadmodum colligimus causam continentem esse proximam, effectumq. dependentem retinere, quod ea sublata, protinùs remoueatur effectus, ita non minus concludimus, causam continentem esse proximam, & effectum ab ea pendere, quod ea posita, continuo ponatur effectus. 2. Ratio.

Nam causa proxima, sive cohęrẽs, cum effectu habet confertam, & completam efficiendi rationem (causalitatem vocant) sed causa continens proxima est, habet ergo complementum operationis: hoc autẽ est, quod ea posita, ponatur effectus, & tollatur sublata. 3. Ratio.

Porrò in illa definitione causæ efficientis à Galeno ex Hippocrate tradita, *id, quo nos tangente, aliquod pathos fit, & quo separato statim cessat*, ægrè admodum ferret Gale. si quis ei obiiceret, minime necessariam esse particulam *quo nos tangente, aliquod pathos fit*, quoniam ex omnium hominum consensu eruta, & producta est: sensus vero sedet judex eorum omniũ, quæ cognoscit, cum ab eo ducat principium omnis nostra cognitio. At illa definitio reputatur hęc, de qua sermo est, veterib. medicis Galeni coætaneis, & nuperis nostris, qui hucusq hac de causa cõtroversati sunt. Ergo, ut in illa definitione Galeni utraq. particula est necessaria, ita nullã in hac redundare, sine controversia sentiendum. 4 Ratio. 1. de lo. aff. cap. 1. De veteri Med. sen. 33.

Postremo concludimus necessarium non esse definire continentem causam, per causam proximam, cum definitur qua posita ponitur effectꝰ, & aufertur sublata. 3. Assertio

Nam Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Herodotus, Dioscorides, Cornelius Celsus, Auctor definitionum medicarum, & Historiæ Philosophicæ causam hanc descripserunt, ut retrò diximus, nunquam tamen de propinquitate causæ efficientis commemorarunt. 1. Ratio.

Sed ludibundus objiciet aliquis, cum isti Doctores continentem causam definitione explicarunt, causam efficientem neglexerunt, necessariã quidem particulam definitioni, genus nimirum, fortasse brevitatem affectantes, ergo minimè mirãdum debet videri, quod proximitatem præterierint. Objectio.

At inter hæc multum interest. Nã optimi auctores semper definiebãt subjecta primum, & expressa, vel saltem adumbrata causarum divisione, unde in partib. & specieb. tacitè includebant, perpetuoq. subaudiebãt genera superiora, ut in hac definitione causam efficientem, tametsi eandẽ nõ exprimerẽt: differẽtias verò, quibꝰ ad definitũ ab alijs distinguendũ, non est opus, qualis est in hac definitione proximitas, inanes, ac supervacaneas reputarunt. Solutio.

Quoniam si hæc differentia esset necessaria huic definiendæ causæ, profectò eandem Gal. expressisset, utpotequi, ubi opus est, facilè allectetur distinctionib. ac illa præsertim, qua se junguntur, quæ primo, & per se agunt, ab his, quæ ex accidenti, & secundo loco at, quũ hanc usurpat definitionem, illius particulæ nunquam meminit, necessaria igitur non est. 2. Ratio.

Vnde Galeno tametsi trãquillo, & facili, bilem cõmouissent, qui ea in definitione causæ, *qua tangente afficimur*, 3. Ratio. 1. de lo. aff. c. 2.

cimur, & qua separata conquiescimus, ei objectassent defectionem proximitatis.

4. Ratio. Nam hæc particula intus includitur in duab. illis definitionis differentijs, *qua posita ponitur, quaq. sublata aufertur effectus*: immò illorum quælibet propinquitatem cõprehendit, ergo supervacaneũ est seorsim ipsam exprimere. Valet consequentia. Nã ideo probat Gal. vinculum in ossis caput insertum proximam esse causam impeditæ cõtractionis illorum, quoniam sublato & abscisso vinculo tollitur impedita contractio. *Quæreres*, inquit, *quid esset, quod impediret contractionem, proximam causam vinculum invenimus: quo enim abscisso in extremum contrahebantur, hanc causam priorem, cur non contraherentur, invenimus.*

1. de motu musculo. c. 9.

5. Ratio. Quandoquidé causa, ex cujus actione sola, & actionis continuatione, pẽdet tota subsistẽtia, & perseverantia effectus, ex eo solo proxima est, nullumq. habet usum expressa proximitas in illius definitione: sed ex sola actione, & continuatione actionis illius causæ, qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus, pẽdet tota subsistentia, & perseverãtia effectus, ergo causa, qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus, proculdubio proxima est, atq. ex eo ipso proximitatem includit, ut seorsim non sit exprimenda.

6. Ratio. Quippe si hæc particula opus esset huic definitioni, daretur causa efficiens ab effectu remota (mediatam vocãt) qua posita poneretur effect⁹, & tolleretur sublata, à qua proximitas distingueret ipsam causam cõtinentẽ: alis verò causa nusquam est, quoniã causa, cuj⁹ positione sola, ponitur effectus, ex eo solo proxima est, similiter proxima debet esse illa, cujus sola remotione removetur effect⁹. Etenim hæc causa ejusmodi est natura, ut effectui penitùs hæreat, à qua nullatenus divellitur, quoniã illius effectus nõ est antequã ipsa operetur, neq. nos eundẽ perseverare putamus, postquã illa defierit agere, vel cõservare: tũc verò credimus subsistere, cũ adest causa secundũ proportionẽ effectus enim adveniẽs ad causam accedentẽ, crescẽs ad augescentẽ, vigẽs ad pollentẽ, remissus ad levem, A proportionem, & cõparationem habet, ut nõ sine causa dixerit Gal. lib. 1. de cau. pul. nõ posse causam continentẽ mutari, manẽte immoto illius effectu, neq. effectũ posse immutari, priùs quàm continentem causam attingat alteratio.

Sed purgemus & abstergamus verba Galeni, quæ Vallesius inquinavit. 1. Solutio. Nam libello contra Iulianum libenter concedit (licet juxta sententiam Stoicorum) causam continentem eorum esse, quæ in ipsa generatione essentiam habent. Quibus quidem non definit causam continentem, sed cum alio loco dixisset, causam hanc rerum essentiam continere, præclarèque constet rei factæ ac permanentis essentiam non indigere continente aliquo, hujus generis causam concedit, dummodo eorum esse dicatur, quæ positam habent essentiam in generatione. Causa ergo est ista, cur generetur effectus, sed ampliùs, quam hoc habet, quod prima, & effectui proxima sit, adeo ut ea posita, parata jam sint omnia, protinùsque ponatur effectus.

Auctoritas altera dudum fuit explanata. Nunc respondemus primã illius definitionis partem, quòd ab ea aliquid fiat, non esse definitionem causæ in genere, sive ex Aristotelis, sive ex Galeni sententia loquamur. Aristoteles non definit causam, nos cum ejus interpretibus diximus causam id esse, à quo aliquid per se dependet, quæ definitio omnibus causis est communis. Cum verò apud Aristotelem quæritur, à quo aliquid factum fuerit, responsio continet causam facientem, igitur Aristotelis sententia, hæc definitio, id, à quo aliquid fit, non est causæ in genere, sed causæ efficientis. Neque ipsi Galeno est definitio causæ in genere, ut qui hujusmodi causam esse dicat, *quæ tribuit aliquam generationis partem*. Quando vero incidit in sermonem causæ, à qua fit aliquid, semper loquitur de causa efficiente, & quidem principali, & proxima, ut libro de causis procatarcticis adversus Erasistratum, quoniam causas remotas, secundi

2. Solutio.

Lib. de diffsym. cap. 1.

Cap. 3.

cundi loci causas,& causas per accidens appellavit.Eo autem libello adversus Iulianū de sententia methodicorum definit causam continentem: methodici verò causas omnes, vel præcedentes, vel continētes appellarunt:præcedentes vocarunt, quæ genitis effectib. recedunt, cōtinentes, quib. præsentib.effectus adsunt,crescentib.crescunt,& deficientib. deficiunt,quæ quidem omnes efficientes sunt : quas verò causas Gal. internas & antecedētes vocavit,si remotæ fuerint, é causarum numero sustulerūt, quoniam tantūmodo causas esse voluerunt principales, primas & proximas. Quare, sive loquatur Gal. ex propria opinione,sive de sententia methodicorum,& Iuliani (quod est verisimilius) aliam causam intelligere non potuit , quam efficientem, & proximā,quaquidem posita ponitur effectus necessariò. Ergo cum dixit, Iulianum *aliam nullam continentis causæ referre rationē posse, quam, quod ab ea aliquid fiat,& cum ea cesset*, perinde est ac si dixisset,nō posse aliā definitionē tradedere, quā eā , qua posita, ponitur effectus,& tollitur sublata.

Auctoritatib. desumptis ex eodē libello, quas ego pro Vallesio subjeci, respondemus primam definitionis partem, qua posita ponitur effectus, obscuram & ignotam esse, cum in morborum generatione cōsistat,quæ quidem vix percipitur:altera verò pars, qua sublata tollitur effectus, magis usurpata, & pervulgata est, quod pateat,& nota sit omnibus, quoniam comitatur curationi, quæ ante omnium oculos est posita : atqui noster Gal. ibidem de curatione loquebatur , quoniam defendebat Hippocratis aphorismum de evacuandi ratione. Vnde libro primo locorum patientium,cum loqueretur de fine & termino doloris, postremam definitionis partem proposuit, quam deinde monstrat integrē adducta definitione.

Rationi, quam firmissimam putavit Vallesius, respondet Segarra facultatem,instrumentū , & usum non esse tres causas cōtinētes pulsus, sed has tres in unam cōvenire, unāq. efficere causam cōtinentē. Vnde positis facultate,instrumento,& usu,ponitur pulsus, atq. sublatis facultate, usu,& instrumēto,simùl & pulsus tollitur. Simillter Gal. (sic aliquando hanc solutionē amplificavi) pleuritidis, hoc est,lateris doloris,quatuor, vel quinque signa pathognomonica numerat,hoc est,propria, & inseparabilia , quæ tamen si per se singula spectentur, propria pleuritidis non sunt:cōposita verò,simùlq. perpensa in unū signū pathognomonicum coeunt, quod pleuritidi omni, soli, & semper inest, quæ ratio est signi pathognomonici.

Quā ego interpretationem, nunquam planè rejeci : alia tamen à me excogitata magis placet solutio.Nā, ut scribit M.Tull.*sunm cuiq. pulchrum est,te tua, me delectant mea.* Ergo, ut mea fert opinio , causa efficiens, & proxima pulsus , & ideo continens unica tantum est, nempe cordis & arteriarum corpus , structura nimirum illius naturalis, quemadmodum Gal.docuit primo libro de causis pulsuum : ab ea enim primò , & per se profluit omnis actio: facultas verò, & usus ad pulsus generationem concurrunt, quatenus instrumento ministrant , concausæ igitur ac propterea maximé impropriè causæ continentes appellandæ. Quando quidem facultas ad pulsum remotè accedit, nempe interjectione instrumenti, ut citato loco indicavit Gal. at omnis causa continens proxima est. Vsus est pulsus finis ut eodem libro colligitur, & ex pulsus definitione tradita & explicata libro quarto de differentia pulsuum , quæ quidem causa non operatur motione propria, & actione vera,quemadmodum causa efficiens , sed impropria (translatitiam vocant philosophi) quæ incontinentem non cadit, cum causa continens verè sit causa efficiens, ut ex Gal.diximus.Quib. positis , sic interpretor Gal. auctoritatem, quæ rationis Vallesij erat propositio.Primo & secundo de causis pulsuum Gal.distinguere instituit causas generationis pulsus à causis alterationis, cūq.facultas,& usus unàcū instrumēto ad generationē pertineant,ut inutiles distinctiones evitaret, promiscuè locutus est,& causam principalē cum

In Tusc.

Solutio auctoris.

Cap. 4.

Ibidem.

Cap. 3.

Cap. 2.

3.Solutio.

Cap. 2.

Solvitur ratio Vallesij.

cum adjutricibus cõfundit, omnesq. appellavit continentes, tametsi solũ instrumentũ sit propria pulsus causa continens. Hinc assumptionem utrinq. falsam præcisè negam*. Quoniam posito instrumento, structura scilicet cordis, & arteriarum, continuò ponitur pulsus, sublatis verò facultate, vel usu, non tollitur primò pulsus, sed dumtaxat instrumento cessante.

Objectio. Dices pro Vallesio, in homine mortuo inest instrumentum, sed tũc nõ adest pulsus, quomodo igitur in-
Solutio. strumentũ est causa continens? Sanè oblitus es Philosophiæ: ut mortuus homo non est homo, sic in homine mortuo, neq. simpliciter instrumentum, neq. cor, neq. arteriæ sunt. Nã, qui dicit instrumentũ, artificiosè dicit constitutionẽ partium nostri corporis, quæ sola sibi propriã, peculiarẽ vi actionẽ edit, ut legimus secun-
Cap. 6. do de locis patiẽtib. idverò animali conjunctũ esse, quod vita, & cõmuni spiritu fruitur, solis luce clariùs est.

Postremò satisfaciẽdum illorum objecto, qui huic definitioni particulã, proximè, supplere voluerunt. Ego maiores nostros omnes veneror, & studiosè colo, magnaq. in illorũ verba foi semper observãtiã. Quare defectum in hac definitione animo cõcipere non possum. Dico igitur proculvero esse, quod illi nugantur, scilicet impediri sanguinis commeatum, posito in cavitate alicujus venæ humore multo crasso, & lento, eoque sublato protinus expediri: sic enim se res habet. Posito & sublato humore utiq. ponitur, & tollitur obstructio, eaq. posita impeditur sanguinis trãsitus, quemadmodũ sublata expeditur: simpliciter tamẽ falsum est, posito humore quantũvis tali quãtitate collecto, & tali partiũ situ cõglomerato, & disposito, impediri sanguinis transitũ, eoq. sublato expediri. Quoniã licet videatur poni effectus, posita causa remota: verũ non ponitur propter causã remotã, sed propter adjunctã, & cohærentẽ, qua sublata effectus cõtinuò, repenteq. removetur, ratione quidẽ, & ejusdẽ respectu. Impeditur ergo sanguinis trãsit* posita obstructione; tolliturq. obstructione sublata, nõ quidẽ posito, vel sublato humore quomodolibet disposito. Atq. hoc est revera, & per se poni, vel tolli. Nã illud aliud per accidẽs est, opinione Gal. accidentia verò, & cõtingẽtia parvi ducẽda fũt, præsertim in rerũ natura definienda.

UTRUM CAUSA CONtinens, continua, vel proxima idem sint.

QUÆSTIO. XI.

GALENUS libro primo de differentia symptomatum, & methodi medendi similiter primo præclarè edixit, ut á rerũ differẽtia disputationes incipiamus, nõ autẽ nominũ, ostendamusq. quot sint, quæ in vicino sunt positæ, id est, inter se se naturâ similes: mox verò demostremus, neq. plura esse, neq. pauciora, quæ in proposita disceptatione continentur: postremò, ut accómodata illius nomina imponamus, quæ maximè fuerint usitata, nec mutãtes de hinc, nec transferentes nomẽ ullum. Cũ igitur nos in hac dialexi de causa continente, primùm scrutati fuerimus, an sit causa continens, deinde quid sit, præterea quotuplex, jam tempus est, quoniam plura se hujusmodi causæ nomina offerunt, ut ad ea veniamus, quo reliqua doctrina dilucida, & á cavillationib. quas homonymia parit, libera omninò evadat. Porrò si grammaticos his de nominib. consulamus, negocium breviter expediemus. Nam continuũ, continuatũ, cohærens, conjunctũ, continens, proximum, idẽ prorsus esse respondebunt. Illa enim illis dicuntur cõtinentia, cõjuncta, & proxima, inter quæ nihil est intercapedinis, vel interstitij tẽporis, vel loci intercepti. Hinc M. Tullius in Epist. *Capadociæ pars, quæ cũ Cicilia continens est.* De nat. Deor. Mari aer cõtinens est. Pro Anto. Cecinna. *Hic fundus, qui fundo ejus antiquo cõtinens est.* Verũ hoc loco nobis cũ philosophis ac medicis agendũ est, quib. maior semper fuit, quã nomen, significatio, simulq. summa in jure dicendo severitas. Sit ergo nobis divinitus adjuncta fortuna.

Cap. 1. *Cap. 5.*

Lib. 15. *Lib. 2.*

Nisi me fallo, auctor controversiæ E rū Franciscus Vallesius primus fuit, qui hac de re cōtroversatus est. Arbitratur cōtinentē causam maximè distingui à cōtinua, cōjuncta, vel proxima. Hoc probat his trib. quæ sequuntur, rationib. quas ego tyronū gratia & i ordinē redegi, & collocupletavi.

1. Ratio. Prima sumitur ex natura rei. Nam illa plurimū differūt, quorū notiones, ac definitiones diversæ, atq. distāres sūt: sed definitiones causæ cōtinētis, & conjunctæ longè diversæ, ac sejunctæ sunt, ergo causa continens, & causa conjuncta maximè differūt. Valet assumptio. Nam causa continens est, quæ rei essentiam continet, F vel, qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus: causæ verò conjunctæ ratio est, ut sine alterius causæ interjectione attingat effectum, eique proxima omninò adhærensq. sit.

2. Ratio. Secunda ratio ex prima ducit originem. Quoniam ea distingui planè constat, quorum unum longè, latéq. diffunditur, & ad plura pertinet: sed causa conjuncta latissimè patet, adpluraq. spectat, quam causa continens: ergo causæ hujusmodi maximè disjunctæ sunt. Probatur assumptio. Quandoquidem omnis causa cō G tinens eadem est, & continua, conjuncta, & proxima: verum quæcunq. conjuncta, non est continens. Patet hoc in causis externis, quæ producunt febres diarias, & hecticas, cum hecticæ ab initio apprehendunt, tū in internis, quæ pariunt putridas, & hecticas, quæcunq. sequuntur Putridas. Nam hujusmodi causæ omnes conjunctæ sunt, quia sine interjectu alterius rei, partes corporis trāsmutant. Veruntamen nulla causa istarum continens est, cum recedentibus illis, febres memoratæ remaneant, atq. nō rarò cōstanter permaneant. De causis externis manifesta res est, plures enim illarū affectu relicto, utira, in nihilum occidunt. Internarū hoc supponamus exemplū.

Exēplum. Laboret aliquis per menses putri febri assidua, cui febris hectica superveniat, ut plerunque fit, ob continuo ad cor delatos calidissimos, & siccissimos vapores. Causa febris hecticæ conjuncta, & proxima fuerunt humores, aut vapores putridi, quibus purgatis, vel dissipatis, constantius remansit hectica febris. Ecce causa conjuncta, & proxima, quæ quidem antecedens dici potuit, non tamen continens, cum deseruerit effectum.

Ratio. Tertia, & ultima ratio ducit ad incommodum. Omnis morbus, qui à causa dependet, necessariò habet causam proximam, vel conjunctam: sed non omni morbo à causa dependenti adest necessariò causa continens: ergo causa continens, & conjuncta maximè distinguntur. Patebit propositio, si à nobis considerentur morborum ortus, & conservationes: omnibus enim, dum fiunt, vel dum facti conservātur, præest causa quædam proxima & conjuncta ex omnium, tum philosophorum, tum medicorum sententia. Vera itidem assumptio est, quoniam aliquibus morbis dumtaxat causam antecedentem adesse constat, quam *nisi quis prius abscideris* (ut scribit Gal. Cap. 6. libello adversus Iulianum) *fieri non potest, ut curetur affectus, qui ab ea factus est, cujusmodi est plenitudo.*

1. Fundamentum. Hæc quæstio tota logica est, utpote in nominibus posita: à nomen clatoribus igitur exordiendum. Galenus causam continentem esse definit, quæ rei essentiam continet. Hanc perpetitur adesse, licet invité, ne in rixam incurrat, his, quæ omninò sunt in fieri, ut pulsibus, & quibuscunque actionibus, tam secundum, quam præter naturam, atq. propterea nequit tolerare, quod adsit rebus factis, & permanentibus cujusmodi sunt morbi omnes, qui si forte à causa quapiam conserventur, veluti obstructio, causam hanc antecedentem vocavit. H Conjunctæ causæ nomen nunquā ex professo usurpavit, colligitur tamen ex primo de symptomatū causis causam continuam, cōjunctam, & adhærētem esse, quæ proximat effectui. Cap. 5.

Alt. Fundamentum. Methodici constituerunt causam continentem esse, qua posita, ponitur effectus, quaque sublata tollitur. Hanc Arabes multiq. nuperi, & in quam plurimis morbis, & in omnibus actionibus in essentur: atq. attem amplificantes, antece-

antecedentes Galeni causas dispartiuntur in antecedentes nomine cõmuni, eas nimirum, quæ nondum cõgressæ cum morbo, sed adhuc sunt congressuræ, morbumq. postea factu ræ (remotas vocant) ut plenitudo: atq. in continentes conjunctas, vel adhærentes, quæ scilicet actu jam faciunt, augentq. morbum, vel conservant, nulla inter ipsas & morbos, alia causa intercedẽte (proximas appellant) ut est lapis in collo vesicæ.

Quibus sic præmissis tripartitò
1. *Assertio* responsionẽ aggredior. Primùm causa continens, & conjuncta (quacunq. definitione ex prædictis definiatur causa continens) ratione distinguntur. Quoniam rei essentiam contine-
Ratio. re, vel positã, & sublatam ponere, ac tollere effectum, quæ notiones sunt causæ continentis, atq. cũ affectu maximè conjungi, quæ ratio est causæ conjunctæ, omninò diversa sunt.

Præterea, si causa continens defi-
2. *Assertio* niatur, quæ rei essentiam continet, causa continens, & causa conjuncta, non solùm ratione, sed etiam re distinctæ sunt.

Quandoquidem contineri dicun-
Ratio. tur, solùm, quæ fiunt, conjunctas verò causas habent, & quæ fiunt omnia, & plurà, quæ facta sunt, latiùs ergo patet causa conjuncta, quam cõtinens. Nam morbi omnes, quorum existentia & permanentia indiget conservatione, causam habent conjunctam, non tamen continentem. Quæ quidem ad distinctionem secũdum rem satis superq. sunt.

Sed objiciet nobis aliquis libri
Objectio. primi de causis symptomatum Galeni locum, in quo significavit, nihil interesse inter conjunctam, &
Cap. 5. continentem causam. *Igitur*, inquit, *continua causa, aut continens, aut conjuncta, aut quomodocunque quispiam nominare velit.* Respondeo Vallesium
Solutio. in hujus loci expositione attigisse scopum. Nam Gal. in eo verba facit de causa symptomatis cujusdam nempe stuporis, qui proculdubiò habet causam continentem: causa verò, quæ continens est, eadem est & conjuncta, & quæ læsæ cuique actioni conjuncta, est & continens. Ergo ibidem nihil interefert dicere causam continuam, cõtinentem, aut conjunctam, cum sermo esset de animali actione præter naturam, cujus causa, utpote morbus veluti, & omnium actionum præter naturam, causa continens, continua, & conjuncta est.

Verum, si causa continens definia-
3. *Assertio* tur, qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus, causa continens, & conjuncta, vel proxima, reipsa idẽ sunt.

Quandoquidem, quæ causa conti-
Ratio. nens est, eadem est & conjuncta, & quæ conjuncta, similiter & continẽs est. Causam, quæ continens fuerit, esse conjunctam, ex eo constabit, quòd omnes fateantur cõtinentem esse proximam, &, vt dicunt, immediatam. Quod sit continens, quæ cõjuncta fuerit, nunc demonstrandum est. Porrò causa continens est, qua posita ponitur effectus, & tollitur sublata: sed posita qualibet causa conjuncta, & propinquissima, protinùs ponitur effectus, & eadem sublata continuò tollitur, ergo causa conjuncta & propinquissima continens est. Assumptio manifesta. Nã tametsi plures concurrant causæ ad aliquem effectum, nunquam poni effectum nisi posita causa ultima, novissima & propinquissima, solis luce clarius est. Quod vero tollatur effectus sublata causa ultima, & proxima, sic demonstro. Vel effectus ab ea causa fit, vel quidem jam factus est: si omninò fit, ut actio læsa, profectò sublata causa proxima continuò tolletur: si factus est, vel ab ea causa dependet, & conservatur, vel omninò factus, & independens est, si dependet ac fovetur, similiter corruet causa sublata, ut obstructio, quæ sublatis humoribus crassis obstruentibus confestim evanescit: si factus est omnino, & à nullo dependet, ut febris hectica, profectò nec causam habet, nec effectus est: tandiu enim dicitur effectus, quandiu à causa dependet. Quoniam causa sublata, vel operari desinente, quod idem reputo, ac si sublata foret, effectus quidem esse definit, non secus ac si funditus tolleretur. Atq. ut uno verbo dicam, nulla causa est rei omninò factæ, sed solùm ejus, quæ fit, & dum fit. Vnde causa efficiens,

ciens, sub qua subjicitur hæc, de qua litigamus, ut non semel diximus, est à qua principium motus: cessante enim motu, necessariò est, cessare actionem causæ moventis, nisi fateri velimus esse motorem, qui nó *Adynaton.* movet, quod ἀδύνατον est.

Nunc infirmare ac diluere argu- *1. Solutio.* menta Vallesij nihil negocij erit. Prima ratio non modo non contra nos, sed pro nobis est, qui assentimur distinctioni causæ continentis & cõjunctæ, quam distinctionem formalem vocant, ut assertione prima coarguimus.

Secundæ rationis propositione *2. Solutio.* concessa, distingo assumptionem. Nam, si causa continens est, quæ rei essentiam continet, vera est assumptio, atque tunc latiùs patet causa conjuncta, quam causa continens, & benè procedit ejus ptobatio, nempe quod omnis continens sit cõjuncta, non tamen omnis conjuncta continens. Verùm, si causa continẽs definiatur, qua posita, & sublata, ponitur, & tollitur effectus, assumptio falsa est, quoniam omnis causa continens apertè conjuncta est, similiterq. omnis conjuncta est continẽs. Siquidem posita ira incerta proportione, quo tempore causa est conjuncta generationis febris diariæ, vel hecticæ, cum hectica ab initio apprehendit, statim ponitur generatio febris diariæ, vel hecticæ, id est, diaria, vel hectica fiens. Hic de diaria communiter loquor, nam, cũ accuratiùs, multò secus judico, ut *Lib de diff. symp. in cõtro. q. 9.* dicam aliàs. Præterea in longa & assidua febri putrida posito humore calfaciente ac partes solidas multùm exsiccante, fit febris hectica, eodem autem sublato cessat hectica fieri, & licet deinceps evadat facta, & permanens, tamen, cum fuerit evacuatus humor, vel adhuc maneat, sed quatenus causa dicatur sublatus, similiter febris hectica effectus nomine orbata persistit.

Vltimæ rationis assumptio falsa *3. Solutio.* est: nam morbus tametsi factus, si modo ab aliqua causa dependet, contineri dicitur ab illa causa, à qua dependet, atque hac ratione habet causam continentem, cum, ea posita sit positus, & similiter ea sublata, sit removendus. Dices nonne fieri potest, ut sublata causa, remaneat morbus factus? Respondeo id quidem fieri posse: verùtamen, quod dependebat continuò tollitur: id verò morbi, quod à causa remanet, non dependebat ab ea, ideo remanet. Exemplo sit ulcus factum à medicamento putrefaciente, quod *primum ipsam cutem, deinde subjectam quoque carnem corripit.* In hoc ulcere tria contemplamur. Principio meram solutionem purumque motum, in quo nihil est facti, saltem quod actioni lædendæ sufficere possit Præterea solutionem, & divisionem factam lædentem actionem manifestò, sed *adeo exiguam,* & leviter impressam (quo verbis utar Galeni) *ut neque à nobis cognosci, neque laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamen propriam habet speciem* morbi & continui soluti, *quod rationali contemplatione verum esse cõprobatur, quãquam evidenter sensui subjectum non sit.* Tandem observamus divisionem exulcerationemque patentem, ante oculos positam. Prima & secunda continui solutio à præsentia medicamenti dependent, quamvis dissimiliter, quia prior dependet in fieri à medicamenti vi tanquam à causa continente, quæ continet essentiam rei, altera solum in conservari, tanquam à causa continente, qua posita, ponitur effectus, & qua sublata tollitur: postremà verò nullo modo dependet, atque propterea remoto medicamento servatur incolumis.

Objectio. *Solutio.* *Contra Iulianũ c. 6.* *1. de lo. aff. cap. 2.* *3. de fract. com. 34.*

ANNEX GALENI

Sententia morborum sit causa continens, quæ illorum contineat essentiam.

QVÆSTIO. XII.

QVÆcunq. de causa continente hactenus dicta sunt, omnia referuntur, & diriguntur ad id, quod pacet

decet maturius constituere, an scilicet morborum sit causa continens. Primùm tamen de causa continente, quæ rei essentiam continet, litigandum est.

1. Fŭdam. Gal. obnixè negavit causam illam externam, quam Stoici finxerunt continere, ac retinere in materia formam eductam ab efficiente. Veruntamen concedit causam efficientem eorum, quæ fiunt, & generantur, continentem causam dici posse (quâvis impropriè) quoniam rei generationem & essentiam fientem, & quasi fluentem omnino a causa contineri verisimile est.

2. Fŭdamĕ. Cap. 3. Nam res omnes, ut idem scribit libro medendi methodi secundo in duas classes distribuuntur. Prima est earum, quæ habent essentiam suam in fluxu, fieri, & motu. Altera classis est earum rerum, quæ habent essentiã permanentem, subsistentem, & constantem. In classe permanentium est omnis dispositio, ut morb. & illæ causæ morborum, illaq. symptomata, quę sunt dispositiones, vt plenitudo, vitiosꝰ color. In alia verò sunt actio, & passio, & omnes causæ morborũ, & symptomata, quæ sunt in fieri, & fluxu, veluti motus, actio læsa, excreta, vel retenta, & generationes, vel alterationes, ipsiq. fientes morbi, qui cum nondum lædant actiones manifesto, pathemata potius, & ad morbos viæ appellandi sunt.

3. Fŭdamentum. Quando quidem morbi omnes, quo ad præsens attinet institutum, dicuntur dupliciter: vel enim fientes sunt, vel facti.

Morb. fiẽs tripliciter. Porrò tribus modis potest dici morb. fiẽs, vel fieri. Primo & propriè quando nec dum existens in rerum

Primo. natura producitur, ac generatur. Hunc simpliciter & absolutè ac verè fiẽtem appellamus, propterea quod morb. nondum sit, & ideo nullam actionem lædere possit. Quare hoc pacto morb. motio ac via est ad mor-

Secundo. bum, non vere morb. Secundo dicitur morb fieri, qui jam existit, & actiones sensibiliter lædit, augescit tamen & præter partes factas, plures habet fientes ac futuras, quoniam crescit insuper, atq. præsentia causæ vehementior redditur, ut est febris

Tertio. putrida. Tertio dicitur aliquis morbus fieri, qui licet genitus sit, adeo ut amplius non adaugescat: præsentia tamen causæ fovetur & servatur, qua tantum ratione fieri dicitur, ut obstructio à lapide in collo vesicę.

Sic tres quoq. factorum modi reperiuntur. Primo factus dicitur mor- *Morb. factus.*
bus, qui ita factus, ac pertinaciter *Primo.*
inhærens est, ut etiam ablata causa
perseverare aptus sit in corpore, ut
hectica febris, morb. in numero di-
minuto. Secundo factus est morb. *Secundo.*
qui aliquas partes subsistentes, &
permanentes habet, aliquasq. fientes
& futuras, ut febris putrida, tumescens inflammatio. Tertio morb. fac- *Tertio.*
tus dicitur, qui ita factus est, ut non
amplius fiat: á causa tamen, quæ jam
desijt agere, conservatur, ut à lapide
obstructio. Primus modus fientium
nihil habet facti, ut primus factorum
nihil fientis. Tertius autem modus
factorum nõ differt à fientium, quemadmodum secundus factorum, &
secundus fientium coincidunt, & uni
morbo accidunt.

Quibus aperte positis, prima con- *1. Assertio.*
clusio sit. Si proprie loquamur de
causa, quæ continet rei essentiam, &
ut Stoici loquebantur, neq. morbo-
rum, neq. aliarum rerum est causa cõ
tinens. Etenim libro de plenitudine
argumento docente ad in commo- *Cap. 3.*
dum ostendit Gal. inanem esse opinionem Stoicorum de causa continente. Libro etiam aduersus Iulianũ *Cap. 9.*
docet causæ continentis nomen, &
rem ab Stoicis effluxisse, junioresq.
medicos, nec nomen, nec rem recte
vsurpasse, quia multi Stoicorum more continentis causæ significatione
utebantur. Postremò in Synopsi de
pulsib. *Causam, inquit, qui proprie conti-* *Cap. 9.*
nens dicitur, neq nominavit alius ante Stoicos, neq esse concessit. Hæc igitur causa, & inventores illius ab omnib. Philosophis plane rejecti sunt.

At, si de causa rei essentiam continente sermo est non proprie sed *2. Assertio.*
κατάχρησιν (abusivè dicunt) concedimus causam continentem omnib. *Catachresticos.*
reb. quę habent essentiam in solo fieri, ut motib. actionib. passionib. alterationib. generationib. atq. morbis primo modo fientib. Nam libro de plenitudine disputãs Gal. cõtra mul- *Cap. 3.*

tos

tos ex Herophileis,& ex Stoicis juniores,videtur indicare,rerum alias quidem aliqua alia causa egere, ut sint,alias verò ex se ipsis hoc habere hoc est,ex se ipsis esse: contra Iulianum verò (ne de nominib.contendere videatur) decernit causam continentem eorum esse tantum, quæ in generatione ipsa essentiam habent. *Cap. 6.* *Cap. 9.* Quamobrem in Synopsi de pulsib. illam dumtaxat causam continentẽ vocat (etiam nomine abutens) quæ factiva est eorum, quæ essentiam in fieri obtinẽt,ut saltationis &c. Quod autem hac lege cõstitutũ est, G. ipse passim exercet studiosissime. Nã libro primo & secundo de causis pul *Cap.1.* suum,causam hanc in pulsib.esse scribit, qui sunt actiones, & res in fluxu positæ:quas vero ibidem vocavit *Cap.1.* continentes,libro tertio de præsagatione ex pulsib. veluti continentes *Cap.8.* appellavit.Sic primo de causis symptomatum generationis amplitudinis pupillæ causam (ut quispiam dixerit) continentem posuit rhagoidis tensionem.In secundo etiam de natura humana causam continentem vi *cap.2.* detur statuere primam & proximam actionis causam: similiter secundo *Com.1.* methodi:decimo verò in his,qui horrore tentantur,cum in balneo se lavant, horroris causam (ut quispiam dixerit) continentem esse protulit motum citaciorem mordentium excrementorum confertim actorum. *Cap. 4.* *Cap.10.* Libro tertio de morbis vulgaribus commentario primo docet, tremores causam habere (ut quispiam dixerit) continentem virium imbecillitatem. Cum his concordant, quæ septimo aphorismorum scribit,quo loco spumæ(ut quispiam diceret)causam continentem statuit flatuosum spiritum.Nec vero quocunq.tempore spiritum causam continentẽ spumæ constituit,sed dum miscetur humori, vehementemq. motum habet inæqualem,itaut & ipse dirumpatur, & pituitam frangat in multas, & parvas partes.Ecce nunquam à se se discedit Gal.sed magna quadam grauitate prædituS in vna sententia constãs est:in hoc verò potissimum, cum illi decretum fuerit in reb.quæ fiũt dum taxat dari causam continentem, & illam quidem,qua ipse ingrate abutebatur, quod significavit mica salis addita (*ut quispiam dixerit*) quemadmodum nos obseruimus. *Tex. com. 2.* *Com.30.* *Quæstio.7.*

Quinimo & veritas ipsa convincit. *Ratio.* Nam eorum est hujusmodi causa continens,quorum essentia non subsistit ex se ipsa:sed indiget aliqua causa efficiente,ut plane sit, contineatur, & constet:sed omnia,quæ habent essentiam in generatione,& fieri, ex se ipsis non sunt, sed necesse habent à causa efficiente contineri, ac sustẽtari,ut plane constent, ac sint, ergo ijs,quæ habent essentiam in fieri talis causa concedenda est,ut sunt motus,generationes,morbi primo modo fientes.

Veruntamen continentem causam *3. Assertio* hanc quibuslibet morbis quocunq. modo factis denegandam esse arbitramur.Nam quoties divisit Gal.morbi causas,toties partitus est in internas,& externas dumtaxat:continentes verò non commemorat,quod ex locis adductis in exordio quæstionis sextæ confirmari potest. Quibus addere possumus librum de causis procatarcticis,in quo nonnunquam meminit præcedentium, vel antecedentium,& harum occasione materiæ,finis,efficientis,& instrumenti, atq.illarum,quæ causæ per accidens dicuntur:de continentibus verò nullam prorsus fecit mentionem. Vnde libello aduersus Iulianum causam cõtinentem concedit, licet invitò, in ijs tatum,quæ positam habent essentiam in generatione. In Synopsi librorum de pulsib.idem confirmavit. Secundo verò de natura humana enarrans prima verba autoris (quisquis ille fuerit) *quos morbos parit repletio,curat evacuatio. Non est idem,* inquit,*si dicas,repletionem esse continentẽ causam morborum,vel vacuationem, & cætera quoq.quorum subinde mentio facta est,atq.ex repletione oriri, aut alia ex re. Etenim verum est, quosdam morbos generari ex repletione,vel a repletione (nihil enim interest hoc, vel illo modo dici) at falsum est,repletionem esse causam morbi continentem.* Et paulo post, *Curatio igitur dicitur etiam eorum,quæ morbos efficiunt* (Sic vertendum, ut retrò diximus) *nedum ipsorum generatorum jam morborum. Si quis verò nomine horum proprio utatur,morborum id genus,causas di-* *Autoritat. Galeni.* *Cap.6.* *Cap.9.* *Com.1.*

cet præcedentes, vt fecit Athenæus, sicuti eas, à quibus præcedentes fiunt, præincipientes. Quib verbis non modo prætermittit Gal. causam continentem, verum etiam prorsus inficiatur, & negat.

Observatio Reprehenditur Leonicenus.

Cuis loci occasione (ut obiter dicam) satis mirari non possum, quod scribat Leonicenus libro de epidemia ex Galeni quodam libro de causa continente, qui desideratur, Athenæum Attalcum propter eam, quã habuit cum Posidonio Philosopho Stoico, consuetudinem, primum cœpisse de causis continentibus in Medicina loqui, cum tamen Gal. dicat citato cõmentario de natura humana, Atheneum causas morborum inter has præcedentes vocasse, non continentes. Sed rationibus insurgamus.

1. Ratio.

Nam causa, quæ rei essentiam continet denegatur iis, quæ absolute esse dicuntur, & subsistunt per se, conceditur verò iis, quæ habent essentiã in ipsa generatione, & in fieri ab alio pendent: sed omnes morbi facti, tametsi fientes dicantur secundo, & tertio modo, absolutè esse dicuntur, & per se subsistunt geniti jam, & permanentes, ergo quibuslibet morbis, tũ factis, tum secundo, & tertio modo fientibus, deneganda est omninò causa continens. Propositio est Galeni libello aduersus Iulianum: assumptio libro de symptomatum differentia, secundo; & undecimo methodi conscripta, utraq. verò à nobis hucusq. decantata.

Cap. 6.

Cap. 3.

Cap. 12.

2. Ratio.

Quamobrem si Gal. causam hanc in morbis admitteret, procul dubio alicubi removendã præcepisset, præsertim eo loco, ubi se major obtulit occasio, quoniam remota causa, removetur effectus, & multo magis, quam antecedente, contentrice remota, quæ radicitus tollit effectum, at verò id nunquam præstitit, negavit igitur causam continentem. Probatur assumptio. In arte medicinali sermonem habens de intẽperie, quę adhuc sit, quam in artis parte præservatrice, & curatrice contineri prodit, hęc locutus est. *Eius autẽ, quæ adhuc sit, quod quidem factum est, curare opus est; quod autem futurum prohibere ne fiat. Prohibebitur autem sublata ea dispositione,* A *quam sequi natura apta est. Talis verò dispositio causa antecedens appellatur. Facta autem ægritudo curabitur soluta ea dispositione, a qua primum ea, quæ secundum naturam, lædituir operatio, quam quidem & ipsam morbi causam (αἰτίαν) dicimus esse:* interpres αἰτίαν legit, hoc est, *essentiam.*

Cap. 88.

Aetiãs. Vsian.

Hic, si causam dixit Gal. non potuit efficientem intelligere, quoniã causa efficiens interjectione morbi lædit actionem, non primo, neq. intellexit causam, quam formalem vocant, de qua vixdum locutus est, atq. multòminus in curatione, in qua semper efficientem perpendit, & insectatur medicus. Intellexit ergo, vel B causam efficiẽtem morbi vulgariter accepti, qui tempore Galeni diceba tur actio læsa, & ejus causa efficiens ipsa partium constitutio, & dispositio, quam nunc morbum cum Galeno appellamus, ut observavit Sclanus. Vel intellexit morbi essentiam, ut voluit interpres, quasi diceret; quã quidẽ & ipsum morbũ dicimus esse, quæ mea opinio est: alterutrã vetò expositio est oportuna. In morbis igitur nunquam meminit Gal. de causa continente.

Observatio

Interpretã tio Sclani.

Interpretã tio autoris.

Sed explicemus Galeni & Cornẽlij Celsi aliqua verba, quæ multorũ animos cõturbarunt. Libro de sectis C. methodicos arguit, q. existimaverint causarũ continentiũ nullam esse habendam rationem in morborum curationib. *Simili*, inquit, *ratione ijdem methodici de obscuris causis, & morbos continentib. loquuntur, eas namq. supervacuas esse dicunt.* Iacob. Segarra existimavit Galenũ eo loco non fuisse locutum de causis continentib. propriè vocatis, sed confundisse causas continentes cum internis, & obscuris. Quam ego solutionem maximè D commendo: tamen addo Galenum ibidem longa serie enarrasse methodicorum traditiones adversus rationales & empiricos, atq. ostendisse juxta eorundem methodicorum placita causatum evidentium, & continentium in curandis morbis considerationem supervacaneã esse. Quamobrem eosdem non reprehendit, sed tantum fundamenta, & rationes illorum refert, quib. suam sententiã defendebant. Quod si quis voluerit

Obiectio.

Cap. 7.

Solutio.

Autoris solutio.

Gale-

Galenum illos accusasse, de non admissa in morborum curatione causa continente, non repugnabo: verum inde non sequitur, causam hujusmodi Galenum admisisse. Nam quod eãdem in morbis generandis, & conservandis admiserint, in curandis verò pro nihilo reputaverint, merito erãt objurgandi, cum a nullo alio magis, quam à causa utilem indicationem sumere oporteat, & nequeat curari morbus, manente ea, quæ ipsum excitavit, proxima causa.

Primò de symptomatum causis.

2. Objectio cap. 2. *Dicamus autem, quod á primo est propositum: mala quidē est pupillæ parvitas, quæ præter naturam accidit, bona, quæ connaturalis est. Amplitudo autem nec innata, nec præter naturam bona, cæterum minùs mala est angustiâ. Quippe laxitatis generandæ causa (ut sic dicã) conjuncta tensio rhagoidis tunicæ est: sicuti parvitatis, ejusdem relaxatio.* Respondet Segarra cõjunctam dixisse, non continentem, propter quam conflictamur, quibus e manibus hostium se evasisse putavit. Verum in contextu græco legitur ἀιτία συνεκτικὴ, *causa continens*, non συνέχουσα, *continua*, nec προσεχὴς, *conjuncta*. Germanus interpres dixit pupillæ amplitudinem vel parvitatem causam habere continentem, morbum tamen non esse, sed symptoma, vel pathos. Ego verò utrum amplitudo, vel parvitas pupillæ sit morbus, vel symptoma, in aliud tempus rejicio. Hìc respondeo non dixisse Galenum tensionem esse causam continentem amplitudinis pupillæ, vel laxitatem parvitatis: sed esse causas generationis illarum, quam quidem causam, nempe generationis, sive morborũ, sive aliarum rerum Galenum constanter admisisse, dictum est. Ejus verba hæc sunt. Ἦσαν γάρ, ὡς ἀν ἔφη τις, αἰτίαι συνεκτικαὶ τῆς γενέσεως αὐτῶν, τοιαύτη ἐστὶ καὶ τῆς ῥαγοειδοῦς χιτῶνος, ὁποίαν ἄν τις συνεχῆ τινα εἴποι καὶ συνεκτικήν. *Nam (ut quispiam dixerit) causa cõtinens generationis ipsius (scilicet ipsius amplitudinis pupillæ, de qua sermo erat) tensio est rhagoidis tunicæ, quemadmodum rursus parvitatis laxitas.*

Libro primo de pulsuum causis.

3. Objectio *Triplex est causarum genus, non in pulsib. modo, sed & in alijs cunctis. Vnum, quod primum, & præcipuum, quod quidem etiã continens appellant.* Dixit, *& in alijs cũctis* causam esse continentem, ergo in morbis causam continentem esse, videtur verisimile. At Gal. ibi simùl cum pulsib. loquitur etiam de cunctis actionib. quæ, ut metipse testatur secundo methodi essentiã suã habent in generatione, non de reb. alijs, quæ factæ & permanentes sunt, cujusmodi morbus est.

Solutio. Cap. 3.

Sexto de morbis vulgarib.

4. Objectio *Ostensum est non minus quæ de primario affectis locis, & per consensum læsis, scire, & exquisitè dignoscere in ægris oportet, quemmadmodum & de causis, quas anteincipientes vocãt, & quas antegressas, & quas contentrices.* Qua quidē serie Gal. scopos omnes rectæ curationis tractãs, inter omnes causarum omnis generis considerationem summa ratione reposuit: atverò non duo tantum causarum genera cõsideranda esse à medico, sed tria conceptis verbis astruxit, præcedentes scilicet, antegressas, & continentes.

Hìc etiam nugatur Segarra, cum arbitretur conjunctas causas intellexisse Galenum, sed illas interpretem cum continentibus confundisse.

Sol. Segar.

Enimverò συνεκτικὰ, id est, continentes dixit Galenus, qui omnem confusionis dimovit suspicionem.

Refutatur.

Dicamus nos causæ continentis cognitionem admodum necessariam esse, non quidem in morbis, vtpote qui nullam ejusmodi causam habeãt, sed in ægris, ut diserté scribit Gal. Nam cum ægrotare incipiunt, quo tempore adhuc generantur morbi, & dumtaxat pathemata sunt, planè continentes causas cognoscere convenit, ut illis sublatis prohibeatur, ne morb. fiat, vel ultra producatur. Quoniam unà cum causis pathemata quoq; ipsa tolluntur. Postea quam verò morbi jam invaserunt ægros, statim symptomata succedunt, quæ & ipsa, modo sint actiones læsæ, vel immodicæ inanitiones, retentionesve, causas continentes habent, nimirum morbos ipsos, quandoquidem illis semotis, unà etiam symptomata summoventur. Hoc igitur nomine causæ continentis cognitio in ægris necessaria est, vel ratione pathematum morborumque fientium,

Sol. Auto.

vel

Solutio inniorum.

Refutatur. A Etia synectice Synechon? Prosecbes. Alia solutio.

Auto. solutio.

vel ratione symptomatum, quæ quidem vtraq. cum in solo fieri effectiã obtineant, causas habent cõtinẽtes, quas, vtfic appelletur, Gal. in libello aduersus Iulianum, velutià nobis non semel dictum est, libenter concedit.

5. Obiecti. Demum Cornelius Celsus hæc habet. *Igitur hi, qui rationalem medicinam profitentur, hæc necessaria esse proponunt,* abditarum, & morbos continentium causarum notitiam, deinde evidentium.

Sol. Segar. Segarra arbitratur celsum de causa continente impropriè locutum fuisse, atq. cum obscura, & abdita causa confundisse, cui ego valde assentior. Nam deinceps definit, tum causas abditas, tum evidentes, non sanè continentes, utpote quas proculdubio in abditas inclusisset.

AN MORBORVM *sit causa continens, qua posita, ponitur effectus, & tollitur sublata.*

QVÆSTIO. XIII.

TANDEM in pervulgatam quæstionẽ pervenimus, quæ est, utrũ morborum sit causa continens, quã posita, ponitur morb. & tollitur sublata. Nam in his temporib. nullus est, qui causæ cotinentis definitionẽ aliam, quam hanc, exagitet, commemoret, in manib. habeat. Illud tamẽ verum est, magnam sequi perturbationem, & confusionem, quod voluerint fere omnes huic definitioni Galenum implicare: veruntamẽ nos hoc errore nostrates medicos liberavimus, quando admonuimus, hanc definitionem causæ continentis methodicorum esse, in quos insitum odium habuisse Galenum præclarè constat. Hoc igitur posito, quærimus, an aliqua sit morborum causa, cui conveniat hujusmodi definitio, tametsi antecedens dicta fuerit à Galeno. Cujus quidem controversiæ expediendæ ratio difficillima est, quoniam magna existit inter Doctos homines hac de re opinionum dissentio: tres tamen communiter vagari iam pridem video. Prima in omnibus morbis novit causam continem. Altera nullam in morbis esse contendit. Tertia, & media in aliquib. morbis admittit, in aliquib. contradicit, tametsi ejus factorum inter se nunquã sententiæ congruant.

Quæst 8.

Prima opinio est obtrectatoris Galeni, & capitalis aduersarij, qui pluries tentavit explicare morbi copositionem, tametsi scopum nunquã fixerit. 1. Opinio.

Sectatores tamen illius primum supponunt morbi compositionem, quæ creberrimè à nobis commemoratur. 1. Fundamentum.

Deinceps subjungunt primas qualitates, formationem, numerum, magnitudinem, positum & continuitatẽ esse causas hujusmodi compositionis. Alt. fundamentum.

Hæc prælocuti subjiciunt omniũ morborum esse causam cõtinentem. Quam ego assertionem pro illis confirmare soleo, cum dialectice differo, ijs, rationib. quæ sequuntur. Assertio.

Causa continens est efficiens causa, qua posita ponitur effectus & tollitur sublata: sed primę qualitates sunt effectrices causæ intemperierum, quibus à naturali statu per immoderationem recedentibus intemperies fiunt, ijsdem vero demissis auferuntur, ergo primæ qualitates præter nãturam excellentes intemperierum causæ cõtinentes sunt. Verissima est propositio. Assumptio est probãda, quatenus per eam assumitur primas qualitates esse causas intemperierum effectrices. Hoc demonstravit Gal. libro de tremore & palpitatione. *Vbi in naturalib.* inquit, *temperamenti terminis manet animal, sanitate fruitur, hoc est, cum, ut Hippocrates dicebat, calidum, & frigidum mutuo inter se temperamento mediocriter habent: sin autem alterum altero sit fortius, animal ægrotare necesse est ea morbi specie, quæ causæ superantis naturæ respondeat.* Ecce primas qualitates excedentes Galen. efficientes causas intemperierum constituit. 1. Ratio.

Similiter de formatione, numero, magnitudine, & compositione arbitrandum Alt. ratio.

trandum. Quippequæ non minus E effectricis morborum causæ, qua posita ponuntur morbi, & tolluntur sublata, rationem habere possunt. Nam sæpissme aucta magnitudo meatus angustiores efficit, atq. vitiata figura præcedens morbi causa dicitur à Galeno, quam in numero causarum efficientium reposuit perpetuò.

In arte me. c. 95. et de diff. morb. tex. 31. & 34.

3. Ratio. Demum de solutione continui pariter dicendum est. Quoniam abciso vinculo, quo musculi ad membrorum capita sunt alligati, continuò in extremum contrahuntur, figuraq. illorum depravatur. Ecce continui solutio causa continens musculorum figurę præter naturam, quando quidē F ea posita, ponitur vitiata figura, ea verò sublata, cōtinuitateq. vinculi in pristinum statum restituta, vitium tollitur figuræ.

2. Opinio. Secunda opinio est Nicolai Leoniceni in Epidemiæ libello, & in Antisophista medico Romano discipulo suo attributo. Huius simiolus, aut verius suppilator fuit hujʾ operis Germanicus interpres, quem Segarra insecutus est.

Assertio. Hi negant omninò in morbis causam continentem, quod autoritate Galeni, & rationib. demonstrāt. Gal. in libro, quem de causa continente G inscripsit, multis argumentis ostendit nullam esse in morbis huiusmodi causam. Eandem tuetur opinionem libro de plenitudine, & in defensione Hippocratis aduersus Iulianum, atq. in Synopsi de pulsib. Rationum monumenta hæc sunt, qnæ sequuntur.

Aut. Gal. Rerum permanentium non sunt causæ continentes, morbi sunt res permanentes, non habent igitur causam continentem. Valet propositio. Quoniam, quę causam habent continentem, simul cum ea tolluntur: hoc enim indicat definitio causæ continentis, sed res permanentes, etiam sublatis suis causis permanēt, & in suo statu perseverant, ergo rerum permanentium non sunt causæ continentes. Assumptio prioris syllogismi Ga-

Cap. 1. leni est. Nam, ut scribit libro de differentia symptomatum, omnes affectus sunt cōstantes, & permanentes: at omnes morbi sunt affectus, omnes igitur morbi permanentes sunt.

Demum, si morb. haberet causam continentem, non sumeretur ab eo curatrix indicatio, quod sane affirmare absurdum est, ergo morb. non habet causam continentem: vera est propositio. Nā à symptomate ideo non sumitur curatrix indicatio, ut habet Gal. libro metodi undecimo, *Cap. 12.* quod ita sequatur morbum, ut morbo sublato, illud cōfestim auferatur: at, si morb. haberet causam continētem, eandem necessariò sequeretur, eaq. sublata protinus tolleretur. Qua propter ab eo similiter nulla sumeretur indicatio. *Alt Ratio.*

Tertia, & vltima opinio est Franciſci Vallesij, qui primū subjicit, mor- *In cont lib 4. cap. 3. Fundamen.* borum alios additione rei alicujus consistere: alios verò absq. additione permanere. Qui ex additione sunt præter morbi formam, hoc est intemperiem, structuram organicam, dispositionem cōmunem, eiusdem morbi materiam, scilicet caliditatem, formationem, continuitatem, præsentem quoq. habent causam efficientem, ut colli vesicæ obstructio lapidem, morbus in numero additū digitum: ideo enim dicuntur ex additione, quia illorum materia in statu præter naturam conservatur additione substantiæ, quæ causa morbifica est. Qui verò morbi sine additione persistunt, præter materiam, & formam, nullo foventur additamento, sed ipsa materia sola consistit in statu morboso, tametsi causa, quæ illam immutavit, præterierit. Hujus generis est numerus diminutus, in quo solam organicam dispositionem præter naturam ex numero redditam contemplamur.

Quo facto fundamento concludit, *Assertio.* nullum morbum in intemperie habere causam continentem. Quæ opinio, tum à Vallesio, tum à permultis, quib. arrisit hoc dogma, his rationib. confirmatur.

Morbi, qui habent causam conti- *1. Ratio.* nentem, cum ea tollitur, subitò auferuntur: sed morbi in intēperie sublata causa, remanere solent, non habēt igitur causam continentem. Assumptio de nudis intemperieb. manifestissima est, permanere igitur, remota causa, intemperies cūfluxione humoris est demonstrandum.

Id

Id dilucidé docuit Gal. secũdo cõ-
1. Auctor. mẽtario in Hipp. primũ prorrheti-
Com. 17. ci. *Cũ autem, inquit, hæc alterent quidem solida corpora, sed nondũ alteraverunt, simil ut evacuatæ sunt, solidorũ quoq. alteratio cessat, interdũq. die uno, interdũ verò citiùs etiã ad naturalẽ redeunt habitũ: nẽpe cũ affectio sit, & nondũ facta est, separata ipsa efficiẽte causa, breviter sedatur. Si verò cõpleta ea fuerit, etiã si vacua fuerint humida, quæ affectionẽ procreaverint, nihil in sanationis ratione amplius existit.* Inqua solidorũ corporũ alteratione intẽperiei cũ fluxione humoris exẽplũ est, quæ tametsi humor evacuetur, non cessat adhuc, sed sæpe uno die post, sæpe tempore breviori evanescit, ac perit. Vnde post evacuationẽ humoris, partes alterandas esse, passim admonet, præsertim in arte medicinali, ubi ita scribit.

Eadẽ rationẽ alijs trib. intemperaturis, uaũ cõmune præceptũ observabimus, ut
2. Auctor. cap. 89. *unãquãq. prius, quæ efficit, causam rescindamus, deinde ita ad illã, quæ ab eadẽ causa facta est, ægritudinẽ accedamus.* Quibus utiq. verbis generatim Gal. semper causam morbũ facientem primũ rescindendam esse docet, ab ea verò, & ægritudinẽ à causa factã, ita ut evidẽtissimũ sit, causam morbi proximã, quã vocamus, cõtinentẽ, auferri posse morbo adhuc remanente, quod tamen definitioni ejus repugnat. Sic post rescissam putredinẽ, quæ febris putridæ causa efficiens est, remanet calor febrilis accẽsus in corde, ac totũ in corpus diffusus, qui tandẽ per refrigerãtia extingui debet. Hũc sanẽ ordinẽ in curanda febre putrida Gal. etiam libro medendi methodi octavo diligẽtiùs obsevat, sic dicẽs.

Itaq. si jã præsens febris est, sed causa,
3. Auctor. cap. 1. *quæ eam excitavit, jã desiit, huc tantũ sanandæ ejus consiliũ dirigetur, ut refrigeretur.* Et libro undecimo ita scribit.

Fieri non potest, ut febris sanetur, nisi inhibita priùs putredo sit. Quare summovenda putredo ipsa primũ, mox febris
4. Auctor. *sanari debet.* Et rursus eodẽ libro. *Hoc*
Cap. 4. *verò tempore, inquit, etiam vires roborare, quo & putredinẽ superent, & succos*
Cap. 10. *cõcoquãt, studebimus. In auxiliorũ enim in remẽdorũ ordine, ultima est, quæ ab hoc sumitur indicatio, quãvis alia ratione sit prima, quippe cũ à febri cœperit invemendorum præsidiorum nunc methodus.* Quib. manifestẽ docet, quod in ordine præsidiorũ ultima indicatio sit removere febrẽ per refrigerantia, post amotã putredinẽ. Evidentissimum itaq. est, si febris putrida putredinem haberet cãusam, cõtinentẽ, tũc ea remota, id enim definitio urget, submoveretur, & morb. & minimẽ necessariũ esset juxta Galeni consilium, ad factæ febris curationem venire.

Præterea repugnat intẽperierum *Alt. ratio.*
naturæ, ut confestim sequantur generantem causam, ergo non possunt habere causam continentem. Probatur antecedens. Quod per motum corrumpitur, non potest sequi corruptionem causæ repente factam: motus enim tempore fit: sed intẽperies per motũ corrũpuntur, cum sint patibiles qualitates (materias intemperierum intelligo, quarũ sunt actiones, & passiones) causæ verò illarum, ut fluentes humores, tolli possunt ad punctũ tẽporis, &, ut dicunt, in instãti, ergo intẽperies sublata causa non tollũtur subitò. Tollat Deus, inquit Vallesius, tẽporis puncto causam febris putridæ, nempe humorẽ putrescentem, durabit nihilominùs febris, quantum durabit corruptionis motus, quo tẽpore ipsius febris aliqua pars facta, quantumvis sit minima, subsistet sine causa continente.

Deinceps concludit Vallesius cau- *Alt. Assertio.*
sam continentem non illorum, qui absque additione, sed illorum morborum esse, qui alicujus rei additione consistunt.

Quandoquidem illorum morbo- *Ratio.*
rum tantum est causa continens, qui cõfestim ponuntur, & tollũtur posita, & sublata causa: sed tantum morbi, qui additione consistunt, ponuntur, & tolluntur positione, vel subtractione ejus, quod additũ est, ac redũdat, sine alia morbi positione, vel corruptione, igitur illi tãtum morbi habent causam continentem. Assumptio patet. Nam, cui sunt sex digiti, sola sexti digiti præcisione curatur, nulla præterea indigens curatione: similiter, cui aliqua vena obstructa est humore crasso, vel meatus vesicæ ob lapidem occlusus, evacuato humore, ac trãspositio lapide, fracto, vel ejecto, nulla alia indiget curatione.

Nos ea in sententia constantes sumus, quæ in morbo formâ & materiâ inesse constituit, quod quidê in superiorib. diximus pluriés. Morbi forma est ipsarû partiû, tum simpliciû, tû cõpositarum, tum utrarumq. dispositio præter naturam: materies nonuplex caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas excedentes: formatio, numerus, magnitudo, & cõpositio præter naturã, atq. soluta continuitas. Quæquidem materia, ex qua morb. habet ortû, & gignitur, nonnunquam extra naturam est, ac subsistit sine causa efficiente, quæ illam à naturali statu alienaverit: plerunque verò, ac sæpissimè constare nequit absq. efficiente & cõservante causa, quod perspicuũ fiet, si morborũ singula genera planiùs cõmemoremus, ac diligentissimè persequamur. Nã hoc loco nostrã nõ multũ refert, sive causã cõservantê, sive causã efficiêtê dicamus. Quoniã efficientis causæ actio ab actione conservantis non re hic differt, sed respectu solùm. Dum enim efficit, quod nõ est, efficiens dicitur, dũ effectum conservat, & conservando effectionê continuat, conservans appellatur. Sũt partes unius ejusdêq. motus, quos objectorũ, & tẽporis ratione discriminamus. Quo fit, ut non minùs agere causa tũc dicenda sit (siquidem actionis naturam spectemus) cũ conservat, quam cum efficit: differẽtia in eo fere est, quòd tametsi utraq. operetur, tamen causa efficiens propriè dicta manifestê agit, at verò conservãs ex occultò facere dicitur. Vnde *id, quod egit, nec etiam nunc agit*, sed cõservat, *graci causam nominant* (Galenus ait) quæ quidê alia, quam efficiẽs causa dici non potest.

1. *Fundamentum.*

2. *Fundam.*

Lib de diff. symp. c. 1.

Atq. ut magis patescant, & illustrentur, quæ decernenda, & cõstituẽda sunt, morbos exprimamus, quorũ materies retinetur, fovetur, & conservatur à causa illorum generatrice, unde facilè constabit, qui morbi sint fovẽte & cõservãte causa orbati.

Sumamus initium à morbis instrumentalib. quòd pateant, & noti sint omnib. inde ad cõtinui solutionem descendamus, perquam ad intemperiem veniemus. Porrò figura nonnunquam vitiatur ob callum eminentio rem articulis innatum. Compressio fit, cum vas, vel meatus comprimitur à parte vicina tumore, abscessu, vel luxatione laborante, ut quando colli vertebra secunda in anteriora prominet, unde angina periculosissima. Obstructio quoque nascitur ab humoribus crassis, & viscidis, callo, caruncula, sanguinis grumo, vel lapide in cavitatibus, aut meatibus inclusis. Angustia similiter, quum meatus redduntur minores, aut propter aliquam magnitudinem partiũ in quibus meatus insunt, ut in volvulo, aut propter figuram vitiatam, ut à simitate meatus nasi, quoniam instrumentorum affectus sibi invicem causæ sunt, ut libro de differentia morborum diximus. Tandem numerus magnitudo, & situs excedunt, quando ab aliqua substantia foventur, & in statu præter naturam diu multumque retinentur, ut in sexto digito, & tumoribus præter naturam luxationeque ob callum. Verum figuram, asperitatem, & levitatem, numerum, & quantitatem diminutos situmque in statum præter naturam mutari à causa prætereunte, & post affectum productum recedente reticendum non est.

Cap. 7. tex. 32.

Observatio

Causa cont. ỹ morbis in strumentalib.

Iã in altero morborũ genere, quæ unitatis solutio est, conservantê causam aliquando deprehendi breviter ostendamus. Nec difficile hoc factu fuerit, si modo partiũ extensionê, nõ quâlibet, sed, quæ dolores acerbissimos parit, specié solutæ unitatis cũ Gal. constituamus. Etenim ipse in hac distentione causam foventem, & conservantem manifestè posuit. *Nã ubi vehemens dolor*, inquit, *intestinum in festat, firmato in una quapiam parte dolore, ut quasi perforari videatur, quo facto quis, vel nullo modo affectum fuisse intestinũ, aut non esse in ipso affectu (τὸ πάθος) dixerit, quamvis interdum hujusmodi dolores excreto vitreo quodã humore, qui causa illius doloris exiſlit, vel unico temporis momento finiantur? Nec verò aliud quidpiã dolorẽ concitasse putandũ est præter humorem excretum.* Quoniam partes, quæ naturaliter affecto corpore se se contingunt, in ejusmodi distentionib. à se ipsis plurimùm abscedunt, quantumvis post causæ extendentis amotionẽ, continuò ad se redeant.

Causa cont. in sol. continui.

1. de lo. aff. cap. 2.

Tὸ πάθος.

Acci-

Exemplũ. Accipiat, qui experiri cupit, molle coriũ, ut ligulã, &, vel atramento, vel alio colore duo in eo puncta inter se proxima signet, ac quantũ inter se distent studiosè observet. Deinde coriũ hoc, aut ligulã utraq. manu, vel in lõgitudinẽ, vel in latitudinẽ, pro arbitrio distrahat, & diducat, quod dũ faciet, puncta, quæ ante parũ inter se distabãt, pro tensionis modo à se ipsis abscedere, nec abscedere tãtũ, sed & abscessisse cõspiciet. Mox laxatis iterũ manib. eadẽ rursus coire videbit. Quod, si non tã propẽ, & tã arctè cocunt, quã ante fuerãt interse propinqua, id fieri ob eã præcipuè causam putandũ est, quod hoc coriũ vita, & anima caret, quæ exquisitè rursus partes cogat, & contrahat. Vnde quemadmodũ puncta illa fuerũt interse distãria, licet post ipsã tẽsionẽ ad se redierint, ita dicendũ est in intestinis fieri dispositionẽ præter naturã, cũ à statu distẽduntur, quãtũvis eo de pulso priorẽ, naturalẽq. situm mox recuperẽt, ac recipiãt. Quãdoquidẽ nos hic nõ de perfecta, & completa continui solutione loquimur, qualis in ulcerib. vulnerib. & partib. interse omninò divulsis cernitur, sed de illa solutione verbã facimus, quæ propè accedit ad verã divisionem, quæq. adeo exigua est, ut separata causa protinus evanescat: propter hoc tamẽ nemo dicere audebit partẽ non fuisse affectã morbo cõmuni, quod in ipsa nulla fuerit relicta manifesta divisio, quoniã hæc solutio semota causa in nihilũ récidit, nec deinde conspicitur, ut nec sensibilitee apparet. saxum excavare unus aquæ ictus. *Vnde hujusmodi solutio*, ait Gal. *neq. à nobis cognosci, neq. à laborantium sensu percipi potest*: sed, ut alio loco scripsit, *rationali tantũ contẽplatione verũ esse cõprobatur, quod adeo magis accidere*, dixit, *in ijs, quæ extendũtur, contunduntur, & cõprimuntur: hæc siquidem proximè accedunt ad ea, quæ divelluntur*, hoc est, ad manifestã, & ante oculos positã solutionem, & divisionem. Ergo in hoc etiam secundo morborum genere causa conservãs tam est aperta, ut qui de ea dubitet, dubitaturus etiam sit, an dies oriatur,

Ibidem.

3. *de fract. tom.* 34.

Lucretius lib. 5. *Aurea quum primũ gemmantes rore per herbas*

A *Matutina rubent radiantis lumina Solis*,

Hic etiam excipio, & se cerno perfectam, & completam continui solutionem, quæ quidem à nulla causa fovetur, conservatur-ve.

Causa cont. in intẽp. cũ fluxione hum.

Restat nunc, ut eãdem causam etiã in tertio morborũ genere declaremus. Profecto intẽperies omnis cum humoris affluxu cõservantẽ, ac fovẽtẽ causam habet eundẽ humorẽ. Ad quam intemperiẽ referuntur omnes febres putridæ, omnesque tumores præter naturã, quoniam in his humo B res incluſi, non solùm sua corpulentia, seu corporatura dilatatis partibus nocent, atq. conservant auctam prẹter naturã magnitudinem, quæ instrumentorum est propria, sed etiã suis qualitatib. calore, frigore. humiditate, & siccitate earundem partiũ totam substantiã alterant, suaq. præsentia alterationẽ augent, & fovent, de qua intemperiẽ nos hic loquimur. Quinimò in febri diaria causam conseruantem similiter contemplamur, quoniã calor spirituum intemperiem partium tutatur, atque adeo C conservat, ut si in spiritib. tantũ esset, quantum in humoribus constantiæ, ac stabilitatis, proculdubiò spiritib. non minùs, quam humoribus prophylactice dicta, hoc est præcavendi ratio deberetur: nunc autem, cum spiritus omninò fluant, continenterque labantur, nec diutiùs sint uno, & eodẽ statu, illorum fervorem in curatione parvi facimus, & idcirco diaria dicitur à Galeno morbus factus aliquando, ut hectica febris, quam nos hoc loco à causa conser- 11. *metho.* vante liberamus unà cũomnibus nu- *cap.* 2. dis intemperiebus.

Postremò diligenter observan- 3. *Fundam.* D dum, tripliciter dici morbum fieri, & factum, permanentemq. esse. quod transacta quæstione prædiximus. Primum fit propriè morb. quando non dum est, sed generatur. Secundò quando incrementum capit. Tertio quando sic pendet à causa, ut sine ea non possit permanere. Totidem modis morbum factum permanentemq. dicimus. Primò, qui ablata generante causa perseverare aptus est in corpore. Secundo, qui jam existit, sed augetur à sua causa. Tertiò, qui semel factus & per-

manens est, neq. ampliùs augetur, sed à causa sustentatur. Quorum secundus fientium, & secundus factorum, veluti fientium tertius, cum tertio factorum idem sunt, & in unum coëunt.

Assertio ad Eorum.

Quib. jactis hac unica assertione respondeo quæstioni propositæ. Omnes morbi habent causam continentẽ, quorũ causa materialis retinetur, & conservatur in statu præter naturam à causa illorum efficiente, reliqui non habent. Hæc assertio duas habet partes: probemus priorem, quod illis morbis sit causa continẽs, quorum materies conservatur à causa efficiente.

Probatur prima pars assertionis.

Nam omnes morbi habẽt causam cõtinentẽ, qui ponuntur posita causa efficiẽte sine alia adjectione, ac ea sublata tollũtur sine alia subtractione: sed omnes morbi, quorum causa materialis est mutata in statum præter naturã à causa illorum efficiẽte, ac in eodem statu ab eadẽ conservatur, ponuntur posita ipsa causa efficiente, atq. ea sublata auferũtur, igitur omnib. morbis est causa cõtinẽs, quorum causa materialis retinetur, & conservatur in statu præter naturam à causa illorum efficiente. Propositio nõ indiget probatione. Confirmatur assumptio. Omnes morbi, quorũ generatio, ac deinceps permanẽtia, stabilitas, & duratio proximè pẽdet à sua causa efficiẽte, posita ea ponuntur, & tolluntur sublata: sed omnes morbi, quorũ causa materialis mutatur in statũ præter naturã ab efficiẽte, ac in eodẽ statu ab eadẽ cõservatur, habẽt generationẽ, ac deinde permanẽtiã, stabilitatẽ, & durationem à sua causa efficiente, ergo morbi, quorum materia mutatur in statum præter naturam ab efficiente causa, & in eodem conservatur, ponuntur posita causa efficiente, atq. ea sublata auferuntur.

Probatur altera pars assertionis.

Altera cõclusionis pars respicit reliquos morbos, quorum materialis causa in partib. ineſt præter naturam absq. generãte causa, utpotequæ jam fuerit prætergressa. Huj⁹ generis sũt intẽperies nudæ, ut hæctica febris, solutiones cõtinui manifestæ, nonnulli morbi figuræ, asperitatis & levitatis atq. situs, omnesq. morbi numeri, & magnitudinis deficiẽtis, qui sine causa cõservante, fovente-ve in suo statu fortiter, cõstãterq. manẽt. Quos continente causa orbatos esse planè putandũ, quòd priventur efficiente, quæ illos foveat, & cõservet: nisi fortè quis labatur, & cadat in eã opinionẽ, quæ primas qualitates, formationẽ, numerũ, magnitudinẽ, sitũ, & cõtinuitatẽ prẽter naturã, causas morborũ efficientes constituit, cujus quidem nos opinionis falsitatem retrò dissimulanter designavimus, in posterum dilucidè commostraturi.

1. Solutio.

Sed ne aliqua scintilla disceptationis relinquatur, cõtroversiæ reliquias persequamur, & quæ in prima opinione contrà nostrã dicta sunt, infirmemus, ac diluamus. Auctoritati ex Gal. desumptæ respondere possumus primas qualitates in nostris corporibus perpetuò agere, & pati, sed tunc bifariã procedere. Primò causæ dicuntur efficiẽtes quãdo mutuò inter se ipsas certatim progrediũtur, & ad opera tendunt à natura restrictè præfinita. Secundò dicũtur causæ materiales, quatenus ex illis mutua actione, & passione recte dispẽsatis, tanquã forma ex materia, educitur sanitas partiũ similarium: perperam verò dispositis morb. ipse. Nã primę qualitates mutuò agẽdo, & passiendo, propriaq. munera exequendo, se ipsas disponũt: sanitas autẽ & morb. ex ipsis profluunt, nõ quatenus agũt, & patiuntur, sed quatenus actione, & passione mutua muniũtur, & præparantur ad futuri mixti actiones ministrãdas: hæc verò dispositio materiã notat, & designat. Cũ igitur qualitas, quæ immodicè contrariam superat, quæq. respectu illius causa efficiens dicitur, sit materia satis cõmodè dispositа, ut ex illa intẽperies eliciatur, calida, si superat calor, frigida, si frigus, hinc dixit Gal. morbi speciẽ respondere naturæ causæ superãtis, per quã intelligit efficientẽ & excellentẽ qualitati cõtrariæ, quã superavit, quoniã si respectu morbi educti consideretur, materialis causa est.

Alt. solut.

Vel dicamus, primas qualitates esse causas materiales superãtes propter vehementiã causarũ efficientiũ, quæ vel extrinsecus, vel intrinsecus graviter urgent. Quibus Galeni verbis sic interpretatis primæ rationis

nis assumptionẽ, atq. illius probatio nẽ corruere, ante oculos est.

2. Solutio. Secundâ rationẽ, ut solvamus, expedit prælegisse quæstionem à nobis constitutã libro de differentia morborũ, qua fuit quæsitũ, an morb. alterius morbi causa sit, ubi determinatum est, non morbũ, hoc est, partis cõstitutionẽ, sed ejus materiã, ex qua constat, esse alterius morbi efficiẽtẽ causam: ut, cum bubo, intẽperies nẽpe cũ fluxione humoris, diariã produxit, causa febris non est partium præter naturã intemperies, sed sola caliditas cordi ab ardore partis delata. Similiter, si inflãmatur venæ tunica, ut occludatur meatus, causa obstructionis non est venæ constitutio organica, sed sola tunicæ aucta magnitudo. Quemadmodum, si ob polypũ, qui numerũ addit, claudatur meatus nariũ, causa obstructionis nõ est dispositio, vel nariũ constitutio ex numero vitiata, sed solus ipse numerus: quæquidẽ exẽpla suppositа fuerunt à Gal. Quamobrem, cũ morbũ morbi causam esse loquimur, tametsi morbũ, qui effectus est, formaliter, ut dicũt, planè intelligamus: at morbum, qui causa materialiter, ut ita loquar, sumere necessariò cogimur. Quo fundamine jacto respondeo ratiõnẽ demonstrare formationem, numerũ, magnitudinem, & cõpositionẽ esse morborum causas efficientes, & cõtinentes, quum morbi ex morbis originẽ trahunt, quod quidẽ nos libenter cõcedimus: veruntamen hîc de illis morbis cõtroversamur, qui post orrũ sine causa perseverant, primoq. modo ex trib. adductis dicuntur cõstanter permanere, ut est morbus in numero diminuto.

In contrò. quæst. 47.

Lib. de diff. morborũ in cap. 7.

Sed quid impedit, quo minùs diminutus numerus sit hujus morbi efficiens causa, & inde continens? Hoc nimirũ, quòd efficiens causa ex numero tanquam ex materia morbum eduxerit, nec possit una, & eadem res unico respectu efficientis & materiæ munere fungi. Qua de re suo loco planiùs, & pleniùs.

Objectio. Solutio.

3 Solutio. Idẽ ultimæ rationi respõsum reddimus. Divisa cõtinuitas respectu figuræ causa est efficiens fortasse: non enim hac in sententia consisto: at partis, cui præstat usum continuationis, & unitatis, omninò materies est.

Porrò ad secundæ opinionis auctoritates respondemus, Gal. admisisse causam continentẽ, quæ rei essentiã continet, dũtaxat tamen in rebus, quæ omninò fiunt (tametsi periniquo animo, ut non semel dixi) in morbis verò rebusq. alijs factis, & permanẽtib. prorsus negasse, idq. libris de plenitudine, in defensione Hippocratis adversus Iulianũ, & in Synopsi de pulsib. Nã librum de causis cõtinentib. cujus meminit in cõmentario de libris à se editis, ego semper irrisi, cum nusquam liber ille inveniatur. Veruntamẽ de continẽte causa, qua præsente præsens est, morb. & absente absens, de qua nũc agimus, libro de plenitudine, & in synopsi de pulgb. nihil omninò dixit: in defensione verò Hippocratis, quãvis pluries memineritillius, quũ Æsclepiadis, & Iuliani Sophismata dissolveret, nihil de illa constituit, licet in ejus doctrina multæ sint causæ, quib. positis, & sublatis, ponantur, & tollantur effectº, quas ipse vocavit antecedentes, non cõtinentes, ut methodi undecimo, libro de differentia morborum, & in arte medicinali. Cum igitur hoc loco de causa continente contendamus, qua præsente est præsens effectus, absens verò absente, Gal. autem citatis locis, vel nihil dixerit hac de causa, vel nihil maturé decreverit, profectò auctoritates istę nihil cõcludere possũt.

Solvuntur auctо. secũda opinio.

Cap. 32.

Cap. 11. Cap. 7. Cap. 88.

Rationis primæ negamus propositionem, ad cujus probationis assumptionem respondemus, res permanentes dici trib. modis, & quamvis, quæ primo modo permanentia dicuntur, ablata generãte causa, apta sint in corpore permanere, ut hectica febris: tamen, quæ secundo modo dicuntur permanẽtia, licet jã existãt, veruntamen in sua causa nituntur, & augentur, ut putrida febris: quæ verò tertio modo permanent, quamvis non amplius augeantur, à causa tamen præsente sustentantur, ut obstructio.

Solvitur 1. Ratio.

Ecce multa permanentia, quæ sublatis suis causis manere nequeunt, tametsi aliqua, sine ea, quæ ipsa excitavit, causa, permanere possint. *Nam causa omninò à morbo*

1. metho. cap. 8.

diversa est: morb. enim (ait G) *cũ actione* E *unà consistit, nec potest usquam, aut proba actio esse sine corporis naturali affectu, aut vitiosa, nisi corpus sit vitio affectum: morbi autem causæ possunt quidem non etiam esse, possunt autem & adhuc nunc*
4. metho. cap. 4. *manere.* Et rursus. *Auspicari namq; perpetuò oportet ab indicatione, quæ ab effectu, cui mederi paramus, accipitur: æstimare verò ac discernere, an causa, quæ affectũ excitavit, jam desierit, an nunc quoq. ipsum tum augeat, tum faciat.* Quare illa permanentia solùm causa carent, in quib. agere jam ipsa desijt: quæq. tota jam facta sunt, atq. ita constantia, ut nullius causæ præsentia egeant, F qualia hectica febris, vulnusq. manifestum habentur. Tamen plura sunt permanentia, quæ ita cum suis causis hærent, ut unà cum illis simùl, & cõstent, & tollantur. *Ostensum á nobis est*
Contra Iulianũ c. 6. (inquit Gal.) *in his commentarijs, quib. symptomatum causas enarravimus, atque ubi tumores præter naturam tractavimus, convulsionem interdum, tremoremq. ac in universum phlegmonẽ, & erysipelas, idq. quod à recentioribus medicis œdema vocatur, aliosq. præterea affectus, plenitudinis inniti hypothesi*, hoc est, plenitudini incumbere, & insistere, *tum, si plenitudinem evacuet quis, ad naturalem quam*
Antica. *primùm* (ἀρχὴν) *statum redire membrum.*
Ibidem, cap 7. Et paulò post *Ceterum nos sæpiùs inter* G *ipsa artis opera post utriusque plenitudinis inanitionem homines sanitati continuò* (παραχρῆμα) *restitutos ostendimus.*

Paralogisma. Solvitur alt. ratio. Porrò quemadmodum natura rerũ permanentium hos homines latuit, sic in altera ratione mens Gal. præterijt. Vnde alterius rationis propositio falsa est, veluti etiam propositio probationis ejusdẽ. Etenim symptoma non indicare, quod auferatur ad morbi ablationẽ, nũquam dixit Gal. quoniam indicatio sumitur ex natura rei, sive sola ipsa per se subsistat, H sive sequatur aliud, cui sit antea medendũ. Scripsit ergo methodi undecimo eorũ, quę prẽter naturam sunt, duas esse differentias, alterã eorum, quæ per se subsistunt, ut morborum: alterã illorũ, quæ in ipso fieri essentiam habent, cujus generis est actio læsa. Cumq. curatio veré, & propriè sit morborũ sublatio, quã sequitur confestim symptomatum amotio, satiùs erit, inquit Gal. existimare solos
Cap. 12. morbos remedia contraria postulare, eo quod in corpore tantum ipsi verè subsistentes sint. Quamobrem symptomata indicatione privavit, nõ quod sequãtur morbũ, sed quod bona pars illorum sit in fieri, ac dependeat á morbo tanquã à causa cõtinẽte generationem illorũ, & quia nihil habent independens à morbo, quod possit indicare: atverò morbi factam habent suam generationem, atq. propterea non dependet ab aliquo illorum essentia, ideo indicant. Vnde multa, quæ necessariò sequuntur, remedia exigunt, & quidẽ longè diversa, quã postulent ea, ad quæ cõsequuntur: lapis enim, cũ vesicæ meatum occludit, postulat ejectionẽ, incisionem, vel transpositionẽ: obstructio verò, quæ lapidem obstruentem sequitur, indicat reserationem, & apertionem juxta Gal. præcepta in Cap. 94. arte Medicinali tradita, cum tamen sublato lapide, obstructio continuò evanescat.

Solvitur 1. ratio Vallesij. Demum accedamus ad diluendas rationes tertiæ, ac postremæ opinionis, dum nostra decreta contradixit. Ergo negamus primæ rationis assumptum. Ad probationẽ respondemus in intemperieb. cũ fluxione humoris, atq. adeo in putridis febrib. sublato, qui partes solidas invasit, humore putrido, cujus nos caliditatẽ præter naturam febris putridæ continentem causam esse jure putamus, nonnunquam cessare febrilem calorem in corpore excitatum, nec refrigeratione alia opus esse. Quod si pucgato humore nonnunquam febricula supersit, profectò vel humoris aliquid adhuc restat, vel putrida fuligo per membra dispersa illorũ caloré præter naturam tuetur, & fovet. Quẽ tametsi Gal. post sublatam putredinẽ, auferri jubeat, in id facit, ut quę adhuc à putredine manẽt fuligines, & vapores per universum corporis habitum diffusi alterẽtur: nam si omnes absersi, & adempti forent, minimè esset ea refrigeratione opus. Sic nostra curandarum febriũ putridarũ methodus cum præceptis Gal. mirificè congruit. Nam plethora, & cacochymia, tum per sectam venam, tum per medicamentum purgans evacuatis, si fortè febricula supersit, pulli

gallina-

gallinacei carnis partem, hordeum sine cortice, & graminis radicum paululum in aqua purissima elixamus, dum juris remaneat scutella, sub finem addimus aliquot amygdala, quatuor que semina frigida majora resolutis corticibus obtrita & contusa, saccariq. pauxillum, & prima luce dulciculam potionem propinamus, quo vasa penitus referemus, & aperiamus, simulq. relictos humores, vapores, vel fuligines, omnesque partes alteremus, & refrigerem⁹: postmodum verò, ubi necessitas cogit, iterum, sed benignum & facile pharmacum damus, *quod mixtum quodammodo est hujusmodi opus ex præseruatione, & curatione*, docente Galeno.

2. *Apho. com. 22.*

Solvitur alter ratio Vallesij.

Alterius rationis negamus antecedens, & assumptionem probationis illius. Nam cum intemperies cum fluxione ab humore defluxo, ut febris putrida nomen à putredine trahat, non potest tolli humor putridus, vel ab eo excitatus vapor, quin per consequentiam sine vlla mora tollatur intemperies cum affluxu, & febris putrida. Hinc Sebastianus Montuus, & Mar. Antonius Montisianus responderunt à putredine non simpliciter febrem, sed febrim putridam excitari, vnde sublata putredine continuò tolli febrem putridam. Quod si calor præter naturam é corde in omne corpus effusus alterandus relinquatur, alterius generis febris est, non putrium. tum quod non foveatur á putredine, tum quod non postulet prævisionem, ut putrida, sed veram curationem, ut hectica febris. Quæ quidem solers ac subtilis ab omnibus judicatur solutio. Attamen subtiliùs ista, & exquisitiùs dicûtur, quã res postulat, tanta subtilitate nobis hic opus non est.

Lib. 2. dialexi quarta. Quæst. 8.

Aut. alia Solutio.

Ego respondeo putrido humore vacuato febrẽ repentè ac subito extingui. Nam sic ratiocinatur Vallesius. Putridus humor potest tolli ad punctum temporis: sed febris, quêadmodum & quælibet patibilis qualitas ad sui sublationem postulat tempus, quoniam corrumpitur per motum, ergo humor putridus non potest febrem vná secum trahere, quare non erit causa illius continens. Ego, inquam, respondeo, quod respondisset G. si hæc ei argumentatio fuisset objecta quotiescunq. illã causam animo concipiebat, quam nos reputamus continentem. Primo de locis patientib. dixit *interdum facile passionem solvi, adeo ut simul atq. opifex causa fuerit separata, ipsa conquiescat.* Ponit in exemplum colicum dolorẽ, cujus causam constituit, vel intemperiem, vel solutionem continui, hujus verò humorem vitreum, quo, inquit, excreto, vel vnico temporis momento finitur dolor. Postmodũ concludens addit. *Quippe no nnunqam à causa quapiam oritur passio, sed ita oritur ut separata causa, haudquaquam permanẽtem habeat dispositionem.*

Cap. 81

Iam si continuitas, vel intemperies non possunt temporis momento inpristinum statum reduci, quoniam ad hoc requiritur motus, & consequenter tempus, cur dixit, excreto humore vitreo, qui subitò potest intestina deserere, momento temporis dolorem finiri? Similiter locutus est libello contra Iulianum, cum scribit in tumoribus præter naturam, si plenitudinem evacuaverit quis, ad naturalem quam primum statum redire mẽbrum. Ac deinde, se ostendisse homines sanitati continuò restitutos post utriusq. plenitudinis inanitionem. Nonne plenitudo potest ad temporis punctum evacuari? At intemperies, vel febris à plenitudine orta, ut tollatur, corruptionis cursum requirit.

Cap. 6.

Cap. 7.

Nota cõntra Galẽnum.

Pro Galeno præbeat responsum ipsemet Vallesius integer quidem vir, ac nemine probitate inferior. Respõdebit, quæ eleganter scripsit, dum scholijs suis exponeret citata verba, Galenum ibi non loqui tam rigidè, ut quæstionem Logicã potiùs, quam medicam constituat: disputat enim medicè magis. Nam illum morbum docet simul tolli cum causa, quica sublata, non eget curatione, sed protinùs curatur ab ipsa natura. Quãobrem expurgato humore, putredine absterſa, vapore omni, atq. fuligine dissolutis, & dissipatis, brevi tempore, ac celeriter, sic vanescit febris cum actionum læsione, ad nihilumq. recidit, ut medicus sensui addictus, & constrictus temporis mo-

Vallesij solutio.

t. de lõ. aff. cap. 2.

mento

momento in nihilum occidisse pro certo habeat, & arbitretur.

Corollarium. Quare, cum in plurib. intemperieb. insit causa continens, in permultis morbis organicis, & sepissimè in solutione continui, profecto, si non in omnib. morbis: at saltem in omni morborum genere dari causam continentem, qua posita ponitur effectus, & qua sublata radicitus tollitur, asserendum est.

ARG. CAP. III.

Exemplo extinctionis ignis monstrat quomodo inducatur morb. frigid⁹, cujus sex deinceps causas exponit, corporis frigidi viciniam, substantiam frigidam, constipationem raritatem, otium, & motum immodicum: ac de tertia nempe constipatione per occasionem non pauca.

CAP. III. tex. 6.

CAlidæ quidem ægritudinis in universum diximus causas, nunc ad frigidam veniamus. Sunt vero & hujus plures numero causæ, veluti refrigerantium propinquitas, & ciborum potuumque quantitas ac qualitas stipatio que ac rarefactio, ac præterea otiū, & immodicus motus. Quib. etiam occasionib. ignis extinguitur. Nam si parvo carboni multū nivis, aut glaciei super imponas, aut plurimā aquā super infundas, continuo extinguitur. Sic, ubi circunstans aer sit præter modum frigidus, veluti hyberno tempore juxta Istrum, non solum lucernam subdiopositam, sed & quemcunq. exiguum ignem videbis protinus extingui. Hoc quidem modo, ignis a rerum prægelidarum contactu superatur. Ab ijs autem, quæ natura apta sunt, ut ipsum enutriant, ob excessum, vel defectum, vel ob alienam qualitatem hoc pacto corrumpitur. Si enim ligna universim & multa supra parvā coacervaveris flammam, ob immodicæ quantitatis excessum, ipsam extingues. Quod si nihil omnino, aut parum admodum adjeceris, ob defectum, aut paucitatem alimenti, videbis continuo marcessere. Sic & lucernæ flammam comminui, atq. in periculo esse ne prope extinguatur inspicimus, ubi nutrimenti proprij modus non servetur. Si ve enim oleum liberaliter non adhibueris, aut multum universum superinfundas, utroq. offendes modo. Quod si largam quidem exhibueris materiam, sed quæ vel nullo modo apta sit, ut ardeat, vel cum magna difficultate incendium suscipiat, hanc etiā statim minorem efficies. Veluti si oleum aquæ commistum supra ignem conieceris. Si etiam qui flammæ circunfunditur, aerem stipa veris, aut nimium rarefeceris, sic quoque flammam decrescere ac periclitari, ne penitus extinguatur, inspicies. Stipatur autem, si cucurbitam, qua medici utuntur, vel furnulum, aut tale aliquod aliud circumponas. Quod etiam continget, si fornacum foramina clauseris. Quod si in multo sole, & calido, & aprico loco, aut ad alterā majorē flāmā admoveris, tūc quoq. minorē flammā marcescere videbis

debis: quoniam exterior flamma, ut quæ præpotentior sit, elaxat, atq. dispergit minorem. Neq. vero in obscuro est, quod si eas flabellans, hoc est, movens, siquidem modicè hoc feceris, augebis: si verò immodicè, dissolves ac dissipabis. Sic & ventos magnitudini flammæ respõdere oportet, si quid ejus augmento conferre debuerint, qui vero majores sunt, quam illa queat sustinere, dispergent, non flabellabunt. Ex quo manifestum fit, quod flamma quidem ad sui incrementum motu eget adventitio, nõ tamen immodico. Si enim nullo modo flabellatur, elanguet: vehementiore autem motu extrinsecus urgente, dissolvitur, ac dissipatur.

COMMENTARIVS.

7. Metaph. cap. 7. 1. de ortu cap. 3. 2. de coe. cap. 1. 3. metaph. cap. 2.

QVONIAM ex habitu venimus in cognitionem privationis, contrariorum verò alterum exprimit formam, & reliquum privationis vice fungitur, ut inde ex uno contrario cognoscamus alterum, hinc Philosophiæ parens Aristoteles pronunciavit eandem esse scientiam contrariorum. Galenus verò summus Philosophus & Medicus huic attendens methodo, qua morborum calidorũ superiori capite causas, eandem in præsenti frigidorum perquirit, & investigat. Principio autem sex causas frigidas esse proponit, scilicet corporis frigidi vicinitatem, substantiã frigidam, hoc est, ciborum potuumque frigidorum qualitatem, & quantitatem, constipationem, raritatem, otium, & motum immoderatum. *Quib etiam*, inquit, *occasionibus ignis extinguitur.* Vt intelligamus causas frigus producentes non esse minores, nec pauciores, quam fuerint illæ, quę calorem interstingunt, cum potiores hæ ipsæ sint, quas privativas vocare solemus, quam primò facientes, quas positivas. Iam verò hujusmodi causas foris, & in aperto ignẽ extinguere Gal. exemplis illustrat. Nam quemadmodum præterito capite ex eorum numero, quæ poterãt extrinsecus ignem, vel generare, vel exaggerare, cõfecit numerum causarum, quæ possunt intus in nostro corpore calidam intemperiem producere, similiter in hoc ex numero eorum, quæ possunt ignem extinguere, venit in numerum causarum frigidæ intemperiei.

Vicinitas.

Prima causa, quæ ignem restinguit est vicinitas corporis frigidi, quam ignem perdere trib. exemplis demõstrat. Primum, si exiguæ prunæ plurimam nivem, vel glaciem imponam', cõtactus ille ignem extinguet. Deinde, si frigidam aquam in eandem prunam infundas, confestim illam restingues. Tandẽ, si ambiens nos aer summé sit frigidus, qualis potissimum hyberno tempore apud Istrum, non solum lucernam sub dio expositam; verum etiam omnem ignem exiguũ statim extingui videbimus. Atq. ita quidem à prægelidorum vicinia ignis vincitur.

Prunã. Ister.

Porrò pruna distinguitur à carbone, quod illa sit ardens, & viva, carbo autem extinctus. Ister verò, alio nomine Danubius, maximus est Europæ in Germania fluvius, secundus quidem post Nilum, Eusonio & Ovidio testib, *Ὑπαίθριον* autem interpretatur subdio, & sub cœlo absq. tecto. Nam *Αἴθριος* dicitur, qui est subdio, sub aëre, vel sub Iove frigido, ut Horatius loquitur, & Lucianus, *Τὸ αἰθρίον τῆς αὐλῆς*, subdialis pars atrij. *Ἐναίθριος*, & *ὑπαίθριος* composita pro eodem sumuntur, ut *ἐναίθριον τόπον* apud Theophrastum, subdialia loco, & apud Discoridem, *ὑπαίθριοι τόποι* in locis subdialibus.

Subdio.

Ypethrion. Aethrios. To aithriõ tes aules. Enathrios Ypathrios. Lib. 5. dẽ caus. plantã lib. 6. in præfatio.

Secunda causa, quæ ignem perimit est substantia frigida: solet autem ignem extinguere tripliciter, vel quia multa, vel quia pauca, vel quod sit contraria qualitate affecta. Materiã multam ignem suffocare duplici exẽplo declarat. Si ligna multa cõfertim supra flammam exiguam coacervaverim', tametsi ligna siccã sint;

Substantiã

propter

propter immodicæ quantitatis excessum videbimus ignem protinus obrui, & suffocari. Similiter, si quis in lucernam copiosiùs oleum iniecerit, extinguetur omnino flamma, quoniam alimenti, alioquin familiaris, abundantia calorem obruit, utpotequi tantum multitudinem nequeat superare. Pauca materia id ipsum præstare potest, quod etiam in lucem profert duob. exemplis. Si nihil omnino, vel ligna admodum pauca flammæ supeditaverimus, ipsam tabescere, ac statim consumi videbimus ob alimenti defectum, vel pauci tatem. Itidem lucernæ flammam extinguemus, sive ei olei nihil adhibeamus, sive quam parcissimè infundamus. Demum contraria qualitate flãmam reddemus minorem, tametsi largam exhibuerimus materiam, si ea materia suapte naturâ nequaquam ardeat, vel non nisi difficulter, veluti si oleum aquæ mixtum in fundamus.

Tertia causa, qua ignis extinguitur, est constipatio, hanc illustrat Gal. triplici exemplo, videlicet cucurbitulæ medicæ, furnuli, & camini, vel fornacis. Porrò, ut idem scribit, *omnes flammæ duplici moveri motu videntur: altero à materia, ex qua accenduntur, per quem maximè feruntur sursum, & undequaq; dispergunter* (ignis enim & aer, ait Marc. Tullius, sursum rectis lineis incælestem locum subvolant) *altero huic cõtrario ad sui ipsarum principium, ac veluti radices vergente, perquẽ considunt, & contrahuntur, quoniam generatio uniuscuiusq; flammæ est ex subiecta materia accendi. Quod enim, inquit, accẽssum est, semper in motu ad exteriora discutitur, dissipaturq; intro autem inclinat alimenti accipiendi gratia.* Sed, cum destituitur motu externo, suffocatur: cũ interno, dissipatur. Corrumpi igitur omnem flammam est necessarium, si aut interno motu scilicet ad materiam, aut altero externo, qui ad aerẽ externum vergit, privetur. *Quippe ex contrarijs motib. quorum alter alterum mutuo excipit, & consequitur, alterum sine altero conservari impossibile est*, ut in cordis, & arteriarum dilatatione, & contractione licet observare. Iam verò, cum stupa ignem concipit, flãmaq. excitatur, ex ijs, quæ motum hunc immodicè intra cohibere possunt, est cucurbitula medica undiq. circumposita: hæc enim sine morã flammam aere, motuq. externo privat, & prohibet, quo motu deperdito, internum motum perire, continuoque flammam suffocari, & extingui, palam proptum, & manifestum est.

Cõstipatio. *Lib. de utilitate resp. c. 3. & li. de trem. cap. 6.* *Li. de util. resp. c. 3.*

Est autem flamma fumus ardens ab spirante igne ad auram superam emissus una cum fuliginosis excrementis. Porrò πυγὶς furnus, seu furnulus, in quo carbones suffocantur, extinguntur q. aut aliud ejusmodi circumpositum, aerem stipando flammam perstinguit. Vaporarium cubiculum vertit Copus, cum suffocato rium potius quippiam vertisse debuisset, seu angustum, & cavum, uti ex alio loco eiusdem Galeni poterat in hunc transcribere. Nam πυγὼ, à quo proculdubio πυγὶς de duxit Gal. suffoco est: hinc Aristophanes per jocum cœlum vocat πυγὶσα, quod æstivo tempore suo fervore suffocet ea, quæ ambit, non aliter ac caminus inclusos carbones. At verò ἀναθυμιάζω, quod est vaporo, & exhalo, verbum prorsus contrarium est. Similiter, si camini, vel fornacis foramina claudãtur, suffocatur & extinguitur flãma. Foramina dixit, quib. minutissimis quibusq. clausis proculdubiò extinguitur ignis intercluſa omni euaporatione.

Flamma quid. *Pnigea.* *Reprehenditur Copus.* *De utilita. resp. c. 3.* *Pnigo.* *Pnigean.* *Anathymiazo.*

Quarta causa, cur ignis extinguatur raritas est constipationi contraria. Nam, quemadmodum flamma periclitatur extinctione, cum aer, qui flammam circundat, constipatur, ita dissimili ratione, cum rarefit aer, videmus flammam confestim diminui. Hoc inde patere docet Gal. duob. exemplis. Si quis in multo sole, & æstivo, & aprico loco, sou q. expositio ignem accenderit, statim ignis rarescet, vehementerq. dissipabitur. Præterea si minori flammæ alteram majorem adhibuerit, tunc minor tabescet, quòd à majore rarior fiat, & longe discutiatur dissipeturq. Quam obrem magna, tum constipatio, tum raritas ignem extingunt, quemadmodum præterito capite calorẽ augebat inter utramq. media constipatio moderata.

Raritas.

Quinta

Otium. Quinta causa est otium, seu quies, quæ, ut experientia monstrat, accensam flammã extinguit. Nã ignis, qui omnino non ventillatur, & sufflando nõ excitatur, continuò elanguescit, cum nequeat é se, qua intercluditur, & comprimitur, favillam discutere.

Motus immoderatus Sexta, & ultima causa est motus immodicus, quo, & contraria quiete, ut extinguatur ignis manifestè satis explicat Gal. & probat argumento à natura medij, & contrariorum petito. Nam hoc ante omnium oculos positum est, quod augeatur flamma, si modice ventiletur, quod itidem libro de utilitate respirationis docuit: dissolvatur verò, ac disipetur, si diffletur immodicé, at vero cum omnino non ventilatur, elanguet. Quoniam moderatum & immoderatum contraria sunt: motus commoderatus ignem accendit, ergo motus, & quies immoderati extinguunt ignem, in quo quidé motus & quies valde consentiunt: at, cum inter se contraria sint, magnopere dissentiũt in extinctionis modo, quandoquidé quies intercludendo, & opprimendo, suffocandoq. motus verò disipãdo, & discutiendo ignis interitum faciunt. Atq. hæ sunt occasiones, quæ ignem extinguere solent, de quibus etiam Gal. libris de utilitate respirationis, & de tremore, palpitatione, & rigore.

TEXT. VII.

SECVNDVM igitur primam causæ speciem, cum omne frigidum forinsecus advenerit, partim contactu tantum, partim potentia, frigida ægritudo consistit. Sic aliquis in frigida natãs aqua læsus est, & malè lotus, & per gelida loca iter faciens. Non nullos etiam vidi exanimatos, antequam domum deferrẽtur.

COMMENTARIVS.

HActenus Philosophico more, quot modis extingueretur ignis, unde frigiditatis causas colligeret, disertissimè tractavit, nunc medici perfuncturus officio, qua ratione prædictæ causæ in nostris corporibus frigidos morbos producere possint, eadem exponit ac interpretatur methodo. Prima causa erat vicinitas rei frigidæ: principio igitur edisserit, quo pacto quis à vicinitate frigidorum foris occurentium, sive id solo contactu fiat, sive potentia, noxam sentiat. Et contactum quidem dixit eorũ, quæ actu frigida sunt: hæc enim tangentia tantummodo quam primum vires exerunt suas: at quæ potestate talia fuerint, non sit statim, sed interveniente aliqua temporis mora, ut in actum suum à calore incitata perducantur. Sunt autem actu frigida & quæ per se sunt talia, ut aqua frigida, & quæ per accidens, ut vinũ refrigeratum: potentia verò frigida dicuntur hoc loco illa, quæ per se, & ex propria natura talia sunt, non autem ex accidenti, ut lactuca; quæ tertia est potestatis significatio tertio de temperamentis á Galeno duob. modis subjuncta. Ergo morbos frigidos vicinitate producunt ea, quæ extrinsecus occurrunt, sive secundum contactum solummodo, &, ut sic dicam, actuali tantum frigiditate, τῶ δὲ κατὰ τὴν δύναμιν, *sive etiam secundum potestatem*, ut convertit Lacuna, hoc est, sive contactu & potestate simul: sunt enim aliqua, quæ solo contactu refrigerant, ut vinum refrigeratum nive, plura vero, quæ & contactu, & potestate, ut glacies. Quibus demonstrãdis tria exempla adiunxit Gal. Primum petitur ex his, qui in aqua frigida nantes nimis refrigerantur, lædunturq. alterum ex his, qui male lavantur, ac tertium ex his, qui per gelida frigidaq. loca iter faciunt.

1. *Causa morbi frigi. vicinitas rei frigidæ*

Cap. 11

Porrò immodicum *frigidum convulsiones, distentiones, denigrationes, & rigores febriles ad fert.* Convulsiones, tum per se, tum ex eventu: ac per se quidem, quia nervos siccando indurat, atq. mordendo contrahit: ex eventu excrementitios humores cogẽdo, ac

5. Aph. 17 lib. de humidorũ usu non longè principio. Philoteus.

nc

ne dissolvantur, impediendo. Tetanos, id est, *distentiones*, convulsiones etiam sunt, fiuntq. ab eadem causa, æqualiter affectis antagonistis musculis. Denigrationes fiunt extincto partium calore nativo, & intercepto vitali spiritu. Tandem rigores febriles, non quod semper fiant febres post eos rigores, sed quod tales sint, ut scribit Celsus, quales fieri solent per initia febrium.

Oribasius. *Celsus li. 1. cap. 9.* *Ibidem.*

Præterea balaneion balineum, sive balneum (ἀπὸ τῶν βαλανων, à glandibus quæ in balneis succendi solebãt, quoniam apud antiquissimos glãdes hominibus fuerunt verò putamina & cortices igni alimenta præbuerunt) id dicitur, quod sudandi, lavandi, detergendiq. corporis usib. est deputatum.

Balaneion. *Apo Ton Balanon.*

Constabat veteribus ex quatuor partibus varia facultate præditis: siquidem primum ingredientes denudabantur, & in aere versabantur calidoq. postea in aquam calidam descendebant: mox ab hac egressi infrigidam: postremò sudorem detergebant.

Li. 10. met. cap. 10. *Cic. lib. 3. epist. ad q. fra. epis. 1.* *Oribasius 10. collect.*

Primam partem Celsus Laconicũ, Vitruvius Hypocaustum, alij Promalacterium appellabant, ut ait Gal. quòd in ea corpus præmolliri soleret. In hac enim parte, qui lavari debebant, primum versabantur, antequam lavacrum ingrederentur. Constabat solo aere, coq. triplici, primũ tepido, deinde mediocriter calido, postea multùm calido. Sic enim sensim, blandeq. corpus incalescebat, meatus aperiebantur, densatæ partes, densatiq. humores liquabantur, atq. fundebantur, contenta sub cute, calor, vapores, humores, & excremẽta foras vacuabantur.

Lib. 3. c. 6. *lib. 6 c. 5.* *lib. 9 simp. ca. de Chalcanthо.*

Ab hac in secundam ibatur, via quam fieri poterat brevissima: tepidarium, & Caldarium Vitruvius vocat. Constabat tribus aquæ solijs: primum tepidæ, secundum mediocriter calentis, tertium calidæ erat. Hujus opus est per se quidem calefacere, humectare, vias aperire, densata fundere, laxare, evocare, mollire, lenire, coquere, somnum cõsiliare, per accidens verò refrigerare, eductis fuliginosis excrementis, & foras evocato calore, exiccare, evacuare, discutere flatus, digerere per halitum, & corpus extenuare, pro modo scilicet caloris, & temporis, quo quis in ejusmodi solijs diversabatur.

Lib. 5. c. 10

Tertia vero balnei pars, quæ Vitruvio Frigidarium, constabat simili ter tribus aquæ solijs, quorum primum aquam mediocriter calentem, secundum tepidam, tertium frigidã contineret. Ab ea corpus refrigerabatur, cutis cogebatur, meatus claudebantur, & densabantur, calor, spiritus, & humores introrsum repellabantur, atq. immoderatum substãtiæ effluvium comprimebatur, totumq. adeo corpus per accidens calidius reddebatur, clausis videlicet meatib. ne calor tam nativus, quam ex calidæ lavatione ascitus expiraret.

Lib. 6. c. 5.

Demum quarta balnei parte, quæ Apopsesterium dicebatur, nos purgatorium vocare possumus, exiccabatur corporis mador, sordes strigili, vel pannis asperis detergebantur cutis fricabatur, & oleo aliquo conveniente inungebatur. Sic quidem se habebãt quatuor balnei partes, quas domos aliqui appellabant.

Ergo fœliciter & tempestivé lavabantur, qui sensim, ordinatimq. has partes percurrebant: aliqui verò lavabantur malé (ut hoc loco dixit Galenus) & intempestive (ut decimo methodi) nimirum præposteri homines, tum qui aliquam balnei partem prætermittebant, tum qui sine vllo ordine, & modo primo quoq. tempore se infrigidam immergebant: hi enim grauibus & periculosis morbis urgebantur, atq. miseris diuturnisq. intemperieb. frigidis opprimebantur, peneq. confecti tabescebant.

Cap. 10.

Tandem qui per nivosa imbribusque referta loca diutius iterfecerũt, periculum subjerunt. Quorum non nullos ita læsos esse scribit Gal. ut in ipso itinere, prius quam domum reverterentur (quod etiam superiori libro testatus est) stupidi, torpidi, segnes, ac tandem convulsi mortui sint. Iam vero hujusmodi causa morbum etiam commitialem inducere solet, ac præterea convulsionem, unde, qui frigidioris cæli inclementia

Cap. 5.

in

in itinere mortui sunt, alij emprosthotono, id est, convulsione ad anteriora, alij opisthotono, id est, convulsione ad posteriora, alij tetano, id est, distentione, alij congelatione correpti, alij apoplexia quippiam simile (ut etiam dixerat ibidem) perpessi sunt.

TEX. VIII.

IVXTA verò secundam causam, aut morbum attonitum, aut comitialem, aut motus sensus-ve lasionem, ex ebrietate aliquis subijt: quamquam vinum modicè haustum, ut quod maximè proprium alimentum sit, nativum calorem adauget. Sic & optimi cibi quique plurimùm animali afferunt nutrimentum, supra modum assumpti, morbos frigidos generant. Sic quæcunq. vel devorantur, vel bibuntur, si frigidiora natura sint, morbos frigidos pariunt: ex horum numero est papaver, mandragora, hyoscyamus, cicuta, quæ sanè nimia frigiditate etiam interimunt.

COMMENTARIVS.

SECVNDA causa morbi frigidi est alimentorum excessus, vel defectus, vel aliena qualitas: quanquam Gal. excessum, & qualitatem solùm demonstret, quoniã ob defectum minùs sæpe cõtingit, ut quum quis atrophia laborat, contabescente calore, ex inopia nutrimenti. Ergo ob alimentorum immodicã copiam nõnulli apoplexia, morbo comitiali, stupore, atque resolutione correpti sunt, multis scilicet alimẽtorũ multitudine crudis humorib. frigidis, & crassis in cerebro coacer

A vatis. Exemplo sit crebra bibacitas, temulentia, & ebrietas, ex qua plerique frigidis accumulatis humoribus multimodis refrigerantur.

Nam temetum (sic dicitur vinum, quòd tentet, hoc est, labefactet mentẽ) si immodicè sumatur nervos & caput tentat, repletq. unde paralysim, stuporem, apoplexiã, nervorum incontinentiam, furorem, rabiem, cõvulsionẽ, vertiginẽ, arthritidem, cæcitatẽ, malũ habitum, omnemq. frigidorũ morborũ colluviem tandẽ infert. Hinc pallor, & genæ pẽdu
B læ, oculorum ulcera, tremulæ manꝰ, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, fœtidi ex ore halitus, ac ferè rerum omniũ oblivio, morsq. memoriæ. Quoquid pernitiosius? Quid infœlicius? Vino itaque ceu salutari vitæ sustentãdæ præsidio, non ut veneno utamur. Quoniam prædicta omnia vitia ex accidente, quod scilicet immodicè sumatur, inducit.

Vini noxæ. Vinum cur dicatur temetum. 3. epidem. 2. cõ. 1. & 5. 3. de rat. vic. com. 41 De puero epileptico cap. 4. 5. apho. 4. Plin. lib. 15. cap. 22.

Si enim moderatè ingeratur, insitum calorem adauget, accendit, &
C conservat, ut quod sit maximè familiare alimentum. Nam probè celeriterq. nutrit, humectat, calefacit solidas partes, vires corporis omnes roborat, atque confirmat, semicrudos humores concoquit, quãtum aliud quidvis, colorisque bonitatem facit, concoctionem distributionemq. ciborum adjuvat, utinam & sudores promovet, corporis habitum calefacit, & adversus senectutis duritiam, & frigiditatem summum remedium est. Adhæc somnum conciliat, spiritus & sanguinem fovet, bilis amaræ acrimoniam
D mitigat, ac frangit, mentem exhilarat, placidos mores inducit, risum, & hilaritatem excitat, humores tẽperat, mœstitiam mœrorem-q. pellit, fortes & audaces facit, ac tandem membris robur addit. Hæc in universum vini commoda.

Vini ut alimenti utilitas. 3. de temp. cap. 2. 7. apho. com. 56. 4. de sanituenda c. 4.

Vnde, si quis fortè miratur, quid sit, quamobrem vinum, quod familiare est hominis alimentum, frigida possit procreare vitia, huic cumulatè satisfecit Galenus his verbis libro de temperamentis tertio. *Proinde nec vinum ipsum semper animal calfacit, aquè ut nec*

Obiectio.

Solutio cap. 2.

oleum flammam accendit, tametsi aptissimum est ignis nutrimentum. Immo si imbecillæ, & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, suffocabis eam, prorsusque extingues, potiusquam augebis. Sic igitur & vinum ubi plus bibitur, quam ut vinci possit, tantum abest, ut animal calfaciat, ut etiam frigidiora vitia gignat. Quippe apoplexia, & paraplexia, & quæ græcè caros, & comata vocamus, & nervorum resolutio, & comitiales morbi, & convulsiones, & tetani, immodicum vini potum comitantur, quorum unumquodque frigidum est vitium. Gignit itaque vinum frigidos effectus, quòd multitudine & copia calorem imbecillum obruat, non secus ac multum oleum exiguæ flammæ confertim injectum, quod licet conveniens sit flammæ nutrimentum, tantum tamen abest, ut ipsam augeat, quin potius eandem multitudine extinguit.

Altera solutio.

Hoc vero loco, ubi generatim, atque universè loquitur de probis alimentis, respondet, nihil mirandum esse, quod vinum, tametsi hominis alimentum familiare, inducat morbos frigidos, quoniam *quilibet cibus optimi succi, & qui plurimum alimenti animali præbet, si immoderatiùs ingeratur, frigidorum morborum causa erit.* Natura enim immensam illorum copiam vincere, & cõcoquere nequit, ideoque crudis in de humoribus corpus impletur. Porrò ab excessu & defectu ad qualitatem sermonem trasfert, cumq. initio capitis potum cum cibo consociaverit, propterea quæcunque vel comeduntur, vel bibuntur, si qualitate frigida fuerint, frigidorum morborum constituit causas. Quamobrem gelida epota, ac præterea papaver, mandragora, hyoscyamus, cicuta naturâ quidem frigida, & frigidos nimio frigore morbos excitare, & copiosa quantitate comesa interimere proculdubio possunt.

TEX. IX.

VLTIMA autem stipatio (hãc enim tertiam frigidorũ morborum causam statuimus) E *facit graves sopores, & vetermum, & morbos attonitos. Et hoc est, quod dicitur ab Hippocrate. Venarum interceptiones corpori officere, quod statim vocem eripiant. Ipse namque sicuti & alij vetustiores, duo genera vasorum, in quibus sanguis continetur, venas appellat, non uti juniores, alterum tantum, quod non pul-* F *sat. Vbi verò intercipiuntur, quæ sunt in animali arteriæ, hoc est ita oppletæ sanguine fuerint, ut nullus in ipsis vacuus relinquatur locus, in quẽ, dum attolluntur, aerẽ externum attrahere possint, tunc strangulatur, atq. extinguitur calor innatus: ac qui ita affecti sunt, subitò sensum, & motum totius corporis amittunt. Ostensum enim à nobis est hoc, in eo volumine,* G *quod scripsimus de usu pulsuũ, ob eum finẽ arterias pulsare, ut calor naturalis omnibus animalis partibus moderatus conservetur. In libro antẽ de utilitate respirationis scriptum est à nobis, quod hæc quoq. insitum cordis calorem moderatum conservat. Sicuti igitur si extrinsecam flammam à communicatu circumfusi aeris se-* H *pares, interjectu fumulti, vel cucurbitæ, vel cujuspiam alterius rei similis, statim extinxeris: eodem modo si animalibus caliditatem cohibueris, atq. intercluseris, ita ut nullum cum aere exteriori habeat cõmunicatum, statim exitium afferes. Caliditas igitur cordis per faucium meatum aeri*

Devillus var. in mor. acut. com. 4. Tex. 23.

extrin-

extrinseco communicat. Quod si hunc interceperis, evestigio strangulabis ipsam, atque animal enecabis. Calor verò, qui omnibus est arterijs, quæ per totum animalis corpus dividuntur, per cor quidem ipsum in quantum faucibus communicat, & per universam cutem, in ambientem nos aerem respirat, refrigerium quidem, cum illæ se attollunt, accipiens: cum autem residet, id quod fuliginosum est, expellens: quorum utrumque nativam ejus mediocritatem cõservat. Etsi quidem stipatæ fuerint arteriæ, sive (ut nuper dictum est) ob sanguinis redundantiam, sive earum ora obstructus aliquos patiantur, ita ut nullam habeant transpirandi viam, calorem extingui necesse est: quod verò ita affectum est corpus, emori.

COMMENTARIVS.

TERTIAM frigidorum morborum causam, quam constipationem esse statuerat, in præsentia exponendam & explicandam aggreditur. Itaque mentione supra non semel illius facta, qua & calidus, & frigidus in corpore morbus succederet, nec allata ulla differentia, nũc demum, quum opus esse videtur, discriminis notam apposuit. *Constipatio*, inquit, *vltima* (ἐσχάτη) hoc est, maxima, summa, extrema, cui nihil deest, ut ad summum perveniat, calorem tandem extinguit, morbosq. frigidos *caros*, graves sopores, & *comata*, profundos somnos diuturnosque, & *apoplexias*, morbos attonitos inducit. Εἰ δὲ ἐσχάτα, inquit Hippocrates, δεῖ ἐσχάτας θεραπείας τὰ ἀρίστα φέρειν. *Ad extremos morbos extremæ exquisite curationes optimæ sunt.* Gal. in commentario. *Extremos morbos nominavit Hippocrates maximos* (μεγίστους) *ultra quos non sunt alij.* A *Ecbase.* 1. *Apho.* 6. *Ibidem.* *Megista.*

Porrò insignem constipationem prædictos morbos posse procreare, ostendit Gal. Hippocratis testimonio, qui libro quarto de ratione victus has voces habuit. *Quod autem quis repente obmutescat, id venarum interceptiones, occlusionesq. faciunt, si sano id contigerit, absque occasione, vel forti alia causa.* Vt perveniamus ad intimos Hippocratis sensus, illius verborum omnium pondera examinemus. B *Lib. 4. de ratio. vict. text. 23.* *Interpretatur Hippo.*

Ἀφωνία, vocis privatio, vocis carentia, taciturnitas, vel silentium, ut voluit Coelius Aurelianus, vel obmutescentia, si ita loqui liceat, apud Hippocratem, docente Galeno, bipartitò distributa est. Commu ni quidem significatione dicitur vocis defectio, cum nulla ratione C vox edi, emittiq. potest, quacunq. tandem de causa id contingat. Verum *Hippocrates sæpe consuevit ab uno accidente notissimo, vocis amissione, nominare, & ostendere illos, qui neq. nllum alium motum servant secundum electionem, neq. quidquam omninò sentiunt, sed facẽt eodẽ modo, quo apoplectici, sine sensu pariter, & motu.* Est enim ipsa vox actionũ omniũ, quæ à volũtate proficiscuntur, præcipua, ex cujus noxa voluit Hipp. per exuperãtiam quãdam reliquarum quoq. actionum, quæ sponte fiunt, offensionem significari. Quamobrem hac in sentẽtia, quam interpretamur, aphoniam summit vltima significatione conjunctã nimirum lęsionib. omnium actionũ, quæ sponte atq. ad arbitrium fiunt. D *Aphonia.* *Lib. 2. c. 4.* *5. aphoris. com. 6. & 6. com. 51.* *7. apho. com. 58.* *16. de usu. cap. 3.* *De bono corporis habit.* *4. de rat. vi. com. 23.*

φλὲψ. Vena apud veteres græcos nomen est commune, & venis, & arterijs, ut docuit Gal. sexto de Hipp. & Plat. decretis, commentario in primum prorrheticon, & commentario secundo de medica officina Hippocrates arterias sæpe vocat φλέβας, venas. Sic libro de locis in homine, & de principijs venam cavam à corde ortum ducere scribit, *Phleps.* *Cap. 9. Sec. 3. com. 9. com. 28.* *Phlebas.* *senten. 7. senten. 6.*

bit, arteriam magnam intelligens, quam alibi venam cavam appellavit: neque enim venas à corde oriri voluit, sed ab hepate, ut perspicuè dixit libello de alimento. *Radicatio*, inquit, *venarum hepar. Radicatio arteriarum cor.* Interdum utrasq. venas distinguit, addita particula *pulsare*, & arterias appellat *venas pulsantes* secundo epidemion, *Cui vena in cubito pulsat, iracundus.* Tertio de morbis *vena pulsantes.* In coacis *venæ temporum non conquiescentes.* Hinc libro quarto de ratione victus hæc Hippocratis verba, *spiritum in venis interceptiones*, sic interpretatur Gal. *Quod autem in fine dictionis apponitur, spiritum in venis interceptiones, id ut de pulsus carentia* (ἀσφύξιν græci vocant) *dicatur, probabile est: nam veteres arterias, venas appellabant.* Ergo in ea paulò ante scripta ejusdem libri sententia, quam hic testem citat Galenus, Hippocratem venarum nomine arterias complexum fuisse observandum est cum Galeno diligentiùs. Ἀνάληψις, *interceptio*, *interclusio*, ab Aristotele dicitur ἀναπίεσις, *interior coarctatio* ἀνάληψις οὔρου, *interceptio urinæ*, Hippocrati primo prorrhetico, interprete Galeno in commentario, est συνέχεια οὔρου *suppressio urinæ*, In hac verò sententia Hippocratis *venarum* ἀναλήψιας, *interceptiones, appellat oppletiones, quæ a copia exoriuntur. Nam cum supra modum oppletæ fuerint venæ*, & arteriæ, *gravari virtutem est necesse, atque in extinctionis agi periculum nativam caliditatem, quæ ob copiam suffocationi quippiam simile patitur*, ut in ejus commentario Galenus, qui paulo post addit, *nonnunquam sanguinem sua multitudine cunctas spirituum vias contrahere, in angustumque adducere, spiritusque naturales pertransire meatus non permittere, sed veluti in mortuo corpore concrescere, idque spirituum interceptiones Hippocratem paulo ante vocasse. Immodicas* ergo *repletiones*, ut libello de bono corporis habitu scriptum est, *venarum interceptiones dixit.* Hoc siquidem pacto apoplexiæ proveniunt, multo nimirum sanguine incumbente confertim in animantis principium. Quãdoquidem Apoplexia, Galeno docente, non modo fit cerebri *ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso*: sed etiam *propter aliquam dispositionem inflammatoriam*, cujus magnitudo internam cerebri cavitatem replere sit potens.

Præterea Hippocrates orationi adjecit, *si sano absque occasione, vel alia forte causa id contigerit.* Πρόφασις, occasio apud Hippocratem (veluti diximus supra) quælibet causa externa est, evidens, & manifesta, *ut si quis* (ait Galenus) *in lucta vel pancratio ex brachiorum accommodatione ad periculum suffocationis circumductus fuerit.*

Lucta erat exercitatio quædam, in qua luctatores bini nudi, uncti oleo, & pulvere aspersi, se se brachijs complicantes invicemque concertantes, alter alterum dejicere humi contendebat. Pancratium verò erat species luctæ, duplex quidem, alterum compositum ex lucta & pugilatu, qui fuit certamen pugilum, ex pugnis deductum, alterum, quod volutatorium nuncupabatur, in quo humi prosternebantur, atque ibi invicem complicati, seque mutuò convolventes alter alterum sibi supponere nitebantur.

Causam verò aliam fortem dixit, ob alias causas multum roboris obtinentes, ut magnus timor, vel maximus animi moeror, quæ similiter externæ causæ sunt, sed ab occasionibus secretæ, quòd plus virium habeant. Sanè vocis privatio ex alijs causis ægris contingere potest, vel quia non mittitur à cerebro facultas motrix, vel non recipitur ab instrumentis, quæ natura respirationi deputavit, vel illis dumtaxat læsis, quæ voci efformandæ subserviunt, vel ob recentem illorum quandam exolutionem facultatisq. afflictionem. Atq. in ægris (veluti prædictum est) hujusmodi vocis privationes fieri possùt. Vnde, ut ab his aphonijs vocisq. privationib. aphoniam repentinã distinguat, de qua in hac sententia fit mentio, subjungit, si sano contigerit,

Sent. 7.
Sect. 5. Sent. 1. lib. 1. Sent. 134. Sent. 26.
Asphyxiã. 4. de ratio. vict. sen. 23.
Apolepsis. In meteo. Emperilepsis Apoplepsis urin. Sectio. 2. com. 16. Epischesis urin. Apolepses. 4 de rat. victus com. 23.
Ibidem com. 27.
Ibidem com. 26.
4 de rat. victus com. 23, lib. de cur. per sang. missio. c. 5.
2. apho. com. 42.
4. de rat. vict. 23. Prophasis.
4. de rat. vic. cõ. 23.
Hie. Merc. in ar. gym. lib. 2. c. 8.

tigerit, quoniam aliæ privationes sanis non contingunt. Ergo si alicui sano absque aliqua externa causa repente contigerit totius corporis insensibilitas, immobilitasq. horum symptomatum arteriarum interceptiones, occlusionesque causæ sunt. Insensibilitatem, immobilitatemq. dixit cum Galeno, quoniam (ut idem alibi scribit, hanc Hippocratis exponens sententiam) *subitas actionum omnium resolutiones per unam admodum præcipuam*, vocis nimirum privationem, *indicavit*.

5. apho. com. 5. Libello de bono corp. habitu.

Nunc reveniamus, & cõfirmemus B assertionem, quam in initio hujus contextus intendit demonstrare Galenus nimirum insignem vasorum stipationem (de hac enim constipatione sermo est) frigidorum morborum causam esse, ad cujus confirmationem testem vocavit Hippocratem. Quoniam arteriarum interceptiones & intercluſiones causæ sunt vocis privationis, simulq. morborum frigidorum, epilepsiæ, apoplexiæ, syncopæ cardiacæ, cari, veterni, totius corporis insensibilitatis, immobilitatisque. Sed insignis vasorum constipatio nihil est aliud, quam interceptio ac intercluſio venarum & arteriarum, ergo insignis vasorum constipatio est causa morborum frigidorum. Assumptionis probationẽ silentio præterijt Gal. quoniam tametsi constipatio (στύψις) generaliter significet omnem obstructionem, tam vasorum, quam meatuum corporis, ut constat ex nono & decimo methodi, primoq. Pauli, tamen si constipatio insignis, & extrema sumatur (ut hoc loco) non distinguitur à magna obstructione vasorum.

Stegnosis.

Progreditur ergo Gal. atque licet propositio non indigeat probatione, modum tamen explicat, quo nativus calor conservatur, & ab interceptionibus arteriarum extinguitur. Respiratio, ἀναπνοὴ, est actio, qua thorace dilatato aer in pulmonem trahitur (quando inspiratio) eodem verò subsidente, & compresso (quo tempore dicitur expiratio) aer ex pulmone redit, vaporq. fumidus expurgatur.

Respiratio quid.

Pulsus verò, σφυγμὸς, est cordis & A arteriarum motus nativi caloris moderator ex dilatatione & contractione constans. Inspiratio pulsus dilatationi, expiratio compressioni proportione respondet, non aliter, quam tota respiratio cum ipso pulsu magna similitudine convenit. Cum enim unius ejusdemque usus causa respiratio, & pulsus dati sint animantibus æquum fuit similibus utrumque perfici partibus paribus instrumentis, pares similesque actiones absolvi. Nam calor, qui est in corde, ambienti aeri per fau- B cium meatum communicat, hinc respiratio in eum finem, usumque à natura est comparata, ut cordis calor ipse perpetuo aeris attractu ventiletur, purusq. conservetur. Id quod pulsus quidem arteriarum dilatatione, & compressione facilè præstat. Quandoquidem calor, qui est in tota corporis mole, tum per cor ipsum, quatenus faucibus communicat, tum per universam cutem ambiente nos aere reficitur, & recreatur primo de simplicium me- C dicamentorum facultatibus docente Galeno. Siquidem cum se expandunt arteriæ, omni ex parte per corporis spiracula aerem ambientem attrahũt ad caloris temperationem: cum verò considunt, fumida & halituosa excrementa ex humorum & spirituum ustione orta ejiciunt, seque purgant, & abstergunt. *Itaque quod ex respiratione uni præstatur cordi, id ex pulsu calori illi, qui in toto est animali, accedit.*

Pulsꝰ q̃nid Sphygnosis.

Cap. 12.

Lib. de usu pul. cap. 3.

Porrò quemadmodum si externam flammam communicatu ambiẽtis aeris privaveris, aut furnulo, in quo carbones extinguntur, aut D cucurbitula, aut alio hujusmodi circumposito, sine mora flammam extingues: ita quoque si calorem, qui est in animalibus cohibeas, & includas, ut nullam cum ambiente aere habeat communicationem, statim suffocabis. Iam verò ubi quæ in animante sunt arteriæ intercipiuntur, & constipantur, adeoque sanguine implentur, ut nullum in ipsis vacuum relinquatur spatium, in quod, inter dilatandum, externus aer se recipiat, calor innatus suffocatur, nimioq. inducto frigore extin-

guitur, ac qui ita laborant, subitò sensum & motum corporis totius amittunt, emoriunturq. Quod autem ideo pulsent arteriæ, ut servetur in omnibus animantis partibus, qui secundum naturam est calor, in libello de usu pulsuum capitib. præcipuè primo, secundo & tertio demonstratum est: quod verò respiratio quoque moderatum, qui in corde est, calorem servet, in libro de illius utilitate capitibus potissimùm tertio & quarto scriptum.

E

F

TEX. X.

QVOD si fuerit stipatio modica, non adeo calorem naturalem pati est necessarium. At si quidem in animalis corpore veluti fuliginosa quædam ac fumida excrementa tunc constiterint, alius erit caloris naturalis affectus: alius verò ubi solum vapor quidam suavis atq. optimus exhalarit. Atq. horum utrumque G *bifariam hoc modo evariat. Cum enim sanguis optimus in corpore fuerit, nullo inquinatus humore superfluo, vapor ex eo incalescente optimus exurgit, qui nihil aut igneum aut acre secum invehit. Tale quidem corpus, cum mediocriter stipari contigerit, brevi, aut erit plethoricum, aut supra modum calefiet: ijs quidem quibus deses vita sit, ac minimè* H *laboriosa, plethoricum fiet, cum intus remanserint, quæ exercitatione excerni oportebat: ijs verò qui exercitantur, calefiet, cum motus occasione calor augeatur naturalis, non traspiret autem ob id quod densatum sit corpus. In corpore autem stipatio, quod à fumeo excremento obsidetur, aut febris accendetur ob intercluſam interius fuliginosam evaporationem, aut strangulabitur, atque extinguetur calor insitus atque nativus. Vtrumque verò horum accidet pro multitudine excrementorum, aut magnitudine stipationis. Nam si fumosa superfluitas, quæ evacuari expetebat, plurima fuerit, atque stipatio vehemens, periculum immineat, ne calor naturalis strangulatus ab excrementis extinguatur: si verò superfluitas pauca fuerit, & stipatio parva, febris accendetur. Non ergo dubium est, quod & naturales, & adventitias corporis dispositiones cognoscere oporteat, in quibus aut fuliginosum, aut vaporosum, aut fumosum est id quod exhalat. Sed hæc quidem in hisce libris explicabuntur, in quibus curandi doctrinam exequemur. Nunc ad hujus operis institutum revertamur.*

COMMENTARIVS.

EXCEPTIO est ex ficta objectione orta. Nam cum dixerit præterito capite quartam causam, quæ insitum calorem immoderatè succendit, adstrictionè & stipationem esse, facilè quis posset quasi in salebra hærere ac dubitare, num constipatio posit calidorum & frigidorum morborum contrariorum scilicet causam esse. *Tacita objectio.*

Tacitæ objectioni respondet Gal. modicam constipationem non posse ita corpus opprimere, ut ea obrutus nativus calor extinctionem, de qua dixit *Solutio.*

dixit præterito contextu, perpetiatur & perferat.

Ergo ingens constipatio calorem nativum extinguit: quæ verò calorẽ auget & calidam intemperiem inducit non adeo vehemens cõstipatio est. Vnde arrepta occasione, tametsi paululum declinet à proposito, adducit varia pathemata, quatuor nimirum, pro varia, tum constipatione, tum excrementorum intus redundantium natura, ut pateat constipationem aliquando quidem restinguere: at sæpissimè calorem exaggerare & incendere posse.

Primum, si optimus in corpore sanguis, & nullius vitiosi excrementi permistione turbatus fuerit, ex quo calefacto vapor suavis & mitis excitetur, neglecta per ignaviã vitæ exercitatione, quo tempore retinentur in corpore, quæ per exercitia excerni oportebat, ac præterea corpus modicè fuerit constipatum, plenitudo adest.

Præterea si idem sanguis aderit, & constipatio eadem, corporis tamen exercitio & motu augetur naturalis calor, tum corpus erit supra naturalem habitum calidius.

Ad hæc, si fumosum excrementum & acre, quod vacuatione indiget, plurimum fuerit, & constipatio vehemens, ne innatus calor sub excremento extinguatur, & præfocetur periculum est.

Postremò, si paucum, tametsi fumosum & acre, fuerit excrementum, & non ita vehemens constipatio, febris accendetur. Ecce frequentiùs auget calorem constipatio, quia cõpellit, & cogit: vis autem coacta vegetior fit.

Observatio Observat tandem noster Gal. cognoscendas esse corporis dispositiones & quæ secundum, & quæ præter naturam sunt, in quibus vel fuligino sum, vel fumidum, vel vaporosum est id, quod exhalat trãspiratq. Sed quoniam hoc loco nullam cognoscendorum morborum rationem habere debemus, propterea ad medendi methodi libros, in quib. eorum dignotionem & curationem quasi digito ostendit, nos rejicit, ac ipse ad instituta pergit.

A TEXT. XI.

SICVTI enim stipatio sæpius frigefactionis est causa, eo quo diximus modo: sic & laxatio, quando plusquam sit oportunum, dispergit ac dissipat insitum & nativum calorem, frigidius efficit corpus. Fiunt autem hæc, tum in universo corpore, tum vero etiam in unaquaq. particula, cum vel stipatur, vel laxatur. Si enim quam universum corpus habuit dispositionem in obstructionibus plenitudinibus arteriarum, hanc ipsam habeat particula ab ijs solum quæ in ipsa sunt, arterijs affectis, necesse est, ut hæc ipsa particula simili modo, quo totum corpus ægrotet. Et quidem quæ extrinsecus adhibentur medicamina, aut aquæ, quæ vim habent medicaculam, & frigidæ, & aer ipse circumfusus, laxationem aut stipationem immodicam in ipsa parte committere possunt. Et vincula quædam violenta, ipsi aliquando particulæ, aliquando vero superjacentibus circumpositæ, corrumpent ipsam, ac frigefacient, ob id quod eam separant atq. sejũgunt à cõmunicatu membri in animali præcipui, à quo calor emanat naturalis, atq. unde vim sui motus recipiunt arteriæ.

COMMENTARIVS.

QVARTA causa morborum frigidorum raritas est, de qua dicere aggreditur. Quoniã verò *contraria ad sua contraria omnia plenius innotescũt, & inclarescunt*, vel docente Aristotele, *Problem. sect. 23. 11.*

tele, hinc raritatis notitiam, quæ velut privatio est, aperire voluit ex constipatione & densitate, quæ ad vicem formæ magis accedit. Nam sicuti summa constipatio sæpius frigidi morbi est causa, cum naturalem calorem oppressione suffocat eo, quo diximus, modo: sic etiam extrema laxatio, & rarefactio, cum distrahit ac dispergit insitum & nativum calorē, corpus frigidius reddit.

Evenit autem constipatio interim in universo corpore, interim in singulis corporis partibus, unde quidē plenitudo (contra Iulianum docente Galeno) vel totius corporis, ut in febri synocho, vel alicujus partis, ut in magna inflammatione, in qua calor extinguitur, unde gāgræna, id est, partis extinctio (mortificationem vocant.)

Similiter & raritas interdum calorem totius disperdit, ac dissipat, interdum alicujus partis: si enim pars aliqua ob arterias in ipsa tantum laborantes, talem patitur affectum, qualem totum corpus ex omnium arteriarum, tum obstructione, tum plenitudine obtinet, necesse erit partem similiter affici: de raritate idem dicendum est. Porrò tum ea, quæ sunt intus inclusa, tum quæ foris adjūcta, & constipare, & rarefacere possunt. Quæ intus constipare solent splendidē dicta sunt: sed plurimum rarefaciunt nostrum corpus, quæ triplicis substantiæ multum dissipant, spirituum substantiam calidam digerunt, symptomata non pauca, tum verò syncopas inducunt, atq. tandem corpus refrigerant. Vnde tempore æstatis innati caloris substantiam dissolvi & dissipari contingit. Quamobrē neq. coctiones neq. nutritiones æquē uti hyeme procedunt ob nimiam raritatem, dissipato nativo calore horū operum omnium artifice.

Quæ verò extrinsecus irrumpunt, constipationemque inducere solent quatuor sunt. Medicamenta frigida. Balneum aquæ frigidæ & aluminosæ, vel atramentosæ. Aer ambiens frigidus. Et vincula violēter injecta, quæ superioribus partibus circumjecta, partem inferiorem vita privant, atq. adeo refrigerant. Verum, quæ rarefacere possunt ad tria genera reducuntur. Calida medicamēta admota. Balneum aquæ dulcis calidæ, vel medicam vim citra astrictionem fortitæ, ut sulphureæ: & aër ambiens calidus exsole, vel igne.

Nunc duæ supersunt causę nobis illustrandę, otium, & immodicus motus, quarum non meminit Gal. tum quod de his primo hujus capitis loco abūdè dictum sit, tum quia in constipatione & raritate (de quib. modo) continentur: otium quidem cōstipatione, motus immodicus raritate. Vnde causam utramq. refrigerare constat, quoniam immodicus motus calorem dissolvit, spiritus, calidamq. substantiam dissipat, quæ semel agitata perpetuo ad externa movetur & prodit. Per immoderatum otium calor languet, pituitosaq. excrementa redundant, unde frigidi morbi pene infiniti nascuntur: neq. enim alia causa reddi potest, cur animalia, quæ latibulis se tegunt, frigidissima sint, quam quia in otio degunt. Sic mulieres frigidiores dicuntur, quod secum sint, secumq. vivant, atq. otio nimio affluant. Ergo calor, ut flamma, augetur motu mediocri, immodico dissolvitur, nullo marcescit.

EPITOME.

FRIGIDI morbi causæ sunt. *Vicinia* rei frigidæ, *substantia* frigida, *Constipatio, raritas, otium, motus immodicus. Vicinitas* & contactus rei frigidæ, vel actu, ut aeris frigidi, vel potentia, ut balnei aquæ dulcis intempestivi, vel immodici. *Substantia* frigida qualitate, vel quantitate, id est, alimentum nullum, vel paucum, cibus & potus frigidus vel multus. Cibus optimi succi & plurimum nutriens immodice sumptus. Vinum immodice sumptum, licet calidum sit, unde apoplexia, epilepsia, paralysis. Tandem medicamenta frigida, ut hyoscyamus, papaver. *Constipatio* maxima & densitas totius, vel partis facta *interceptione* arteriarum, tum ob nimiam sanguinis plenitudinem, ut non supersit vacuum, in quod dilatatione externum aerem attrahant, tum ob earum oscula obstructa, ut nequeant transpirare

pirare & vacuare excrementa, quæ si acria & pauca fuerint, & mediocris constipatio febrem gignunt, si multa & constipatio vehemens, caloris nativi suffocationem; si halituosa & parva constipatio neglecta exercitatione, plenitudinem, sed exercitatione secuta, corpus calidius reddunt. Ité *aëre*, medicamento, balneo frigidis, balneo aquæ salsę, vel aluminosę & similium. Tandem *vinculis* iniectis, quæ partem privant communione cordis transmittentis nativum calorem parti, & facultatem vitalem arterias moventem. *Raritas* totius, vel partis calorem nativum dissipans, medicamentis calidis admotis: balneo ex aqua dulci calida, vel medicam vim sortita: sed quæ non densat. *Aëre* ambiente calido ex sole vel igne. *Otium & motus* immodicus. Nam calor, ut flamma augetur modo mediocri, immodico dissolvitur, nullo marcescit.

CONTROVERSIÆ aetiologicæ.

DISQVISITIO EORVM, quæ tertio capite statuit Galenus.

QVÆSTIO XIV.

NIHIL saperent cibus & potus conquisitissimi, quibus noster Gal. hoc capite mensas extruxit, convivium q. tanto apparatu celebravit, si sublata mensa, exorso q. familiari sermone, tandem convivæ non roderent cõvivatorem & vellicarent, maledico q. dente non carperent. Sed inter convictores, qui sæpe, & sine causa tumultuatur, ut neq. statoris officio dignetur, est homo ille dentatus, qui Galeno idemtidem maledicè detrahit, variasque reprehensiones, quantumvis læviores, tacitus ne quit transilire. Sed nos feramus has tricas, stultitiasq. devoremus.

Primum nugatur, & objicit, ex retentione substantiæ frigidæ, ut pituitæ in capite, quemadmodum evacuatione substantiæ calidæ, frigus augeri in corpore: sed hæc nulla in causa morborum frigidorum continentur, defecit ergo Gal. in his causis tradendis. *1. Objectio*

Nos respondemus frigida excrementa retenta pertinere ad secundã causam morbi frigidi, nempe ad substantiam frigidam, quemadmodum quæ comeduntur, & bibuntur frigida qualitate prædita: licet enim Gal. in ea explicanda causa, duntaxat fuerit locutus de alimentis, id quidem præstitit, quoniam alimenta minus videbantur nocitura, quam excremẽta, utpote quæ semel retenta perniciem inferre quivis facile perspiciet. Porrò evacuatio substantię calidę ad raritatem pertinet: sic profluvij sanguinis culpa, unde *hydrops* frigida jecoris intemperies, raritati ascribitur. *Solutio.*

Præterea hoc capite instituit Gal. adducere causas morbi simplicis nimirum frigidi: at ex nimio motu, & raritate fit morbus compositus, non tantum frigidus, sed & siccus: ut enim dissoluto humore corpus primum incalescit, demũ refrigeratur, sic etiam exsiccatur. Nam motu primum bilis gignitur, deinceps humore deficiente caloreq. exolescente fit melancholicus succus frigidus & siccus. Quod ergo de motu & raritate dixit, ad institutum non pertinet. *2. Objectio*

Brevi respondemus exercitationem, & rarefactionem calorem distrahere ac dissipare, & ex consequenti primum refrigerare, mox exsiccare: motus ergo & raritas merito dicũtur causæ solius morbi frigidi simplicisq. intemperiei. Nam motus & raritas primo tendunt ad caloris diffusionem dispertionemq. *Solutio.*

Deinde constrictio faucium & asperæ arteriæ causa est morbi calidi, non frigidi. Nam animal interit, eo quod prohibeatur respiratione, cujus munus erat refrigerare, & contemperare naturalem cordis calorem: at interim frigidus morb. nullus gignitur, sed calidus propter caloris non defectum, sed incrementũ, hinc suffocatio. *3. Objectio*

Gal. multa scripsit eaq. doctissima hoc-

hoc in capite de constipatione, sed
Solutio. profecto huic homini pauca, quando quidem ea non potuit animo comprehendere. Dixit ultimam constipationem morbos frigidos parere: modicam verò caloré exaggerare. Ergo rerum ignarus, & incultus homo edisc at. In suspendio necatis primũ augetur calor moderata stipatione, cum enim incipit constipatio ultima non est. Existente modica minus aeris in pulmonem trahitur, minusq. refrigeratur, & contemperatur cordis calor, unde illius incrementum. Iam in progressu augescente constipatione quando fumidus vapor expurgari solitus intus redundat, obrutum, & oppressum calorem decrescere necessarium est. Tandem præveniente ultima & extrema constipatione presis homini faucib. nulloq. expulso fumido excremento, caloré repente suffocari, & extingui debe-
Objectio. re, quis negabit? Dices, verum est tũc extingui calorem, sed ubi est morb. frigidus? Nam extincto calore subitò vita finitur, morbo igitur frigido
Solutio. nec tempus, nec locus. Respondeo, sedato & restincto calore & antequã homo extremum vitæ spiritum edat, morbus frigidus in eo subsistit, aliter laqueo suffocati sine morbo è vita migrarét: hoc tamen verum est, mor G bum frigidum subsistere & permanere eã dumtaxat permanentia, quæ à motu relinquitur, quęq. non temporis, sed naturæ dicitur permanentia, ut quæ in fulminis ictu. Sed de his aliàs.

Postremò ciborum defectus non
4. Obiectio est causa morbi frigidi, sed calidi, ut in his, qui facile accenduntur, & ex inedia in febrem incidunt, veluti præterito capite diximus.

Verum est ex inedia caléfieri corpus, cum bilis excandescit, exardes-
Solutio. citq. ut observavimus. Nonnunquã tamen ex eadem causa corpus refrige H ratur. Nam calida substantia, ut conservetur, indiget alimento, cujus defectu festinè dissolvitur, ac dissipatur, ex quo tandem partes refrigerantur. Sic in atrophia, in qua non alitur corpus, calor imbecillus est.

Ecce versuti hominis meras nugas.
5. Objectio Dicamus nos gravius atq. rem omnem altius perspiciamus, ut quæ sunt E in Gal. mente inclusæ cogitationes ad veritatis lucem proferátur. Illud in primis dubitationẽ affert, q̃ morbi frigidi sex dinumeraverit causas, cũ eisdem faciliori methodo concludere, & constituere potuerit, minoriq. numero, nimirum quaternario, reponere, ut sunt, alteratio, suffocatio, tabes, raritas. Alteratio est, cum ad nostrum corpus, vel ad partem illius accedit, quod habet facultatem refrigerandi, suffocatio continet subse omnem strictionem, constipationem, obstructionem, cibi & potus nimiã copiam & abundantiam, atq. otium, F quod quidem præbet occasionem, ut affluant, & abundent, retineanturq. varia excrementa, quæ motu, & exercitatione attenuata recalescunt, & discutiuntur. Tabes alimenti defectus est. Rarefactio autẽ motum sub se continet: raritas enim est causa, cur ex nimio motu locali refrigeretur corpus.

Hoc quidem foret, si medicus sola *Solutio.*
consideratione, contemplationeq. naturæ sibi ipsi, ut Philosophus, satisfaceret: at nos præter contemplationem, summo studio curationi cõsulimus: omnes enim nostræ vigiliæ, diligentiæ, ac solicitudines ad curationem referuntur. Quamobrem, cũ G vidisset Gal. mixtum opus ex præservatione, & curatione, aliter mederi multò morbo frigido ex interceptione arteriarum producto, quam ex venarum obstructione, huic verò multò secùs, quam orto ex cutis dentsatione, cui non perinde succurritur, ac si nasceretur ex otio, & qui ex nimio motu, tanquam si ex raritate, ut evitaret inutiles subdivisiones causarum, quarum varietate possunt variari curationes, & distingui, propterea omnes causas particulares voluit diligenter sejungere, atq. separatim prescribere. Ergo, si contemplationis dumtaxat rationem haberet, H commodè poterat ad quatuor tantum frigidi morbi omnes causas revocare: tamen hoc ad contemplationem & curationem non æquè pertinet.

Sed explicandum est, qua ratione *6. Objecto.*
hujusmodi causæ frigus inducant, quoniam fere omnes id per accidẽs præstare videntur.

Hoc

Hoc quidem est brève responsu.
Solutio. Vicinitas, vel proximitas rei frigidæ per se frigus inducit, quemadmodũ ciborum frigidorum qualitas: ciborum quantitas, cõstipatio, & otium, vel immoderata quies per accidens, nimirum innatum calorem præfocãdo, ipsiusq. & vasorum diffiationem prohibendo: raritas vero, & motus, si modum excesserint, similiter ex accidente refrigerant, plus æquo fundendo, ac digerendo.

Veruntamen avidissimè expectabit aliquis, & postulabit, ut exponamus, quomodo hujusmodi causæ, suffocatio nimirum & tabes, ignem, vel calorem extinguant.
7. Objectio

Id, ut expeditè percipiamus, observandum est ex Galeno ignem ejusq. flammam duplici motu moveri, altero, per quẽ maximè sursum fertur, & undiq. dispergitur: altero huic contrario deorsum vergente, qui ad se, aut ad sui ipsius escam, & materiam dici solet. Quorum motuum alterum siue altero conservari est impossibile. Iam nativus noster calor ad sui conservationem hoc duplici motu similiter indiget: at, si alter utrius sit expers, confestim extinguitur. Nã, si privatur motu, quo sursum fertur, externoq. aere fruitur, continuo suffocatur: si verò eo, quo deorsum, & ad sui ipsius pabulum inclinat, quam primum consistitur, & contabescit. Ecce quomodo suffocatio, & tabes calorem extinguunt, ejusq. interitum faciunt.
Solutio. Li. de util. resp. c. 3. et de tremo c. 6.

Vt tamen hæc res sit nobis in manibus hanc doctrinam Galeni excutere in animo est. Nam similitudo naturalis caloris cum externo in magnam difficultatem incurrit. Porrò supervacuum est, nulloq. usui hoc loco perquirere, utrum localis sit ille motus, quo ignis, tum sursum, tum deorsum fertur: etenim motus fortasis nõ est, sed ex dimidio generatio (partialem vocant) quoniam ignis forma, ut cõservetur, ad pabulum, & materiam se applicat, per quam reptat, & novas ignis partes gignit. Cum autem fumus ignitæ materiæ proximus vehementer ardeat, similiter forma ignis per fumum apprimè dispositum serpit, seq. expandit, & diffundit, flammamq. producit, quæ proindé à nobis retro ardens fumus definita est. Vnde rectè dixit Aristoteles, non moveri, quod generatur. Sed huius rei veritatem à Philosophis determinandam relinquamus, nos de reb. nostris cogitemus, atq. difficultatem, quam habet similitudo Galeni, prout medica fert cõsideratio, breviter exponamus. Nam, vel comparavit cum ignea flamma nativum calorem insitum cuilibet parti, vel calidum à corde influens: at neutrum istorum videtur motucieri, egereq. illa duplici motione, quam flammã diximus indigere. In primis calorem partib insitum sursum non cõcitari, ac insilire manifestum est. Præterea neq. deorsum ad pabulum, vel materiam moveri, ut ignis, ante oculos est. Flamma enim omnis, cui est alligata, materiam depopulatur, ac minuit: nativus calor fovet, auget, incrementum præstat, benignè conservat. Hæc est causa, cur idem Gal. libello de Marcore refellat opinionem eorum, qui calorem innatum flammæ comparararunt. *Hallucinantur*, (inquit Lacuna interprete,) *dum flammam ignis omnino cum calore animalium conferunt: idq. minime animaduertentes, quod ortus flammæ est ex materiæ interitu, de quæ ea est accensa. Animalium verò, nõ sic suũ, ab eo, qui illa effinxit, insitum habuere calorem: sed potius ut ab eo augerentur, regerenturq.* Rursus neq. influens calidum in partes, nisi ab illis tractum, vel impulsum ascendere videmus, neq. ad pabulum, vel materiam, ut ignis, descendit: est enim calidum hoc vitalis spiritus, qui ex materia non generat sibi simile, ut ignis. *Cap. 34*

8. Objectio nibus hanc doctrinam Galeni excutere in animo est. Nam similitudo naturalis caloris cum externo in magnam difficultatem incurrit. Porrò supervacuum est, nulloq. usui hoc loco perquirere, utrum localis sit ille motus, quo ignis, tum sursum, tum deorsum fertur: etenim motus fortasis nõ est, sed ex dimidio generatio (partialem vocant) quoniam ignis forma, ut cõservetur, ad pabulum, & materiam se applicat, per quam reptat, & novas ignis partes gignit. Cum autem fumus ignitæ materiæ proximus vehementer ardeat, similiter forma ignis per fumum apprimè dispositum serpit, seq. expandit, & diffun-

Veruntamen nunquam res tota toti rei similis est, sed ad ipsum, ad quod cõfertur, similitudinem habeat oportet. Ad ignem igitur Gal. comparavit naturalem calorem, non quidem ex omnib. ut contulerunt illi, quos libro de Marcore accusavit, sed in eo tantum, quod maximam similitudinem facit. Nam inter alia ignis, ut conservetur, indiget duplici motu, altero ad interna cujusmodi est æquabilis & adæquata ventilatio, cujus ope aer ad ipsum appellitur, ipse verò ad proprium pabulum vergit: *Solutio.*

item

item indiget motu ad externa, scili- E cet purgari à fumo: liquet vero alterutro de his moribus ignem privatum simùl extingui. Similiter nativus noster calor (sive ejus nomine intelligamus insitum, sive fluentem) his duob. motib. eget, altero ad interna, quo nempe arteriarum dilatatione rapitur externus aer, & trahitur ad cor, internasq. partes, quo quidé attracto, non solum refrigeratur, & ventilatur ipsum cor, novæq. spirituum vitalium generationi suppeditatur materia, sed etiam ab eo impulsus naturalis calor ad humidum primigenium (radicale vocant) se totum convertit, inclinat, atq. propen- F det. Indiget porrò noster calor motu ad externa, qualis est arteriarum contractio, cuius vi omnes fuligines exustione comparatæ abliguntur, forasq. propelluntur.

Sit ergo responsio. Suffocatio causa est corruptionis naturalis caloris, eò quod illum privat motu ad exteriora nimirum, pulmonis & arteriarum contractione, atq. fuliginum purgatione: tabes verò, idest, defectus alimenti extincti caloris est causa, quoniam privat calorem motu ad interiora, nempe dilatatione, ventilatione, inclinatione q. ad humidum, G & proprium pabulum, cuius defectu calor dissipatur, & disperditur.

Sed idem etiam atq. etiam premamus argumentum. Quando quidem neq. ignis, neq. nativus calor potest extingui altero motu privatus. Nam causa, quæ ignem extinguere potest, est necessariò (vt dicunt) positiva, utpote productura in materia dispositiones contrarias illis, quæ formam ignis in eius materiam introduxerunt, atq. mox in eadem conservarũt, & sustentarunt: sed motus privatio nequit esse causa efficiens, ut patet, ergo non potest ignem extinguere & corrumpere. Atq. ut id asseveranter affirmemus, quæ per accidens aliquid præstant, causam aliquã recognoscunt, quæ agit per se, clavumq. tenet: at suffocatio & tabes, vt prædiximus, ex accidente ignis extinctionẽ parant. supponũt igitur causam per se. En sensim laqueis textis ad extremum irretivit argumentum.

9 Objectio

Verum est motus privationem nõ esse, verã ignis corruptionis causã, sed occasionem. efficiens verò causa est ipsamet substantia corporea, quæ utrumq illius motum compescit, cohibet, ignem comprimit, obruit, & suffocat, dum spissat, & densitatem in inclusum aerem, & in ignem introducit: cumq. densitas sit dispositio ignicontraria, veluti raritas familiaris, fit inde, ut forma ignis nequeat in materia conservari, propter adventum contrariæ dispositionis interitum eius afferentis. Hoc sanè liquet in cucurbitula medica: nam statim ut inducta fuerit aeris, fumiq. densatio, ignem interire assiduè observamus. Quod similiter naturali calori contingit, qui spirituum, & calidi effluvij detenti condensatione sæpissimè suffocatur. Porrò nonnũquam ignis privatur motu ad interiora ob solũ pabuli defectum, quo tempore defectus pabuli, & privatio illius motus, duntaxat est occasio, cur ignis corrumpatur: at verò causa efficiens illius corruptionis est aer ambiens, cui non potest resistere ignis, cum ei deficiat materia fovens, & conservans, ideo conficitur, & marcescit: à contrario quidem, quẽadmodum fit omnis corruptiõ.

Solutio.

Scio multis in locis docuisse Aristotelem ignem dupliciter corrumpi, vel à contrario, ut cum ab aqua extinguitur, vel cum per se languescit, donec tandem deficiat, unde colligendum videtur corruptionis modum, qui contingit igne marcescente, non fieri à contrario. Veruntamẽ Aristoteles ut vulgus locutus est: tũc enim dicitur ignis corrumpi à contrario ibi apud Aristotelem, quum celeriter ac repentino extinguitur, ita quidem, ut sensib. percipiatur extinctio: quum verò paulatim sẽsimq. fit corruptio Aristotelis non dicitur à contrario facta. Quamobrem cum ignis non rarò propria actione præcedente, atq. ex se ipso absumat pabulum, deducaturq. ad eum statum, vt ferè insensibili mutatione corrumpatur, propterea dixit Aristoteles, tunc à se ipso marcescere, non tamẽ, quod defectus materiæ sit sufficiens corruptionis causa.

Observatio. Lib. de Inven. & sect. c. 7. 3. de calo c. 6. & 3. prob. 26.

Quomodo suffocatio & tabes ca- 10. Objectio. lorem extinguãt, dilucidè expositum est,

est, multisq; arridebit fortasse. Attamen adhuc scrupulus tenuissimus residere videtur. Nã in hoc judicio propositũ fuit disputare de causis morbi frigidi: ad frigoris autẽ in aliquo subjecto productionẽ, non sufficit calorẽ extinxisse, quando quidẽ frigiditas similiter est effectus positivus (ut ita dixerim) atq. requirit efficientẽ causam, quæ ad illum habeat proportionem, oportet ergo præter caloris extinctionem, causam investigare, quæ frigiditatis denuò introductæ vera causa sit.

Solutio. Cum ratione conjuncta est hæc B postulatio. Respõdemus efficientem frigoris causam esse ipsammet partium naturam, quæ frigiditatẽ ab interno principio virtute continet, ad quã reducitur sublato impedimẽto, calore nimirum, quemadmodũ aquæ in pristinã frigiditatẽ sublato igne. Vnde, cum ob defectum nativæ humiditatis confectus contabescit noster calor, efficiens extinctionis causa eadem natura est. Nam in nihilum intereunte calore, intus inclusum virtute frigus, impetu incitari acriori non est dubium.

C

11. Objectio. Abunde quidem satisfactum est huic quæstioni de causis morbi frigidi, nisi jam aliqui subringãtur, quod Gal. easdem ferè causas calidi & frigidi morbi constituerit. *Solutio.* Quod quidem nascitur ex natura illarum causarum, quæ ex accidente agere diximus. Nam quod per se facit unum est, quod autem per accidens multiplex & varium. Vicinitas rei calidæ & calida substantia (quæ per se) morbo calido propria sunt, quemadmodum vicinia rei frigidæ, ac frigida substantia morbo frigido: cætera verò motus, constipatio, putredo, raritas, otium (quæ per accidens) utriq. morbo cõmunia sunt, alio atq. alio modo dispensata & disposita. Motus localis prætermodum, & consuetudinem est causa caloris, ut dictum est, adeo tamen potest esse immodicus, ut raritatis interjectione spiritus vitales dissipet, & consequenter frigidum morbum producat. Constipatio moderata calorem auget, immoderata suffocat & corrumpit. Putredo primùm calori tribuit incrementum: postremò putri-

D

da omnia fiunt terra, & cinis, quæ frigida & sicca sunt: *proprio enim calore* (inquit Aristot.) *exolescente, naturalis humiditas unà cum eo per vaporem emittitur.* Sed de putredine calorem dissolvente hoc capite non meminit Gal. quoniam prævidit pertinere ad raritatẽ. Quæ quidem modica naturalem calorem multis, quib. opprimitur, excremẽtis liberat, purgat & auget: immodica verò calorẽ dissipat, & disperdit, moxq. refrigerat, ut immoderata quies: moderata enim dissipationi resistit, quæ oritur á nimio motu, ex quo potest quies naturalem calorem instaurare: vix tamen potest morbum calidum inducere, propterea præterito capite illius nulla mentio facta est. *4. meteo. cap. 1.*

Sanè benè. Veruntamen ad extremum epulis sublatis, certemus poculis, quæ relicta sunt, more convivatũ in joco & vino. Quæro igitur, cur vinum liberaliùs haustum ebrietatẽ, & desipiẽtiam inducit? Etenim quod vim inferat menti, vinum dicitur. Vn de tanta jactura? *12. Objectio.* *Vinum cur ita dicatur.*

Respondemus vinum multitudine extinguere calorem, qui quidem ex ipso vino facilè obsequente, utpote quòd naturâ sit vaporosum, multos vapores elevat, ad cerebrumq. mittit, in quo statim refrigerati cõcrescunt (est enim cerebrum naturâ frigidum) & in humores crassos, caputque replentes cõvertuntur. Hinc delirium, & aliquando balbuties, *partim multa humiditate perfuso cerebro, partim etiam ab ipsius multitudine prægravato*, docente Galeno. *Solutio.* *5. apho. com. 69.* *2. de diff. resp. c. 10.* *6. apho. com. 32.*

ARG. CAP. IIII.

SICCORVM morborum dinumerat causas quatuor, defectum alimenti, materiam ficcam, motum immodicum, & viciniam rei ficcæ.

CAP. IIII.

DE calidis quidem ac frigidis affectib. abũdè dictũ est, de siccis verò deinceps dicetur. Si quis magis quidẽ transpiret, mi-

† *Impressa habent* εἰ τοῖσι σιτίοισι χρῷτο τὸν σῖτον, *caq; scilicet cibaria, siccioria sint facultate.*

nàs autem nutriatur, † *cum eo, quod sicci habitus existit, facilè in siccam incidet ægritudinem, ac præsertim, siquis, aut vigilijs immodicis occupatus fuerit. Et aeris quoq. nobis circũfusi temperaturæ cũ siccæ fuerint, exciccãt animaliũ corpora: & natationes præterea in aqua, quæ nitri, aut sulphuris, aut alaminis, aut bituminis, aut alterius hujuscemodi qualitatis est particeps: & quæcunque medicamina vim habent exiccãdi, sive intro assumãtur, sive foris adhibeantur, hæc quoq. siccum reddunt corpus. De quibus in eo volumine, in quo de simplicibus medicaminib. agitur, abundè dictum est.*

COMMENTARIVS.

Post calorẽ, & frigus, magis actuosa siccitas est, ut ex Gal. constat. Vnde cum de causis morborum, tum calidorum, tũ frigidorum abunde jam dictum, siccorũ nunc recensendæ cause. Sicci autẽ morbi sunt, quib. corporum humidior substantia indies absumitur, ac universi corporis habitus, aut unius alicujus dũtaxat partis, extenuatur. Hoc autem cõtingit quatuor occasionibus: sic enim ab Hippocrate has causas vocari observavimus, quas eadem methodo comprehendit Gal. qua morbi calidi & frigidi causas collegerat. Porrò initium dicendi sumit à causa pervagata, & vulgari: omnes enim homines arbitrantur corporis consumptionem ex alimentorum inopia, & indigẽtia semper originem trahere.

2 *lib. sec loc. cap.* 1.

Defectus alim.

Prima igitur sicci morbi causa est defectus alimẽti. *Siquis*, inquit, *plurimum transpiret* (διαπνοιὴ) *sed parce nutriatur*, facilè in siccum incidet morbum. Διαπνοὴ diffiatio, perspiratio, transpiratio est totius corporis veluti respiratio quædam percutem. Est enim species quædam respirationis, quæ ἀναπνοὴ dicitur. Itaque ut hæc duplici motu constat, uno, quo aer frigidus attrahitur, altero, quo fuliginosa vacuantur excrementa, sic duplici modo ipsa transpiratio efficitur, & animalium corpora diffiantur, ex quo dupliciter siccitas, uno effusis ad exteriora vaporosis, & fuliginosis superfluitatib. ex quo una siccitas: altero attracta refrigerante ac ventilante nativum calorẽ aerea substantia, à qua impulsus calor ad nativam humiditatem appulsus rursum novam siccitatem introducit. Quæquidem utrinq. nata siccitas nutrimentis recuperatur: at verò siquis parce nutritur, hoc est, si nihil, aut non satis alimenti succedit in locum ejus, quod transpiravit, & effluxit, corpus siccari necesse est. Nam *simplex marcor* (ait Gal.) *ob inediã fieri videtur, ubi quis, vel ex electione famem tolerat, vel præ ciborũ inopia fame conficitur.* Cum eo, quod sicci habitus existit, hoc est, siccioris tẽperaturæ, ut addit Leoniceus ex quibusdam antiquis codicibus manuscriptis.

Anapnoe.

Lib. de Marcore c. 1.

Veruntamẽ nõ possum mihi persuadere Gal. in sicci morbi causis numeraſſe temperiem siccam. Nã hoc libro propositum illi est patefacere morborum generationes & incremẽta, non est ergo verisimile quod huc intromittat ea, quib. morb decrescit ac minuitur, cujusmodi similis temperies est. *Nam in morbis minus periclitantur, quorum naturæ*, hoc est, temperaturæ, *magis congruit morb. quam quib. non congruit.* Quoniam minores sunt morbi temperaturæ cõgruentes, quã morbi discrepantes: sed siccæ temperiei sicci morbi congruunt veluti calidæ calidi, frigidæ frigidi, ac humidæ humidi, ergo ficca tẽperies morbum siccum minorem reddit, atque ideo in causis illius adnumerãda nõ est, neq. ut credo, dinumeravit Gal. ut neque temperiem calidam, frigidam, vel humidam in causis aliorum simplicium morborum. Quamobrem mihi prorsus valdè placet græci codicis impressi lectio, quæ ad secundam sicci morbi causam Galenũ transire coarguit, de habitu nulla facta mentione.

Ket

Materia ficca.

nel natura, inquit, ſiquidē vbi plurimū, & ipſa (ſcilicet alimenta) ſicciora ſint facultate. Quæ ſecunda eſt ſicci morbi cauſa, ſcilicet materia ſicca. Dixit ergo: ſi quis plurimùm tranſpiret, ſed parcè nutriatur (quæ prima cauſa eſt) idq. fiat alimentis facultate ſiciorib. (quæ ſecunda) facilè in ſiccū morbum delaberur. Sic legit Antiquus interpres, Guilielmus Copus, Germanus explanator, Iacobus Sylvius, & Andreas Lacuna.

Porrò ſiccandi facultate ſunt prædita quæcunq. à primo exſiccant, ſive ſint quæ humoré ebibūt, ut ſaccus ex abſinthio, ſive ea, quæ reſolvunt, ut aromata, qualia præſcribit vulgus, & ad mucronatam cartilaginem admovet maximo ægrotantiū diſcrimine, falſò exiſtimans cartilaginem hanc interdū luxari, atq. cōſidere, morboſq. vētriculi parere. Deinde calfacientia, poſthæc valenter adſtringentia, amara, auſtera, acerba, ſalſa & acria; utì Galeno viſum eſt. *7. met. c. 6. & 7. 1. ſim. tuen. cap. 13. & 4. aph. 13.* Vltra quam ſatis calfacientia humiditatē abſumēdo ſiccāt, valdé adſtringētia humiditatē cōprimūt, & extra corpus detrudunt, exinaniunt, & exhauriunt. Iā verò ſalſa calida & aſtringētia ſunt: amara & acria calida: acerba & auſtera adſtringentia, ſive ea cibi ſint, ut fructus adſtringentes, ſive potiones, ut rhois cremor, ſive etiā medicamenta, ut abſinthium. Sed horum catalogus eſt in libris Galeni de alimentorum facultatib.

Motus immoderatus.

Tertia ſicci morbi cauſa motus eſt: is verò, ut retrò diximus, alius animi, alius corporis, uterq. autē ſicci morbi cauſa eſſe poteſt. Vehementior autem corporis motus, docēte Galeno, exercitatio dicitur, quæ, ut idem ſcribit, ſua natura exſiccare apta eſt: verum hoc loco motus corporis tanquam rem manifeſtam omiſit. Nam poſtquam motus immoderatus ex ipſo corpore calorem excedentem ſuſcitaverit (qua in re verſabatur Gal. ſecundo capite) procul dubio ſpiritus, virium q. ſubſtantiam, dummodo perſeveret, facilè diſſipaturum, tandemq. corpus diſſecaturum, ante oculos eſt. *Lib. Cap. 4. Apho. com.*

Quamobrem animi motus dumtaxat meminit. Sex autem numerari ſolent, metus, moeſtitia, ira, gaudium, agonia, verecundia. Quorum Agonia, & verecundia pathemata cōpoſita ſunt, agonia quidem ex ira, & timore, ſed verecundia quidam timor eſt, quoniam in ea calor ad interna revocatur: diſcrimen eſt, quoniam in timore ſubita fit caloris revocatio, & intus calor conquieſcit: at in verecundia primùm ſe ſe intrò calor colligit, demū aſſatim ad exteriora redit, quod non omnifariā intrò conſederit: ſed antequam conquieſcat, rurſum foras movetur. Ex utroq. igitur motu verecundia compoſita eſt. Reliqua verò animi pathemata ſimplicia ſunt, & quidē primaria: etenim quæcunq. numerantur aliæ perturbationes animi, in hæc, quæ dixi genera, conjiciendæ ſunt. Ad iram referuntur excandeſcentia, odium, diſcordia, inimicitia: admetū reducuntur timor (quoniam expectatio futuri mali metus eſt, at ſi malum propinquum fuerit propriè timor dicitur) formido, terror, pavor, exanimatio: ad moeſtitiā dolor animi luctus, moeror, lamentatio, ærumna, moleſtia, deſperatio: ad gaudium lætitia, jactatio, animi voluptas. Neque dumtaxat iſta modum prætergreſſa morborum cauſæ ſiunt, verum etiam cura, ſolicitudo, afflictio, omneſque animi moleſtiæ, quarum ambitio, avaritia, aut aliud ferventius deſiderium inflixit, quemadmodum mentis in rerum inveſtigatione aſſidua contemplatio, acrior-ve contentio. Harum quippe omnium immoderatione ſpiritus, & calor emarceſcunt. Nam quando mala inſtant, aut ſperata bona non accedunt, animi fiunt ægritudines, dolor quidem crucians, angor premens, moeror cū fletu, lamentatio cum ululatu, ærūna cum labore, afflictio cum vexatione corporis, ſolicitudo cum cogitatione, moleſtia permanens, deſperatio ſine ulla expectatione rerum meliorum. Sed de his libro ſecundo de cauſis ſymptomatum dicemus ampliùs. Porrò inveterata ira corpus exſiccat: tertiò enim ſanitatis tuēdæ corriguntur ficcitates, quæ ab ira, & inedia fiūt. Sed triſtitia inter omnes animi motus vires infirmat, duodecimo methodi, atq. aridum, grācile, & ſiccū reddit corpus, quarto ſanitatis tuendæ. *Cap. 12. Cap. 5. Cap. 12.*

tuendæ. Hinc divina sapientia: *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Vnde invidia, seu potiùs invidentia, cum quis afficitur tristitia ex bonis alienis, similiter exsiccat, quoniam invidia tristitiæ species est, auctore Gal. Vnde illud, quod Poeta dixit. *Invidus alterius rebus macrescit opimis.* Itē & alter. *Livida tabes invidiæ.*

Proverb. cap. 17.

Lib. de cog. & cur. animi morbis cap. 7.

Horat. 1. Epist. ad Lol.

Vergilius de Livo.

Verūtamen Gal. dūtaxat fecit mētionem de curis. Est autē cura nihil aliud, quam anxietas mentis ad rem aliquam attentæ: solicitudo ægritudo animi cum cogitatione. Quæ quidem licet synonyma judicentur, eo differunt, quod cūra proprie est in specie bonorum: solicitudo verò in metu malorum. Ergo per vehementes curas animus æstuat, non cōsistit, non quiescit, corpusq. in siccam intemperiem, marcorem, vel convulsionē ex inanitione, summumq. malum tandem evadit, ut ex tertio sanit. tuen. colligitur. Quod præsentiēs libro sexto ejusdem operis Gal. hortatur, ut siccis temperaturis vitemos curas & solicitudines.

Cura quid.

Cap. 6 & 7

Cap. 3.

Quibus hoc loco immodicas vigilias tanquā pedisequas adjunxit, utpote quæ perpetuò cōmitētur solicitudines & curas. *Plures senes*, inquit aphorismorū tertio, *continuè vigilant, quia senectus plena curarū est.* Vnde, cū scribit citatis locis curā, & solicitudinē vires debilitare, ac animalium corpora exsiccare, nunquā à cura & solicitudine vigiliā sejunxit. Curæ igitur vigilias inducunt, & corpus siccant.

Vigiliæ.

Com. 31.

Quod expēdebat Ovidi. cū dixit.

Attenuāt vigiles corpus miserabile curæ.

Hinc addit,

Me duce, damnosas homines compescite curas.

Ex quo, proverbio dictum est. *Arctū annulum ne gestato*, hoc est (D. Hieronymo interprete) *Ne vixeris anxiè.*

Quarta, & ultima causa morbi sicci est vicinitas rei exsiccantis, quam causam trib. exemplis illustrat Gal. Primum exemplum est aeris nos ambientis siccarum cōstitutionum. Nā, ut Hipp. observavit, *mutationes* temporum, hoc est, alterationes, *quæ fiunt secundum illorum temperaturas*, ut interpretatur Gal. potissimùm pariunt morbos. *In siccitatib. autem febres acutæ fiunt*, atq. licet *siccitas pauciores quidem humores efficiat*, eosdem tamē *qualitate biliosiores, & febres acutiores* re ipsa facit, ut Gal. in commētario. Aeris ergo siccæ Aquilonaresq. constitutiones animalium corpora aridiora reddere solent: quomodo enim aer affectus est, ita corpora nostra affici est necesse, Hippocratis & Galeni dogmate.

Vicinitas rei siccæ.

Exemplum.

incom. 3. aph. 7.

Alt. exemplum.

Alterum exemplum est balneatū. Quoniam natationes in aqua, quæ nitri, aut sulphuris, aut aluminis, aut alterius id genus qualitatis exsiccantis naturam participat, similem creduntur facultatem habere.

Tertium exemplum.

Postremum exemplum petitum est ex medicamentis, quæ exsiccandi facultatem habent. Ea igitur, sive intrò assumantur, sive extrinsecùs admoveantur, similiter corpora exsiccant, ut ex his constat, quæ noster Gal. in libris de simplicium medicamentorum facultatib. docet. Summa est.

EPITOME.

Siquis plurimum trāspiret, ac parcē nutriatur, utaturq. cibis siccioribus atq. curis, ac vigilijs torqueatur, in siccum morbum cadet. Sicca etiam temperies aeris, balnea, quæ desiccandi vim obtinent, & sicca medicamenta intus, & foris administrata pariter corpora siccant.

CONTROVERSIÆ ætiologicæ.

EXCVTIVNTVR, QVÆ capite quarto à Galeno dicta sunt.

QVÆSTIO XV.

1. Objectio

HIC etiam importunissimus hostis acerbiùs invehitur in Galeni methodum, refricatq. objectionem, quā ante oculos nobis capite secundo quā primum constituerat, quod ad quatuor reducendæ fuerint sicci morbi causæ nimirum ad assumenda, educenda, facienda, & foris incidentia. At profectò me solicitat & vehementer angit, quod ìm, pbi calúniatoris cōsiliú, pbetur

quī

qui hactenus in morborũ causis colligendis à Galeno ægrè divulsus

Verũ in hanc de causis particulariũ morborum disputationẽ admittẽda non esse quatuor illa principia, ut pote nimis generalia, res loquitur ipsa. Quando quidẽ ea nõ solũ siccis, verumetiam omnib. morbis possumus accõmodare: causas verò, quas adduxit noster G. ad siccos morbos duntaxat adaptavit. Caveant igitur juniores furibundi, ac perditi hominis ineptias, nec post hac à tanto duce tam facilẽ deficiant.

Præterea illud Galeno vitio dedit, quod cũ naturalis calor perpetuò agat in humidum, illudq. exhauriat, & consumat, unde tandẽ corpus exsiccatum, atq. aridum evadit, nulla tamen de hujusmodi causa mentio facta est, nec in aliquam ex dictis causis conjici potest.

Actio caloris in humidũ proculdubiò siccitatẽ inducit. Verũ Gal. hoc capite non tam investigavit causas, quib. producitur siccitas, quam causas, quibus fit morb. siccus. Nam licet actione caloris interni producatur siccitas, non tamen gignitur siccus morb. hujusmodi enim actione perveniunt homines in senectutem. Quod si aliquis voluerit hanc causam, consumptionẽ scilicet humiditatis reducere ad alimenti defectum, plurimamq. transpirationem, non repugnabo.

Deinde nimio motu ad locũ, exercitationeq. siccantur corpora: sed de locali motu nõ meminit Gal. in hoc sermone, igitur restrictus fuit in sicci morbi causis enarrandis.

Nos observavimus in cõmẽtario Gal. tantũ commemorasse animi motum verum tacitis illis verbis latere motum corporis, utpote quem siccare corpora sit notum omnib. & manifestum. Nunc addamus nimiã exercitationem, quib. nostra mẽbra primùm recalescunt, exsiccare quidem, sed effluxus, & transpiratus interjectu, ad quẽ reducẽdũ censemus locale motum. Atq. hæc sine dubio causa est, cur exercitationis hîc nõ meminerit G. cũ à primo calorẽ inducat, deinceps verò quasi secundariò siccitatẽ, dissolutione scilicet, ac humorũ dissipatione, quæ magis propriè dicuntur, & sunt transpirationis effectus.

Solutio.

2. Objectio

Solutio.

3. Objectio

Solutio.

A

B

C

D

Tandẽ graviter cõqueritur nimiũ litigiosus homo, quod noster Gal. præterierit quietem. Nã ἀνάδοσιν digestio, seu distributio alimenti, cum à ventriculo in venas transit, in vacatione, & otio diminutè fit, atq. potissimùm διάδοσιν, hoc est, translatio, traditio, vel porrectio alimenti à venis maiorib. in simplicia, & penè in visibilia vasa. Quamobrem cessatio, & otio diminutæ nutritionis, consumptionis, & partium siccitatis causa constituenda est.

4. Objectio. Anadosis. Diadosis.

Sanè quies, vel otiũ occasionẽ præbere potest huic producendo morbo. Nã, si motus non rarò prodest alimẽti distributioni, nihil miror, quod otiũ nutritioni obesse aliquãdo possit, tametsi admodũ ex accidente, & remotissimè. Verũtamen homo iste socors & tardus, si fixisset animum in Gal. verba, nunquam hîc nos demoratus esset. *Siquis* (inquit Gal.) *magis quidem transpiret, minùs autem nutriatur.* Ecce in otio nihil, aut non satis alimenti succedit in locũ ejus substantiæ, quæ traspiravit, & effluxit, ergo in otio corpus nutriri minùs, & tandem siccari est necesse alimenti defectu.

Solutio.

Nos verò, si bona cum venia difficultates proponere possumus, experiamur etiã hæc, leviterq. tentemus. Aristoteles duos tantũ desiccationis causas enumeravit. *Siccantur*, inquit, *omnia, vel calefacta, vel refrigerata.* Ergo quatuor adduxisse, ut Gal. fecit, fuit supervacaneum, præter quamquod in illis quatuor non incluserit duas Aristoteleas: hinc duplex incuria.

5. Objectio.

Immò Arist. cuetus & brevis fuit. Quando quidẽ nonnullas desiccationis causas omisit, ut aliẽta, & medicamenta tantum sicca, & humidi expressionẽ. Nam lana madida (quod Aristotelis est exemplum) compressione siccatur: illi etiam, qui caseum densare volunt, manib. comprimũt, ut extrahant serum. Quin etiam duæ Aristotelis causæ in unam tantum referuntur, calorem nempe. Nam humiditas dupliciter absumitur, vel intus, vel evocata foras. Intus quidem ab interno calore frigidita-

Solutio.

giditate externa coacto fortioriq. reddito, qua ratione deficcantur humectati nervi infusione frigidæ: foras verò elicitur humiditas à calore externo, ut in his, quæ elixantur, quæquidem siccescunt, externo calore avocante calidum internum, & cum eo humidũ. Porrò quocunq. horum modorũ absumatur humiditas in nostris corporib. partes proprio alimento privari solis luce clarius esse videtur. Quãobrem hujusmodi causa non est à Gal. tradita: tum etiã quia calore nõ producitur morb. siccus sine interjectione morbi calidi, de quo retrò dixerat. Arist. autẽ siccitatis causas patentes, manifestas, & vulgares tãtũ àdducere voluit. Ergo quatuor sunt sicci morbi causæ, quarum duæ vicinitas, & materia sicca per se quidem, defectus autem alimenti, & motus immodicus ex accidente agere dicuntur.

6. Objectio. Cap. 86. At cur non meminit Gal. evacuationis? Nam in arte medica *motum, indigentiam, vigiliam, evacuationem, & animi passiones corpora siccare* dixit: educitur enim in omni evacuatione aliqua materia, dissipanturq. spiritus. Vnde omnis evacuatio, quatenus evacuatio est, exsiccare dicitur.

Solutio. Veruntamen, quemadmodũ Gal. quæstione præterita evacuationẽ ad raritatem reduxit, similiter hoc loco ad defectum alimenti pertinere arbitratur: partes enim exinanitę alimento sunt orbatæ.

7. Objectio. Sed quoniã in passiones animi incidimus, antequã hinc abeamus, videndũ est, qua ratione exsiccare solent. Nã licet hoc in nobis ipsis experiri potuerimus, tamẽ nõ est ita facilè assequi & definire modum, quo morb. ficc. ab animi passionib. inducatur.

Solutio. Hujus rei explicationẽ consequetur quicunq. attentè legerit, quæ de his pathematis docuit Gal. libro secundo de causis symptomatum: *cum enim mortem inferant hujusmodi perturbationes nihil profecto miri est, si animi excitant deliquia. Quod autẽ in timore semel, & confertim, id in tristitia paulatim patiuntur, dissidentib. scilicet inter se passionib. ijs non totogenere, sed magnitudine, & vehementia.* Huc timoris & tristitiæ inter se differentiam esse duxit, quod in timore confertim, in tristitia paulatim nativi caloris intrò revocatio fiat, sola dũtaxat magnitudine distantib. interse pathematis. Vnde ob timorẽ, repẽtina nõnulli morte sublati sunt: causa est, quod timor subitò spiritũ dissipet, & disperdat: tristitia verò idẽ, sed paulatim exequitur, & præstat. Quod etiã de alijs animi ægritudinib. curis nimirum solicitudinib. & vigilijs dicendum est: omnes enim calidum influens distrahunt, & dissolvunt. Quia verò constat spiritus esse necessarios ad nutritionem, ideo defectus nutritionis, quæ transpirationi & dissolutioni proportione reddat, sicci morbi causa est.

ARG. CAP. V.

HVMIdorum morborum quatuor causas memorat, copiam alimẽtorum, materiam humidam, quietẽ vel otium, & viciniam rei humidæ.

CAP. V. Tex. XIII.

HAEC quidem siccarum ægritudinũ causæ sunt. Humidarum autem sunt omnes causæ contrariæ, veluti ciborum, qui humidiori natura constant copia, & potuum excessus, & omnis vivendi ratio delicatior, & animi securitas, & balneorum ex aquis dulcibus plurimus usus, præsertim post cibum: sic & tota vita otiosa, atque omni labore vacans, & pluviarum abundantia, atque omnis status temporis humidus, & medicamina, quæ humectandi habent potestatem.

COMMENTARIVS.

Oppositorum effectuum oppositas esse causas, docuit Aristote. Si quis igitur siccorum morborum causas præcedenti capite habitas ritè animad-

madverterit, humidorum causas in prõptu habebit, ubertatem alimentorum, materiam humidã, quietem, vel otium, & viciniã rei humidæ. Quę quidem ita perspicuæ sunt, ut ipsis oculis videri possint, id q. sine dubio causa, cur Gal. quintum hoc caput brevi expedierit, & causas duas copiam & materiam unico verbo incluserit.

Copia alimentorũ.

Prima causa humidi morbi est, ciborum, & potus affluentia: & merito causa prima. Nam Gal. lib. de Marcore ferè omnes hujusmodi causas paucis complexus, nutrimento principatum dedit. *Nam ex ijs*, inquit, *quæ humectant, est tum lavacrum, tum molle cubile, tum somnus, tum verò in primis, ac præcipuè ipsum nutrimentum.* Porrò cibo, quidquid ficcioris substantiæ effluxit, restituit Gal. potione, quidquid humidioris: licet enim aqua nutrire nequeat, sufficienter tamen accidentali, & externa humiditate unãquamq. partem diluit. Verum Hipp. pluri cibo, atq. quiete humectabat corpora: cibo, inquam, non acerbo, acri, salso, vel amaro, quem præterito capite siccum esse constituimus, sed suapte natura humido, quiq. per se non autem ex accidenti solidas partes corporis humectat, ut scribit Gal. Ergo cibi, & potus abundantia, quæ facit nutritionem uberiorem, & pleniorem, quam fuerit trãspiratio, & resolutio, humidorum morborum causa est.

Materia humi lib. de bo. & præ. succo c. 4. 2 de temp. c. 6. de oculi. p. 5. c. 6. 2. de ali. fac. c 2.

Secunda causa materia humida existit, ut carnes agnorum, & porcellorum, & ex piscib. cancrorum, gammarorum, lotustarum, & ostrearum, præterea lac, & fructus fugaces, quos græci horarios vocant, ac tandem plurimus aquæ potus.

Quies. Cap. 86.

Tertia causa quies est. Nam si motus exsiccat, proculdubio quies humectabit, quod libello quos, quibus & quando purgare oportet dilucidé docuit Gal. Vnde postquam in arte medica fecit hæc verba: *motus, defectus alicuius, vigiliæ exeretio, & omnes animi affectus corpus exsiccant*, subjungit: *at quæ his contraria existunt, humectãt*: pura quies, somnus, cib. retentio consueti effluvij, & animi tranquillitas. Nam sicut motus expellit excrementa, & humores, qui redundant, evacuat, unde siccitas, ità quies omnia excrementa retinet, humiditatemq. auget. *Neq. primum et per se* (Gal. inquit) *otium morbos excitat, sed media plenitudine: otiosis enim minus corporis particulæ digeruntur, & præterea imbeciliores redduntur, ut inde utraq. gignatur plenitudo.* Inedia dissipat: sed cib. & potus, quod deperditum est, restaurant, & recipiunt. Vigilia disperdit, ac dissolvit: somnus excrementa retinet, reparat & humectat. Demum excretio humiditates detrudit: ad retentio omnia remoratur, ac supprimit, partesque imbuit, & madefacit. 1. de natura huma. com. 1.

Animi vero motus corpus exsiccare diximus iram, tristitiam, timorem, & invidiam: quoniam contraria humectant, ut gaudium, clementia, benignitas, misericordia, & hujusmodi. Nisi forte volumus, omnes animi passiones immodicas siccare, ac simiiter gaudium immodicum, quod spiritus multos per universum corpus dispergat, ac dissipet, ut vigilia: his autem contrarias passiones, hoc est, moderatas humectare. Verumtamen hic supervacuum est, nullumq. usum habet de moderatis pathematis meminisse: loquimur, enim non de cujuscunq. humiditatis, sed de humiditatis morbosæ causis, quæ immoderationem semper includunt. Quamobrem dicamus animi passiones utrinque immodicas, tum corpus calfacere & exsiccare, tum aliquantulum humectare: animi quidem passiones immodicè auctas calefacere, exsiccare, immodicè vero diminutas leviter humectare, quæ quidem omnes unius extremi rationem habent: atverò desidia, & inertissima segnities, quæ illis contrarium est, corpus restigerat, impensiusq. humectat, ideoq. humidos sæpissimè morbos inducit.

Vita delicata.

In numero etiam causarum morbi humidi reponitur vivendi ratio delicatior, mollior, & delicijs plenior: est enim animi mollicies laborum, & dolorum fuga: hinc à D. Thoma delicati dicũtur, qui, nec possunt labores sustinere, nec aliquid, quod diminuat delectationem. 2. 2. q. 138 art. 1.

Animi trã quillitas.

Item & animi tranquillitas, & securitas motuum omnium, & perturbationum, atq. tota vita laxata curis, omniq;

omniq. vacans labore, quæ hoc loco nihil est aliud, quâ omnigena otiosi tas animi, atq. socordia, translatione à maris fluctib. sumpta: dicitur enim tranquillitas maris, placiditas, & mollities, cuius contrarium est fluctuatio: G. veris trãquillitatem dixit. Cũ igitur animus omninò feriatur, inculto, & stupiditate torpescit, cuius cessationis effectus & soboles est sũma corporis humiditas, pinguedo, & obesitas.

Vicinia rei humidæ.

Quarta, & ultima causa est vicinia rei humidæ, quam morborum humidorum causam esse monstrat exemplo frequenti balnearum ex aquis dulcib. usu, præsertim à cibo, magnorum imbrium, cõstitutionis humidę, ac humidorum medicamentorũ. Porrò dulcium aquarum balnearia humectare scribit G. libro de temperamentis, & de curatione febrium ad Glauconem primo. *Nam balnei usus opportunus, ad cibi distributiones peragẽdas,* unde partes humescunt, *præstantissimum est remedium*, docente Galeno, ac præcipuè post cibum. *Nam si ei, qui nuper comederit*, inquit, *balneum adhibeatur, crudis corpus ac incoctis humoribus replebit.* Quoniam aqua dulcis calore suo placido, & miti evocat copiosũ alimentum ad membra post cibum: simul etiam eadem causa, caloris videlicet mitis beneficio, apertiorib. factis vijs, per quas alimentum defertur, atq. nisi obstructionis aliquarũ venularum suspicio obstaret, nulla futura fuisset certior, & potior hac, pinguescendi, eoq. humefaciẽdi corporis ratio. Præterea *per imbres animalium corpora fiunt humidiora. Imbres verò multi fiunt trib. modis: interim ob ipsam pluviam cõfertim decidentem, interim diu tarnitate temporis, licet guttatim tantum singulis diebus decidat: interdum ambob. cõiunctis. Quare si verum est, cum aere simul alterari animalium corpora*, quovis modo pluviæ multæ fiant, per multos imbres corpora fient humidiora. Cum his congruit omnis constitutio humida. Nam vt scribunt Hipp. & Gal. *Morbi in pluviosis temporib. magna ex parte sunt febres longæ, non absq; ratione. Nũ aeris ambientis humiditas pituitosos acervat humores, & non paucas generat aquosas superfluitates.* Ergo humida existẽs anni constitutio, humidos etiam, & pituitosos morbos pariet. Tandem medicamenta, quæ humectandi facultatem habent, sive intro assumantur, sive extrinsecus adhibeantur, ipsa quoq. humectant.

Cap. 2.
Cap. 9.
Lib. de Marcore, c. 9.
Primo de morb. vulg. par. 1. com. 8. ibi. cõm. 1. & par. 2 com. 4.
3. aph. 7. & 16.

EPITOME.

ERGO ciborum humidorum copia, potus plurimus, animi securitas, creber balnearum usus, præsertimà cibo, plurimi imbres, humida, tum constitutio, tum medicamenta morborum humidorum causæ sunt.

CONTROVERSIÆ ætiologicæ.

EXCVTITVR, SCRVtaturq. caput quintum.

QVÆSTIO XVI.

TRansacta disceptatione constitutum est evacuationem esse causã morbi sicci. Qua propter hic meritò conqueri possumus, quod G. de consueti effluuij retentione vacuationi oppositа non meminerit. *1. Obiectio.*

Veruntamen, ut præterito capite, ad defectum alimenti evacuationem reduxit, ita in hoc retentionem ad alimenti copiam pertinere arbitratus est. Quinimmò ad materiam humidam revocare potuit. *Solutio.*

Præterea motus sine dubio humectat, quoniam ad partes motas, & exercitatas sãguis, & spiritus fluunt, ex quo replentur, & hument: hæc enim est causa, cur ad brachium dextrum maiore in quantitate confluat nutrimentum, ac propterea sinistro sit crasius, & robustius, ad omniaq. magis agile, quia magis exercitatum. Cur igitur hoc in capite ipsius motus G. oblitus est: nos verò eundem exsiccare præterita quæstione recordati? *2. Obiectio.*

Respondemus verum esse humectare motum, sed tunc, & moderatum esse, *Solutio.*

se,& moderatè humectare,non præter naturam: nunquam enim quis in morbum dilabitur ob distributum secundum naturam alimentum in corporis partes: hic verò nos causas immoderatas investigamus,quæ sibi similes excessus pariunt. Sed quando motus exsiccat immoderatè est,ideo in numero causarum morbi sicci rectissimè repositus.

3.Objectio. Eodem fortasse tenore respondendum,si quis objiciat non esse causam morbi humidi quietem ipsam, quam retrò in causis morbi sicci numerari permisimus.

Solutio. Prorsus eodem,quandoquidem licet quies,vel ocium distributioni alimentorum impedimento sit,& consequenter occasio,cur maior contingat resolutio,quam nutritio: tamen frequenter,& assiduè morbos humidos alio modo parit:exercitio enim superfluæ humiditates dissipantur, ac eo deficiente corpus repletur humidis,& crudis excremẽtis,quæ morbosam humiditatem per se inducũt.

Seneca in Epistol. Nam *otiosus non sibi vivit, sed, quod turpissimum est, ventri & somno.*

4.Objectio At,suscitemur è somno,& Galeno somnum objiciamus.Nonne somnus humectat?igitur inter causas morbi humidi numerandus: videtur enim Gal.in transcursu has causas attigisse,profecto *ut canis e Nilo. Nempe vigilia (*Galenus ait*) per habitum dicere & siccare,non, quæ in imo sunt, coquere nata est: somnus verò humectare,spiritumq.& effluvia cohibere.*Item alio loco.*Semper enim somnus humectat, vigilia semper exsiccat.*Vnde somnum probè definit Paulus.*Est,* inquit,*animalium facultatum requies ex utili humiditate cerebrum madefaciente proveniens.*

Macrobri° 3. de rat. vict. com. 11. 6 Epide.4. 17. Lib.1.cap. 97.

Solutio. Verum ex eodem Paulo eruo,quod responsum dabo.Requies est? Ergo somnum sub quiete subjici putavit Gal.feriantur enim in somno facultates animales otianturque.Vnde libro de symptomatum causis primo docet,quod cerebrum requiescere volens ab actione,inducit somnum, quoniam illo ab actione cessante,cessant omnes sensus,visq animalis omnia gubernans ad alimenta dirigitcalorem,præcipuè enim fit somnus ad reparandos spiritus, qui in vigilia absumuntur,cum verò nullum sit animal,in quo vigilia spiritus non absumat, nullum est animal, quod non dormiat propter defatigationem, & ad conquiescendum. Ecce in natura somni perquirenda *non vidit somnum* Gal.utpotequi *in occipitio quoq. habebat oculos.*

Cap.8.

Adagium. Plautus in Aululari. 5.Objectiõ.

Sed penè puerilia sunt hæc,virilia contendamus. Porrò dum hoc interpretaremur caput,in dubium venit, an tanta sit harum causarum vis & facultas,ut cujusq.simplicis,similariq. partis possint cumulare, exaggerare que humiditatem. Nam si humectantes causæ possunt humidum morbum inducere augendo, & amplificando similarium partium humidum, proculdubio cum partib.deficiet humiditas poterit ab ijsdem causis mutuata refici & instaurari, cõsequenterq. vita,quæ in vivifico illo nectare subsistit,longius produci & prorogari. Quæ sanè res plurimum difficultatis habet,in subsequentem igitur disputationem rejiciatur.

B

VTRVM HVMEctantes causæ,ut qualitatem, ità & substantiam humidam ad augere possint.

C

QVÆSTIO XVII.

SIMILARES partes laborare humida,eaq.nuda intemperie, causasq.à Galeno adductas humiditatem illarum augere,tum ex ijs,quæ libro de differentia morborum,tum ijs,quæ methodi septimo dicta sunt, planè liquet: nam verò præter qualitatem,substantiam quoq adaugeant, perquirendum est. Nam si humidam substãciam partium amplificare possunt, profecto solidarum partium siccitas, sive secundum naturam fuerit,ut senium, sive præter naturam, ut factus marasmus, emendari, & corrigi poterit,quod tamen est impossibile,ut primo sanitatis tuẽdæ, & libello de marcore asseveranter affirmavit Gal.& experientia quotidiana docet, quæ certissima judicatrix est.Vnde Galeni tempore omnium

D

nium irrisione lusus fuit, & cõtemptus ille philosophus, qui *pollicebatur se infantium corpora redditurum immortalia, uli ipse eorum curæ statim ab initio præficeretur: minimeq.* inquit Gal. *ejus reprehendi poterat pollicitatio, cum illi prius moriendum erat, quam quos susceperisset pueros, viri evasissent.* Hujus difficultatis perspicua & dilucida expositio requirit nostri corporis humiditatum dinumerationem, quandoquidem illarum plures redintegrari & renovari possunt.

Lib. 2. de marcore c. 2.

Ego interdum, vel potius nimium sæpe, huic quæstioni respondeo qua F drupliceem esse in corpore humiditatem, primigeniam, elementarem, alimentariam, & excrementitiam. Primigenia semel exausta, & consecta restitui non potest, tres reliquæ possunt.

Modo verò mihi hujus auctoris interpreti nefas esset ab eodem, qui bonis omnibus circumfluit, non mutuari, quæ hunc nodum, in quem incidimus, breviter expediant, licet responsum idem sit, quod illud. Porro quoniam solidarum partium substantia alba est & crassa: sanguis verò fluidus, tenuis atq. rubet, nisi aliquæ permutationes & conversiones interponantur, nunquam in partes commutabitur sanguis, sed vertetur, & mutabitur prius in humoré quendam concretum, pleniorem, & candidum, qui in cujusq. partis substantiam transmittitur.

Hinc recentiores medici quatuor humores seu humiditates secũdarias dictas statuerunt, atq. illis peculiaria nomina imposuerunt, secuti Aristotelem libro secundo & tertio de partib. animalium, & Galenum septimo methodi, & secundo prognosticorum.

Cap. 5. & 6.

Nam sanguis, cum primùm è venis patentibus in exiles ac tenues tractus elabsus est, omni & qualitate, & proprietate circunstantis particulæ illico est conspersus, eaq. cõversione, partis quodammodo vim, & naturam assumens, evadit prima humiditas ex secundarijs appellatis. Vnde quibus multum sanguinis inest his abundans fit hujus humiditatis proventus quoniam ex sanguine ducitur. Hujus nullum est peculiare

1. Humiditas.

E nuperis propositum nomen. Qua propter vel humiditatem secundariam nomen non habentem appellant, vel humiditatem, quæ in proprijs cujusq. particulæ exilibus arterijs, venisq. consistit. Meminit illius Gal. primo prognosticorum fortasse, cum verba facit de commutato jã sanguine ad seminis creationem parato. *Com. 42.*

Secunda humiditas est, quæ per capita & foramina angustarum exilium q. venarum, jam nunc defluit, & per interjecta spatia, intervalaque simplicium partiũ dispergitur, per earundem substantiam diffunditur, illabitur, illis affigitur, & applicatur, adeoq. peculiaris fit partium esca, ut & appositione fiat, teste Galeno, in arte medicinali. Id autem pro prium alimentum esse cõstetur libro tertio de temperamentis, quod jam nutrit, & appositum est Gal. methodi septimo & primo de differentia febrium insitum humorem appellat, non quod nobiscum editus sit, substantiæq. nostræ sit portio ab ortu primo susceptæ, sed quod similaribus partib. sit ciborum. Vocat etiam humiditatem hanc, quam primo defemine instar exhalationis, & methodi septimo instar roris per partes fundi & spargi scribit, eodem septimo methodi propriam humiditatẽ, quoniam licet ratione diversarum partium multiplex sit, & varia: unicuiq. tamen parti nutriendæ oportuna est: pulmonem enim rigat natura spumoso quodam humore: cor solidiore, atq. pleniore: cerebrum, nervos, & cartilagines viscido: ubera lacteo, reliqua simili perfunduntur, & nutriuntur.

2. humidit.

Cap. 59.
Cap. 4.
Cap. 13.
Cap. 11.
Cap. 6.
Ibidem.

Tertia humiditas est succus, qui densus, concretus & in maiorẽ crassitudinem perductus, ad partes ad hæresceit agglutinatur-ve, atque in substantiã earum perfectè mutatur, & cum ea in unum conducitur. Hec carnis & adipis est pars humidior, & quæ nondum exacte concreuit, reliquam reddens humidam, tenerã, & quæ facile liquefieri possit, quam sipinguedinem & carnem nuper cõcretam appellaveris, à Galeno haud discesseris. Huius humiditatis pluriũ decidit, tum ad vesicam, tum ad intestina

3. humidit.

testina in colliquantib. febrib. ubi & pinguendo & nuper concreta caro caloris vehementia liquatur, unde recrementa pinguia reddûtur. Hanc Barbari Cambium vocant, a similitudine eius, inquo unum pro alio redditur.

4 humidit. Quarta humiditas est innata, ingenita, & in simplicibus partibus penitus afixa, adquæ naturaliter insita, quæ ex semine primordium capiens partibus continuitatem tribuit: hæc universum corpus prefés humectat: absens verò frigidum & siccum reddit; veluti senium est. Hujus dissolutione fiunt febres hæcticæ marasmodes appellatæ Galenus humiditatẽ hanc vocat solidam similarium partium substantiam: Barbari gluten, ac humidum radicale: communis medicorum schola humidum nativum, & primigenium.

7. Metho. cap. 6.

Quamobrem tres humiditates ros, cambium, & gluten, nimirum secunda, tertia, & quarta, quod radices vitæ contineant, speciatim nativæ humiditates vocari debent proprieq; partib. adscribi. Quoniam primo irrorantur membra, secundo instaurãtur deperdita, tertio partes glutinãtur. Ros enim dicitur, quia, quod siccabatur irrorat, cambium, quod loco alterius subrogatur, gluten, quod latenti nexui, & glutino subvenit.

Hoc illud est, quod poetarum cœlitus data sapientia in parcas fabulose rejecit. Parcæ enim, quæ fila humanæ vitæ tenere dicuntur, Clotho, Lachesis, & Atropos, ideo dictæ quoniam nimium parcæ sunt, ita ut nulla liberalitate in vita hominum producenda utantur: de quibus Catullus,

Currite ducentes sub tegmina currite fusi.

Sunt igitur hę tres parcæ tria illa humida. Nam Clotho bajulans colũ est primum illud humidum, in quo calor nativus immixtus est, eumque gestat. Lachesis verò net, pensum cõsumens secundi humidi vicem obtinet. Nam pabulum, & nutrimentum filorum esse apparet. Atropos autem fila detruncans, tertio humido & glutinoso quidem particulas corporis continenti similis, quo consumpto cõlabuntur omnia: occat enim, & quæ densa erant, & grandia cædit, & frangens in minutias resolvit, vitamque fugat, quoniam filis abruptis, tanquam glutino partium, necesse est corpora cinerescant.

Et ne ulterius hac in re progrediar, unum exemplum pro iuniorib. ponam, quod, licet non valdé simile sit, attamen non erit inutile, si consideremus lucernam, ubi oleum non adhuc imbibitum, & linum xylinum, vel gossipinum oleo infusum, & illud humidum, quo particulæ lini interse glutinatæ sunt. Oleum adhuc liberum, primo humido simile esse dicemus, illud, quo linum infusum est, secundi humidi imaginem gerit, sed ille humor, quo partes lini interse glutinantur, tertium humidum imitatur: ita, ut in oleo, ut humido lumen fundetur, & infuso in linum, ut pabulo utatur, & humor, quo lini partes continentur ne dissolvantur, glutini vicem implebit: lumen ergo calori nativo, & cætera cæteris similia putantur.

Exemplum pro iuniorib.

Iam verò quatuor omnib. humiditatibus exhaustis quatuor Galeno sic citates succedunt. Sed quæ libris methodi septimo & decimo scripsimus, Deo volente, lecturo, sint hæc satis.

En ex animi sententia rem attigimus: solutio est, tres priores humiditates exaggerare possunt humectantes causę, postremam verò, quã ex semine parentum contraximus, libro de Marcore docente Galeno, haudquaquam instaurare possunt. Hinc nos effundimur & consumimur. Hinc macie extabescimus. Hinc é corporis vinculis tanquam é carcere evolamus. At ego hinc ulterius ad caput sextum.

ARG. CAP. VI.

INVESTIGATVRVS causas compositorum morborum partium similarium, prodit ex illis quatuor esse nudos, totidemq. humorib. comitatos. Deinde nudos à solis qualitatib. complicatis, reliquos verò ab ijsdem, sed accedente aliqua fluxione humoris interdum synceri, interdum

dum cum alio mixti, unde tumorum varietas, oriri tradit. Præterea quatuor esse naturales facultates, attractricem, retentricem, alteratricem, expultricem, excrementumq. omne aut qualitate, aut quantitate offendere, atq. impar esse nostri corporis partium robur. Tandem partes fortiores excrementum ad imbecilliores propellere, quarum omnium cutis imbecillima est, dilucidè docet.

E

CAP. VI. Tex. 14.

LIQVET autem, quod & compositarum ægritudinum causæ omnino sunt compositæ. Si enim causa calida simul, & sicca in unum aliquando conveniant, necessario calidus quidem, atque siccus sequetur morb. si calida, & humida, pariter calidus & humidus: idem evenit in reliquis duabus simul iunctis qualitatibus humida scilicet, & frigida, & sicca & frigida. Quod vero huic sermoni adjungere, ac simul distinguere oportet, iam aggrediamur, quod videlicet corpus sæpius alteratur, cum causæ omnes eiusdem inter se sese speciei existunt: plerunque verò cum viribus contrariæ sunt: & quod nonnunquam superant, quæ ex ipsis sunt vel numero plures, vel diuturniores, vel potentiores: interim vero ab utrisque ex æquo læditur corpus. Etsi vero nullo modo fieri posse videatur, ut unum idemque corpus calidum unà efficiatur ac frigidum, humidumq. ac siccum plus, quam natura sit oportunum: tamen & hoc ipsum usu contingit, & merito distemperantia inæqualis appellatur, nosq. de hac ipsa alibi seorsum, ut oportuit, disseruimus: neq. nunc de eadem ipsa verba consumere convenit, sed potius ad reliquarum ægritudinum causas explicandas veniendum.

F

G

H

COMMENTARIVS.

HACTENVS de causis simplicium intemperierum partium similarium actum est, nunc de causis compositarum accuratè disserit Gal. Nã quemadmodum simplicium morborum simplices fuerunt generantes causæ, ut intemperiei calidæ nimius motus, ita morborum compositorũ compositas quoq. omnino causas esse liquet; ut intemperiei calidæ & siccæ nimium motum & magnam vigiliam simul invicem. Quoniam, cum aliqua pars laborat calido & ficco morbo, qui morbus est compositus, huius morbi causa debuit habere vim utriusq. qualitatis, nimirum caliditatis & siccitatis producendæ. Similiter, si calida & humida causa simul concurrant, calidum & humidum morbum procreabunt. & sic de reliquis conjugationibus dicendũ, nempe frigida, & humida, atq. frigida & sicca. De quibus quidem intemperierum differentijs, quæ nudæ vocantur, ex his, quæ diximus libro de differẽtia morborũ præclarè constat. Huic tamen sermoni, quo plures compositarum intemperierum differentiæ innotescant adjungere voluit Gal. corpus nostrum ab his causis, quæ sunt simul inuicem dupliciter commutari: vel enim omnes hæ causæ cõsociatæ sunt uniformes, ac inter se eiusdem speciei, vel contrariæ. Compositas causas uniformes appellat Gal. quæ possunt conjunctæ, ac sociatæ unicum affectum coagmentare, ut vicinia rei calidæ, atq. putredo cõformes cohærentesq. ad unum morbum calidum & humidum componẽdum sæpissimè conspirant, ut etiam motus,

motus, & materia calida ad morbum calidũ & ſiccum producendũ. Contrariæ verò cauſæ ſunt, quæ omninò contrarios pariunt effectus, veluti putredo, & materia frigida, quæ in morbos calidum & frigidum ſimilares partes inducunt.

Præterea, ut Gal. obſervat, cauſæ cõtrariæ bifariã noſtrũ corpus alterare ſolent, æqualiter, vel inæqualiter. Ac inæqualiter tribus modis. Primo, quum ex illis vincunt numero plures, ut ſi duæ fuerint calefacientes, una verò refrigerans. Item, quando ex ipſis vincunt diuturniores, ut ſi frigidior diutius duraverit. Poſtremo, cum vincunt, quæ robore ſunt validiores, ut ſi contingat calidas & frigidas cauſas numero & tempore æquales eſſe, calidas tamẽ frigidis potentiores. Interim autẽ fit, ut corpus ab utriſq; cauſis contrarijs æqualiter noxã ſuſcipiat, ubi ſcilicet & numero, & tẽpore, & robore fuerint æquales. Quẽ variũ contrariarũ cauſarum complexum nobis illuſtrare poteſt affectus vocatus Coma Vigil productus à miſta cacochymia bilis & pituitæ pariter interſe concertantium: illa quidem ad ſomni excuſsionem: hæc verò ad ſoporiferam impreſsionem. Vnde naſcitur monſtrum biceps phrenitidis & lethargi, quod typhomaniã veteres nominarunt. Nam pari magiſterio bilis & pituitæ vigent æqualiter ſomnus & vigilia, ubi tanta immobilitas, quantus frequens motus: ſed nõnunquam impares cauſæ ſunt, quoniam ſi plus bilis, moleſtat vigilia, ſi plus pituitæ, arctat ſomnus.

Ecce qua ratione à cauſis contrarijs corpus ſimul & calidius, & frigidius, aut ſimul & humidius & ſiccius, quam pro naturali ſtatu reddatur. Nam, etſi fieri non poſſe videatur, ut unum & idem corpus frigidum ſimul & calidum evadere poſsit, atque adeo contrariarum ſimul qualitatum vim ſentire, tamen docet Gal. hoc ipſum uſu contingere, quemadmodum in febribus hepialis, in quibus nullam ſenſibilẽ noſtri corporis particulam ita parvam deſumas, inqua frigus (ut alio exemplo utamur) & calor ſimùl non ſentiatur, quæ quidem inæqualis vocatur intempeA ries. De qua ſeorſim in alio libro ſcripſit Gal. Quem ſanè libellum profectò non magnum, verum aureum, quicunque ea, quæ hîc obiter à Galeno attinguntur, adamuſsim intelligere cupit, ſtudioſé lectitet neceſſe eſt.

TEXT. XV.

B *HOC tamen in loco prius ſunt repetenda, quæ in libro de morborũ differẽtia edocuimus, quod videlicet aliquando quidem ob ſolas quatuor qualitates corpora ab habitu naturali recedunt, nulla extrinſecus confluente ſubſtantia: aliquando verò fluxionibus replentur, idea quidem omninò humidis, vi autem non humidis. Sed de horum humorũ poteſtate dictum quidem eſt ab antiquis,* C *& medicis, & philoſophis, & à nobis etiam tũ in alijs commentationibus, tum in his præſertim, quas de medicaminibus edidimus. Quantum verò huic loco expedire videbitur, in præſentia etiam dicetur, quòd flava quidem bilis facultate calida eſt, & ſicca: nigra autem frigida, ac ſicca: ſanguis autem calidus, & humidus: pituita frigida, & humida:* D *& quod ex his ſinguli influunt aliquando ſyncreſi, aliquando alijs commiſti: & quod particularum oedemate, vel ſcirrho, vel phlegmone laborantium diſpoſitiones hac de cauſa plurimum variantur. Nam & anthraces, & cancri, & herpetes, & eryſipelata, & phygethla, & gangrænæ, & phagedænæ, & ſatyriaſis*

ex hoc genere sunt, & vitiligines, & atheromata, & acrochordones, & achores, & favi, & gāglia: & steatomata appellata, morbi sunt, qui fluxionū sunt partus. Hæc verò invicē differunt, ac præterea ea omnia, de quib. prædiximus: quoniā nōnulla quidē ex sola sunt pituita, nōnulla autem ex sanguine, quædā ex bile flava, quædā ex nigra, quædā ex alio aliquo humore, qui nondū omninò sit extra naturā. Sed hic ipse qualiscunq. fuerit, unus omninò erit ex his, quos enumeravimus. Neq. enim fieri potest, quin sit aut calidus & siccus, aut calidus & humidus, aut frigidus & siccus, & humidus. Sed quando ad plurimū crassitiei & frigiditatis pervenit, naturalis pituitæ formā amittit, atq. alius quidē humor esse existimatur, qui ex toto genere sit præter naturam: non tamē ita se res habet,† donec enim frigidus, atq. humidus sit facultate, ex pituitæ genere erit. Eadē ratione, quicūq. calidus fuerit & siccus, idē cum flava bile genus subibit. De his verò pleniùs alibi disseruimus. Quo fit, ut nunc de his brevius dicamus, quoniam & de his ipsis omnib. copiosiùs in his libris, quos de curandi ratione edituri sumus, tractare statuimus. Ad id verò, quod præsentis interest operis, redeamus.

† ἐπεὶ γάρ, id est, quicūq. enim &c.

COMMENTARIVS.

QVO cœpit cursu, eodē planè procedit in cōpositorum morborū partiū similariū causis perquirendis. Sed quoniā *præcepta*, inter alia, *in his consistunt, quæ præostēsa fuere*, paululū digreditur, atq. in memoriā revocat, obiterq. repetit nō pauca libro de differentia morborū exarata, quorum ad probandas, qui in simplicib. partib. eveniunt, morborū causas, meminisse, opere prætiū erat. Ergo, quas illinc assumit ad hūc locū pertinētes prænotiones, tāquam futuræ disputationis fundamēta, quæ jā eo in opere nostrū animū occuparūt, quinq. sunt. Corpora nostra interdū à solis qualitatib. alterari, quandoq. etiā, ab illis quidē, sed accedēte, aliqua humoris fluxione. Humores fluētes specie quidē esse, facultate verò nō itē. Singulos humores nōnunquā synseros, & puros, aliquando invicē mistos in partes cōfluere. Tumores præter naturā trifariā fieri, ex humorib. secundū naturā, ex humorib. toto genere præter naturam, & ex humorib. qui adnumerantur cum his, qui naturali sunt habitu. Omnes humores qualescunq. fuerint ad quatuor necessariò revocari sanguinem, pituitam, & utramq. bilem.

1. *Fundamentum.*

Porrò inter omnes convenire debet nostrum corpus immutari posse, bifariamq. a naturali habitu recedere, non qualitatibus tantum, quo tempore nuda intemperies partes solidas occupat, sed & affluente nonnunquam substantia quapiam viriosa, quæ intemperies cum fluxione humoris appellatur. Monstratum enim est libro de differentia morborum, variam esse intemperiem à fluxione humoris ortam, febrem putridā, melancholiam morbum, intemperiem frigidam colici doloris causam, potissimùmq. in quatuor tumorū præter naturam generibus eluceścere, quia quatuor sunt præcipui humorū influxus.

2. *Fundamentum.*

Item illud pro certo affirmandum, quod humores à quibus præter naturam tumores oriuntur, forma & specie sint humidi, actu fluxiles, & liquidi, facultate verò minimé: sunt enim ex his aliqui sicci, sicut utraq. bilis: quod in extremo libro citato prædixerat. Sic sanè aquam omnē, si formā, & prout apparet, cōsideremus, humidā esse dicimus, cōtra verò, si facultatē ejusdē inspiciamus, quoniā marinam,

Cap. 12.

ripam, eò quòd exsiccandi facultate sit prædita, siccam esse experimur. Sed de hac facultate, qua quid vis quippiam operatur, à veterib. tum medicis, tum philosophis dictum esse prodit Gal. à se verò tũ in alijs cõmentarijs, nẽpe libro primo de natura hominis, præcedenti libro de differentia morborum, secundo & tertio de tẽperamentis, & secundo de naturalib. facultatib. tum in his, quos de medicamẽtis inscripsit, primo nimirũ de simpliciũ medicamentorũ facultatib. In præsentiarũ verò sanguinẽ facultate calidũ & humidũ esse, pituitam frigidam & humidam, flavam bilem calidam & siccam, atram verò frigidam & siccam dixisse sit satis.

3. Fundamẽtum. Præterea subjicit, quod etiam docuit præterito libro, & de tumoribus præter naturã accidere nõnunquã, ut horum quatuor humorum, singuli influant synceri, nõnunquã verò sibi invicẽ cõmisti, adeoq. fit, ut affectus seu morbi ex his producti plurimũ inter se differant: alij enim ex solo sanguine ut phlegmone, alij ex sola pituita, ut oedema, alij ex flava bile, ut herpes, alij ex atrabile, ut cancer, alij ex sibi invicẽ mistis, ut erysipelas ex sanguine, & flava bile calidioribus. Ex qua mistione tumores præter naturã mistã & cõpositã nanciscuntur appellationẽ: ex humore quidem quantitate vincente nomẽ, ex reliquo verò cognomen consequuntur: ut si in erysipelate fuerit maior copia sanguinis, dicitur phlegmone erysipelatodes: si verò superat bilis, vocatur erysipelas phlegmonodes, quod in alijs permistionib. similiter evenit. Quæ tumorũ varietas ex varijs tumorib. ad corporis partes cõfluentib. & ex varijs humorũ admistionib. contingit. Nam & carbunculus, & cancer, & herpes, & erysipelas & gangrena, & phigetlon, phagedoena, & satyriasis, præterea alphi atheromata, achores, melicerides, ganglia, & steatomata sunt morbi hujus generis à fluxionibus orti, hoc est, originem trahunt ex varia fluxione, sive syncera, sive commista fuerit. Nam hi tumores, quos posuit Gal. in exempla, utriusque fluxionis sunt indicia, ut ex disputatione de tumoribus præter naturam, licebit cuilibet observare.

A Hinc nascitur quartum fundamen- 4. Fundamentum, tum seriùs animadvertendum, quo tu mores omnes præter naturam ex varietate causarum distinguit, & in tres differentias dispartitur. Ergo tumorum alij oriuntur ex humoribus secundum naturam, alij ex his, qui toto genere præter naturam sunt, alij verò ex his humoribus qui non omninò sunt præter naturam, hoc est, qui non omninò à naturali statu deciderunt, sed ijs, qui secundum naturam sunt, adnumerantur. Quod, qualesq. sint humores secundum naturam ex B secundo de naturalibus facultatibus liquet, nimirum sanguis, pituita, flava bilis, & succus melancholicus: tumores verò, qui ex his humoribus oriuntur, sunt illi quatuor generales, phlegmone, qui ex sanguine, erysipelas, qui ex sanguine & bile, oedema, qui ex pituita, scyrrhus, qui qui ex succo melancholico trahunt originem. Iam verò illi humores toto genere præter naturam dicuntur, qui dissimilem habent naturam, & substantiam ab humoribus secũdum naturam, à quibus fiunt atheromata, melicerides, steatomata, hujusceque generis tumores. Quando quidẽ humores pulticulæ, melli, & seuo C materia, & forma similes, tota substantia distant ab humoribus secundum naturam. Postremò humores, qui non omninò à naturali habitu deciderunt, similes sunt substantia, & specie humoribus, qui sunt secũdum naturam, propterea illis adnumerantur, in quo genere continẽtur differẽtiæ humorũ præternaturã pituita salsa, vitrea, & acida, bilis vitellina, porracea, æruginosa, cœrulea & isatidea.

5. Fundamentum. Solicitus autem Gal. quidnam de D tanta humorum colluvione decerneremus, utpotequæ posset quemquam minùs exercitatum confundere, ut huic perturbationi obsisteret, atq. impendenti causarum doctrinæ occurreret, adjungit tandem, ac supponit, omnes humores qualescunque fuerint ad quatuor jam exposita genera necessariò revocari sanguinẽ, pituitã, bilẽ, & melancholiam, idq. ita demonstrat. Quicunq. fuerit humor ex necessitate, vel est facultate calidus, & humidus, vel calid⁹, & sic c⁹, vel frigid⁹ & humid⁹, vel frigid⁹, &

ficcus: sed omnis humor calidus, & humidus sanguis est, calidus & siccus bilis, frigidus, & humidus pituita, frigidus & siccus melancholia, ergo quicunq fuerit humor, necessariò vel sanguis est, vel pituita, vel bilis, vel melancholia. Gal. enim secundo de naturalib. facultatib. *succũ calidum & humidum facultate sanguinem vocat*, Et secundo de differentia febrium: *Quicunq.* inquit, *humor naturâ frigidus atq. humidus fuerit, hunc nos pituitam appellamus*. Tertio autem de morbis vulgaribus *Quando nativus calor in magis igneũ versus fuerit, pallidam & flavam bilem efficit*. Iam verò *succus potestate frigidus, & siccus sanguini est contrarius*, tametsi ejus *sedimentum & fex*, quæ quidem est ipsa melancholia. Quare licet humor admodũ crassus & frigidus sit, adeo ut extra naturalis pituitæ speciem egrediatur, aliusq. humor à pituita esse videatur, toto genere præter naturam: tamẽ non ita revera est, quod sit alius humor, quia humor omnis facultate frigidus & humidus sub pituitæ genere continetur. Idem de alijs humoribus sentiendum. Hæc sunt, quæ tradit Gal. hoc loco de differentijs tumorum, quæ ex varietate humorum fluẽtium originem ducũt: verũ libro de medendi methodo decimo quarto copiosè de his omnib. dicere instituit: nũc verò ad id, quod ad præsentem tractationẽ pertinet, revertitur.

TEXT. XVI.

OMnes quidem hujuscemodi morbi fiũt subinde ad partes ignebiliores materiam inutilẽ deponente natura: quod etiã à multis alijs antea dictũ est. Quis tamen sit depositionis modus nõ adhuc est dictũ: rationem enim quandam atq. mentem naturæ tribuemus, si ita simpliciter ipsam, quicquid inutile est, deponere affirmemus ex nobilib. partibus ad ignobiles. Sed, quod quidem in morbis bonæ judicationes ab aliqua hujuscemodi facultate fiant, manifestè apparet. Quis autẽ generationis modus his judicationib. sit, nõdũ maiores nostri exactè docuerũt: quoniã neq potẽtias naturales, de quib. nos in alijs cõmentationib. egimus, quot numero, & quæ nã existãt, & quod singularum sit opus, satis explanare potuerunt. Sed nulla sanè difficultas, suppositionib. quas in eisdẽ cõmentationib. demõstravimus, utentes nunc, de hisce omnib. trãsilire. Cũ quatuor sint numero potẽtiæ, quarum quælibet sive animalis, sive plantæ particula particeps est: & cũ una quidem ex his attrahat id, quod ei cõvenit, alia autem retineat, alia alteret, alia, quod superfluit, excernat: & cum materia ipsa superflua duplex genere existat, aut enim quãtitatis ratione, aut qualitatis cũ deniq. omniũ corporis partium nõ æquale sit robur, quippe principaliores partes statim ab initio natura maiori robore dotavit: nihil mirum, si in impuris corporib. in quib. plurima inutilis materia redũdat, ad ignobiliores partes aliquid fluat. Nã superfluus humor, ut qui à partib. omnib. robustiorib. expellatur, ac nullibi cõsistere queat: tandẽ ad imbecillimã omnium pervenit partem. Hæc verò alia, atq. alia in diversis corporib. existit: aut quia in prima animalis formatione eidem parti aliquis error obtigerit, aut postea aliquam susceperit noxam, aut quia talis natura esse debeat quemadmodũ cutis: hæc enim (ut quæ nullã operationem habeat, sed usus tantum gratia à naturâ instituta est)

optima

optima ratione partibus alijs, quæ aliquam habent operationem, imbecilior est facta: est enim quoddam veluti velamentum, atque amictus animalis cognatus, cum neq. coctionem, neq. alimenti digestionem, neq. sanguinis generationem, neq. pulsum, neque respirationem, neque voluntarium motum, neque omninò operationẽ aliquam afferat animali: ac præterea cum omnium aliarum partium extima sit collocata, non absque ratione totius corporis excipit excrementa. Multa enim ab initio instrumenta, expurgandæ materiæ inutilis gratia, natura molita est: & hæc quidem sola ad tuendam sanitatem sufficiunt, cum nullam corpori labem is, qui nobis circunfunditur, aer adjecerit, aut delinquẽs ratio victus humorũ vitiosorũ redundantiã immodicam in corpore non effecerit. Nã, cũ talis acciderit error, non amplius naturalia sufficiũt instrumẽta ad excremẽti multitudinẽ expurgandã. Ideoq. tũc accidit, ut fluxiones à valentiorib. impulsæ partib. ad imbeciliores irruãt. Illud quoq. nonnunquã usu evenire solet, ut, cũ stipati fuerint hi, per quos expurgantur meatus, ad alia cõfluãt loca. Hæc quidẽ principia sunt gignendi omnes prædictas ægritudines. Malũ verò in ipsis mẽbris augetur, cũ in eisdẽ impactæ superfluitates ac putrescentes, atq. ea ratione magis vitiatæ, influẽtem postea humorẽ, etiã si utilis sit coinquinant, atq. corrumpũt.

A

B

C

D

COMMENTARIVS.

Ecce fluxib. fluctibusq. fractis, ac sedatis, & tempestate jam cõmutata, in portum invehitur Gal. placidè, sedatèq. locuturus, quomodo prædicti, non solum tumores, sed etiã omnes ab alicujus substantiæ fluxione morbi nascantur, ut hoc præcognito, quæ, qualesq. sint horum causę liquidò constet. Ergo unicã docet esse illorum omnium causam, expulsionem scilicet partium ad partes: sem per enim fiũt huiusmodi morbi principum & validarum partiũ pellente natura id, quod redundat, & ab ipsis est alienum, ad ignobiliores, & infirmiores partes, quod quidẽ excremẽtum est. Qui solus repulsus causa est, non solũ tumorũ præter naturã, sed etiã eorũ morborum, qui oriuntur ex humoris affluxu.

Obsérvat tamen Gal. causam hãc à se nõ fuisse inventã, sed priscis etiã aliquot meditis cognitã. Nam Hippoc. libro primo de natura humana fluxionis generationẽ indicavit, cum scripsit, fluxionẽ fieri partib. quibus dã noxios humores transmittentib. alijs verò susci pientib. Attamen licet superiores medici docuerint hos morbos fieri partib. tum expellentib. tũ id, quod redundat, susci pientib. transmissionis tamẽ ac fluxionis, quis esset modus, nõ etiã explicarunt. Qua de causa Gal. fluxionis, & excremẽtorũ expulsionis absolutã rationem docere constituit. Quoniã, si hoc ita simpliciter, ac purè dixisset, nimirũ naturã quidquid inutile est, ex partib. principib. ad ignobiles depellere, ut sui maiores invenerunt, profectò tationem quandam ac mentem naturæ tribuere visus fuisset. *Tex. 21.*

Nã in morbi die decretorio sæpe numero convulsum, frigidũ, exanimẽ, trementẽ, sudantẽ, collacrymãtẽ videmus ægrotantẽ: valida tamẽ paulo post excretione vi naturæ oborta, vel sudore, vel soluta alvo, vel sãguinis rejectione, hominẽ quasi ab inferis revocatũ, ac restitutũ præter omnium opinionem subitò conspicere licet. Quod sanè magno quodã naturæ cõsilio evenisse non nemo conji-

ciet. Verùtamẽ in morbis bonas & laudabiles criſes, id eſt, iudicationes (Copus, & Germanꝰ interpres malè cõvertunt indicationes, niſi quid de typographis ſuſpicari libet) ab hujuſmodi quadam facultate noxiorum ſcilicet expultrice fieri, quæ rationis, atque intelligentiæ ſit expers, manifeſtum eſt. Quamobrem, quum modus generationis criſium, & judicationum morborum, excrementorumq. expulſionis veteres latuerit, vel ſaltem ab illis non fuerit exquiſitè explicatus, Gal. eundem luculẽter, admodum q. breviter hoc loco monſtrat: primũ verò tres hypotheſes, hoc eſt, ſuppoſitiones ſubjicit, ex libris de naturalib. facultatib. deſumptas, quib. etiam uſus eſt ſecundo libro de differentia febriũ, nempe quatuor eſſe facultates naturales: duplex verò id, quod redundat excrementũ, aut quãtitate, aut qualitate: poſtremò noſtri corporis partium omnium nõ eſſe æquale robur, ſed principes partes ſtatim ab initio naturam maiori robore dotaſſe.

Tres hypotheſes.

Cap. 11.

Prima hypotheſis eſt, quatuor facultates naturales in omnibus partibus ineſſe, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem. Nulla enim eſt, nec minima quidem corporis particula, quam alimenti benignitas non attingat. Id verò nõ eo fertur ex ſe, impetuq. ſuo motũ, ſic enim nunquam in ſuperiores, ſed omne in inferiores partes gravitatis pondere illaberetur. Quare neceſſe eſt, ut à partib. trahatur. Reſtat igitur, ut ſit ſua cujuſque particulæ vis attrahendi, quæ, quod illi ſimilare eſt, & conveniens prolectet. Quum enim partium corporis perampla ſit varietas, ob quam non omnes unius, & ejuſdem alimenti qualitate paſcuntur, erit cujuſque partis quædam vis, & facultas, quæ, quod ſibi aptum erit, & jucundum, veluti ſugat, & alliceat. Ea ſi eſt facultatis attrahentis neceſsitas unicuique parti ingenita, neceſſe eſt ſimùl & expultricem quandam ineſſe, quæ quod inutile eſt, & ſupervacaneum depellat. Vt enim convenientis amicitia res unaquæque trahit, ita par eſt eandem odio & offenſione concitatam, quidquid ſibi noxium eſt, & infenſum reſpuere, atq. extrudere. Trahit porrò una quæq. pars ut, quod familiare eſt, ſibi annectat, ejuſque ſuavitate perfruatur, & ſibi tãdẽ prorſus aſsimilet, quod, dum præſtat, id neceſſariò retinet, & conſervat: dum autem diutiùs cõtinet, id ipſum proprio calore mitigat, immutat, & concoquit. Quare præter attrahentem, & expellentem, neceſſaria quoque intelligi debet retinens, atque concoquens facultas. In ſumma quatuor facultates naturales ſuas cuique parti inſidere, quæ nutrici auxiliariæ ſint & miniſtræ neceſſe eſt.

Prima hypotheſis.

Altera hypotheſis cauſam reddit, cur principes partes, quidquid alienum eſt à ſe depellant, & ad ignobiliores detrudant. Cauſa eſt, quoniam excrementum, vel ſupra modum naturæ auctum eſt, copiaque nimia, & quantitate ſupervacuum, vel ſua qualitate moleſtum, quod hic dilucidè Gal. docet, atque libello de optima noſtri corporis cõſtitutione, & ſecundo de differen. febrium, vel utroque modo ſimùl, ut deinceps addit methodi tertiodecimo hunc locum planiùs exponens, dum ſcribit. *Partes, quæ mittũt, aliàs ut copia ſuper vacuum, vel ut qualitate moleſtum, aliàs utroque nomine, ſuccum propellunt.* Quoniam, ut alio loco, *excrementa ſingula, ſi moram in corpore diutiùs trahant, putreſcunt, alia ſpatio breviore, alia longiore: itaque mordacia, & acria, atque iis, qui ea continent, infeſta redduntur.*

2. *Hypotheſis.*

Cap. 3.

Cap. 11.

Cap. 3.

3. de nat. fac. cap. 12

Tertia & ultima hypotheſis ſupponit omnium noſtri corporis partium inæquale robur, quoniam valentes creatæ ſunt partes principes, cæteræ autem imbecillæ. Quemadmodum enim in civitatem benè gubernatam impares hominum gradus recipiuntur, ſic in noſtro corpore quaſdam partes in agendo robuſtiores ineſſe, quaſdam verò enervatas, & infirmas neceſſum eſt. Hinc concludit Gal. conſentaneum eſſe, ut in corporibus impuris, & his quæ redundant excrementis, multa non neceſſaria, ſed ſupervacua in partes ignobiliores fluant.

3. *Hypotheſis.*

Iam verò internæ Partes robuſtiores ſunt, inter quas principa-

tum

tum obtinet cor, secundum locum habet jecur, tertium ventriculus idq. naturâ machinata est, quoniâ hæ partes universum corpus erât gubernaturæ, moderaturęq. *Et natura quidẽ, inquit Galen. omnibus, tum hominib. tum animalibus communiter cor, quam iecur: & iecur, quam intestina, & venter: item arteriæ, quam venæ: tum, quod utile est, ad se trahere, tum, quod diversum ab hoc est, à se pellere, magis valent.* Plures tñ partes infirmę, ac debiles sũt.

3. de nat. fac. 13.

Docet autẽ Gal. trib. modis partem aliquam infirmam, imbecillãq. fieri, vel quod statim in primo animantis ortu aliquis ei error contingit, vel quod postquã in lucem editum est animal, aliquam noxã cõtraxerit, vel quia suapte natura imbecilla esse debuit, ut glãdulę, & cutis.

Pars infirma tripliciter.

Primum quidem, si erretur in prima formatione animalis, quod genitorum maximè q. genitricum fit culpa, femineæq. materiæ vitio multis de causis facto, vel etiam si uteri gestationis tempore peccetur in aliquo. Exemplo sit ille, *cui obstructio in hepate ob vasorum angustiam sæpius cõtingebat: ac alter, qui repleto ventriculo, difficultate spirandi præmebatur, quod in ipso magnitudo, formatio, ac situs erant depravati.* Sũt etiam, quib. iecur, aut ventriculus ab ortus principio maxima imbecillitate afficiũtur, quod aliquam in eo intemperiem contraxerint, unde tanta supersit infirmitas.

Primò.

Lib. artis medicæ c. 87.

Præterea secundo plures partes existunt, quæ licet in prima generatione robustissimæ creatæ fuerint; aliqua tamẽ occasione debiles post modum fiunt. Quod ex fortuitis præcipuè casibus edito jam in lucẽ fœtui contingit. Sic partes principes ex ulcere, vel magno æstu, ardoreque solis imbecilles redduntur, aliisq. multis, quæ contingere innumera frequẽter solent, ac possunt.

Secundo.

Demum tertio partes quædam suapte natura viribus carent, atque infirmæ ac debiles creatæ sunt, ut facile patiantur, prompteq. in se, quæ redundant recipiant. Quod quidem dupliciter contingit, ut ex Galeno colligitur libro de curatione per sanguinis missionem & tertio de humoribus. Vel enim partes sunt imbecilles propter substantiæ modum, laxitatem scilicet, ut glandulæ, vel rationem situs, ut cutis.

Tertio.

cap. 8. Com. 30.

Porrò glandularum ex Galeni doctrina duplex est genus. Sunt verè & propriè glandulæ, quæ stabiliẽdis tantum, fulciendisq. vasis, aut humorum supervacuis excipiendis, aut rigandis partibus dicatæ sunt, quib. nec venæ sunt, nec arteriæ, nec nervi, cujus generis est *conarium* (glãdula in tertio vẽtriculo cerebri a basi lata in mucronem fastigiata, gloutijs innixa, quæ figurâ cono similis, hoc est, nuci pineæ, unde nomen) *thymus* (glandulosa illa substantia, quæ in jugulo ad os summũ pectoris consistit tanquam fultura & substructio vasorum, quæ inibi dividuntur) & quæ in collo, axillis, omento, mesaræo, & inguinib. sunt. Quæ quidem sua natura sunt imbecillæ, quoniam imbecilles habent facultates, ut etiam articuli, & pinguedo, atq. propterea fluxionibus frequentissimè tentantur. Vnde G. *Sæpe, inquit, á nobis monstratum est, supervacanea, quæ à valentiorib. partibus ob redundantiam, vel qualitatem expelluntur, ea in imbecilliores procumbere; atq. hinc accidere, ut glandulæ, quas adenas vocant, facilè fluxiones recipiant, & maximè quæ rariores naturâ sunt. Quippe valentius est arteriarum, & venarum, & nervorum, & musculorum robur, imbecillus autem ac fortè prorsus nullum, corporum, quæ glandularum sunt naturæ. Sic igitur fit, ut & propter ulcus, quod in manus, aut pedis digito sit, ejusmodi glãdulæ in inguinibus & alis, tum intumescant, tum phlegmone occupentur, cum defluentem ad ultimõs artus sanguinem priores acceperint.* Aliæ glandulæ (glandosa corpora rectius appellantur, ut quæ sunt in meseneerio, in faucibus & sub larynge) adsuccos animali utiles generandos à naturâ sunt comparatæ, quę quidem habent vasa conspicua sensuque exquisitissimo pollent, atq. actionẽ, & vsum prębent, ex quorum censu & numero cerebrum, pulmonem, mammas, renes, & testes esse volumus. Quę licet ex sua natura robur obtinuerint, nec tam facilè fluxionibus affligantur, tamen viribus infirmis frequenter existunt, ob laxam,

6. de vsu par. 5. 14.

6. de vsu par. cap. 4.

13. methe cap. 5.

quam

quam habent, ſubſtantiam. Sic in E mulieribus mammarum glandulæ facilè excrementa ſuſcipiunt, & cancro non rarò afficiuntur. Poſt glandulas ad accipiendas fluxiones pulmo promptiſsimus eſt, quod videlicet hic tres facultates imbecillas habeat attractricem, retentricem & expultricem, corpuſq. ejus laxum, leve, & rarum ſit, ut Gal. abúde móſtrat. Poſt pulmonem ad fluxiones lien idoneus eſt, quod corpus illius viſceris rarum, & ſpongiæ modo laxum ſit teſte Galeno. Cerebrum tan F dem excipiendis fluxionib. perinde atque jam dictæ partes habile eſt, quod molle, friabile, cavumque ſit.

Tandem dictum eſt, partes ratione ſitus imbecillas eſſe, cujuſmodi cutis eſt, quæ licet idoneum habeat temperamentum, ejuſq. ſubſtantia non laxa, ſed denſa, concretaque ſit, quia tamen nullam præbet animali propriam actionem, ut alimenti concoctionem, diſtributionem, ſanguinis generationem, pulſum, reſpirationem, voluntarium-ve motum, G ſed uſum duntaxat præſtat, cujus gratia creata eſt, hinc optimo jure omnium partium noſtri corporis imbecilliſsima eſt. Ac propterea nihil aliud dicitur & eſt, quam veluti quoddam velamentum, & nativum animalis operimentum, & tegumẽtum. Quæ quidem de vera & germana cute intelligenda ſunt, non de ſumma cute, cuticula nobis, græcis epidermis, quæ denſior quidem vera, non ex ſemine, ſed ab exſiccatis ſordibus ſine actione aliqua, vel uſu poſt genitum animal procreata. Quamobrem cum omnium partiũ H extrema cutis ſita ſit, unde omnib. imbecillior facta, non immerito univerſi corporis excrementa excipit. Quoniam natura protinùs ab initio multa inſtrumenta expurgandorum excrementorum gratia fabricata eſt, ut eorum, quæ in capite ſunt, nares & palatum: quæ in thorace, fauces: quæ in ventriculo priſq. venis, alvum: quæ in renibus veſicam: quæ in univerſo corpore, ipſam cutem. Quæ quidem ad conſervandam ſanitatem plus etiam ſatis, cum hæc ſingularum partium excrementa probè poſsint expurgare, niſi aliqua in illorum meatibus conſtipatio ab aere ambiente frigido fiat, vel multa excrementorum, ob errorem in victus ratione, copia naſcatur. Quoniam, ut libello de optima corporis conſtitutione dictum eſt. *Læſiones noſtri corporis aliæ qui* C *ap. 3.*
dem à cauſis exterioribus aliæ verò ab alimenti excrementis oriuntur.

Ergo ſi alterum, vel utrumque contigerit, ſtatim fluxiones à robuſtioribus ad imbecilliores partes magno impetu ruunt. Quod ſi meatus fuerint conſtipati, per quos fluẽtia excrementa expurgari conſueverunt, ad alia confluunt loca. Quibus non parum lucis libri ſecundi de differentia febrium locum arbitror allaturum, in quo ſic noſter Gal. *Hoc itaq. acervari continget ob harum potentiarum, quæ in membris ſitæ* *Cap. 11.*
ſunt, vigorem, & imbecillitatem. Cum enim æquè valentes fuerint (de partiũ facultatib. erat illi ſermo) *& meatus, per quos materia inutilis excernitur, ſecundum naturam ſe habuerint, tunc membra in ſanitate conſiſtunt: ubi verò plus aſſumptum fuerit, quam poſsit alterari, omne quod ſuperfluum eſt, a virtute expulſoria truſum, neceſſariò excernitur. Quod ſi imbecilla fuerit, in eodem reſidet loco: ac ſi multum fuerit, gravat, atq. extendit: ſi verò acre, exedit ac mordet, ſicuti & quod calidum eſt, caleſacit: quod autem frigidum, refrigerat. Quod igitur hic per majora ac laxiora ſpatia ſuperfluum excernitur extra, idem in aliis partibus animalis per tenuiora foramina non extra, ſed ex aliis defluit ad alias, cũ fortiores a ſe quidẽ pellant, imbecilliores autem ſuſcipiant: atq. hæ rurſus ad alias, donec tandem in eas, quæ imbecilliſsimæ ſunt inter omnes, inciderit: hinc verò ad fortiores rélabi eſt impoſsibile.* Hæc ſunt exordia generationis tumorum præter naturam, & aliarum intemperierum, quæ ab humorum fluxione oriuntur, partium nimirum excipientium imbecillitas, & mittentium robur.

Quibus jactis hypotheſib. nobis in manibus eſt totam fluxionis rationem exponere, ac modum explicare, quo tumores præter naturam, omneſque affectus ex fluxione inchoati ultro producantur, & abſolvantur

8. *de uſur. cap. 1.*

solvantur, quod proculdubio ignorarunt veteres. Porrò *demonstratum est in ijs commentarijs, qui sunt de naturalibus facultatibus inscripti, singulas partes trahendi facultatem habere proprij sibi ac conuenientis succi: quem alterantes assimilantesque abutuntur ad nutrimentum. Rursus aliam facultatem habere, qua, quod supervacuum est, expellere in vicinum desiderent. Ac, siquidem ipsa, qua vicina particula est, corporis habitum firmum habet, quod sibi obtruditur, utiq. non admittit, facitq. ut in ipsa salùm, quæ primùm affecta particula est, dolor usq. subsistat. Sin imbecilior sit, quam illa, unde excrementum mittitur, admittit illa quidem, cæterum ipsa quoque ad imbecilliorem quampiã ase rursus transmittit: atq hæc rursus ad aliam, donec in eam procumbat, qua imbecillior nulla sit reliqua.* Ejusmodi autem est, quæ excretricem facultatem cæteris sibique vicinis omnibus imbecilliorem habet: neq. enim id, quod molestat, propellere potest in alias, quæ propter robur, quo munitæ sunt, nihil recipiunt. Nam quævis corporis pars non solum, quod supervacuum est, & in ea redundat, in vicinam protrudit: verum etiam ab alia supervacua suscipit, quum scilicet ea imbecilior fuerit: sæpe etiam accidit, ut quod ab altera mittitur, hæc eidem remittat, & vicissim á se repellat, nihilq. quod mittitur assumens. In quo quidem certamine victoriam consequitur pars validior. *Vt enim hostes civitatem obsidentes, quam varij militites custodiant,* scribit Stephanus Athenien sis, *à potentioribus propelluntur, irruũt autem in imbecilliores, á quibus haud amplius propelli possunt: sic & succi, dum á valida facultate propelluntur, ad imbecilliores particulas accedunt.* Nã *sicuti inter se particulæ alteraab altera nutrimẽtũ trahũt, ita altera in alteram, quod supervacuũ est, ase deponit: & sicut trahentium ea vicit, quæ erat validior sic & ase deponẽtium: estq. hæc vocatarum fluxionum causa. Habet enim particula quaq. nativum quoddam robur, quo, quod supervacuum est, persequitur. Vbi igitur earum aliqua affectus cujuspiam occasione imbecillior est reddita, ex omnib. in illam confluere, quæ supervacua sunt, est necesse: ea nanq.*

6. de sanit. cap. 13.

3. de nat. fac. c. 13.

A *quæcunq. pars valentissima est, in vicinas omnes reponit. Earum rursus singulæ in alias, quæ ipsis sint imbecillioris: dein rursus illarum singulæ in alias: idq. eatenus longissimè procedit, quoad ex omnibus fugatum superfluum in unam quampiam maximè imbecillarum procumbat: hinc namq. in aliam transfluere nequit, ut pote nec valentiorum aliqua id recipiente, nec laborante ipsa a sepellere valente.*

Ex quibus omnibus perspicuum fit quamlibet nostri corporis par-
B tem, potissimum si interna, & valida fuerit, excrementa multa, vel prava, vel multa simul & prava, molestiã quidem lacessitam & irritatam protinus expellere ad vicinas partes, quibus si nativum inest robur, ad alias transmittent illa excrementa, donec perventum fuerit ad partem omnium imbecillimam, sive àprima conformatione, sive ob aliquem errorem post ortum, sive ex sua substantia, vel positu, in qua tandem parte fluxionem
C consistere necessum est. Hanc tamen partem imbecillimam triplicem esse contingit, vel similarem, vel organicam. Similaris bipartita est, aut quam irrigat & intemperat peccans humor, ut cerebrum in morbo melancolia dicto, aut cum non tantum irrigat, & intemperat, sed etiam inanibus spacijs repletis in tumorem attollit. Organica vero est alicujus venæ meatus, ad quem excrementa fluunt in ibique putrescunt (focum putredinis Gal. vocat) ex quo febris putrida. Ecce tria genera compositarum intemperierum, quæ oriuntur ex humorum fluxione, tumores præter naturam, melancholia morb. & putrida febris.

2. de diffe. feb. c. ult. & 11. metho. cap. 4. & 20.

In extremo capite Gal. videtur *Observatio*
D auguraſſe non nullos in posterum addituros alium fluxionis modum, nimirum ex congestis, collectisque paulatim proprijs quibusque partibus excrementis, quæ ipsis impacta, perspiratuq. destituta putrescunt: tunc enim putrida illa excrementa simul corrumpunt humores, qui deinceps adhas partes confluunt, atq. ut mutentur in eorum

naturam

naturam, cogunt, etiam si fuerint optimi & inculpati. Quamobrem ad id prospiciens observat, malũ in ipsis membris augeri, hoc est, intemperiem fluxione comitatam, vel tumorem majorem fieri ex commotione, retentioneq. horum excrementorum, quæ præveniunt fluxionem, ut excrementorum in partib. recipientib. congestus non sit principium aliquod fluxionis, vel generationis harum intemperierum, sed incrementi tantum. Quamobrem quatuor dumtaxat concurrunt ad fluxionem, pars mittens, pars recipiens, humor fluens, & via, perquã fit missio. Ex parte verò unius cujusq. horum certa requiritur conditio, ut pars, quæ mittit, robusta sit, pars recipiens languida, humor peccans, vel quãtitate, vel qualitate, vel utroq. modo, viæ autem expeditæ sint oportet. Quod si horum aliquid perturbatur, non benè fit fluxio. Summa est.

EPITOME.

Causæ compositorum morborũ similiter compositæ sunt. Nam calida simul & sicca, morbum pariunt calidum siccum. At sæpius causæ naturâ sunt conformes: plerunq. tamen contrariæ, ut contingat aliquãdo, corpus simùl fieri debito calidi? & frigidius, etiam si minimè id fieri posse videatur, quæ inæqualis intemperies vocatur, in quam, vel æqualiter causæ concurrunt, vel inæqualiter: hoc modo tripliciter, vincentibus nempe pluribus vel diuturniorib. vel validioribus illo vero cum numero, tempore, & robore fuerint pares. Porrò corpora ipsa nonnunquam à solis qualitatibus alterantur, nonnunquam etiam ab illis, & fluxione humorum, qui sunt idea humidi, facultate non ité. Præterea humores interdum synceri & puri, interdum misti ad imbecilliorem partem confluunt, ob idque tumores præter naturam variãtur. Etenim, cũ quatuor sint partiũ facultates attractrix, retẽtrix, alteratrix, expultrix: excremẽtũq. omne aut quantitate, aut qualitate offendat, nec sit par robur omniũ particularũ, sæpe, quæ fortior est, excrementum ad imbecilliorem expellit: omnium autem imbecillima est cutis, cum nullam afferat animali actionem, sed usus tantum gratia facta sit,

CONTROVERSIÆ ætiologicæ.

EXPENDVNTVR quæ docuit Gal. capite sexto.

QVÆSTIO XVIII.

SED usitato more, tum arte calumniatoris versutiloqui, tum nullis adminiculis, sed, ut dicitur, nostro Marte, iudicio certo ponderemus, quæ noster Gal. diligenter docuit. Primum illud examinandum est, quod dixit, compositorum morborum causas esse omninò compositas. Nam morbus compositus potest originem trahere ex unica, & singulari causa, exemplo sit motus immodicus, qui potest producere morbum compositum frigidum & siccum. Ad idem valet raritas nimirum compositum morbum frigidum & siccum inducendum. Ergo morbi compositi non fiunt necessario à causis compositis. *1. Objectio*

Respondemus id sæpissimè contingere, ut morb. compositus oriatur ab unica, sed homonyma causa, quandoquidem cum illa ex accidẽti operetur, ipsa quidem, licet una, tamen quasi geminata, similiter potest morbum geminare. Quamobrẽ motus vehemens, summaq. raritas, quib. dissipatur triplex nostri corporis substantia solida, carnosa, & spirituosa, causæ homonymæ sunt, atque per accidens in nostrum corpus agunt, qua ratione morbum compositum gignunt, causæque duplicis tunc rationem habent. Quod *Solutio.*

Gal.

Galenum tacitè id mente complexum fuisse palàm promptum est.

2. Obiectio Omoedes. Exponamus insuper, quæ sint causæ ὁμοειδεῖς à Galeno dictæ, hoc est, uniformes, vel eiusdē speciei, quas in comentario nos breviter, summatimq. descripsimus.

Solutio aliquorum. Huic quæsito respōdebit aliquis ad rē nihil interesse huius nominis interpretationē. Nam, cū antiquus interpres hunc periodū reticuerit, in quo de his causis, fortassis tanquā subditiciū removendū esse putavit. Aſt ego antiquo interpreti, cū cōvertit, incredibilem habeo fidem: minorem tamen cum adiungit, vel deducit, quando quidē ipse manuscripto utebatur exemplari, in quo innumeri loci mutili, permulti vero corruptè legebātur: nos vero penes, rectissimus codex græcus est Basileæ excussus, correctus quidem & emendatus maximè.

Solutio interpretum. Interpretes eundem codicem græcum nacti hæc attenderunt verba, causasq. uniformes interpretantur, quæ in unum coeūtes, unum aliquod pariunt morbi genus calidum scilicet dumtaxat, aut frigidum, aut humidum, aut siccum pro causarum varietate. Nam si motus immodicus, & putredo, & calidi vicinitas, & stipatio, & calfacientium usus unà conveniant in morbum calidum incidet corpus.

Reprehenditur. Quæ quidē doctrina optima est, tamen interpretatio non videtur mihi ad hunc locum quadrare. Nam G. hic sermonem habet, non de simplicib. sed de compositis morbis, ad quorū compages & compositiones concurrere debet multarum causarū convenientia, consensusq.

Solutio Segarræ. Segarra uniformes causas esse dixit, quæ producunt effectus dissimiles, non contrarios, ut causa calida, & siccа uniformes vocātur, quoniam morb. calidus & siccus, quem inducunt, contrarij non sunt, sed dissimiles ac diversi.

Refutatur. Primo. Verum de huiusmodi causis, quæ inducunt effectus dissimiles ac diversos, in introitu capitis disputavit G. cum dixit. *Si enim causa calida simul & sicca in unum aliquando conveniant, necessariò calidus quidem, atq. siccus sequitur morb.* Sed, cum deinde scribat, illi sermoni necessariò adiungendū, ac definiendum esse, profecto novi portare aliquid habebat in animo. Præterea hæc uniformium causarum descriptio nimis extensa est: tunc enim omnes causæ, á quib. non profluunt effectus contrarij, sed dissimiles, essent uniformes, ut causæ calida & sicca, quæ inducunt morbos calidum & siccum, diversos quidem & dissimiles, quod proculdubiò absurdum est. Nam, ut constat ex contextu, & ijs, quæ dicam in nostra interpretatione, uniformes causæ sunt, eiusdē speciei: at verò plures causæ, quæ non sunt contrariæ, neq. producunt effectus contrarios, sed dissimiles, & diversos, specie discrepant, ut causę calida & sicca. ergo uniformes causæ non sunt reputandæ, quæ non fuerint contrariæ, vel quæ non producunt effectus contrarios, sed dissimiles. *Secundò.*

Quamobrem dicamus nos causas ὁμοειδεῖς á Galeno dici, quæ sunt eiusdem speciei: sic enim Leonicenus in latinum convertit: interprés verò Germanus uniformes, ac similiter eiusdem speciei esse commentatur. Nam ὅμοιος similis est, εἶδος forma, species: hinc ὁμοειδὴς forma, vel specie similis. Huiusmodi sunt plures causæ morbi calidi, vel morbi frigidi, quæ omnes fimùl ad duas intemperies, vel unicam ex duab. compositam, corpus immutant. Vt si motus immodicus, stipatio, putredo, & calefacientium usus simùl concurrunt, atq. uni & eidem corpori negocium facessunt, tunc ab his omib. in unum coeuntib. quod scilicet sint uniformes, ac eiusdem interse speciei, corpus immodicè incalescet, siccescetq. vel incalescet, putrescetq. humescet, pro causarum utriq. varietate. Similiter, cum frigidorum corporū vicinitas, cibi, potusq. tum quantitas, tum consimilis qualitas, constipatio, raritas, otium, & motus, si fuerint immodica, unà cōveniunt, quod sint uniformes, eiusdemq. speciei, corpus immodicè alteratur ad frigidum & humidum morbum, vel ad frigidum, & siccum. Proœmium ergo sexti huius capitis summatim & dilucidè sic est exponendum. Causarū morborum compositorum triplex *Autoris solutio. Homoides. Homoios. Eidos. Homoides.*

est

est cognatio compositioq. Vel enim ad compositum morbum inducendū conveniunt causæ eiusdem speciei, vel diversæ, vel contrariæ. Eiusdem speciei ac uniformes causæ sunt, quæ tametsi ad unam intemperiem inducendam primò dirigantur, tamen in aliam tādem sociam prioris corpus inducunt, atq. morbum compositum pariunt. Quando quidem *fieri non potest, ut intēperies qualibet sola diu duret, quando ipsa sibi alteram ex necessitate adsciscit.* Veluti motus immodicus, materia calida, causæ sunt morbi calidi & sicci: potus cibiq. quantitas immodica & nimium otium causæ sunt morbi frigidi & humidi. Diversæ speciei sunt causæ calida & sicca: calida & humida: frigida & humida: frigida & sicca, de quib. breviter locutus est superiori libro, propterea, quo perfectior evaderet hæc disputatio, illis hic adiungit, causas, tum eiusdem speciei, tum omninò contrarias, quæ quidem sunt causæ calida & frigida, similiter humida, & sicca: *hoc ipsum* enim *usu contingit*, G. inquit, *ut unum idemq. corpus calidum una efficiatur, ac frigidum, humidumq. ac siccum, plus quam natura sit opportunum.*

Præterea scribit G. in causarum cōtrariarum inæqualium complexu contingere, ut interim vincant ex ipsis, quæ vel numero plures sunt, vel quæ sunt diuturniores, vel quæ robore sunt validiores. Profectò hic deficit patientis corporis dispositio & habilitas, quæ solet interdum causis opem tendere, sed interdum obsistere & repugnare: dictum est enim retro nos facilius alterari similibus. Vnde licet frigidæ causæ sint numero plures, vel maiori temporis spatio agant, vel fuerint robustiores, si tamen corpus non fuerit natura dispositum ad morbum frigidum, sed magis ad calidum, tum causæ calidæ, quamvis minores, temporeq. breviores, atq. robore infirmiores, citius gignent in corpore morbum calidum, quam frigidæ frigidum.

Respondeo Galenum his in causarum implicationib. minimè defuisse, quoniam supposuit tanquam certum patientes corporis partes æqualiter dispositas esse ad cōtrarias causas, atq. ita vel plures, vel diuturnio res, vel potentiores (cæteris parib. existentib.) necessariò victoriam cōsecuturas.

Porrò plurimum difficultatis habet, quod unum, & idem corpus simul & calidius, & frigidius, aut simul & humidius & siccius, quam pro naturali habitu, reddatur. Nam, quāvis dicat, fieri non posse videri: tamen subiungit, hoc ipsum usu contingere, quod difficultatem vehemēter adauget.

Sed hæc contentio sola per se tractationem requirit, unde aliquantisper expectandum est, dum hac de re separatim dicamus.

Iam quare dixit inæqualem intemperiem nominari, cū simùl calidius & frigidius redditur corpus? Nam inæqualis etiam est intemperies, cū tantum redditur calidius, ut ex citato libello de inæquali intemperie colligere licet. An inæqualis intemperies omnis composita est, ut nonnulli ex hoc loco fallacissimè venditarunt?

Respondeo inæqualem intemperiem duplicem esse, simplicem, & cōpositam, hāc verò iterum duplicem, alteram omnium consensu ex possibili combinatione, ut calida & sicca intēperie, altera ex ea, de qua cōtroversamur, an fieri possit, scilicet ex calida & frigida. G. hic non dixit omnem inæqualem intemperiem esse compositam, sed hanc differentiam compositionis ex contrarijs, eo modo, quo potest corpus afficere, inæqualem intemperiem esse. Quod quidem est vero verius. Vt autem veritas in disputatione limetur, hanc doctrinam seorsim in ius vocare in animo est.

Adhæc postquam scripsit, singulos humores nonnunquam synceros influere, nonnunquam verò sibi invicem commistos, atq. hanc ob causam tumores plurimùm variare, subiungit. *Nam & anthraces & cancri, & herpetes, & erysipelata, & phygethla, & gangrænæ, & phagedænæ, & satyriasis, ex hoc genere sunt.* Dubium mihi est, quid significare voluerit, cum dixit, illos tumores ex hoc esse genere. Respondēt aliqui hos tumores ex hoc esse genere, hoc est, ex humorum fluxione. Alij verò commentantur hos

tumores

6. De sanit. tuen. c. 2

Cap. 12.

3. Obiectio

Solutio.

4. Obiectio

Solutio.

5. Obiectio

Solutio.

6. Obiectio

Solutio.

Alia sol.

tumores ex hoc esse genere, id est, ex fluxione humorum sibi invicem commixtorum.

Nos verò interpretamur illos tumores ex hoc esse genere, quoniam interdum ex uno humore, interdum verò ex cõmistis oriuntur. Nam postquam dixit, aliquando syncetos humores fluere, aliquando verò sibi invicem mistos, addit, subinde fieri, ut affectus seu morbi ex his procreati plurimùm interse varient, ac si dixisset, interdum ex unico humore, interdum ex illorum mistione varios oriri. Quidquod & exépla, quæ proposuit, ad hoc videntur pertinere. Quoniã ex tumorib. quos adducit, aliqui ex unico humore, ut cancer ex atra bile exquisita, & herpes à flava bile syncera: aliqui verò ex humorib. permistis, ut erysipelas, qui à sanguine, & flava bile calidiorib. quemadmodum & phigethlon, qui phlegmon est erysipelatodes, vel erysipelas phlegmonodes, ut nos in disputatione de tumoribus præter naturam dicemus, provenire dicuntur.

Auctoris Solutio.

7. Obiectio. Rursus commentario textus decimi quinti in quarto fundamento nostri corporis omnes humores in tria genera partit' est, in naturales, præter naturã, & toto genere præter naturam, atque præter naturam tumores ex naturalibus humoribus etiam fieri prodit, quod quidẽ paulò asperiùs ac durius quis accipiet, quoniam humores, à quibus tumores proveniunt, causæ sunt morbificæ: at omnis causa morbi præter naturam est.

Solutio. Respondeo primos humores quatuor naturales vocari, quia in sua generatione secundum naturam producuntur, cũ verò ad aliquas partes fluũt, ex quo tumores, tunc præter naturam evadunt. Ecce congruenter dictum ab humorib. naturalib. tumores præter naturam fieri, ut hinc artificiosius ab omnibus provenire posse concludamus.

8. Obiectio. At difficiles illud habet explicatus, quod docuerit ibidem, aliquos præter naturã tumores fieri ex quodam humore, qui nõ omninò sit præter naturã. Quoniã morb. omnesque illius causæ omninò præter naturam sunt, & potissimum peccãtes humores, è quib. tumores præter naturam oriuntur.

Solutio. Cui difficultati satisfaciemus cumulatè, si dixerimus, humores præter naturam sic appellari ad rationẽ humorum naturaliũ, & cõparatione illorũ: nondũ tamen esse omninò extra naturã, si considerentur respectu & ratione humorũ toto genere præter naturã, ut pituita acida respectu illius humoris, qui ad plurimũ crassitiei & frigiditatis pervenit, ut pulticulæ magis, quã pituitæ materiã & formã, totãq. substãtiã representet.

9. Obiectio. Iam, quod tot humores demõstraverit commentario decimo quinto in quinto fundamento, quot sint combinationes primarum qualitatũ, res laboriosa, & difficilis est, quoniã ad humorũ numerum concludẽdum & cognoscendum, satis non est considerare tẽperiem humoris: sed nativam consistentiam, & colorem. Nam pituita falsa in genere pituitæ continetur, verum si eius temperamentum, & potestatem cõtemplemur juxta Galeni hanc regulam pituita non est, quoniam vera pituita frigida, & humida existit: attamen pituita falsa potestate calida est, quantumvis albedine veram pituitam similitudine referat, atque propterea medici omnes eandem ad genus pituitæ revocaverint, quemadmodum bilis exquisita, cuius, si potestatem consideremus, in genere bilis collocatur, quoniam calidissimæ est: veruntamen ad melancholiã refertur, quia cõsistentia, & colore melancholiæ gerit similitudinem. Ergo ad differentias humorum distinguendas & constituendas, sola temperies & potestas, vel facultas attendenda non est, sed una cum ea, & consistentia, & color.

Solutio. Hæc quidẽ vera, & certa sunt. Gal. tamen hoc loco propositum non est colligere undecúq. humorũ differentias, propterea solam temperiem, & facultatẽ adduxit, quæ præcipua causa est cõstitutionis, & cognitionis illorũ, & quidẽ ad producẽdos tumores præter natu. maximè necessaria.

10. Obiect. Cap. 2. Sed cur non est ausus naturæ tribuere mentem? Nam primo de nat. facul. scribit Hippocratẽ naturam

justam nominasse, eamq. semper miris laudib. extulisse & esse admiratũ. Quin etiã quod natura summa quadam providentia corpori nostro prospiciat, passim docet Gal. nominatim verò, & aperté libro secundo de usup. de musculis brachij, & mulæ in hanc sententiam, post alia, sic loquitur. *Sed si quis inquam alius opifex æqualitatis, & proportionis magnam habuit providentiam, certe natura habuit in animalium corporibus conformandis: unde Hipp. eam rectissimè justam nominat.* Et initio item libri decimi septimi. *Ac eo certè nomine mihi subit virosillos admirari, qui naturam dicunt arte carere, si statuarios quidem laudant, cuius partes dextras sinistris æquales omnino fecerint: naturam autem non laudant, quæ præter partium æqualitatem, actiones etiam exhibuit, ac præterea statim, ut animal fuit genitum, usum earum ipsum edocuit.* Ex quib. apparet naturã esse doctã, fum mumq. illius in animali fingẽdo, nutriendo, & cõservando artificium ex titille. Vnde magna suspendit multos admiratione Gal. cũ hoc loco naturæ rationem quandam & mentem correctaverit, denegaverit q.

Cap. 16.

1. de fract. tex. 2. & 4. & 3. itidẽ com. tex. 53 cap. 1.

Tex. 16.

Sanè Philosophorũ præstãtissimi naturã dupliçem faciũt. Vniversalẽ unã, & aliã particularem. Vniversalẽ quidem eã vocant, quæ naturas omnes ipsa cohibeat, & cõplexa contineat, regat, & gubernet. Quã etiam nõnulli definientes dixerũt esse vim quandã rationis participẽ atq. ordinis tanquã via progredientẽ. Sed in summa est D. Opt. Maxim. rerum omnium artifex, & opifex, à quo, ut omnia proficiscuntur, ita in eum redeunt universa. Hac significatione naturã usurpamus, cũ dicimus. Natura nihil facit frustra. Natura rerũ parens, & artifex. Natura mundum administratur: hæc enim est Pronoea, & Dei providentia. Hinc bonus senex Hipp. ut nono de Placitis refert Gal. nostræ creationis auctorem naturam facit: de qua Ovidius sic cecinit lib. primo Metamorph.

Solutio.

Cap. 9.

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Particularem naturã vocãt vim quãdam sine ratione cientem motus in in corporib. necessarios, quã definitionem desumere possumus ex hoc Gal. contextu, in quo dixit morbos, qui cum fluxione fiunt, oriri natura à partib. principib. ad ignobiles propellente id, quod redundat sine tamen ratione, aut mente. Quin etiam lib. secundo de causis sympto. dicetur facultas omnis, qua regitur animans, sive à voluntatis nostræ, ut inquit ille, pẽdeat arbitrio, sive secùs. Quo loco de illa tantùm vi, & facultate loquitur, quæ animãtia regit, & gubernat, quæq. de se nihil potest, cum alatur, augeatur, conservetur, & ad opus suũ, & functionem solicitetur, & quasi impellatur ab illa divina providentia, quæ vim suam toti mundo, & singulis etiam eius partibus impertit, & inserit. De particulari partium mundi natura locutus est etiam Ovidius loco supra citato his verbis.

Cap. 1.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto Natura vultus in orbe,
Quem dixere chaos &c.

Porrò utriusq. naturæ, universalis, inquam, & particularis bis versib. videtur meminisse M. Manilius in Astronomicis ad Augustum.

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa condita forma,
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique facentis,
Vis animæ divina regit, sacroque meatu,
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Quamobrem Gal. hoc loco non loquitur de natura universali, sed de particulari, quæ nostrum corpus gubernans facultas est ratione, ac mente carens, de qua in superiorib. satis aperté locuti sumus.

Vndecima Obiectio.

Insuper contextu decimo sexto reddens rationem is auctor, cur parentes principes noxia & aliena injiciant in viliores, docuit omne excrementum dupliciter alienum evadere, vel quantitate, vel qualitate: & quamvis nos addiderimus ex decimo tertio methodi excrementum molestum etiam fieri utroque simul modo, etiam num defecit Gal. nam,

nam, ut lib. de differentia sympto. legemus, excrementa non solũ quantitate & qualitate suæ naturæ modũ excedunt, sed etiam tota substantia, ut quatuor modis excrementa detrimentosa dicantur, tota substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel utroq. modo.

Solutio. Verum aliud est loqui de excretis, aliud de excrementis: licet enim omne excrementum excretum, vel retentum sit: attamen non omne excretum præter naturam excrementum est, nam sanguis optimus sæpissime profluit à nostro corpore, qui tamen excrementum non est, si de excrementis proprie dicamus. Ergo excrementum proprie dictum tripliciter dumtaxat peccare potest, nimirum quantitate, vel qualitate, ut hoc loco docuit Gal. vel utroque modo, ut deinceps adjunxit decimo tertio methodi ad uberiorem doctrinam, tametsi ex præcedentib. intelligi potuisset. Quod si importunè insistere volueris, ut molestus ille, qui mordicùs tenet dari etiã excrementa tota substantia noxia. Respõdemus excrementa illa dici quoque noxia qualitate: eppisime enim Gal. totam substantiam qualitatem appellat. *Cap. 17.* sic lib. quinto de simp. med. fac. docet purgantia medicamenta humores ad se trahere qualitatis familiaritate, quod nihil est aliud, ut ipsemet interpretatur, quam totius substantiæ similitudine.

Duodecima objectio. Postremò plurimum difficultatis habet, quod dixerit Gal. cutem nullam omninò actionem habere. Quandoquidem cutis membrorum ligamentum vocatur ab Hippocrate libello de ossib. *Tex. 17.* Ligamentum autem in numero partium similarium à nobis repositum est lib. de diff. morbo- *Cap. 3.* rum. Ergo cutis actionem habet, tum *Comm. 11.* communem, tum propriam, communem quidem animalem: licet enim omnis sensio passio dicatur, quia sentire est quoddam pati, omnis tamen sensio actio est. Siquidem Philosophi in omni sensione duos motus agnoscunt, materialem, & formalem, ille est alterario instrumenti, quod tanquam materiam disponit receptione specierum: hic facultatis actio, & ipsa sensio est. Dum ergo cutis qualitates sensiles percipit, & externi tactus judex censetur, communem toti animali, non usum modo, sed etiam actionem præstat. Privata porrò cutis actio est, ut cuiusque veræ partis, nutritio, cui attractrix, retentrix, coctrix, & expultrix famulantur.

Solutio. Veruntamen Gal. hoc loco potissimum loquitur de instrumentorum expultrice, qua fortiter excrementa repellunt, ac in partes languidas incumbunt. Cutem hac facultate orbatam esse arbitratus est, quantumvis prædita sit vi expultrice, ut quælibet pars similaris ad sua excrementa repellenda, quæ quidem nunquã introducit in corpus, sed perpetuò projicit foras, non modo excrementa propria, sed quæcunq. in se alium de susceperit. Atque hæc est causa, cur Gal. nostet usus illius præclarè meminerit & magni fecerit, actionis expellẽdi quasi oblitus. Hipp. autem cutis usum respiciens, non ligamentum, sed ligationem dixit. Quandoquidem cum membra sint & virtute, & re separata, opus fuit ad eorum continuitatem conservandam, ut communi quadam theca convincirentur. Hippocratem magister Plato in Timæo interpretatus est, ubi cutem nassulæ piscatoriæ absimilavit, quod etiam adnotavit Gal. cõmentarijs in Timæum.

Decimater tia objectio Sed cum plures sint fluxionum causæ præter partium ad partes excrementorum expulsionem, ut ex alijs eius operibus licet colligere, quare huius tantum Gal. mẽtionem fecit?

Solutio. Hoc quæsitum accommodatum locum ex jure repetere videtur: at etiam num tempus opportunum non est.

Decima quarta objectio. Quod si nunc volueris tantas componere lites, atque ahunde sumere, quæ ad hæc deesse videntur, ecce repente insurget concitator seditionis, qui de tumorum præter naturam causa, & de calore ac dolore contra Galenum inconsiderate dicturus, quas turbas dabit?

Argẽt. lib. 2. de cau. morb. c. 6.

Alias per Aus. Verum, *quid stulti proprium? Non posse & velle nocere.* Vtcunq. sit illius animum, & furorẽ, petulãtiãq. frãgemus, Phrygemq. plagis emendabimus:

Adagium.

mus: barbari enim ferviliq. ingenio homines, non pudore, neq. monitis, sed verberib. redduntur meliores. Pœnâ ergo suo scelere dignam suo loco subibit.

VTRVM VNVM, ET idem corpus duas intemperies contrarias, simùl perpeti possit.

QVÆSTIO XIX.

CAVSAS morborum partium similarium, quum ad illorũ cõpositionẽ veniunt, tripliciter conjungi posse dictũ est: vel enim sunt ejusdẽ speciei, ut putredo, & materia calida, vel diversæ, ut calor, & siccitas, vel contrariæ, ut calor & frigus. Circũspiciens verò Gal. caloris, & frigoris inimicitiã, atq. humiditatis, & siccitatis discordiã, voluit harũ intẽperierũ conjunctionẽ & consortium, quocunq. modo id contingat, persuadere. Subjungit ergo, sæpe contingere, ut unũ, & idẽ corpus reddatur simùl & calidius, & frigidius, aut simùl & humidius & siccius, quam pro naturali habitu, & si nullo modo fieri posse videatur. Hinc nata est inter doctos quæstio, an in nostro corpore duæ intẽperies contrariæ unà possint inveniri, ut calida, & frigida, vel humida & sicca. Pendet autẽ hæc difficultas ex alia, de qua tertio libro de simp. med. fac cõtroversatur Gal. scilicet, nũ possit nostrũ corpus simul contrarias passiones subire, & consq. procedit, ut hac occasione hr mare audeat evenire, eandẽ rem secũdum easdẽ partes, simùl contrarijs motib. moveri. Vtitur autem ad id probandũ trib. rationib. quarum prima capitur à latione, ab alteratione altera, postrema verò à latione & alteratione simùl. Probat ergo primũ idem simùl posse moveri duob. contrarijs motib. ad locum facili quidem, & pervulgato exemplo.

Cap. 16.

1. Ratio.

Cum jacimus lapidẽ in aquã quiẽtam, cernimus eandem moveri, & motum in orbem, & quasi circulum extendere, tanquã centrum sit locus percussionis: cum verò in diversas tranquillæ aquæ partes duo lapides uno tempore dejecti circulos effecerint, qui per se se invicẽ ferantur, cõtrarios tunc conspicimus in quavis aquæ particula motũ. Videmus quidẽ & ab utroq. lapide aquã totã rotundis ambitib. interjectã cõmoveri, & easdẽ aquæ partes quã minimas simùl huc, & illuc, ad dextrã nimirũ, & sinistram partem agi, pervadentibus per se ipsos contrarijs circulis.

Altera Ratio.

Secunda ratio ab alteratione desumpta est, sed exemplis deinceps perspicuis illustrata. Nam, si corpori adjungantur, & applicentur duæ cautæ contrariæ, una calida, altera frigida, quarum quælibet superet ipsius corporis repugnantiã, absq. dubio cõmovebitur & intẽperabitur à calore, & frigore simùl: ut si aliquis simùl aquæ frigidæ, ac ferventi occurrit, sive ipse, inquam, mergatur, sive aqua infundatur in illum: in totum enim corpus pervenit utraq. passio, cum enim incalescat, simùl, & frigescat, cõtrarij motus invicem unà obversãtur. Similiter cõtingit haud dubiè in leipyrijs, sed præsertim inhepialis febrib. in quib. totũ corpus simùl contraria patitur, cum illius quælibet particula simùl incalescat, & refrigeretur, præterquam quod id illis non extrinsecus, sed ex ipso corpore caliditatis, frigiditatisque affectus exoritur. Quod, siquis ea, quæ dicta sunt, assequi nequeat, in ijs, quæ sequuntur, periculum facere poterit. Siquidẽ parem absint hij portionem melli exquisitè commistam linguæ imponat, profectò non alio tempore mellis saporem linguæ una particula sentiet, alio verò absinthij alia, sed perpetuò ex utrisq. insolentis cuiusdam mistionis gustũ pars quælibet habebit, contrariorumq. saporem simùl percipiet.

3. Ratio.

Postrema ratio utrumq. motum respicit, & lationem, & alterationẽ. Nam, si quis utitur medicamento misto ex contrarijs, ut si solanũ cum chamæmelo admistũ adhibeat inflãmationi, necesse est partẽ pati simul ab utroq. & cõtrarias passiones subire. Quoniã neq. patitur ab uno illorũ: nulla enim pars eodẽ modo afficitur

tur à medicamẽto cõpoſito, atq. ab, uno aliquo ſimpliciũ, ex quib. cõſtat, neq. à neutro, nã omninò nihil pateretur magis, ac ſi prorſus nihil admotũ eſſet, patitur ergo ab utroq. ut inflammata pars à ſolano ſimùl, & à chamæmelo, quare ſimul laxabitur ab altero, & ab altero adſtringetur, unúquodq. enim faciet, quod facere natũ eſt. Riſum excitabis, ſi dixeris, operari ambo, ſed alternatè. Quamobrẽ ſupereſt ab utroq. & ex conſequẽti à duob. contrarijs partẽ ſimùl pati. Porrò nõ ſolũ contrarijs alterationib. ſimùl afficitur pars, ſed etiã ad cõtraria loca unà movetur. Nam adſtrictio eſt adductio partiũ ad ſeſe: laxatio verò earundem ſeparatio. Ergo poteſt idẽ medicamẽtum, ſive ex arte, ſive naturâ miſtum, & duas paſsiones contrarias in noſtrum corpus ſimùl introducere, & idẽ corpꝰ cõtrarijs motib. ad locũ unà moveri.

Cõmunis opinio eſt non tã rigidè locutũ fuiſſe Gal. quum aſſerit unam eandemq. partẽ cõtrarijs ſimùl moveri motib. ſed quod ſecundũ diverſas partes magnitudine inſẽſiles ſit, ſecundum idẽ corpus fieri aſſeruiſſe, eo quod, ſi quis ſenſui credat, ita putabit. Totũ igitur corpus, vel totũ brachium unà moveri motib. contrarijs arbitratur Gal. cũ illius particularũ, quæ ſenſui quam minimæ judicantur, caleſcit nõa, & ad idem tẽporis punctum frigeſcit altera. Quo fundamento jacto oportet perpendamus argumenta, quib. eſt uſus, & eis reſpondeamus.

Primũ quidẽ nullam habet probabilitatẽ: conſtat enim illas circulares inundationes fieri, alijs aquæ partibus cedentib. huic jactui, alijs illi, non tamen eiſdem partib. huc & illuc ſimul actis.

Eadẽ etiam dilutio eſt argumenti, quod ab alteratione ſumitur. Nam quãdo cõtraria ſimul ſentit corpus, à diverſis particulis illius paſsiones incipiunt, & per diverſas particulas paſsio in totũ corpus refunditur. Ita evenit haud dubiè in leipyrijs febrib. in quib. internæ partes urũtur: externæ verò algent, ut libro de inæq. intẽp. narrat Gal. *Tum ambo*, inquit, *ſentiunt frigus immodicum, & calorẽ unà, verum nõ eodem loco: quippe cum poſſint, quæ excalfactæ ſunt partes, manifeſtè à re frigeratis diſcernere, nam intus, & in ipſis viſcerib. calorem ſentiunt, in externis partib. univerſis frigus.* Et 4. apho. *Quod igitur*, ait, *in alijs partib. corporis ſit neceſſariũ eſſe vehementẽ caliditatem, ex alijs verò ſudores frigidos evacuari eſt manifeſtũ.* Sed in hepialis non ita evidẽs eſt particularũ diſtinctio: nam in totò corpore ſimul calor & frigus percipitur, nec eger diſcernit ſe alia in parte frigore, in alia calore affici. Verum Gal. ipſe lib. 2 de diff. feb. ab omni errore nos abſolvit, doloſque detẽgit, dũ ſcribit, hepialã gigni ex pituita vitrea, quæ cũ per corporis partes defertur, pars putreſcens caloré febrilẽ, non putreſcens rigorẽ inducit: cũ itaq. aliæ particulæ pituitę caloré febrilẽ, aliæ rigoré excitẽt, certũ eſt, portiũculas iſtas, quãvis minimas, non poſſe eandem corporis partem occupare, corpus enim corpus non penetrat.

Tandẽ ultimo argumento ita reſpõdemus. Si venerint in miſturã ſimplicia omninò æqualia in partẽ, cui admovetur medicamentum ex illis cõpoſitũ, neutram inducet paſsionem: ſin autẽ in miſtione alterum ex ſimplicib. ita vincat, ut pars ſecundum illius virtutẽ à cõpoſito medicamento alteretur, patietur ab eo ſolo, minus tamẽ, quã ſi illud ſolũ admovere tur, quantũ ſcilicet cõtrarij admiſtio poteſt illi detrahere virtutẽ: ut, ſolanũ minus adſtringit remiſſum à chamæmelo, quod quidẽ minus laxat, diminuta ejus vi à ſolano. Dices hoc idẽ eſſe, ac ſi remiſſum adſtringẽs, vel remiſſum relaxans parti adhibeatur, nihil ergo intereſt uti medicamento cõpoſito ex duob. cõtrarijs, aut ſolo ſimplici eatenus remiſſo. Reſponde mus tamẽ nõ parũ intereſſe, quia licet adhibeantur permiſta: natura, tũ attractricis & expultricis ope, utitur utriſq. ut eis indiget, laxantibꝰ ſcilicet & reſolventib. ad humorum diſcutionem; adſtringentib. verò ad partiũ roborationem, quorum neutrum æquè poſſet præſtare ſimplex, & remiſſum medicamentum.

Obiectio.

Solutio.

Hæc ſuſcepimus à noſtris præceptorib. & quidem magnificamus. Sed ego vellẽ altiùs imprimere ſulcũ, & tẽ inſpicere accuratiùs: poſsũt enim

Renovatur quæſtio.

1. *Fundamentum.*

Cap. 8.

Com. 37.

Cap. 6.

quemlibet ad dubitandum excitare, quæ subjiciam argumenta duobus nixa fundamentis. Nam ex Gal. lib. 1. de elem. minimum duplex est, vel naturâ, vel judicio sensus. Ex ijs verò, quæ dicta sunt præclarè constat quamlibet partem judicio sensus minimam posse reddi simùl & calidiorem, & frigidiorem, aut simùl & humidiorem & sicciorem, quam pro naturali habitu. Quamobrem in altero minimo contendendum est, quia iterum me vexat Galeni secunda ratio ab alteratione desumpta, qua monstraverat posse unum, & idem corpus contrarias alterationes pati. Est autem à nostris Philosophis copiosius agitatum, atque subtiliter concluſum qualitates cõtrarias gradibus remissis in eodem subjecto simùl inesse posse. Galenus id confirmat lib. primo de temperamentis, qui, ut ostendat corpus ad pondus temperatũ, argumento usus est desumpto ex permistis aqua ferventi & nive, ex quib. fit mediocritas in utrisq. per participationem dicta. Et lib. tertio de sim med. fac. remissum remittere intensum multis exẽplis probat. His addo, quod mistio est unio corporum alteratorum, quæ nusquam aut nulla est, si in ea non reperiuntur primæ qualitates in gradib. remissæ. Nam, quod movetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem lib sexto phy. ut aqua, quum calefit, neque est omnino frigida, neq. omninò calida: sed quando calor est in fieri, tum incrementũ facit, & actione continua recipit ulteriorem gradum. Quin etiam maior est oppositio luminis, & umbræ, quam caloris, & frigoris: distant enim magis ens & non ens, quam duo entia: sed lumen, & umbra possunt esse simùl sub certis gradib. quoniam in umbra reperitur lumen, & privatio intensioris luminis, ergo verisimilius est, quod ita reperiantur caliditas & frigiditas, vel humiditas & siccitas.

Cap. 1. *Alterum fundamentum.* *Cap. 9.* *Cap. 8. 1. Ratio.* *2. Ratio.* *Cap. 3.* *3. Ratio.*

Quibus jactis ad assumptum & propositum venio, probare tentaturus quamlibet nostri corporis partem naturâ minimam duabus intemperieb. contrarijs simùl, vel una ex illis composita scilicet calida, & frigida laborare posse. Quum duæ causæ contrariæ nempe calida, & frigida alicui parti naturâ minimæ æqualiter proximaverint, cum æquali actione, & virium excessu ad resistentiam, tunc particula illa duas intemperies contrarias perpeti potest, vel unam ex illis compositam calidã & frigidam: sed, si casus incidat, cogitemus ita esse, ut homo ætate consistens, æstivo tempore, escis repletus calidissimis, in vehementi frigore iter agat, ut inde tum valida febri, tũ congelatione corripiatur, ejusq. corpus partesq. omnes simùl & ardeãt, & algeant, facilè tunc supponere possumus duas causas contrarias calidam & frigidam cuilibet illius hominis parti naturâ minimæ æqualiter proximare cum æquali virium excessu ad partium repugnantiam, ergo tunc universum corpus partesque illius naturâ minimæ duas intemperies contrarias, vel unam ex illis compositam calidam & frigidã perpetietur. Quæso, nonne sanitatis tempore natura facillimè fert calidi tatem & frigiditatem ad mutuam pacem redactas, hanc scilicet uno vel duob. gradib. amplificatam: illã verò ad tres vel quatuor gradus intensam? Ergo easdem tolerare poterit paulò plus extensas, sed extra naturales limites exaggeratas & auctas, ut inde quælibet corporis pars naturâ minima compositam ex cõtrarijs intẽperiem perpetiatur: neq. enim tantus requiritur excessus aliquãdo ad morbum inducendum. Quid impedit, quominus id contingat? Nam harum qualitatum remissio latitudinem habet, perquam liberè vagantur, cum in se possideant plures gradus remissos, in quib. cõjunctæ qualitates contrariæ se tolerãter ferũt: etenim quot gradibus una distat à summa intensione, tot gradus admittit qualitatis contrariæ. Quamobrẽ & in naturali statu potest dari temperies conflata ex cõtrarijs, & in morbi latitudine intemperies cõtrarijs composita. Hæc & contra Galenum sunt, & pro Galeno: contra quidem, quia dixit, fieri non posse videri, ut unum, & idem corpus cõpositam ex contrarijs intemperiem patiatur; apparet enim fieri posse, quemadmodum

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.* *Assertio.*

modum probavi: sed pro Galeno, quum asserverit, hoc ipsum usu contingere, quod tres rationes approbarunt.

Sed communis opinio est Oraculum veritatis, ad quam posthac placidè loquamur, & quid tenendum fuerit, constituamus: Atque primo concludimus duas intemperies contrarias in gradibus intensis non posse simul inesse in una corporis parte: immò neque unam in summo gradu, & alteram in gradib. remissis ita, ut eadem pars ambab. simul afficiatur (adæquatè dicunt). Ad quod probandum sufficit definitio contrariorum, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt.

2. Assertio.

Præterea asserimus intemperies contrarias in gradib. excedentib. mediam latitudinem, non posse idem corpus simul apprehendere. Nam posito, quod summa caloris & frigoris latitudo sit ut octo, tunc in eodem subiecto non possunt esse, tũ caliditas, tum frigiditas ut quinque. Nam caliditas in tota sua latitudine nullam perpetitur frigiditatem: sed si qualitates contrariæ possent esse simul in gradib. qui excederent mediam latitudinem, posset etiam qualitas in summo aliquem gradum cõtrarij admittere, nã si caliditati simul & frigiditati ut quinq. adiungatur aliquod ageus calidum in summo scilicet ut octo, profectò caliditas comparabit alios tres gradus & erit in summo etiam ut octo, remissis tantum trib. gradib. frigiditatis, cum tres caloris fuerint introducti, atq. tandem una cum calore in summo, supereslet duo frigoris gradus, quod est impossibile.

3. Assertio

Ratio.

Quamobrem affirmamus unum & idem corpus duas intemperies contrarias in gradib. remissis simul perpeti posse. Hæc est opinio Galeni, atq. eò tendunt illius rationes, &, quas ego subiunxi. Nam qualitates elementorum, tametsi contrariæ, remissæ quidem in mixto permanent, quod liquidò cõfirmat D. Thomas.

4. Assertio

Ratio.

Hoc autem fit mihi pro argumento, quòd ignis calfacit aquam, calorem successivè introducendo: sed non ita tim evanescit tota frigiditas, immo

A à caliditate contraria sensim expellitur: interea verò easdem, sed remissas, inesse insubiecto nihil habet dubitationis.

Sed aliquis à me postulabit quot sint isti gradus remissi, quib. se perpetiuntur qualitates contrariæ. Respondeo, quot gradib. intemperies, vel qualitas aliqua distat á sua summa latitudine, totidem gradus admittit intemperiei, vel qualitatis contrariæ. Vnde, si caliditas summa, fac ita esse, fuerit ut decem, sitq. in aliquo corpore, ut novem, tolerabit

Obiectio.

Solutio.

B ut secum sit unus frigiditatis gradus: si aderit ut octo, duos gradus frigiditatis feret: si ut septem, dumtaxat tres: sicut sex, quatuor: sicut quinq. totidem, unde optima temperies: sicut quatuor, sex: si ut tres, septem: si ut duo, octo: si unus tãtum aderit, novem contrarios perpetietur. Siquidem cum qualitas perfectior est, validissimè contrariam expellit, imperfecta imbecillius: est autem perfectior, quæ proximat summæ latitudini: imperfectior verò, quæ ab illa plurimùm distat, ergo, quot gradib. caret, totidem contrariæ qualitatis tolerat, quotq. habet gradus, totidẽ

C expellit, nam iuxta illos, quib. caret, agere nequit.

DE INÆQVALI Intemperie.

QVÆSTIO XX.

D ETSI de intemperie inæquali noluerit consumere verba G. quòd alibi seorsum hac de re disseruerit, non nihil tamen de hac ipsa dicendum, cum propter illustrem decimi quarti contextus explanationem, tũ propter ipsius inæqualis intemperiei naturam, quæ, cũ diuturna obscuritate multos latuerit, aperienda est á nobis diligentius.

Vt colligitur ex Aristotele in cãtegorijs æqualitas, & inæqualitas dupliciter dicuntur, propriè & communiter. Si propriè sumantur, maximè proprię quantitatis esse docet,

quo-

quoniam, cum essentia illius consistat in extensione partium, æqualia dicuntur, quæ obtinent parem extensionem, quæ verò disparem inæ-
Cap. 8. qualia. Hinc decimo de prima Philosophia definit æquale, quod, cum nec magnum, nec parvum sit, naturâ tamen aptum est magnum, aut parvum esse. Qua ratione æquale, & inæquale ad aliud referuntur: dicitur enim æquale, quod alteri æquat: inæquale verò quod est alicui dispar. Communiter, vel promiscuè dicuntur æquales, vel inæquales dispositiones, atq. patibiles qualitates. Vnde quæ similia, atq. dissimilia potiùs vocantur, si communiter loquimur, æqualia, vel inæqualia dici possunt. Quam significationem G. qui magis animum ad res attendebat, quam ad nomina, crebrò usurpavit. Quamobrem secũdo prognosticorũ. *Quod*
Com. 28. *consuevimus*, inquit, *æquale nominare, id accidit, quoties totum similare existit.* Libello de fasciis in præfatione. *Atque ita, quod prorsus æquale est, erit sibi simile, quod inæquale dissimile.* Sexto sanitatis tuendæ æqualem intemperiẽ similem vocat, & inæqualem dissimilem. Quid, quod intemperies dicantur æquales, vel inæquales, rationi etiam congruere videtur. Nam, vt est consuetudo, nomen quantitatis qualitati sæpissimè accomodamus, quod primo de differentia febrium scripsit G. *Omnes siquidem morbos, magnos,*
Cap. 1. *aut parvos nominamus* (ut etiam primo apho.) *febrem magnam, febrem parvam: apoplexiam magnam, & apoplexiam parvam, sic & pleuritidem, phrenitidem & peripneumoniam, & omnes itidem alias*
Com. 12. *intemperies.* Quare, si æqualitas & inæqualitas quantitatum sunt propriæ, & qualitates, intemperiesq. dicuntur quantæ, magnæ, vel parvæ, profectò æquales, vel inæquales vocabũtur, & quæ similes ac dissimiles per se dicuntur, similiter æquales, & inæquales dicentur, quòd quantæ, magnæ, vel parvæ appellentur. Sed cum non dicantur propriè ac per se æquales, vel inæquales, ita nec propriè sunt ad aliquid, ut alteri extremo conparentur: sid æquales, vel inæquales dicuntur ratione partium, quib. constant. Nam, cum subjectum, quod intemperiem perpetitur, partibus E constet, inter partes illius comparatio fit. Sic viam dicimus æqualem, & inæqualem, non quidem alteri relatam, sed ratione partium, quoniam via æqua, & plana suis partib. æqualis est: at aspera, vel quę cum ascensu, & descensu sit (ut observavit tertio de medica officina) inæqualis appel Com. 11
latur, partib. nempe sui disparibus atq. dissimilib. Eadem ratione secundo libro ejusdem operis dixerat fasciam æqualem esse, *quæ tota sine vlla* Com. 22
varietate similis est, nimirum ubi nulla F *pars lintei est durior, aut latior, nulla item mollior, aut anguſtior: tum ubi nihil deest, nihil corrosum est, sicuti videmus in aliquib. telis, quarum texturam vocamus inæqualem.* Non dissimili ratione de intemperie æquali, & inæquali verba facimus: partium enim corporis patientis comparatio fit, & cum pariter apprehenduntur partes, intemperiem vocamus æqualem: inæqualem verò, quando corporis partes perpetiuntur dissimiliter. Atq; hæc de nomine satis, rem, quam quasi attigimus, persequamur.

Porrò, cum ex novem temperamentorum differentijs, una temperata sit, & octo intemperatæ, atque hæ omnes in naturali corporis statu reperiri possint, præclarè colligit G. aliam sanitatis esse, aliam morbi intemperiem: sanitatis quidem intemperies est, quæ parum à media temperie recedit, cuius sufficiens signum est, quod nullam actionem manifestò lædat, cum sit corporis naturalis constitutio. Quę, ut est Galeni sententia secundo de temperamentis, & sexto sanitatis tuendæ, duplex Cap. vlt. Cap. 9. & 10.
est, æqualis, vel inæqualis. Aequalis intemperies illa dicitur: ad quã omnes corporis partes declinant, veluti, cum partes omnes calidiores sunt in suo genere, aut frigidiores, quod de principib. partib. intelligendum est, quarum temperiem sequuntur reliquę. At verò, cum partes principes, aut contrariam, aut saltem diversam intemperiem habent, ea inæqualis est, veluti si ventriculus calidus sit, & iecur frigidum, aut frigidũ sit cor, & cerebrum in suo genere siccum. Hęc est totius sanitatis latitudo, de qua nihil ulterius. Ab hac proxima est intemperies morbosa, par-

partiumque similarium constitutio præter naturam, quæ manifestè illarum aliquam actionem lædit. Hæc itidem duplex est, æqualis, & inæqualis, de cuius natura, generationisq. modo in præsentia dicemus: interea tamen æqualis intemperiei non obliti, quoniam harum intemperierum talis natura est, ut alterius altera explanatio sit.

Quid sit in temp. æqualis.

Intemperies æqualis est, quæ in omnib. partibus corporis affecti æqualiter inest, ut in toto corpore febris hectica: in parte sphacelos, quæ partis inflammationem perpessæ mortificatio est. Intemperies inæqualis est, quæ in omnib. partib. corporis affectis inæqualiter inest, ut in toto corpore, febris diaria, & putris, eaq. hydropis species, quam anasarcam vocant: in partib. ut inflammationes, & tumores præter naturam. Iam verò sexdecim intemperies morbosæ intemperies inæquales fiunt, quę, vel possunt totum corpus apprehendere, vel partem aliquam. Totum corpus apprehendit febris putrida, & diaria, sed in una parte intensior est, in alia remissior: similiter phlegmone partem aliquam apprehendens. Siquis sub sole ardente commoretur, & detineatur, afficitur calida intemperie inæqualiter, quoniam externæ partes magis incalescent, quam internæ, atq. ex his aliæ magis, aliæ minus, non dissimili ratione, si contingat febris putrida, vel diaria, primò calescent humores, vel spiritus, ex partib. verò primò venarum, vel arteriarum tunicæ, deinceps carnes, quæ venas & arterias circunstant, postremò reliqua, quoniam alteratio per partes serpit & progreditur latiùs, cumq. per id temporis una pars calfaciat aliam, & sibi similem reddat, magna committitur pugna, partium cum partib. tẽperamento naturali acriter repugnante, unde dolor. Præterea partem aliquam arripiat inflammatio confluente sanguine fervido in aliquem musculum, qui primùm repleat majores venas, deinde minores, ac tandem minimas omnes, donec ad interstitia, & partium spatia trãsfluat, hęc erit intemperies calida & humida ex sanguinis fluxione, inæqualis quidem, quoniam non eo dem modo apprehendit omnes musculi partes, sed inæqualiter, semper obsistente in alteratione & commutatione partium naturali temperamento, unde dolor. Veruntamen, si quę reluctatur temperies, tandem vincatur, & superetur, vel à febri, vel à phlegmone, adeo ut intemperies æqualiter apprehendat omnes partes, tunc intemperies æqualis fit, unde indolentia, & insensibilitas. Nam quemadmodum inęqualis intemperies dolorem facit, quia partes interse sunt diversimodé affectę, atq. mutuò in se ipsas agunt, ita intemperie æquali, nã ut hectica febris est, dolor abest, quia ex particulis, hæc non agit, hæc patitur, sed omnes interse similes redditæ sunt. Quare intemperies inęqualis, vel est simplex, vel composita, simplex quadruplex est, calida, frigida, humida, & sicca. Similiter & composita, quæ ex quatuor combinationib. posibilib. constat, calida humida: frigida sicca: frigida humida: vtraq. verò simplex & composita duplex est, una humore comitata, sed altera denudata. Verum quæ ex combinationib. impossibilib. etiam duplex, altera per quam corpus affectum calore simul & frigore intemperatum est: altera humiditate simul & siccitate. Ex quib. apertè constat *Text. 14.* Galenum in initio huius capitis minimè existimasse omnem intemperiem inęqualem esse compositam, ut voluerunt aliqui ex interpretibus libelli de inæquali intemperie. Sed cum de combinatione posibili loqueretur, alterius combinationis meminit, quam dixit esse quandam differentiam inęqualis intemperiei, ut revera est: licet tantum iuditio sensus admittẽda. Nam contrariarũ alterationum sensus non potest fieri secundum easdem exquisitè partes, simùl igitur sentiũtur ab eodem corpore, ut in febribus epialis, in quib. calefactio, & refrigeratio, & earum sensus secundum tam parvas partes fiunt, ut omninò sint insensibiles, eoq. distingui non posint incalescentes à refrigeratis, atq. totum corpus secundum se totum ambas affectiones pati videatur, cum simul per membra deferant pituita vitrea & amara-

amara bilis humores, frigidissimus E
alter, alter calidissimus, vel cum vi-
trea pituita putrescentes habet aliq-
quas partes, & alias putredinem non
dum experies: aliæ enim illorum hu-
morum partes putredinali calore ca
lefaciunt, aliæ naturali frigore refri-
gerant. Sed hæc plurib. in nostris ex-
planationib. libello de inæquali in-
temperie adhibitis, quas ad commē-
tarios librorū de differētia febrium,
Deo volente, adjungemus.

VTRVM MORBORVM, qui ex fluxione ortum habent, vnica tantum causa sit.

QVÆSTIO XXI.

OMNES vigilanti animo occasio-
nes captat ambitiosus homo, ut
possit increpare nostrum Gal. qui
alias abundanti doctrina usus, hic
tantum unicam fluxionis causam sta-
tuit, scilicet irritationem facultatis
expultricis excrementa pellentis ad
partem omnium imbecillimam.

Primo reprehēditur Gal.

Primum ergo hæsitat & dubitat G
de tumorum præter naturam ortu,
nec sibi persuadere potest, quod om
nes tumores ex fluxione ducant ori
ginem. Quoniam non solum celeri
fluxione generantur in nostro cor-
pore tumores, sed paulatim, & lon-
go temporis spacio excrementis sen
sim coacervatis, quemadmodum gut
ta cavat lapidem. Sic experimur tu-
mores frigidos minutatim fieri, ver-
rucas, strumas, flatuosos q. tumores,
quorum crassa materies non aliunde
influit, quando quidem non modo
solius nutricis, seu assimilatricis fa-
cultatis errore accidit multa coacer
vari excrementa, sed etiam expultri-
cis imbecillitate, quę illa finit cumu-
lari. Siquidem earum facultatum mu
nus non est inepram materiam con-
ficere, vel tantam superflui copiam
expurgare. Sic ventriculus humanus,
quod acinos coquere non possit, im
becillitatis non damnatur à Galeno.
Qui quidem secundo de differentia
febrium censet causam circuituum,

5. de lo. af. cap. 4.

& repetitionum febrium interdum
fluxionem esse, interdum verò excre *Cap. vltim.*
mentorum in ipsis vasis congestum.
Quod lib. decimo tertio metho. etiā *Cap. 4.*
indicavit, nam postquam dixit om-
nium tumorum præter naturam va-
rietatem nasci ex eo, quod natura in
fluit, subiungit. *Similiter scirrhosi, vbi vel crassus, vel vehementer lentus humor, qui parti est infixus.* Paulò post verò: *Lentus autem ex glutinosis provenit ci-bis: sed & ex ipsis aliquando nervosis par tibus vtiq. cum multum excrementi ge-nuerit.* Bifariam igitur præter natu-
ram tumores oriri docuit, vel fluxio
ne, vel cumulata excrementorum in
partib. congerie. Porrò citato libro F *Cap. 3.*
dixerat, communem generationem
tumorum ex sanguinis influxu esse,
copiosioris scilicet, quam pars pos-
tulet: influere autem aliqua, vel ali-
quib. partib. mittentibus & ea, quæ
inflammatione laborare incipit re-
cipiente, atq. ob dolorem, vel calo-
rem ad se trahente. Ecce ad irritatio
nem partium, quæ unica est hic fluxi
onis causa, videtur illic Gal. adiun
gere dolorem, & calorem. Quod va-
nus ille ac inanis homo exagitare
conatur, caloremq. ac dolorem non
attrahere probare intendit.

Secundo reprehenditur Gal.

Itaq. secundò monstraturos calo- G
rem non esse causam tractionis, trib.
rationib. aggreditur. Prima est, pro-
pria caloris actio calefactio est, quā
sequitur similium congregatio, & *1. Ratio.*
dissimilium disgregatio, concreto-
rūq. fusio, & dispersio: sed attractio
nulla est harum actionum, nullamq.
istarum subsequitur, ergo calor at-
trahere non potest. Secunda ratio, *2. Ratio.*
nihil est in rerum natura, quod rem
attrahat solummodò propter ipsum
attrahere, sed ut ea fruatur, & delec-
tetur: at calor nulla sanguinis volup
tate fruitur, nequit ergo attrahere. H
Tertia & ultima ratio est, si calor es- *3. Ratio.*
set causa tractionis, non tantum tra-
heret corpora liquida, cuiusmodi
sunt humores, sed etiam corpora sic
ca, ut lapides, & ligna: veruntamen
sanguinem tantummodo trahi ob-
servamus, non trahitur igitur à ca-
lore.

Reprehenditur Gal. 1. Ratio.

Postremò Galenum similiter accu
sat, quod dolorem attrahere docue-
rit. Primò dolor nulla ratione attra-

here

here poteſt, quam aliquam facultatem irritando: at quæ irritant, expultricem vim ad agendum movent, nõ attractricem, quod demõſtrat vomitus, & aliarum excretionum exemplo, quæ fiunt dum facultas expultrix vehementer excitata in id, quod ei moleſtiam exhibet, magno impetu irruit. Secundo, ſi dolor attrahit, ut retineat allicit, quæ verò retinentur, familiaria ſunt, mutanturque in naturam eius, à quo retinentur, & mutantur: at verò dolor ſanguine nihil proficit. Tertiò & ultimò, quum duo naturæ irritamenta dolorem, & calorem ad fluxiones conſtituit, longe multumq. præſtabat tria ſtatuere priora, & magis noxia, ſcilicet humoris peccantis quantitatem, qualitatem, & totam illius ſubſtantiam nobis infenſam, quæ quidem magis lacerſunt, & provocant.

2. Ratio.

3. Ratio.

Galenica tñ opinio in hac hæſitatione vera eſt, ſcilicet, unicã eſſe fluxionis, generationiſq. tumorũ præter nat. cauſam, ſcilicet irritationẽ, & expulſionẽ partium principũ, & robuſtiorum ad ignobiliores. Quod à Galeno copioſè demonſtratum eſt lib. tertio de nat. fac. lib. 13 metho. lib. de cur. per ſang. miſſ. & lib. ſex. ſan. tuendę. Hoc tamen capite poſt explicata exordia generationis omnium morborum, qui à fluxione originem ducunt, ſubijcit malum in ipſis partibus augeri, quando propria excrementa illius impacta, perſpiratuq. deſtituta putreſcunt, atq. humores, qui deinceps ad has ipſas confluunt, ſimũl corrumpunt. Quib. verbis mirabiliter ſatisfecit illis, qui ſolo excrementorum congeſtu præter naturam tumores oriri poſſe arbitrati ſunt. Sed hæc homo ille capere non potuit. Nos affirmamus cum Galeno ſenſim colligi poſſe excrementa in partib. præſertim frigidiorib. quę viſcidis humorib. nutriuntur: negamus tamen ex ſola congeſtione tumores fieri, quãdoquidem ubi pars obruta, & putreſcentib. excremẽtis propriis oppreſſa eſt, continuò ex alijs partib. fluxionem ſuſcipit. Nam pars, quę non poteſt propria excrementa proijcere, multò minùs obſiſtet excrementis alterius, quia maius robur requiritur ad reprimendã fluxionem excrementorum partium vicinarum, quam ad propria expellenda: hęc autem pars tanta cõgerie afflicta imbecillima eſt. Ex qua ratione tumores p. n. utrobiq. oriantur é fluxionib. Docet hoc ſanatio. Nam curationem tumorum, qui congeſtione fiunt, omnes medici exordiuntur á ſanguinis miſſione, vel frequenti purgatione: atſi nulla fluxio adeſſet, ſola reſolventia parti adhibenda forent. Quamobrem non immeritò Gunicam tumorum cauſam ſtatuit, quã vis penitus intellexerit tumores alios ex congeſtione fieri. Fluxio tamen principalis, & conſtans cauſa eſt, perſe quidem ac minimè contingens, de qua potiſsimùm locutus eſt hoc loco, cum ſit actio partis mittentis fluxionib. neceſsitudine adjuncta, methodoq. neceſſaria inventa, cauſas verò fortuitas, quæ non ſemper, ſed plerumq. contingunt, ad libros mediendi methodi rejecit, ſatis ſuperq. habens, quod dixerit partẽ, quę fluxionem recipit, maximè imbecillam eſſe, aut à prima conformatione, aut quia poſtea læſa fuit, aut ſuapte natura talis eſſe debuit, nam quę poſtea lęditur, aut calore, aut dolore ardet, hinc attractio, quã ignoravit importunus homo, cuius nos ſolvamus rationes, ſi tale merentur nomen.

Alterat ratio.

Primæ reſpondemus caloré ſuapte natura calfacere, ac præter id eã, quæ ſunt ſimilis naturæ congregare, quæ naturæ diſſimilis diſgregare, cõcretaq. fundere, ac diſpergere, ſed plures alias actiones per accidens exercere, in quib. attractio numeratur, quod vel experientia agnoſcere poterat. Atq. hæc plus etiam ſatis, quæſtione ſequenti eloquar copioſius. Secunda ex Galeno ſumpta in lucem profert autoris ſummam ignorantiam. Nam, cum ſcribit Galenus quæ attrahunt, non attrahere propter ſolam attractionem, loquitur de his, quę trahunt ſimilitudine ſubſtantiæ: at calor cauſa eſt attractionis occaſione quadam, & ex accidenti, quod ſtatim explicabo. Poſtremæ rationi reſpondendum calore trahi corpora humida, ut in noſtris corporib. humores, quòd fluxiles ſint, ac ideo ad motum parati; ſicca præterea,

1. Solutio de calore.

2. Solutio.

3. Solutio.

Defenditur & vindicatur Gal.

Cap. 13.
Cap. 5.
Cap. 8.
Cap. 11.

Ratio.

rea, ut festucæ ac paleæ sæpissimè tra huntur à re calfacta: sed partes solidæ paratæ non sunt, nec adeo valida est caliditas partis affectæ, ut eas fundere ac trahere possit.

Hæc de calore: de dolore dicamus.

1. Solutio de dolore: Prima ratio multa loquitur ad veritatem. Nun quam attrahit dolor, nisi cum irritat: verum. Quæ irritant, nõ attractricem, sed expultricem ad depellendum incitant: certum. Ergo dolor, cum irritat, non attrahit: nego cõsequẽtiam. Sané tu à vera disserendi ratione alienatus es. Sed, cur dico alienatum, hospitem & planè peregrinum in Philosophia? Agisne cum Philosopho, an non? Profectò cum Galeno agis, qui libro decimo

Cap. 10. methodi medendi docuit, hæc tria, frigidæ potionẽ, uvæ immaturæ succum, & sanguinis missionem febri subvenire, refrigerare q. frigidæ potionẽ, & immaturæ uvæ succum per se, actu illam, hunc potestate: at sanguinis missionem, non per se quidẽ, sed ex accidenti. Discе igitur, Galeno duce, ac magistro, dolorem, vel eius causam (hic istud non excutio) irritare, non attractricem vim, sed expultricem commovere ac stimulare sane per se: at consequenter

2. Solutio. per accidens attrahere. Altera ratio dissolvenda est, ut secunda proposita de calore. Vltimæ cumulatè satisfacienus dicendo illa tria semper in

3. Solutio. temperare, ac partes corrumpere, unde calor, & dolor, a quib. fluxio, & tractio.

VTRVM CALOR Attrahat.

QVÆSTIO XXII.

INTER Hippocratem, & Galenum ex una, & Aesclepiadem, eiusq. sectatores alia ex parte controversia versabatur de attractione, tum medicamentorum purgantium, ut secundo lib. de elementis & primo de

Cap. 3. nat. fac. tum caloris partis inflammatæ, ut decimo tertio med. methodi legimus. Censebat Aesclepiades calorem non trahere humores, sed eosdem liquefacere, fluitantesq. reddere, ac ita confluere. Hippo. verò, & Gal. ad partem excalfactam vicinos humores à calore trahi arbitrati sunt. Quam controversiam prætermi- *Ibidem.*
sit Gal. citato libro med. metho. in rebus maioris ponderis occupatus, nosq. ad solam experientiam remittit his verbis. *Ergo, quod ad partem excalfactam, vel morboso calore* (quod ad diderat antea) *trahuntur vicini succi* (*vt nos censemus*) *vel confluunt* (*vt Aesclepiades putabat*) *evidenter cernitur: & constat hoc loco exipso, quod cernitur, sermoni fides.* Quamobrem Hippocratis & Galeni hoc dogma, cum à nobis contenderetur quæstione prætermissa, dictum est calorem in ea actione ad occasionem quandam, & causam accidentariam proportionem, & comparationem habere. Atq. ut id magis perspicuum fieret, quæstionem hanc separatiùs adjungere volui, quo agresti homine relicto, agerem cum doctis viris.

Porrò, si rem leviter attingamus, calorem attrahere probabiliter concludemus, quia, quantum in medico est, sic se res habere videtur, ut iudicavit Gal. Hanc tuetur opinionem *Ibidem.*
Fran. Vallesius, quem Pacius insecutus est. Attamen Vallesius severè rem *7. con. cap.*
æstimavit, ac duriùs, quam decet, dis- *3. 4. meth.*
serbit. Mordicùs tenet calorem per *cap. 4.*
se trahere, non per accidens. Primùm comprobat calorem attrahere per se auctoritatib. Hippo. libro de iudicationibus tradens bona signa febrium *Sent. 3.*
ardentium, *necesse*, inquit, *est febri contingere iudicationem, vbi calor febris discessit, & humorem in se ipsum attraxit.*

Galenus lib. quinto de simp. med. *Cap. 17.*
fac. scribit *attrahentium medicamentorũ essentiam calidam esse: repercutientium frigidam, quoniam calidum perpetuò attrahit, repellit verò frigidum: atque interea, quæ essentijs similia sunt, quod calidius est, id potentiùs attrahit, ut pote quod similitudini auxiliarium adjunxerit calorem.*

Libro decimo tertio methodi medendi (ut dudum diximus) ad partem *Cap. 3.*
excalfactam vicinos succos trahi arbitratur. Septimo apho. *Cum inflammationis calor vehemens fuerit ad se trahere,* *Comm. 1.*
ait, *per modum cucurbitulæ ex toto corpore sanguinem.*

Sed

Sed cum de cucurbitulis memini, venit in memoriam idē Gal. qui de his agens, referēte Oribasio, easdē cū multo igne vehementer attrahere affirmavit. Iuxta quam doctrinam, ut observavit Pacius, qui cucurbitulas ægrotantib. affigūt, eisdē pannos calidiores obducūt, quò adaucto calore, pariter crescat attractio.

Observatio Lib. 6. c. 15

Lib. 4. method. cap. 4.

Præterea secundo de differentia febrium. *Nam, si cui inunxeris thapsian, huic haudita multo post partem illam calidiorem, atq. in ampliorem tumorem elatam conspicies. Sic & si membrum aliquod juxta ignem calefeceris, aut vehementiore frictionem adhiberis, vel resina perungens, vel pice mediocriter calida, deinde universam paulo post auferas, sive quod eunque calidum medicamen parti cuique applicaveris, in hisce omnibus membrum in tumorem videbis attolli, quoniam caliditas natura sua apta est fluxiones attrahere, aut easdem recipere.* Quod expertus est Gal. in illo servo amore capto, cui circa genu maximus à thapsia excitatus apparebat tumor, nam pharmaco imposito, quod nihil leniret, sed thapsiæ solùm qualitatem intigidaret, post horam unam, nihil amplius se doloris sentire confessus est. Pharmacum fuit dubio, ut præterea dicam, fuit acetum, in quo ipse sui periculum fecit Gal. lib. primo de simp. med. fac. ubi scribit, *Si quis abillita thapsia utatur, ardor aceto restinguitur.*

Cap. 11.

Cap. 19.

Deinceps argumenta subjicit Vallesius. Primum nititur in illa auctoritate Galeni ex libro quinto de simp. med. fac. desumpta. Nam omnis tractio manifestè fit, vel à calore, vel à substantiæ familiaritate, seu similitudine: sed hæc non potest sine calore trahere, solos ergo calor propriè tractorius est. Probatur assumptio. Quoniam similitudo cadē est in utrisq. corū, quæ similia sunt: unde ob eam nō potiùs trahit quidpiam, quam attrahatur: sed trahit simile, quod calidius est: trahitur verò simile, quod est minus calidum, ergo similitudo non potest sine calore trahere: licet enim ea sit causa trahendi hoc, vel illud, nihilominus tamen calor est causa trahendi omninò & tractionis complementum.

1. Ratio.

Cap. 17.

A Secundò frigus per se se repellit, facit enim humoris repercussum, non quod impleat locū, ex quo repellitur humor, sed quod ex propria natura frigori hoc insit. Ergo ejus contrario calori contraria vis inest trahendi scilicet, & hæc per se, non ex accidenti. *2. Ratio.*

Tertio & ultimò ad experiē tiam confugit: succinum enim, quod vim habet trahendi paleas; aut non trahit, aut remissè quidem, nisi perfricemus, calfaciamusque, signum quidem certissimum, quod in succino B calor sit per se attractionis causa. *3. Ratio.*

Sed quoniam præsentiebat Vallesius omnes, qui calorem per accidēs attrahere arbitrantur, se id vacui fugā defensuros, totidem rationib. præterea probat calorem non trahere per accidens & fugâ vacui. *Val. probat calorē non trahere fuga vacui.*

Nam ea lex est in successione ad id, quod evacuatur, ut propinquius antecat longinco, fluxum solido, tenue crasso, ut ex Galeno colligitur lib. tertio de nat. fac. atverò quando attractio fit similitudine substantiæ, id solum trahitur, quod est simile. Vnde purgante medicamento exhibito, tractio propter vacuum anteverteret tractionem à similitudine, quoniam caloris actio est vehementior, atq. necesse esset evacuari prius magis propinqua, & fluxiora, & tenuiora, & ultimò humorem familiarem. Quod e cōtrariò fit omninò, prius enim extrahitur familiaris humor, quod etiam experimur in vocata superpurgatione. *1. Ratio.*

Præterea in inflāmatione impossibile est, quod calor trahat, ne detur vacuum. Quoniam attrahere nequit in principio, vel augmento, quando pars humorum affluit multitudine, nihilque resolvitur, ut aliquid succedat, unde magna tensio. D Neq. in vigore, in quo licet attenuetur humor, ac facilè discurrere possit, at partē nō deserit, quia nō min⁹ inclinat corpus ad quietem, ne detur vacuum, ut constat ex aqua detenta in clepsydra, quam ad motum, aliumq. locum replēdum. Et licet in declinatione hāt maior resolutio, quo tēpore contingere deberet maior tractio: tamen neq. in ea fieri potest, quando cessat fluxio, remitti- *2. Ratio.*

tur calor, relaxatur tensio. pars libe E
ratur. Calor ergo attrahit propria
vi, & non ratione vacui.

3. Ratio. Tandem, si ad partem, quæ incipit calefieri, & inflãmari, traherentur humores, ne detur vacuum, non attraheretur, magis, quam fuerit vacuatum, quoniam repleto spacio, quod fuit exaustum, nec imminet amplius vacuum, nec est, cur plus humoris attrahatur: at verò ad partem calidam, vel inflammatam, multò magis fuit, quam ex illa fuerit vacuatum, cum videamus ad maiorẽ magnitudinem attolli, quam unquam habuerit, ergo tractio à calore non fit F
ratione vacui.

1. Fundamentum Autoris. Nos verò, qui aliter, atque Valesius existimet, de caloris attractione & vacui fuga sentimus, longè alia fundamenta jacere cõstruimus. Portò animata omnia tribus formis prædita sunt: una essentiali, ut anima rationis particeps in homine, atque sentiens in leone: duabus verò, à forma essentiali profluentibus, quæ accidentales sunt, ex quibus una dividitur in animalem, & naturalem, tertia demum temperamentum est, quod dimanat ex elementorum mistione. Sed inanima, cum imperfectiora sint, tantum constituuntur duplici forma, essentiali altera, à qua G
nulla facultas profluit, cum sit imperfecta, altera accidentali, quod est temperamentum, ut in igne, cui adest forma essentialis, & ipsum temperamentũ calidum & siccum. Quãobrem ut ignis generet alium ignẽ, non est ei necessaria facultas generativa, quæ animatis propria est, sed sufficit, ut sua forma essentiali, & temperamento producat sibi simile. Emergunt autem varia mistorum temperamenta ob varios modos, quibus miscentur elementa, H
calidumq. & humidũ cum frigido & sicco simul dimetiuntur, quemadmodũ ex eisdẽ litteris varie cõmictis syllabas & varias dictiones componimus.

2. Fundamentum. Hinc nascitur aliud fundamentũ, scilicet vim attractricẽ dumtaxat in corporib. animatis reperiri: est enim facultas animæ vegetatricis propterea tantũ est in vegetabilib. quib. cõvenit, ut proprietas in quarto modo. Vnde attractio in reb. inanimis nõ fit à facultate aliqua, sed à tẽperamento, cui debetur omnes mistorũ actiones. Nã vis illa qua magnes lapis ferrũ ad se allicit & trahit, nihil est aliud, quã totũ ejus temperamentum, quo mediante illud attrahit, quoniam primæ qualitates, in ortu magnetis, fuerunt primùm introductæ, cum sint activæ, nec satis fuit temporis, in quo produceretur alia qualitas ante primas, cum nulla alia activa sit.

Nam hoc est discriminis inter animata, & inanima, quod animata essentiali forma, facultate, & temperamento attrahunt: inanima verò forma essentiali, & temperamento: ignis enim sua forma substantiali & tẽperamento ex ligno generat sibi simile sine facultate generatrice. Nã cum generatio sit perfectior attractione, cum attractio sit propter generationem, ignis conservatur sine facultate attractrice: temperamento enim generatur simile, atq. ita forma conservatur, quod patet in lapidib. qui sua frigiditate, & siccitate ex terra juxta posita lapides producunt: provenit autẽ hujusmodi actio remote, sed principaliter à forma essentiali, à tẽperamento verò proximè, ut ab instrumẽto. Ex quib. omnibus colligitur duas tantũ dari attractionis causas, facultatem naturalem in animatis, & temperamentum in ipsis inanimatis.

Postremum fundamentum sit, nec 3. Fundamentum
vacuum esse attractionis causam, nec quidquam attrahi, nedetur vacuum. Nam præter appetitum sensitivum, & intellectivum, qui cognitionem sequuntur, alius quoq. datur, tam animatis, quam rebus inanimatis cõmunis, quem naturalem vocant, qui nihil aliud est, quam inclinatio, qua unumquodque nulla præunte notitia, fertur in id, quod sibi conveniens est, ut propensio lapidis ad locum inferiorem, qui quidẽ ad similitudinem intellectivi, & sensitivi etiã appetitus dictus est. Quoniam, ut creatura rationalis, & sensitiva desiderat ea, quib. indiget, ita res insensibilis, eo modo, quo potest, desiderat bonũ, ut terra aquã. nã si cognitione prædite essent, sine dubio illud appeteret, atq. hoc propter finẽ est, ratio-

ratione cujus operantur: finis verò illorum est, tum propria, tum cõmunis universi cõservatio. Quandoquidẽ mundus hic inferior cõtiguus est lationib. mũdi superiorib. docente Aristotele, atq. ut hæc inferiora conservẽtur, requiritur perpetuus influxus à corporib. cœlestib. qui descendit per aerẽ, vel aliud medium continuũ, quod si deficeret protinús perirẽt omnia ob influxus intermissionẽ, & accessum vacui, quod propterea maximè abhorret natura vehemẽter solicita de rerũ generatione, & cõservatione. Vnde, licet corpora gravia ad sui cõservationẽ tendãt deorsum, quemadmodũ levia sursũ: tamen, ut cõservetur universum, propria naturâ, & propensione gravia naturaliter etiam moventur sursum, & levia deorsum advitandum vacuũ: tunc enim utraq. movẽtur etiam, & tendunt in locũ naturalẽ, ut quãdo, ne detur vacuũ, ascendit aqua, tunc non attrahitur, quod in vulgus est ignotũ, sed procul dubio assendit ad suũ locũ naturalem, qui est concava superficies aeris, qui quidẽ, cum delabitur, non descendit violenter, sed ad suã sedem tendit, in qua cõquiescit, quæ est aquæ, vel terræ superficies convexa. Immo, si acri animo, & attento, rem hanc intueamur, asserẽdum erit, advitandum, & effugiendũ vacuum, magis naturale esse corporib. gravib. sursum concitari, & levibus deorsum, quam è contrario ad proprios locos moveri. Nam plus illis attinet conservare continuitatem universi, quam in propria sede quietem capere.

Ratio. Quandoquidẽ ex duob. motib. secundũ naturã, magis naturale est, qui alteri prævalet: sed si globulus, vel pilula plũbea descendat per calamum, vel fistulã, & in medio descensus, aliquis vehementer sugendo aerem retroagat, subsistet globulus, etsi vehementiùs exugat, ascendet sursum, ne contingat vacuum, gravib. ergo sursum ascendere magis naturale est, quam deorsum moveri, quia plus diligunt conservationem universi, quã sui custodiam.

1. Assertio. Quare concludamus. Calor nõ est
1. Ratio. tractionis causa per se. Nam omnes partium nostri corporis motus ad A locum differẽtiæ rediguntur in duas, tractionem, & pulsionem. Aristoteli tractio semper fit ad se, quemadmodum pulsio semper à se. Est ergo tractio motus localis ejus, quod trahitur, trahentem partem versus, qui quidem fieri nequit absq. causa efficiente, unde motus, vel quietis primum est principium: sed calor non est causa efficiens motus per se, ergo non est tractionis causa per se. Propositio non indiget confirmatione. Assumptio ex eo constat, quia, ut legimus apud Aristotelẽ lib. quin- *Cap. 2.* B to Metaph. causa per se definitur ea, quæ secundum propriam naturã, & non secundũ aliquid, quod ei accidat, causa est: calor verò ex propria natura tantum calfacit: calefactio enim est adæquatus caloris effectus.

Neque est dicẽdum calefactionem *Obiectio.* per se producere vim quãdã motricem, quæ quidem est secundarius caloris effectus. Nã licet calefactio pro- *Solutio.* ducat movendi vim, ea vi tamen non trahit calor, quoniam qualitas illa, quã producit calefactio, levitas est, qua res ipsæ, postquã calorem contraxerint, feruntur sursum, quemadmodum Aristot. docuit libro primo *Cap. 9.* C meteo. & libello defensu, & sensibili. Id experimur quotidie, cum aqua calida in vapores mutata, quam primùm sursum fertur, luxta quem sensum est intelligendus Arist. sect. 12. *Prob. 5.* prob. ubi quærit quâ ob causam res malè olidę gravius oleant, cum calẽt, quam, cum frigent: atq. respondet, quod natura odoris vapor sit: calor autem movendi vim obtinet, & unà cum odorib. sursum fertur. Vnde cõstat caloré nõ esse per se causam motus, vel attractionis, sed calfactionis, D deinceps tenuitatis, & levitatis, quãdoquidem cum primùm res calida est, tenuis, & levis redditur, hinc motum acquirit.

Sed dicet aliquis. Fortasse calor hu- *Obiectio.* mores cõmovet, concitat, & inde trahit, quum non calfacit usq. eò, ut levitatẽ acquirant: moderata enim calfactione humores liquescũt, & fluũt nõ cõcendunt, sed ad partem calfactam facilè adducuntur. Si sic se res habet, cur non dicetur trahi? Ve- *1. Solutio.* rũtamen calor, tametsi remissus, nullo tẽpore inducit motricẽ, seu attra-

ctricem vim. Probat hoc experiẽtia, quoniam ea, quæ prope ignem sunt, aut corpus aliquod ardens, attrahi nunquam vidimus.

Obiectio. Videamus tamen, an calor possit trahere sine motrice vi. Nã Arist. lib. primo de ortu & interitu differẽtiã esse duxit generationis, vel alterationis, & augmẽtationis, q̃ in hac sit necessario loci mutatio: in illis vero nullo modo. Vnde, quod augetur, & decrescit, absq. aliquo mouente mutat locum, non autem quod generatur, vel alteratur, potest ergo calor attrahere absq. motrice vi. Hoc forsan est illud, quod Aristot. dixit lib. quinto de generatione animalium. *Mouere autem calor potest.*

Solutio. Sed Aristotelẽ ex Aristotele interpretemur, qui loco citato dixit distare plurimum augmẽtationẽ à latione, vel loci mutatione, quandoquidẽ, quod mouetur loco, secũdũ se totũ dimouetur, quod autẽ augetur, nõ mouetur, sed protenditur. Vnde, cũ dixit, *mouere autem calor potest*, extendendo intelligit, ut ex verbis præcedentibus colligere licet.

2. Ratio. Præterea, si calor per se traheret, vehemens calor, quã demissus, magis G attraheret, nimirũ quæ cõburuntur omnia, ut ligna, paleas: verum nõ sic se res habet, ut monstrat experiẽtia, ergo nulla ratione per se trahit.

3. Ratio. Rursus effectus caloris primarius calefactio est: quidquid autẽ consequitur, secũdario cõtingit, & per accidẽs, igitur si attrahit calor, per aliud est, & non per se. Nã effectus ille dicitur per se, qui primariò intenditur à causa per se: alter verò per accidẽs, qui cõsequitur effectũ ꝓpositũ à causa efficiente: sed attractio à calore facta est hujusmodi, quia calor prius intẽdit calfacere, unde sequũtur rarefactio, tenuitas, levitas, attractio, ergo calor neq. primò, neq. secũdũ attrahit, sed post multas actiones: illa tamen attractio verã nõ est, sed quidam fluxionis terminus.

4. Ratio. Postremò, quæcunq. per se trahũt, vel animalia sunt, vel inanima, hæc solo temperamento attrahunt: illa verò naturali facultate: sed calor, nec corpus animatũ est, nec inanimũ, ergo impossibile est, quod per se attrahat.

Altera Assertio. Veruntamẽ calorẽ per accidẽs attrahere Gal. opinio est. Nã in tertio de nat. fac. duo sunt tractionum genera: unũ, quod qualitatis cõvenientia fit: alterũ, quod successione ad id, quod vacuatur contingit: sed calor trahit, nõ qualitatis cõvenientia, ergo ne detur vacuum, quod per accidẽs est. Atq. hoc videtur Gal. significare. Qui lib. secundo de diff. feb. post appositũ alicui parti calidũ medicamẽ, membrum in tumorẽ attolli scribit, *quoniam*, inquit, *caliditas naturã apta est fluxiones attrahere*: sed ne quis arbitraretur censisse, attrahere per se, quasi recogitans subjunxit, *aut eãdem recipere*. Ecce revocavit seipsum, quoniã attractio verã non est, sed attractio per accidens, atq. potius quædam ad partem receptio.

1. Ratio. Porrò quemadmodũ causam per se definit Arist. quæ ex propria natura causa est, ut statuarius statuæ, ita causã per accidẽs esse docet, aut quæ accidit causæ per se, ut Polycletus causa statuæ, quoniam accidit statuario, ut dicatur Polycletus, aut ipsa causa per se respectu eorũ, quæ accidunt suis effectib. per se, ut statuariæ causã candoris per accidens, si contigerit, quod statua, quã per se facit, candida sit. Sed calor est causa per se calefactionis humorũ, ergo est causa per accidens eorũ omnium, quæ humorum caliditati, sive per se, sive per accidens cõtigerint, cujusmodi sunt humorũ calidorũ tenuitas, levitas, cursus, ascẽsus, lapsus, fluxio.

2. Ratio. Præterea ex modo, quo tumores præter naturã oriũtur, colligere possumus, qua ratione attrahat calor. Nam, si aliquẽ thapsia inunxerimus, partem in majorẽ magnitudinẽ, quã antea habuerit, protinus attolli videbimus, quoniã medicamenti calor partis cutem rarefacit, & extendit, atq. sub ea contentos humores lucullẽter calefacit, attenuat, dissipat, resolvit, quib. vicinos quam primum succedere necesse est, sed in horum locum reponi alios, interea dum perseveraverit calfactio, & dissipatio, atq. ad partem calfactam fluxio, horumque motuum calorem causam esse per accidẽs, dubiũ non est. Quem attractionis modũ perpendebat Arist. 21. sect. prob. dum quære-

Quæst. 12

bat,

bat, cur palex fructus duros, atq. incoctos emolliunt, in maturitatemq. adducunt, mites autē & cōcoctos nō putrefaciunt. Respōdet, *quia palea calida, & attrahens est, suo igitur calore cōcoquit, & per vimillā attrahendi* (quamvis etiā per accidens sit) *saniē omnem sevocat, atq. imputridas servat.*

Obiectio. Ibidem. Cap. 1.

Sed ecce magna difficultate distineor. Externus calor vigesima secunda sectione problem. fructus à putredine arcet: at lib. quarto meteo. externus calor est causa putredinis.

Solutio.

Vnde tā varius Aristoteles? Profectò ex varietate causæ per accidens. Calor utrobique calfacit primò & per se, secundò rarefacit, attenuat, elevat: hujusmodi enim qualitates secundæ dictæ à primis oriuntur. Sed contingit sæpissimè, ut calor externus aliquando cutem laxet, exhauriat, & dissipet calorem naturalem, qui vi similitudinis captus foras libenter egreditur, & mox corrumpitur, unde naturalis putredo, de qua Arist. lib. quarto meteo. Interdum verò calor resolvit, & absumit fructuum humiditatem excrementitiā, unde maturatio, & conservatio. Quę actionum disparitas & dissimilitudo ex ijs nascitur, quæ varié accidunt, propriis caloris effectibus, ex quo causa per accidens evadit.

3. Ratio.

Atque ut concludamus. Inflammationis calor eadem ratione ad se trahit ex toto corpore sanguinem, qua ipsa cucurbitula medica partib. apposita, & affixa: sed cucurbitula carnem attrahit per accidens, nempe successione ad id, quod evacuatur, & ne cōtingat vacuum, ergo inflammationis calor sanguinem attrahit ex accidenti, atque ad evitandum vacuum. Propositio est Galeni septimo aphorismorum. Assumptionem confirmat experientia, nam antequam evellantur cucurbitulæ cōsueverunt chirurgi foramina illarum aperire (nisi fortè velint violenter divellere ad maiorem attractionem) quo aere intromisso regrediatur caro, & cucurbitulæ persemet ipsas procidant. Iam, si aeris adventu secum trahit caro, nulli dubium, quod fugā vacui successerit aeri à flamma absumpto, & exhausto: etenim inclusi aeris bonā partē absumit flamma, &

Comm. 1.

A nevacuū accidat, caro illi succedit: & hæc est causa, cur ipsam cucurbitulam subeat caro, naturaliter quidem non violenter.

Nostratia cōfirmata sunt: avertam⁹ adversaria. In auctoritatib. respōdemus Hippoc. & Gal. simpliciter & sincerè semper, nunquā tā rigidè locutos fuisse, ut calorē per se, & non per accidens trahere cōvincant. Illorū ergo dicta nō sunt contra nos. Nā licet secundo de differentia febriū scripserit Gal. caliditatē naturā aptā esse fluxiones attrahere, aut easdē recipere, ac Arist. assentiri, qui causā per se eam esse dixit, quæ ex propria natura causa est: tñ quod semper fit, propria id naturā fieri, dicere cōsue

Cap. 11.

B vit, ut secundo de causis symptomatū, sive per se, sive per accidens fiat.

Cap. 4.

Quæ verò addidimus de cucurbitulis, vera sunt omnia, dūmodo per accidēs cōtingere pro certo habeam⁹. Siquidē magna flāma multum carnis trahit. Nam quātū aeris absumitur, tantum carnis attrahitur: sed magna flāma multū aeris cōsumit, plurimū ergo carnis trahit. Calidū verò linteum vitrum calfacit, & aerē inclusum, & carnem, cujus meatus reserat, & vias patentiores reddit, atque adeo sanguini fluenti expositas.

1. Solutio.

Prima ratio sede fulcitur infirma.

C Nā eo capite Gal. nō attrahentium, sed medicamentorū attrahentiū adduxit duo genera, quod à nostro hujus disputationis instituto distat plurimū. Inquirimus hic attrahentiū genera, ut possimus colligere sub quo subjiatur calor. Ergo medicamētorū attrahentium genera duo tradidit: quædā manifesta qualitate trahunt, quædā verò totius substantiæ similitudine. Sed adjūgit omnia hæc medicamēta esse potestate calida. Hujus

D generis sunt medicamēta purgātia, quæ licet frigidos humores purgēt, calorē tamen obtinent, quo vis illorū trahēdi juvatur. Quod firmissima ratione probat, *quia inter ea, quæ essentijs similia sunt, quod calidius est, id potentiùs attrahit, utpote quod auxiliarium ad junxerit calorem.* Quę verba Galeni attento animo excipere debemus: videtur enim affirmare inter ea, quę trahunt, & trahuntur, id esse discriminis, quod trahens calidius sit

ijs, quæ trahuntur: at talem calorem attractioni auxiliarium habuerunt, qualem non tribuit natura rebus
Cap. 3. attractis. Hinc scripsit ipse Vallesius lib septimo contro. eo loco docuisse Galenum, proinde à medicaméto humorem trahi, non tamen ab humore medicamentum, eo quod medicamentum calidius sit, & à calore tractio, eã maxime juvat, quæ à substantiæ similitudine fit. Nono autem
Cap. 1. ejusdem operis, quærens, cur medicamenta trahant succos, potiùs quam ab ipsis trahantur, respõdet ex hoc Galeni loco. Cum duæ substãtiæ, inquit, similes sunt, quæ cũ similitudine habet vehementiorem calorem, F hæc alteram trahit: proindę cnicus pituitam trahit, non ab ea trahitur,
Cap. 25. ut tertio libro ejusdem operis dixerat idem Gal. Qui tamen neq. dixit,
Explicantur verba Galeni. quæ trahũt reb. attractis esse calidiora, quoniam vesica bilis attrahit humoré biliosum calidiorẽ vesica ipsa, quæ pars exanguis, & frigida est, neq. contulit, quæ trahunt cum ijs, quæ trahuntur: sed trahentia inter sese, atque docet ea valentiùs attrahere, quæ calidiora sunt, sic se habet cnicus, & granum cnidium, quæ similitudinem habẽt cum pituita, quã valentiùs trahit granum cnidium, G quia calidius est.

Quare illi problemmati respondendum est, licet medicamentum, & humor substantiâ similia sint, tamẽ nunquam humor trahit medicamentum, quoniam humor ex propria constitutione non habet trahendi vim: quando verò humores trahunt nostri corporis partes ipsæ simùl & medicamentum, hoc vincit, quia similitudini adjunctum habet maiorem calorem. Quamobrem illo capite non adduxit trahentes causas per se noster Gal. sed illas, quæ medicamentis trahentibus conveniunt. similitudinem substantiæ, quæ præcipua & per se causa est, & calorem, qui tametsi causa per accidens sit, tractionem tamen similitudinis plurimum juvat.

Secundæ rationis negamus antecedens, nam frigus per se nõ repellit: contingit autem humores depelli à meatibus partis refrigeratæ, quoniã frigore densata, & compressa pars, ut spongia, in se cogitur, & junctior facta ingreditur, claudit, & occupat omnes poros, à quibus pellitur humor, quia duo corpora in eodem loco existere nequeũt. Ecce qua ratione frigus repellat, sed ex accidenti.

Tertiæ rationi respondemus ex illo experimento non colligi calorem esse causam efficientẽ attractionis, sed esse dispositionem materiæ, ratione cujus temperies succini excitatur ad tractionem. 3. Solutio.

Sed accedamus ad rationes Vallesij, quib. concludere conatur calorem non attrahere fugâ vacui. Vt solvamus primam rationem, respondemus perferendas esse leges à natura impositas, tum ratione similitudinis, tum ratione vacui, nos arbitramur vacui ratione cõstitutas præ valere, si fortè unà concurrant, ut siquis virium robore constans purgans medicamentum in actum reduxerit, ac simùl vena secta vacuetur: etenim tunc venæ sectionem plus humoris, quam medicamentum, effusuram existimamus. Verum ratio aliò telum intorquet. Nam medicamentũ purgans duab. causis attrahit, docente Galeno, substantiæ similitudine, & calore, sed cum calor vehementior sit, præposteré attrahet, ac magis quam similitudo: poterit ergo similitudinem opugnare. Respondemus medicamentum attrahere similitudine, quæ superior & principalis attractionis causa est: caliditas verò adjuvans & socia, ut etiam dixit Gal. nunquam in similitudinem agit, immò cum ambę insunt in eodem subjecto, similitudo ministram habet caliditatem. 1. Solutio. Obiectio. Solutio.

Secundę rationi respondemus in principio inflammationis calorem cutem exacuere, & aperire, partes omnes laxare, & extendere, meatus omnes, ac præcipuè venas, & arterias amplificare, humores attenuare, ac in halitũ resolvere, ad quorum locum alios cõtinuò summitti manifestũ est. In augmento humorum, qui fluere inceperũt, augetur fluxio, intrusio, & inculcatio, unde incẽsio, inflãmatio magna, & tumescentia. In vigore vigẽt omnia, sed nulla resolutio, nulla fluxio: putredo tũ augetur, & flat⁹ generãtur, unde tensio. Cum decli- 2. Solutio.

declinat inflammatio, quæ in tumore inclusa erant, eminent foras, omnia exhalant, ad nihilum recidunt. Dices, in declinatione ijs, quæ suppurantur, & digeruntur extra partem, quid succedit? Nihil prorsus, nam tunc, remisso calore, detument partes, & in naturalem temperiem colliguntur: arteriæ autem, & venę se recipiunt, relaxantur, & quasi occludũtur. Ecce qua ratione in principio, & augmento attrahit calor successione ad id, quod evacuatur.

Obiectio.

Solutio.

Tertiæ ac ultimæ rationi respondemus in principio calorem instare & acriter urgere: humores verò concalefactos, perturbatos, & commotos incitatiùs fluere, quorum detinere ac demorari cursum impossibile est: excitati abundant, atq. effluunt, adeo ut inflammata pars plus recipiat, quam exciderit ex ea. Sed hæc sanè fastidio.

3. Solutio.

VTRVM DOLOR attrahat.

QVÆSTIO XXIII.

HANC quæstionem de doloris attractione similiter seorsum ab alijs tractandam esse putavi, ut illorum, qui contra nostrum autorem insolenter gloriantur, reprimamus impetus, animosq. frangamus. Perhumanus & in faciendis verbis tranquillus Gal. generationis, & curationis inflammationum, potiùs quam physicæ subtilitatis rationem habens, planè & apertè dixit dolorem attrahere. In arte Medicinali. *Nam si scarificationib. aut sectionibus sensibiliter evacuabimus, plus ratione excitati doloris aterahemus.* Secundo de diff. feb. *Vehementiores siquidem calores, atq. dolores attrahunt vehementiùs, minus autem debiliores.* Et libro de curat. per sanguinis missionem. *Quippe cum dolor sanguinem ad se trahat.* Hæc Gal. cum promiscuè & communiter scribit.

Cap. 8.

Cap. 11.

Cap. 8.

Asserendum tamen est dolorẽ per se & proprié nullo modo trahere, sed impropriè & per accidens. Nam dum Gal. rem attingit exactiùs, & loqui studet accuratiùs, omnem dolorem fluxiones commovere scribit, & nihil magis, quam profluvia lacessere & incitare, inflammationesq. augere, nec non inflammata exacuere, & irritare, fluxionibusq. occasionem præbere. Quinto metho. *Vitandum enim, ne dolor incidat, ac rursus profluvium excitet, cum nihil sit, quod profluviũ magis, quam dolor, proritet, & phlegmonas augeat.* Quinto apho. *cum partes dolentes semper ad se ipsas moveant fluxiones.* Eodem libro. *Hoc in illis præsertim fieri vulneribus est existimandum, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omninò aliquid influit, sed a medicis reprimitur valde infrigidantibus aut astringentibus medicamentis: nam, si dolor absit, neq. fluxio movetur.* Primo de sim. med. fac. agens de aceto. *Possit etiam, cum asperum, molestumq. habeat trãsitum, dolorem inde ciere, atq. eũ in locũ calidã elicere fluxionem, siquidem id palam est partib. dolentibus quippiam influere.* Et libro primo de cõpositione med. per genera. *Atqui omnis dolor inflammata exacuit, irritatq. & fluxionib. occasionem præbet, quamvis rhenmatica intemperie ager non afficiatur.* Atque, ut hæc sit summa, decimotertio medendi methodi. *At verò, quæ dolent, cernuntur ea quoq. phlegmonem ex dolore pati: sed causam eius quidam omninò non assignant: quidam nullo modo probabilem. Nostra verò sententia talis est. Docuimus in eo opere, quod de nat. fac. edidimus, unã esse naturæ facultatem, quam excretoriam dicimus. Ea suo munere cum fungitur, cum tristi aliquid sentit. Vnum verò quiddam est ex ijs, quæ eam contristant, ipsa, quæ dolorem excitat, causa, quæcumq. ea sit. Hanc igitur ejicere dum properat, phlegmonem interdum in particula concitat. Cum enim primis suis conatibus nihil profecit, vehementiùs aggressa, quod infestat, expellere, sanguis, & aliquid spiritus ex super positis partib. in afflictam simul exprimit. Atque hinc fit, quod ex dolore particulæ, proportione confluentis in eam humoris, in tumorem attollitur.*

Cap. 44.

Com. 23. Com. 66.

Cap. 24.

Cap. 4.

Cap. 3.

Conclusio Autoris.

Ex quibus locis in cõspectum proferre possumus veram & certam Galeni sententiam esse, dolorem non attrahere, sed partes, quæ circumjacent ad mittendum instigare. Cum enim partium omnium vis suapte natura ad expellendum id, quod eas irritat, insurgat,

insurgat, fit, vt particulæ superpositæ ac præsertim proximę dolentem versus se comprimant, sanguinemq. & spiritum in illam immittant.

1. Ratio. Probatur hæc sententia, quoniam in dolore reperiuntur molesta sentio, vel appetitus, solutio continui, vel intemperies, & objectum: sed nihil horum trahit, ergo dolor non attrahit. Primùm nõ attrahit sentio, vel appetitus, in quib. videtur cõsistere dolor, quoniã actiones sunt, quæ agere, vel attrahere nequeunt. Neq. solutio cõtinui, quia motus est, qui nũquã est movens, sed actus eius, quod movetur, igitur non trahit. Neq. intemperies: frigiditas enim non attrahit, sed pellit: calorem verò per se non attrahere monstratũ est. Tãdem neq. objectum, quod vel est prima qualitas, vel secunda, quas non attrahere planè constat.

Alteraratio. Ad extremum cõfirmare possumus dolorem non attrahere, quando quidem attractionis causæ communiter constituuntur substãtiæ familiaritas, & calor: sed harum nulla interest dolori, hunc igitur longissimè abesse ab attractione dubitationem nullam habet.

Quomodo ex dolore moveantur fluxionis. In magna tamen versamur, quum inquirimus, cur ex dolore commovcãtur fluxiones. Christophorus Auega secundo artis medicinalis arbitratur dolorem animalem facultatem excitare, quæ suis instrumentis usa, ea ad dolentem partem, ut ei auxilietur, mittit. Quod probat, tum Galeni verbis quinto apho. scriptis, cum docet naturam duobus veluti instrumentis sanguine, & spiritu, causam doloris per vim expellere, & hac ratione dolentibus partibus inflammationes advenire, tum etiam adductis

Opinio Avega. Cap. 3. Com. 53.

Cap. 3. decimotertio methodi, ubi asseruit, unam esse naturę facultatem, quam excretoriam dicimus, quę, cum triste aliquid sentit, ac ejicere dum properat, & sanguinis, aliquidq. spiritus in afflictam partem exprimit, inflammationem concitat. Ex quibus dolore commoveri animalem facultatem cõcludit, atq. hanc uti sanguine & spiritu tanquam instrumẽtis adversus causam doloris: cum verò hęc ad partem afflictam excernere conatur, sua uti excretoria facultate mediante compressione fibrarum, musculorum, & nervorum. Et cum dixit, *naturæ facultatem*, intelligendam censet nostræ naturæ, non naturalem, ut ab animali distinguitur, quam, cum triste aliquid sentire addidit, animalem esse confirmat, quia naturales facultates non sentiunt.

Refutatur opinio Avegæ. Sed hæc opinio mihi non probatur. Nam facultas animalis motrix sua sponte operatur cognitione præcedente, atque in nobis potest antecedere actio liberæ voluntatis. Iam si fluxio fieret ope facultatis animalis medijs musculis, cum nostra facultas hunc motum possit cohibere, caderet etiam in nostram potestatem fluxiones reprimere & coercere, quod repugnat experientiæ, ut patet.

1. Ratio.

2. Ratio. Præterea persuadere mihi nõ possum sanguinem & spiritum à facultate partib. dolentib. suppetias venire. Etenim, quod morbum adauget, & exasperat, tensionem facit maiorem, phlogosin magis accendit, omniq. ex parte intensiorem dolorem excitat, dolenti parti aliquid opis præstare non potest: sed sanguis & spiritus, qui à facultate mittuntur, tot detrimenta inferunt parti laboranti, ergo credendum non est facultatem illam parti, quæ incipit inflammari se adiutricem adhibere ad depellendum.

3. Ratio. Nam, si fluxio parti affectæ subsidio iret, medici per initia morborum defluentium materietum impetum nunquam propulsarent: videmus tamen in principijs inflammationum medicos omnes conatu studioque magno contendere, ut fluentes humores regrediantur, & repellantur, plurimis igitur malis vexatur pars dolens fluxionis causa, ut dicendum non sit, naturæ facultatem illi præsidium ferre.

Evasio. Dicet tamen aliquis, nostri corporis partes nulla uti ratione, tamen naturæ quodam instinctu afflatuq. aliæ aliis prodesse studẽt.

Refutatur. Fateor ego naturam sic partes omnes instruxisse, ut, cum nulla ratione utantur, tamen videantur omnia ratione quadam efficere. Veruntamen nulla illis ex hac fluxione oritur commoditas, quin potiùs aperta pernities. Ergo non eò mittuntur humores, ut dolẽti parti auxilio ferant, quod nõ modo frustra, sed etiam temerè id natura instituisset.

Quod

Quæstio & æstimatio.

Quod si adhuc idem importunè insistat & adiutricem defendat, replico, & subtiliùs quæro. Cur facultas ad partem dolentem plus, quam quantũ liceat, mittit, si ut auxilio sit, emittit? Si quod, & quantum opus est, parti ad expellendum mitteret, sine dubio iuvaret: at nunc grauissimè lædit.

Evasio.

Nec placet, si dixeris, facultatem sine intelligentia, & cognitione mittere, atq. ideo plus, quam oportet, emittere. Quoniam sicut sine cognitione ac solo naturali instinctu mittit, cum necesse est, ita posset ac deberet cessare, & conquiescere, quum opus non est, veluti feriatur, & nihil agit, quum abest dolor. Quare A vega facultatem hanc non bene constituit animalem, atque eandem mittere, ut auxilietur: etenim in utroque defecit.

Refutatur.

Opinio Valesij. Cap. 3.

Vallesius in hac quæstione propositum assecutus est. Libro septimo controversiarum scribit hanc fluxionem potiùs excitari à facultate naturali expultrice. Vnde, quum aliqua pars afficitur dolorosa sensatione, partes vicinæ irritatæ cæco impetu ad dolorem expellendum insurgunt, nõ quidem adferendum suppetias. Qua propter vehementer comprimuntur, seq. recipiunt, quemadmodum, qui cursum incipiunt, & tantulũ deflectunt, gradumque priùs revocant, ut continuò prorumpant vehementiùs. Humores autem ex illo partium compressu impetum faciunt in dolentem. Nam, *cum* cavitates, quibus continebantur, compressione partium minores fiant, ne duo corpora existant in eodem loco, repentè advolant, & ex compressa parte undiq. erumpunt in afflictam.

Aut Gal. Cap. 3.

Probatur hæc opinio primum auctoritate Galeni ex tertiodecimo medendi methodi supra adducta. Nam illis verbis, *docuimus in eo opere, quod de naturalibus facultatibus edidimus, unã esse naturæ facultatem, quam excretoriam dicimus*, Gal. apertè indicat fuisse mente complexum facultatem naturalem expultricem, tum quod in eo opere de naturalibus fac. nunquam de animali: sed de naturali tantum verba contulerit, tum quod nomine facultatis naturæ, nullam aliam facultatem, quam naturalem propriè dictam possumus intelligere.

A

Confirmatur etiam rationib. Nam quemadmodum ad sentiẽdum, & mouendum natura utitur facultate animali, quæ sola sensitrix, vel motrix est, sic ad trahendum, & expellendum naturalem facultatem usurpat: sed in in hoc casu, & eventu, quo aliqua pars dolet, sola celebratur expulsio, sola ergo naturalis facultas est, quæ fluxiones ducit, ac promovet. *1. Ratio.*

Nam, si id, quod minùs videtur in esse, inest, profectò, quod magis videtur inesse, inerit. Iam minùs videtur inesse, quod in Epilepsia naturalis facultas è cerebro depellat humores noxios, quam quod fluxiones ducat à partibus vicinis ad dolentem: sed, quod illud exequatur manifestò compertum habemus, istud ergo sine dubio præstabit. Valet propositio, quia concutere, & vehementer commovere solius animæ actio videtur, factum sanè magni ponderis, & momenti, & Epilepsia est injussa universi corporis convulsio, vel motus convulsivus: docere verò fluxiones à partibus ad partes solius naturæ munus, levius quidem atq. omnib. partib. commune. Assumptio patet. Nam in Epilepsia facultas naturalis cerebri expultrix irritatur, & ad causam noxiam depellendam excitatur, & licet tunc vehementer commoveantur ossa, brachia, intestina, crura, pedes, ex eo tamen propria convulsio non est, quia motus ille non fit ob retractionem musculorum suam originem versus, sed ob decussum facultatis expultricis cerebri, in quo solo causa noxia continetur, quamvis à Galeno dicatur convulsio universalis propter similitudinem, quam habet cum vera convulsione fiente, ut latiùs dicemus lib. de diff. & secundo de caus. sym. *2. Ratio.*

B

C

Sed mittamus cerebrum, in quo posset aliquis hærere, cũ sit pars princeps, cui omnes partes multa referũt accepta, sumamus partem aliquam ignobilem, ut concludamus, quam magna sit potestas huius facultatis naturalis, qua de agimus. Mordeat vesicam retentum lotium, vel calculus cruciet ureteres, statim prehendunt corpus universum validi rigores, nã irritata facultas naturalis expultrix vesicæ, vel ureterum, & ad depellen- *3. Ratio.*

D

dum

dum excitata, in eundem impetum su E bitò alias vocat: quid vocare dixi? Ec ce tibi cæteræ totius corporis partes proprio impulsu proritatæ, & quasi stimulis fossæ, ac laceratæ eidem expulsioni subsidio non vocatæ veniũt. Ergo minimè mirum debet videri, quod hæc ipsa facultas irritata ex multis partibus compressis, ad unam mittat sanguinem & spiritum, quo dolor intolerabilis excludatur.

Obiectio. At dolore non potest irritari facultas naturalis, quoniam causa doloris est sensus objectum, ut dolor sentio & actio ipsius facultatis animalis, quorum neutrum attinet ad facultatem naturalem. Respondeo tantum F

Solutio. esse facultatum nostri corporis consensum, ut illata animali facultati molestia, statim irritetur naturalis ad expellendum. Docet hoc mordacitas, & acrimonia excrementorum, quæ facultatem expultricem ad excernendũ irritant, quam primùm animalem stimulaverint.

Obiectio. Cumulatè mihi satisfactum est: in hoc tamen hebesco, ut coronidem addam, quòd cum ad tumescentem partem advenire fluxionem diximus, semper à vicinis, vel proximis provenire commemoravimus, sed de remotis, & à parte dolente distantib. nulla G mentio facta est. Nam puncto acu digito, non videtur dolor ipsum digitum excedere posse, nedum manum, aut totum brachium: tamen observamus in artis operibus à longinquissimis partibus versus dolentem concitari sanguinis impetum, punctoq. digito evenire fluxionem, vel à thoracis partibus etiam in axillis glandularum tumores fieri, docente Galeno, humoribus, qui mittebantur, velut media via interceptis.

13. *meth.* *cap* 5.

Solutio. Vt opinio mea fert, totum hoc pẽdet, tum ex doloris vehemẽtia & perseverantia, tum ex vitiosorum succorum copia, qua totũ abundat corpus: tantus enim aliquando inurit dolor, atque tanta cacochymia in corpore adest, ut etiam ad partes longinquiores & ultimas perveniat doloris cõsensus, & fluxionis commotio. Quum nucleum pineum quis esse vult, si dum frangit nucem digitum feriat, præ dolore cõtinuò sanguis accurrit, sed maturè consistit fluxio: atverò si tibiæ magnum infligatur vulnus, præsertim parti anteriori, quæ græcis κνὴ, latinis aliquibus spina dicitur, horrificus ictus infigatur, unde incredibilis dolor, & ingens fluxio, profectò non modo totum crus, sed etiam omne corpus commovebitur, & admittendum inclinabit. Quid, quod *insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio*, ait Græcię oraculum, quia humor capitis, ad quod tandem pervenit commotio, ad infimas partes divertitur, & per has (inquit Oribasius) fit de superiori parte ad inferiorem solutio. Fluxio igitur ad partem dolentem hoc modo fit. Quæ, ut à dolore, quà præbet occasionem, attractio quidem dicitur, improprié tamen: sed, ut procedit à partibus mandantibus quę semper contendũt, quo ad possunt, noxium expellere, depulsio proprié, & immisso est.

Crea.

lib. 6. aph. 21.

ARG. CAP. VII.

DE causis morborum instrumentalium dicturus, eundem ordinem persequitur, ex quo illorum differentias collocaverat. Primùm agit de causis morborum conformationis præter naturam, cuius tres sunt differentiæ, figura, cavitas vel meatus, asperitas vel lævitas. Prima est figura vitiata vel in utero, vel ab utero propter errorem obstetricis, nutricis, chyrurgi, ipsius ægri, aut effectus varios. Præterea de causis cavitatis seu meatus omninò amissi, aut læsi raritate, coalescentia, constipatione, compressione, residentia, vel obstructione. Tandem de causis asperitatis partium à natura lęvium, & lævitate partium naturaliter asperarum tractat.

H

CAP. VII. Tex. 17.

SED quoniam similarium partium proprios recẽsuimus morbos, supereſt, ut de instrumentariorum morbis dicamus, exordium ab eo sumentes, qui primum inter alios

alios obtinet locum, qui videlicet in formatione consistit. Hic autem fit naturali quidem figura nonnun quam evariante: nonnunquam vero lævitate quadam, aut asperitate aut meatu ipso corrupto. Causa autem ob quã figura naturalis permutatur, prima quidem est formatio conceptus in ipso adhuc utero matris vitiata vel ob materiæ multitudinem, aut ob qualitatem minimè aptam, quæ naturales seminis motus impediat. Secunda verò, si diem paritur, dum fascijs infans involvitur, error aliquis committatur. Mollia siquidem ac penè fluxibilia, cum sint corpora infantium nuper in lucem venientium, facilè invertitur, cum & in exitu a matris utero non rectè ab obstetricib. excipiantur, & non commode fascijs involvuntur, ac deinceps a nutricib sine modo aut attolluntur, aut reponuntur, & dum præbetur lac, & dum lauantur, & dum fascijs alligantur. In his siquidem omnib. nisi quis infantes comodè pertractaverit, facilè unius cuiusq. membri figura naturalis everti uur, ac corrumpitur. Et quidem in omni ea, quæ sequitur, educatione, partim ab immodica satietate pectini à motibus perperam factis, dum ante tempus aut stare, aut ingredi permittuntur, aut vehementioribus motibus exponuntur, plura in ipsis membra vertu contingit. Siquidem nimia satietas operationes impedit naturales. Intempestivi autem & vehementiores motus labefactant artus, ac, in quam minimè sit opportunũ, partem circumagunt. Crura etenim ex ipsa nitentium corporum gravitate, aut ad exteriora, aut ad interiora vertũtur, ut magis ad hæc, quam ad illa primùm tibiæ momentum declinet. Quibus enim rectiora sunt, quã naturæ convenit, blæsa fiunt magis. Quibus autem cavior, efficiuntur ræba. Voco autem blæsum, quod ad exteriora cõvertitur, ræbum autem, quod in contrariam partem. Et thoracis quidem partes plerunq. a nutricibus invertuntur, dum ipsas in prima educatione nimium arctè extrinsecus vinciunt. Maximè vero hoc quotidie apud nos fieri intuemur in virginibus quibus dum student matrices augere ea, quæ sunt circa coxas ac ilia, ut hæc magnitudine thoracem exuperent, vittis quibusdam totum circumprehendum, atq. omnes scapularum ac thoracis partes vehementiús stringunt, ac comprimunt. Quo fit, ut, cum sæpe non æquè omnes intendantur, aut pronum in partem anteriorem reddatur pectus, aut posteriores partes, quæ ad spinam pertinent, gibbæ reddantur. Illud vero non nunquam accidere solet ut velut pertractum, atq. ad latus adductum fiat deorsum, ita ut altera quidem scapularum non aucta, sed parva ac valde compressa appareat: altera vero prominens, tumidaq. ac omnino major. Hæc quidem omnia, figurarum existunt vitia, quæ in thorace committuntur ob errorem imperitiamq.

tia mq. non æquo momento alligantium nutricum. Sic & medici plerunq. malè alligantes atq. eformãtes artus effractos, ipsos inverterunt: nonnunquam verò, ubi medicus rectè suum opus impleverit, ipse, qui patitur, si, antequam callus satu invaluerit, membrum exercere conetur, sibi inversionis est causa. Sed & collisæ partes sicuti nares, & circumfractæ sicuti supercilia cavitatum ossium, quas cotylas græci vocant, & excisa quandoq. ossa, aut magna portio carnis, cum deinceps non æqualiter supercreverit, hæc omnia occasionem afferunt, ut naturalis figura perdatur. Aliis autem modis est figuræ depravandæ, qui ob immodicam repletionem, aut alimenti defectum contingit, sicuti ijs, qui aut nimis crassi facti sunt, aut nimium contabuerunt, sive id in una tantum corporis parte, sive in toto corpore eveniat. Nã & morb. qui elephas appellatur, & tabes (græcè phthoe) manifestissimè figuram immutant. Resimiatur enim nasus, & labra crassa fiunt, atq. aures extenuatæ videntur his, qui elephantia simpatiuntur: atq. hi omnino satyrorum effigiem præseferunt. Nares autem acutæ, & collapsa tempora, & oculi concavi, & circa scapulas ac brachia veluti quædã alæ, his, quos tabes malè habet, apparent. In his quidem omnib. prima ratione corrumpitur figura naturalis. Ex accidenti autem his, qui resolutionem aut distentionem nervorum, aut inflammationem, aut duritiẽ patiuntur, aut quib. nervi dissecti sunt aut chordæ, aut duris cicatricibus astricti. In his siquidẽ omnib. alias ob aliam causam, ad alteram partem membrũ declinat, tractum quidem à musculis motũ facientibus in his, qui altera tantummodo parte sunt resoluti: sic & in nervorum distentionib. quæ ad alteram contrahant partem à musculis distentis. Inflammationes etiam, & duri tumores, atq. indurata cicatrices, & quicunq. tales affectus partem ad se proximam tendunt, eadem ratione membrum pervertunt. In eisdem vero dissectis nervis, & tendinib. sicuti in resolutis, oppositorum & secundum naturam se habentium actio, membrum ad se attrahit: adeoque hæ plures numero causæ ad unam reducuntur, quæ membrum urgente ad alteram partem tensione pervertit. Et de figurarum quidem præter naturam differentia hæc dixisse satis.

COMMENTARIVS.

QVONIAM causas morborũ partium similarium recensuit, reliquum esse ait, ut tractet causas eorum, qui contingunt instrumentis: erant autẽ quatuor, in formatione, numero, magnitudine, & compositione. Initio agit de causis morbi, qui fit ex cõformatione præter naturam, quæ, cũ triplex sit, figura, cavitas vel meatus, asperitas, vel lævitas, primùm inquirit causas morbi in figura, quæ quidem dupliciter depravatur, uno modo in prima formatione, cum adhuc in utero gestatur animal, impedito

pedito ſcilicet naturali ſeminis mo A
tu: altero modo, cum animal jam formatum eſt. In prima formatione poteſt impediri naturalis ſeminis motus, actio nimirum facultatum naturalium, quæ in ſemine reperiuntur, potiſsimumque facultatis formatricis, quam ſemini ineſſe fuit demonſtratum primo de nat. fac. Hæc autem actio bifariam impeditur, vel ob materiæ multitudinem, vel qualitatem non idoneam. Ob materiæ multitudinem impeditur actio facultatis formatricis, quo B
niam manifeſtum eſt eam facultatē ad generationem cujuſlibet partis inſtrumentorum certa quadam ſeminis & ſanguinis quantitate indigere. Ob ſeminis pravam qualitatem, vel calidam, vel frigidam, vel humidam, vel ſiccam impeditur propria ſeminis actio, id eſt, actio facultatis alteratricis, quæ in quatuor primarum qualitatum temperamento conſiſtit, cumque facultas alteratrix ſit miniſtra formatricis, ut ibidem docuit Gal. propterea præpedita alteratione facultas formatrix C
ſingulas corporis partes rectè digerere ac effingere nequit, ex quo figuræ pravitas & vitioſitas.

Cap. 5.

Rurſus poſt formatum animal plures ſolēt cauſæ figurā depravare, quæ ad duo genera reducuntur, ad externas, & internas: ad quinque verò externæ. Prima eſt error, qui verſatur inter pariendum, quando vel in fœtum, vel in obſtetricem culpam conferimus. Hanc fœtui aſsignamus, cum in egreſſu naturalem ſitum non ſervat, ſed intus, remanente capite, alterum ex cruribus, vel brachijs foras egreditur, quo tempore ex motu violento, vel nimia retardatione alicujus partis figura vitium concipere ſolet. Præterea obſtetricem ponimus in D
culpa, & ſuſpicione, quoniam fœtum non rectè excipit, aut non delicatè tractat. Nam infantis mollities & teneritas molliter eſt exercenda: ſunt enim oſſa illi, præ nimia humiditate, ita molliа, tenera, flexibiliaque ut ſequantur quocunque torqueamus, unde niſi molliſsimè tractetur infans recens natus, facilimè vitiabitur in eo alicujus partis figura. Solent enim audaces obſtetrices, ſi fortè ob compreſsionem caput aliquid vitij fecerit, ut decorè forment, commodiúſque fingant illud deformare, ac foedare. Sic omnibus Gallis capita in parte poſteriori depreſſa ſunt: Balearib. vero capita acuminata, quod proculdubio ex conſuetudine in naturam abijt.

Secunda cauſa eſt error, quo ducuntur nutrices, quæ infantes ignaviter nutriunt: errant autem triplicitèr. Primò, quum infantes faſcijs parum aptè circumplicant, thoraciſq. partes ab ijſdem depravantur, ubi in prima educatione ipſos extrinſecus arctiorib. vinculis involvunt. Quod illis maximè in virginum educatione ſtudium erat tempore Galeni, atque his noſtris temporib. mos in Gallia receptus. Nam ut ſcapulis, alijſq. partib. juxta thoracem alimentum adimāt, & illas attenuēt, coxaſq. auctiores, & obeſiores reddant, quæ forma venuſtior eſſe judicatur, univerſum thoracem faſcijs quibuſdam vehementiùs vinciunt, & cōſtringunt. Sed interea dum hac ſolicitudine urgentur, confidūtq. neſcio quam formā, elegantē ſanè illis conciliare, non rarò deformis reddi tur. Nā faſcijs inæqualiter injectis vitiatur ſæpiſsimè alicujus partis figura, quia ſi partes ſpinę laxiores relinquuntur, vel contra, pectore laxo relicto prominentiores, infantes gibboſi efficiuntur. Secundò errant nutrices, cum negligenter & temere infantes tractant, dū ipſis lac prębēt, vel dormiētes in incunabulis reponūt. Tertio, cum intempeſtivè, & ante legitimum tempus infantes extollunt, ſtare, atq. ambulare compellūt, quando tenella crura totius corporis pondus ſuſtentare nequeunt, ſed aut ad exteriorem, & biæſa, aut ad interiorem partem diſtorquentur, & vara fiunt.

Tertia cauſa vitiatæ figuræ eſt error, qui contingit in univerſa, quæ ſequitur, educatione, vel ab immodica ſacietate, vel depravato motu. Quippe ſacietas naturales actiones impedit, in quarum numero ſunt nutritio, & auctio: utraque autem partium figuram im-

mutare potest, ubi minus rectè fit, E læditurq.

Quarta causa est error in curatione luxationum, aut fracturarum. In quo errore versantur, vel chirurgi, vel ægrotantes: chirurgi, si fracta, vel luxata membra non pariter restituunt, aut restituta non rectè alligant: ægrotantes verò, si antequam fracturæ callus firmetur, membrũ ad usum accõmodare conantur.

Quinta causa est partium collisio duarum scilicet, vel plurium confricatio, ut si hac de causa nasus simus fiat, vel confractio, ut cum frangũtur supercilia, & processus ad sinuũ F orbem instar labrorum prominentes, vel ossium excisio, aut plurima caro sublata, quæ subinde non æqualiter succrescit. Causæ externæ sunt hæ, quæ partium figuram depravare possunt.

Sunt etiam causæ internæ, quæ alicujus partis, aut totius corporis figuram vitiant: harum autem duplex genus est, quædam prima ratione, id est, primo & per se, nullaq. alia interveniente figurã vitiant, aliæ verò ex accidẽti, atq. alterius interjectione. Per se figurã vitiãt satietas immodica, & immoderata corporis inanitio. Satietas, & repletio, aut fit ex optimo sanguine secundum naturam genito, ut in hominibus corpulentis, & obesis, aut fit ex pravo sãguine, quẽadmodũ in elephantiasi correptis. Est autem elephantiasis extuberatio initio quidem ex sanguine melancholico, deinde verò ex *Lib. de tu. p.n. c.14.* atrabile exquisita in universũ corporis habitum decumbens. In quo morbo teterrimo vitiatur corporis totius figura, potissimumq. faciei, cum his hominib. nasus fiat simus, crasso nimirũ & melancholico sanguine impacto, & acrimonia sua partes nasi exedente, ac erodente. Ob eandẽ etiam causam labra eorun- *Ibidem.* dẽ crassa fiunt, & aures extenuatæ, exesæ & erosæ, utpote à quib. quotidie aliquid ab atrabile radente aufertur & abraditur. Quamobrem *hanc affectionem*, ait Gal. *cum incipit, Satyriasmum nominant, quoniam ægri satyris similes fiunt vultu.* Qualis verò sit satyrorum figura nullus expres- *Lib.5.c.8.* sit. Plinius præter figuram nihil moris humani Satyris esse scribit. Idem in Subsolanis Indorum montibus degere ait, petnisiisimum adeo humana effigie animal, ut propter velocitatem, nisi senex aut æger, capi non possit. Est autem horum adeo, furiosa libido, ut Græcis *περὶ τὰ αἰδοῖα*, hoc est, à pudendo virili *ἔκτυφοι* sint appellati. Colligendum igitur est ex hoc loco Satyros fuisse naribus simis, labris crassis, & auribus quasi derasis. *lib. 7. c. 2.* *Paratensis ter. Satyri.*

Præterea quod alimenti defectus figuram vitiet, dilucide marasmus & tabes docent, inqua *nares sunt acutæ, oculi concavi, collapsa tempora, scapulæ, & brachia, quæ velut alæ prominent.* Quare primo Epid. tabidos appellat Gal. *qui adeo sunt angusto thorace & resbritto, ut à tergo in modum alarum promineant operta coptulæ: unde etiã hos πτερυγώτους quasi alatos vocant.* Et sexto ejusdem operis ait, *medicis consuetudinem esse eos alatos nominare, qui scapulas eminentes avium alarum instar, retrorsumq. productas habent.* Accidunt autem hæc omnia prima ratione, id est, per se, nulloque alio interveniente naturalem figuram depravare ac vitiare solent. *Lib.1.prog. sent. 6. & 7.* *par. cõ. 18.* *par. 3. com. 13.*

G Sunt autem aliæ causæ, quæ figuram vitiant, non tamen primo & per se, sed tensione media. Hujus generis sunt phlegmone & scirrhus inter tumores præter naturam, paralysis, convulsio, dura cicatrix, nervorum aut tendonum dissectio, in quibus omnibus affectibus, tenduntur partes, unde figura vitiatur. In phlegmone quidem partes repletæ tument exterioresque extenduntur, in scirrho etiam propter multam duritiem: attamen in oedemate non fit tensio, quia tumor la- H xus est, neque inerysipelate, quia in exiguum tumorem attollitur. Porrò in convulsione & paralysi tensio adest, quia partes violenter trahuntur, quamvis contrario modo. Nam in convulsione pars ægra trahit ad se sanam, quoniam convulsio est motus, quo nervosæ partes suum principium versus retrahuntur: in paralysi verò pars sana ægram ad se trahit, quia pars ægra nihil agit. Dura cicatrice tenduntur quoq. partes propter duritiem.

Tan-

Tandē dissectis nervis, vel etiam tendonib. tentio fit, quia nervi, & tēdones revocantur ad suū principium. Quamobrē omnes hujusmodi causæ sub una, nēpe tēsione, quæ in diversum cōtorquet, cōplectūtur. Atq. hęc de causis figuræ vitiatæ dicta sint.

TEX. XVIII.

CAVITATES autem, quæ partib. corporis insunt, & earū meatus, ob eas, quas subjiciemus causas, corrūpi vel læ di contingit, coalitū scilicet, angustiā, obstructionē, cōpressionem, subsidentiā, & eorū, quæ ora appellantur patefactionē. Nā cū nonnunquā exulcerata sit cavitatis interior superficies, ac deinceps simul coalescant exulceratæ particulæ, formatio naturalis necessariò destruitur. Nonnūquam verò vel carne adnata, vel aliquo alio germine præter naturā, vel duro quopiam sive inflāmato tumore, aut abscessu in ipsis corporib. instrumentorū, ac deinceps eodē tumore præter naturam interiorem occupante cavitatem, loco angustia supervenit. Et sanè obstructio ob lentes ac crassos humores, vel ob callos aliquos, vel obgrumos proveniens, cavitates ad similē perducit affectū. Sic & si aliquid extrinsecus incidat, ac vehementius cōprimat, necessarium est, ut circūjacentia corpora ad interiorem cavitatē detrudantur. Quin etsi subsideāt in se ipsa corpora, veluti cū ab astringentib. coguntur, aut à frigidis densantur, aut ab arefaciemtib. marcescunt, ipsos quidē meatus in primis, jā verò & ipsas etiam cavernas cōstipabunt. Nam ora quidē meatuum, non solum constipātur, sed etiā penitus in hujusmodi affectib. sæpenumero occacātur. Sed & ejus virtutis, quæ cōtentiva motus immodicus, cum ora meatuū supra modū colligit & cohibet, cōstipationis est causa. Quēadmodum & excretivæ virtutis motus immodicus nimium laxat: hoc idē sæpe numero faciunt, & virtutis cōtentivæ imbecillitas, & medicamen aliquod, aut aqua, quæ aperiendi ora vim habeat, aut mollities immodica, quæ ipsis accidit in strumētis, aut circūfusi aeris tēperatura, quæ ad humiditatem & caliditatē immodicā vergit. Hæc quidē sunt, & meatib. & ipsis præterea cavernis taliū affectuū causæ. Atque ex his intelligi potest quasnam in corporib. similaribus causas esse velint, hi, qui ex tumorib. atq. meatib. eadem putant esse constructa. Sed cum tota ipsorum suppositio, sit falsa, mihi supervacaneum visum est de ipsis privatim facere mentionem.

COMMENTARIVS.

Præterito libro cavitatū, & meatuū morbos in duas differentias partitus est, ac divisit, aut enim meatus plus justo intercluduntur, aut immodicè patent: hic verò causas traditurus primùm meatus quinq. modis adstringi, & occludi posse docet, scilicet coalitu, angustiā, obstructione, compressione, subsidentiā, quorum affectuum variæ sunt causæ. Meatuum coalitus fit ex duplici causa, vel ab immoderato usu medicamentorū glutinantiū, vel ab ulcerib. Cap. 7i

labiorũ: negligens enim quidã chyrurgus parũ provida curatione effecit, ut labra uteri cujusdã miserabilis mulieris ferè integra, relicto tantùm exiguo foramine, coaluerint. Angustia, vel constipatio fit duob. modis, vel caro aliqua intus adnascitur, germẽ, aut tumor, vel in parte vicina oboritur, quo tẽpore cavitas, vel meatus constipatur necessariò. Obstructionẽ multi, lẽti, & crassi humores, aut calli, aut grumi efficiunt. Cõpressio fit à corpore extrinsecus incidẽte, ut est lapis, ferrũ, lignũ, & id genus alia, quæ vehemẽter cõprimunt. Subsidentiã efficiunt medicamenta refrigerantia, exsiccantia, & adstringentia, quæ cogunt, & constringunt, tum etiam summa corporis siccitas & cõsumptio, ut marcor, tandem validus motus facultatis retentricis.

Altera differentia, quæ osculorũ apertio est, provenire solet à validò motu facultatis expultricis, cum nimio expellẽdi impetu, oscula vasorũ aperit, & imbecillitate retẽtricis, atq; medicamẽtis, quæ vim aperiẽdi ora vasorum prædita sunt, ac anastomatica dicũtur, de quib. quinto lib. de simp. med. fac. deniq; his omnib. quæ calfaciunt, & humectãt, ut aeris temperie ad humiditatẽ & immodicam caliditatem permutata.

TEX. XIX.

QVARE ad id, quod propositi nostri est institutum, reuertamur, ac reliquorum morborũ causas assignemus, ab eo rursus genere, quod ad formationem attinet exordientes. Superãt autẽ duo in eo modi, cũ instrumẽta aut præter naturã lævia fiunt, aut aspera. Exasperãtur autẽ quæ priùs erãt lævia, & lævigantur, quæ priùs erãt aspera: illa quidẽ ab acritudine humorũ, aut medicaminũ abstersa, hæc verò à pingui humiditate aut lẽto humore irrigata. Præcipuè verò in ossibus hæc evenire evidenter conspiciũtur, cũ non rectè à medicis curantur: sed aliquãdo ex humorũ natura, qui in animaliũ corporib. inveniũtur, habent originẽ. Oculorũ autẽ, & gutturis asperitates, nõ ex his tantũ, sed ex acrib. vaporib. aut pulvere, aut fumo cõtingunt, sicuti (ut arbitror) & stomacho, & vẽtriculo & intestinis à materia inutili, quæ in ipso corpore gignitur, atq. ex eorum, quæ educuntur, & bibuntur qualitate, inter quæ etiã venena cõnumerãtur. Liquet autẽ quod exasperãtiũ causarum singulæ, cũ invaluerint, ulcerationẽ quidẽ aliquã, aut corrosionẽ in partib. carnulẽtis afferũt, in ossib. verò cariẽ inducũt. Hæ quidem sunt primi generis ægritudinum, quod informatione cõsistit, causæ.

COMMENTARIVS.

Tertia & ultima differentia cõformationis est asperitas & lævitas, quarũ causas hoc loco prodit, quæ vel internæ sunt, vel externæ. Internæ vel humores, vel excrementa in nostris corporib. cõtenta. Humores vel secundũ naturã, vel præter naturam sunt. Secundũ naturã gignitur bilis flava, quæ, cũ sit humor acris & mordax, reddit asperiores partes, ad quas adhæresc it. Præter naturã est pituita salsa, quæ partes quasdã asperas, & erodẽtes habet, cũ ex putredine, vel permistione seros humiditatis ortũ habeat. Deinde atrabilis exquisita propter acrimoniã, quam obtinet, partes mirum in modum exasperat. Excrementa etiam numerantur in causis asperitatis, ut contingit in catarrhis & distillationibus, in quib. fauciũ, & asperæ arteriæ actiones ob asperitatẽ præter naturã lædũtur, & ab aeris foribus excremẽtis, quę à cerebro descendunt, graviter offendũtur. Sic etiã urina mordax, &

acris

acris vesicam exasperat. Porrò causæ externæ asperitatis, vel sunt alimenta, vel medicamenta: alimenta quidem acria, & abstergentia, ut allia & cæpæ: medicamenta verò acida, acria, & adstringentia: peculiare tamen est oculis & faucib. ut à rebus quibusdam externis frequentissimè exasperentur, ut à vaporibus acrib. pulvere & fumo. Pulvis inter ea numeratur, quæ oculis nocent: *apparent enim manifestæ asperitates in palpebris oculorum.* Vidit præterea Gal. *plerosque athletas in eo potissimũ vitios, quod pulvere per os inspirato suffocari ab eo periclitarentur.* Fumum autem guttur exasperare, tussimq. concitare prodit, atq. in horum affectuum causis in alio loco numerat fumosa & fuliginosa recremẽta ad pulmonem delata, ipsiusq. arteriarum cavitates offendentia, non secus ac fumus easdem subiens cavitates difficulter & anxiè respirare facit. His adnumerantur venena, non quidem omnia, sed quæ erodendo interimunt, cujusmodi sunt calx, & cantharides, de quibus copiosè alibi tractat Gal. Cæterum omnes causæ, quæ prædictas partes exasperant, ubi vehementiores fuerint, in carnosis partib. exulcerationem, aut erosionem: in ossib. verò cariem excitant, de qua in fine hujus libri plura dicentur. Ex quib. facilè colligemus causas omnes, tum internas tum externas morbi contrarij, nempe lævitatis præter naturam. Internæ sunt humores lenti ac viscidi, ut pituitosa excrementa: externæ verò alimenta pinguia & lenta, præterea & alimenta, & medicamenta, quæ acrimoniam contemperant & obtundunt. Atq. hæ sunt causæ primi generis morborum, qui cõtingunt instrumentis, scilicet conformationis.

Lib. 4. de comp. med. sec. locos cap. 1.

Lib. 11. de usup. ca. 11.

Lib. 1. de diff. resp. c. 20

Vide Vaseũ Castellum tractat. de tussi c. 3. difficul. 2.

Lib. 3. de tempera c. 2. & lib. 3. sim. ca. 24.

Lib. 2. sim. cap. 12.

EPITOME.

DE causis morborũ, qui contingunt instrumẽtis dicturis ab horum primo genere, quod est in cõformatione, auspicandum, quæ sit naturali figura immutata, cavitate, vel meatu, asperitate & lævitate. Figura vitiatur in utero, cũ fœtus in eo malè conformatus est, ob motũ naturalẽ seminis impeditũ, aut materiæ quantitatẽ, vel qualitatẽ non idoneã. Ab utero error obstetricis nõ rectè fœtum suscipiẽtis. Nutricis in volvendo fascijs infantẽ adhuc mollem, vel deligando strictiùs, vel lactando, lavãdo, reponendo, erigẽdo, aut aliter movendo, ut per stationẽ, vel ambulationẽ, unde crura torqueantur, & alia membra aliorsum, quam decet, distrahãtur. Reliquæ educationis, ut nimia repletione, vel alimenti defectu. Chyrurgi deligantis malè cõformantis mẽbra fracta, vel luxata. Tandẽ ipsius ægri utentis membris fractis callo nondum firmo. Ac præter hæc affectus varij: confractio labiorum circa cavitates articulorũ: collisio, ut nasi: luxatio, cujus causæ aliquot in vitioso situ dicentur: excisio ossiũ, aut carnis plurimæ, quæ deinde non æqualiter succrescit: plenitudo partis, aut totius, ut in obesis: defectus, ut in colliquatis, & phthysi, in qua nares acutæ, oculi concavi, collapsa tempora, scapulæ & brachia alarũ modo porrecta: elephas, in quo nasus simus, labra crassa, nares acutæ, cætera Satyris similia. Et hæc perse figuram vitiare possunt: præterea nervorum, aut tendonum, aut musculorũ resolutio, vel sectio pertransversum permittens attrahi partem à musculis contrarijs naturæ sitam, & actionẽ illæsam habẽtib. tensio partẽ proximã ad se trãhens convulsione, phlegmone, scyrrho, cicatrice dura. Atq. hæc per accidẽs figuram naturalem vitiant.

Cavitas, vel meatus vitiantur, cum plus justo intercludũtur, coalescentes, constipati, compressi, in se se residentes, obstructi, aut quod immodicè pateant osculorum apertione, expultricis motu immodico, retentricis imbecillitate, instrumentorum magna laxitate, medicamentis aperientibus atque aere calido & humido.

Tandem asperitatis causa in oculis, lingua, faucibus, & aspera arteriæ est acrimonia medicamentorũ detergentium, humorum, vaporis expirationis per febres, fumi, pulveris. Quæ si valentia sunt, in carne ulcus, in osse cariem excitãt: sed in gula, vẽtriculo, & intestinis cadẽ propè

omnia, & præterea cibi & potus, qua E litas acris, & venena, excrementaq. in ipso corpore genita. Levigantur verò partes à pinguibus & lentis, tũ cibis, tum potibus humoribusq. qui acrimoniam contemperant, atque obtundunt.

CONTROVERSIÆ ætiologicæ.

VTRVM INHAErens humor, atq. meatib. impactus, morb. sit, an obstructionis causa.

QVÆSTIO XXIIII.

PRÆTERITO libro de differentia morborũ distinguens morbum à sua causa Gal. his verbis locutus est. *Cum verò ipsa dispositio operationem primò impedierit, ejusdem autem dispositionis causa nullam attulerit primò offensionem, dispositionem quidem morbũ, quod autem ipsam facit, morbi causam dicere oportet, veluti in lentis humorib. atq. obstructione contingit: ipsa quidem obstructio morbus est, humores verò morbi causa.* Germanus interpres physicæ rationis ignarus dupliciter consideravit humores crassos & lentos, vel ut adhuc affluentes sunt, vel ut jam fluxerunt, & sunt affixi: humores fluentes causam obstructionis: at verò impactos obstructionem esse ac morbũ ipsum, non causam insulsè dixit.

Cap. 7. Tex. 32.

Opinio Germa int.

Quam interpretationem duobus male intellectis Galeni locis putavit corroborari. Primus desumitur ex eodem capite, ubi paulò antea dixerat idem Gal. lentos & crassos humores in vena nihil aliud perpessa, distributionem impedire, cumq. dixisset unicum tũc adesse morbum, liquet humores lentos & crassos unum idemq. esse cum obstructione, aliàs duo adessent morbi.

Auct. Gal. H

Ibidem.

Alter locus habetur undecimo methodi, quo sic loquitur Gal. *obstructionis ipsius, quod jam occupavit, curandum est, quod futurum est propulsandum: at curabitur quidem, quod obstructionis jam factum est, per ea, quæ obstructa liberant: propulsabitur, quod futurum, si affluxum obstruentium humorum compescas.*

Auct. altera.

Cap. 10.

Ex quibus rationem componit, quã idem concludere conatur. Curatio morbum, at preservatio causam tollit. Sed evacuatio aut exterſio humorum, qui fluxerunt, curatio est, & eorum, qui nondum fluxerunt, vel adhuc fluunt, inhibitio, est præservatio, ergo qui fluunt, aut fluxuri sunt, morbi sunt causa: qui verò fluxerũt, morb. ipse. 1. Ratio.

Huic rationi Iacob. Segarra sectator illius duas coagmentare voluit. Res præter naturam morb. causa & symptoma sui ablationem indicant, propriùs tamen morb. & ejus causa, cum symptoma propriè nihil indicet, docente Galeno, utpote quod à morbo dependeat omninò. Iam si humores impacti essent obstructionis causa, cum obstructionem curamus, illis evacuatis, remaneret adhuc curatrix indicatio ab obstructione desumpta, & postulata: sed purgatis humorib. impactis nulla remanet indicatio, quoniam obstructio in nihilum occidit, ergo humores impacti non sunt causa obstructionis, sed ipsa obstructio. 2. Ratio. F 12. meth. Cap. 1. G

Præterea si obstructio distinguere tur ab inhærentibus humorib. non omnis morbus esset affectus permanens, sed aliquis haberet essentiam suam in fieri: nam res permanens suã substantiam obtinet factam & absolutam sublata causa: sed obstructio verè morbus est, & affectus permanens, considerata verò ab humorib. distincta non habet essentiam propriam permanentem, vel per se subsistentem, erit ergo idem cum impactis humoribus. 3. Ratio.

Sed ego interpretem illum illusi semper: Segarram verò magnopere miror, quod prætermodum absona & absurda cum eo dicere coactus fuerit, putans non posse aliter excutere causam continentem: ac si omnis causa efficiens debeat esse continens.

Asserimus ergo inhærentem humorem ac meatibus impactum non esse morbum, sed obstructionis causam. *Auctoris assertio.*

sam. Quod autoritatib. Galeni possumus demonstrare.

Prima sit illa, quam interpres ille 1. *Auto.G.* sua distinctione de duplici humore inquinavit. Nã, ut illius sordes emundemus, observandum est, cum dixit Gal. obstructionem esse morbum, humores verò morbi causam, de illis humorib. verba facere, qui reipsa sunt causa obstructionis, quo tempore obstructio lędit actionem: sed huiusmodi humores impacti sunt, non fluentes, ergo de impactis humorib. intelligenda sunt eius verba, non de fluẽtib. Propositio patet, quoniã de illis humorib. locutus est, quę sunt causa morbi, & à quibus distinguitur obstructio, quod ipsa lædat actionẽ primò: illi verò non lædant primò, sed mediante obstructione. Assumptio probatur. Nam quando humores sunt in solo fluxu, obstructio non est facta, nec morbus, quoniam facta, & permanentia non dependent à causa, ut sentit Segarra. Tunc igitur obstructio nequid actionem lædere: cũ facta est lædit, quo tempore humores iam infixi sunt, ergo humores, qui sunt causa proxima obstructionis, cum obstructio facta est, & primò lędit actionem, quieti & iam inhærẽtes sunt, non fluentes.

Huic succedit autoritas capite præ 2. *Auto.G.* terito scripta, ubi docuit Gal. *obstructionem ob lentos humores vel ob callos aliquos, vel ob grumos provenientem, cavitates ad similem affectum perducere.*

3 *Auto.G. Lib. de diff. morb c. 7. Tex. 34. & cap. 8. Tex. 35.* Quibus quidem verissimè respondent resima nasi figura, & tuberculũ corpulentum, quæ angustię meatus & nariũ obstructionis causæ sunt, docente Galeno, in quibus non habet locum Sophisma de discrimine eorum, qui fluunt, & qui iam fluxerunt. Quæ quidem doctrina proiecta est in exilium ab illorum schola, qui sunt aliquãtũ versati in lectione Gal.

4. *Auto G. Cap. 2* Qui tertio de symptomatum causis enumerãs impeditæ separationis excrementorum causas, unam facit viarum angustiam, quam effici ait, vel à tumore, vel ab obstructione. Tumorum causam esse scribit fluxionẽ humorum: *obstructionis verò aut crassitiem, aut lentorem, aut germina.*

Observatio in lib. de Quod autem Segarra de germine, corpulentoq. tuberculo, quod obstruit meatus nasi, temerè effutit, ut ex his objectionib. evaderet, Oedipo est conjectore opus, qui Sphingi interpres fuit. *diff. mor. Cap. 8.*

Vndecimo methodi sic locutus est. *Porrò accidere in finib. vasorum stipatio potest, vel ex vehementi extrinsecus refrigeratione, vel ex succorum, qui extrorsum in ipsis confertim [illegible], fluxerint, crassitie, multitudine, vel lentitia.* 5. *Auto.G.* *Reyssauton.*

Octavo autem dixerat. *Quod si & multi, & crassi & glutinosi succi impacti sint, efficitur, quæ hos excipit febris, fieri non potest, ut intra fines diariarum consistat.* 6. *Auto. Cap. 4. Sphenothe ien.*

B Sed rationes subiungamus, prima sit. Id, quo tangente afficimur, & quo separatim statim cessat affectus, primo de locis patientib. docente Galeno, apud omnes homines in confesso est, causam efficientem esse (de causa efficiente loquitur Gal. ut ostendunt verba quæ supponit) sed cũ crassi & lenti humores sunt affixi ad meatum alicuius venæ tunc meatus dicitur obstructus propter eorum humorum præsentiam, ergo humores crassi & lenti, affixi & inhærentes sunt causa efficiens obstructionis, nõ alij, qui affixi non sunt. 1. *Ratio.* *Cap. 2.*

C Præterea causa proxima distributionis, vel expediti, & impediti per venas transitus, eadem semper est, non eodem modo tamen affecta: sed prompti sanguinis & humorum transitus per venas, causa est earum cavitas: nõ enim quia vel calida vena est, vel frigida, vel dura, vel alba, levi impulsu sanguis in ea ultrò citroq. commeat, sed quia fistulosa est & perforata, ergo necessarium est, ut eadem cavitas vitiata, vel eius vitium, vel occlusio sit causa impediti transitus. 2. *Ratio.*

D At nulla materia obstruens est cavitas, seu eius vitium, seu occlusio, quoniam cavitas est qualitas in quantitate sita, & venæ forma quædam accidentalis, igitur inter obstruens corpus, & obstructionem, plurimùm interesse, res loquitur ipsa.

Postremò communes indicationes 3. *Ratio.* à morbo sumuntur, à causa verò particulares & proprię, sed obstructio indicat apertionem, quæ communis indicatio est, humores verò lenti, & crassi, hærentes & impacti absterſionem & incisionem, ut habet Gal. &

nos

nos etiam ẽdocemur à natura, ergo humores iam affixi & obstructio longé diversa sunt, & veluti causa, & effectus sejuncta.

Solvitur 1. Auto.

Modo Galeni autoritates explanemus, & quam malè intelligantur ab adversarijs explicemus. Illud imprimis observatione dignum est, quod sic scripsit Gal. ὁ δὲ γλίσχρος τυχὸν ἢ παχὺς χυμὸς σφίγγων διάστασιν τοῖς πόροις, ἀνάστασιν μόνον, καὶ τοῦτ' οὐ τοσαύτην κατὰ τὴν ὅλην χοιλίαν, ἢ ἐμφραξιν. Si propter lentos aliquos aut crassos humores in meatibus impactos distributio lædatur, solus in viscere morb. hic utiq. fuerit, obstructio. Ecce non dixit humores impedire distributionem: sed propter humores impactos distributionem impediri: propter, verò est præpositio causam significans. Et

Alia solutio.

quamvis dixisset humores impedire, ex eo tantum elicitur lentum succũ & crassum lædere actionem. Quid tũ inde? Forsitan ex eo morb. erit? Conveniunt morbus & eius causa, quod ambo lædant actionem: at morb. lædit primò, causa mediante morbo, quod non semel dixit præterito libro Gal. & sequenti docebit. Quinimò ipsemet paulò inferiùs se ipsum interpretatur, cum scribit, humores crassos, & lentos non lædere operationes primò, sed hoc facere per intermediam obstructionem, quod sanè de obstructione factæ dixit, quæ nullum habet cum profluente humore commercium.

Tex. 32.

Multò minus intellexerunt locum ex undecimo methodi decerptum.

Solvitur alt. auto.

Nam, ut quarto libro scribit, præsentes affectus tollere, sive fiat amovendis ijs, quæ naturæ opus impediunt, sive per medicamenta quid moliamur, omnes profectò homines curare dicunt. Et eodem undecimo largiori vocabulo subintelligere contraria volvit simul cum Hippocrate & Platone, ac non in qualitate corporum dumtaxat, quemadmodum Arist. sentire videtur. Ergo tametsi curatio sit morbi ablatio, non tamẽ omnis actio medici proximè in morbum fertur. Nam aliqua sunt, quæ primò & per se nonnunquam auferuntur, ut frigidæ potu adurens in visceribus calor: quædam sunt, quæ sæpe tolluntur, vel minuuntur per

Cap. 12.

accidens quidem, ut idem calor bilis vacuatione. Obstructio & apertio non ita se mutuò corrũpunt, ut qualitates primæ: sunt enim dispositiones, vel formæ & figuræ, in quib. non est motus. Aboletur igitur obstructio, & curatur, non sanè primò & per se, sed per accidens extensione scilicet aut vacuatione humoris, quo ablato recluditur cavitas. Quare obstructionis ablatio & apertio per attenuantia, vel incidentia curatio est mista, ex præservatione, & curatione.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, opus medici mixtum vocatur à Gal. cum fieri prohibemus, quod est causa factura, & curamus, quod morbi iam factum est: hic verò utrumq. deest, quoniam neque aliquid fieri vetamus, cum evacuamus inhærentem humorem, neque eodem evacuato, curamus quid quam.

Solutio.

Respondeo, cum evacuamus, humorem summovemus, causam conservantem obstructionis. Nam etiam si humor fecerit iam obstructionem, nec etiam num faciat, more tamen græcorum humorem ipsum causam nominamus, ac præterea simùl cum humore obstructionẽ tollimus: hoc enim interest inter ea, quæ per se, & ea, quæ ex accidenti & fiunt, & tollũtur, nam, quæ per se, urgent quidem ac perstant adhuc semota causa, ut interdum ingens caliditas; quæ verò per accidens, sublata causa fovente una cum ea, recidunt ad nihilum, ut patet in obstructione orta ex polypo innarib. & lapide in ureterib. vel collo vesicæ.

Solvitur 1. Ratio.

Ex quib. facilé solventur contrariæ rationes. Prima, quoniam, docente Galeno, ubi causa non adest, quæ morbum efficiat, hic sola curatio factorum relinquitur. Vbi verò adest, sed nondum aliquid fecit, ut plenitudo, præcavendum est, cum verò jam aliquid agit causa, mistum est opus ex præservatione, & curatione, dicitur verò curatio, cum proprio nomine careamus. Iam verò conservare quodammodò facere est: conservari ergo dicitur obstructio facta, ac propterea curari mista curatione.

Solvitur 2. Ratio.

Secundæ rationi respõdemus morbum, causam, & symptoma indicare

sui

sui ablationem: at morbus & causa A indicant remedium utile ad sui ablationem, & conservationem, quod symptomati denegamus. Sic Gal. explanandus est. Obstructio indicat curationem per ea, quæ referãt & aperiunt, substantiamq. aditum intercludentem removent, ut cum lapis continetur in collo vesicæ, obstructio tolli postulat per ea, quę lapidem illinc obijciant. Alia postulat obstructio ex polypo, & rursus alia obstructio ex humore crasso lento & viscido: desumuntur enim qualitates aperientium ex qualitate & natura causarum occludentium. Quare dicendũ nõ est obstructionem & humores impactos idem esse, quandoquidem humoribus evacuatis nullus superfit affectus, qui exigat curationem. Nam indicatio sumitur a natura rei, multũ vero distat, quod ab humorib. postulatur, ab eo, quod obstructio requirit.

Hoc fiet manifestum ex generali methodo in febribus putridis curandis a Gal. tradita, in quib. septem affectus repetiuntur, febris, putredo, prohibita transpiratio, obstructio, humoris multitudo, humoris crassities, & eiusdem glutinositas. Quæ, cum indicent maximè distantia, erunt similiter disiunctissima, & natura maximè diversa. Febri ex adverso respondet refrigeratio. Putredini & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semi putridorum concoctio. Transpirabilium retentioni excretio ipsorum. Obstructioni reclusio seu apertio. Humoris multitudini vacuatio. Crassitudini attenuatio. Lentitiæ, quod detergit. Quoniam autem nulla dirigitur actio ad obstructionem, & cavitatem vitiatam proxime (figurarum enim, & cavitatum, nec motus, nec pugna est) sed ad qualitates humoris, accidit, ut qui rerum scientia minus sunt exercitati, fallantur. Nã, cum attenuato & detersо humore, confestim vena expediatur, negligũt latentem reclusionem & apertionẽ, quam eruerant ex obstructione, & in initio animo conceperant, ipsisque quiescentib. clariùs apparet, quasi non fuerit indicata. Fatemur igitur nihil ampliùs desiderandum fore humore depulso. Verum inde non sequitur nullam fuisse obstructionis indicationem præter eam, quã humor obstruens postulabat.

Vbi propter violentum aliquem motum (disruptis, qui iuxta articulos sunt superciliijs) ossa & articuli extra proprium locum in totum excidunt, luxatio est, morb. quidem in compositione & positu ac similiter in figura vitiata, ut præterito capite docuit Gal. Iam ossib. & articulis in pristinum locum & proprium sinum reductis, morbi in situ curatio adest, B quam illicò sequitur figuræ vitiatæ medela: nihilominus tamen ipsa figura præter naturam per se sola tolli postulabat: quę tamen multùm distat ab ea, quæ morbo curato, sequitur symptomatis sublatio.

Exemplum

Tex. 17.

In postrema ratione Segarra prorsus ignorat quid sit res permanens, tametsi penitus se rerũ naturas perscrutari glorietur. Tripliciter dicitur aliquid permanens. Primò quod iam existit, aliqua tamen ex parte augetur & fit, ut febris putrida. Secundò, quod non amplius augetur, sed à causa custoditur, & veluti existentiã dependet, cuiusmodi est fistulę alicuius obturatio, quę usquequaq. ab obturamento servatur, ut obstructio ex lapide in collo vesicę. Tertiò, quod oblatã suã causã perseverare in corpore aptum est, ut febris hectica. Cũ sunt humores impacti & quieti, obstructio permanens affectus est secunda significatione. Ergo, ut permanẽs obstructio sit, non est necesse, ut sine causa conservetur, satis habet, ut naturã distinguatur ab ea, ut dictum est.

Solvitur 3a ratio.

Permanẽs tripliciter.

ARG. CAP. VIII.

TRADIT causis morbi in numero, primùm deficientis, & in prima D conformatione, & post formatum animal. Præterea morbi in numero partium aucto ex prima quoq formatione ac deinceps, tam partis additæ, quæ naturalem formam habet, quam, quæ non habet. Tandem in utraq. auctione partium vires necessariò validas esse convenire determinat.

CAP.

CAP. VIII. Tex. 20.

SECVNDI autem generis, quod in numero consistit, ubi quidem aliqua ex partibus defuerit naturalib. aut sectio, aut ustio, aut putrefactio, aut valida frigefactio præcesserit. Et causæ quidem frigefactionis priùs sunt explicatæ. Putrescunt autem nonnulla quidem à medicaminib. quæ vim habent putrefaciendi, aut ab ijs, quæ in ipsis animalib. oriuntur superfluitates: nonnulla verò ob id, quod minimè transpirant. Causas etiam prohibitæ transpirationis præcedentes priùs aperuimus. Vbi vero aliquid supercreverit, quod nõ sit è numero partium natura constantium, hæc quidem etiam ægritudo ad numerum partium spectabit: sed cum id, quod superadditum fuerit, formam obtinuerit secundũ naturam, optimæ materiæ abundãtia erit in causa: at si præter naturam, erit & materiæ qualitas præter naturam. Atqui vires utrobiq. validas esse oportebat, alioquin neq. quod vtile erat, natura afformasset, neque quod vitiatum, excrevisset. Format autem in conceptibus quãdo aut sex digitos, aut tale aliquid facit: in jam adultis autem, quando exulceratis particulis validas carnes superaluerit, aut in oculis unguem. Deponit autem id, quod est inutile in his passionibus, quas græci ganglia, meliceridas, steatomata, atheremata appellant, in reliquis eiusdem generis affectibus.

COMMENTARIVS.

Secundum morborum in instrumentarijs genus ad numerum pertinet. In eo autem bifariam vitiari partes contingit defectu, & excessu. Quã obrem morb. in numero duplex est, vel in numero aucto, vel in numero diminuto. Primùm enumerat causas numeri partium deficientis, quæ vel numerum vitiant in prima statim cõ formatione, vel post formatum animal. Si à prima formatione defecerit pars, quæ secundum naturalem cõstitutionem inesse debuit, duplex potest esse huius defectus causa, nempe materiæ utilis indigentia, & debilitas facultatis generatricis. Nam, si exigua fuerit seminis quantitas, satis non erit omnib. animalis partib. efformandis, sed foetum aliqua parte orbatum in lucem prodire necessarium: & quamvis seminis copia fuerit sufficiens, tamen si facultas generatrix extiterit languida, sine dubio pars aliqua planè deficiet, vel imbecilla, decurtata-ve egredietur. Iam verò post natum animal numeri diminuti causę quatuor sunt, sectio, ustio, putredo, immodica refrigeratio.

Prima causa est sectio, ad quam referuntur quæcunq. secare & confringere possunt, ut omnia fermè telorũ genera ensis, gladius &c.

Secunda est ustio, possunt autem urere, vel quæ actu caustica sunt, quæ scilicet quartum caloris gradũ superant, veluti est calx viva, arsenicum, vel sublimatũ aut quæ sunt potestate caustica, quæ potentialia chyrurgi vocant.

Tertia causa est putredo, quæ membri substantiam corrumpit, ut in febribus putridis & tumorib. præter naturam est non rarò videre. Putredinis autem triplicem esse causam statuit Gal. scilicet medicamenta, quæ dicuntur putrefaciẽtia malignæ qualitatis participia, quæq. partem, quã attingunt foetorem inducendo, destruunt & putrefaciũt, ut sandaracha, aconitum & alia multa, de quib. lib. quinto

Cap. 15. quinto simp. Præterea putredinem A efficiunt excrementa acuta, nidorosa, fuliginisque speciem referentia, si non liberè diffluentur. Tandem putredo fit propter prohibitam transpirationem, cum calor nativus nequit probè ventilari: tunc enim humidum nō rectè gubernatur faciléq. corrumpitur à calore præter naturam: prohibitæ verò transpirationis duplex causa est, nempe obstructio internorum meatuum, & cōstipatio externorum, ut capite tertio copiosé dictum est.

Quarta & ultima causa numeri diminuti & deficientis est immodica refrigeratio, cuius causas adduxit Gal. citato capite. Atq. de causis deficientis numeri hæc dicta sint. B

Excessus verò & aucti supra quam decet, numeri causas deinceps inquiramus. Potrò is morb. bifariam contingit, vel enim pars præter naturā addita ijs annumeratur, quæ naturali sunt habitu, hoc est, similem habet substantiam cum his partibus quæ secundum naturam in instrumentis inveniuntur, vel toto genere præter naturam sunt. Si numeratur inter illas, quæ naturali sunt habitu, vel in prima statim formatione addita est, ut sextus digitus, vel post formatum animal, ut pterygium. Si addita fuit in prima formatione causa eius duplex est, nempe seminis copia & robur facultatis generatricis: si verò addita fuerit post formatum animal, causa erit utilis nutrimenti abundātia, & magna vis facultatis alteratricis. Verum si addita pars fuerit toto genere præter naturam erunt illius causæ materiæ multitudo & qualitas præter naturam. C

Vtrobiq. autem, Gal. addit, hoc est, sivé pars addita annumeretur ijs, quę naturali sunt habitu, sivé sit toto genere præter naturam vires validas esse oportet, alioqui enim neq. quod utile erat conformare, neque quod prāvum, & inutile fuit extrudere ac propulsare potuissent. Deponunt autem & expellunt vires id, quod redundat in ganglio, & alijs malis à Galeno memoratis. Neque enim alia de causa hujusmodi abcessus fiunt, quam ubi naturæ impetu ab una parte in aliam detruduntur, deponuntur-ve supervacui humores.

EPITOME.

Causæ morbi in numero diminuto, ante ortum sunt duæ, materiæ utilis indigentia, & imbecillitas facultatis generatricis: ab ortu quatuor sectio, ustio, putredo, magna refrigeratio. Resectio ab incidentibus ustio ab igne, aut medicamentis. Putredo à medicamentis putrefacientib. ab excrementis in animali genitis, à transpiratione prohibita per constipationem.

Morbi in numero aucto, si pars addita specie secundum naturam fuerit, & ante ortum, ut sextus digitus, duæ sunt causæ, utilis materiæ multitudo, & robur facultatis generatricis: ab ortu verò ut pterygium, utilis nutrimenti abundantia, & robur facultatis alteratricis. Quod si addita pars specie præter naturam fuerit, ut ganglium, triplicem causam habet, materiæ multitudinem, materiæ qualitatem præter naturam & facultatem expultricem validam.

CONTROVERSIÆ atiologicæ.

EXPLANATIO EORUM, quæ capite octavo in difficultatem incurrunt.

QVÆSTIO XXV.

D INTER causas numeri deficientis putredo fuit enumerata, cuius triplicem causam designavit Gal. medicamenta, quæ vim habent putrefaciendi, excrementa, quę in ipsis animalib. oriuntur, & prohibitam ventilationem. Attamen idem Gal. libro undecimo medendi methodi differens de putredine, longo sermone monstrat illius causam esse solam prohibitam ventilationem, quæ a sola oritur obstructione, unde ita concludit. 1. Obiectio. Cap. 4.

cludit *Itaq. siquid in eo putredine manifestè contractum est, dictas transpirationes impeditas esse oportet.* Eandem sententiam usurpat primo libro de differentia febrium, & octavo de compositione med. sec. loc. Significat igitur putredinem nunquam citra obstructionem generari, idq. confirmat aliarum rerum exéplo: omnes enim tunc temporis videntur putrescere, cum prohibita est illis ventilatio. Mirandum igitur quod hoc loco medicamenta, & excrementa cum prohibita ventilatione sociaverit.

Cap. 3. *Cap. 6.* *& 7.*

Solutio.

Verum Galeno hic non erat institutum accuratè disputare de putredine, sed tantum docere, qua ratione putredo membrũ aliquod posset minuere corrumpendo, cum q. multa sint, quę illi ad hoc subsidio ire possunt, propter eorum omnium, quæ quoquomodo putredinis causæ sũt, disputationem provexit. Adduxit ergo tres putredinis causas, remotas duas, & mediatas, medicamenta, & excrementa corporis, quæ faciles aditus tum extrinsecus, tũ intrinsecus præcludendo putredinem inchoare solent: deinde proximam & immediatam unam, quæ sola prohibita ventilatio putredinis causa est, ut primo de differentia febrium dilucidè demonstrabimus.

2. Obiectio.

Iam verò & illud, quod asseruit de medicamentis plurimùm difficultatis habet, nã falsum est dari aliquod medicamentum putredinem inducens: putredo enim in corpore humano, si generationem illius expectemus, vix absq. febri conspicitur, sivè humores in vasis, sivé in uno collecti loco extra vãsa putrescant: atque venena assumpta, vel etiam in corpore genita, vix unquam vel levem febrilem in corpore dispositionem parere visa sunt, cuius causa putredinẽ facere dici possint.

Solutio. Septica.

Ve verum fatear medicamẽta, quæ vocantur σηπτικὰ, improprié putrefacientia dicta sunt, cum potius causticà sint omnia: vocantur autem alia putrefacientia, & alia caustica, quod hęc crustam (escaram vocant) prius inducant: illa verò bullas leves, seu vesiculas aere & humore plenas excitant, quib. inest cum humiditate aliquantulum caloris, quiconfestim illis apertis exalat, unde similitudine quadam putredinem parere dicuntur, quam diximus esse exolutionem caloris in humido, cũ propriè caustica & illa sint, toto que genere delete ria. Propterea libro tertio de simp. med. fac. σηπτικὰ venena cum erodentibus indiscriminatim numerantur à Galeno, quasi eo loci idem sit exedere, quod putrefacere.

Cap. 21. & 22. Septica.

Sed cum morb. in numero diminuto sit duplex, nativus, & adventitius, non erit extra rem quærere cur Gal. causarum nativi morbi in numero diminuto memoriam amiserit. Causarum nativi morbi in conformatione cap. septimo memor fuit, & octavo causas aucti numeri in ipso foetu recordatus, cur deinceps deficientem numerum à nativitate contractum est oblitus? Profectò res ante oculos posita est. Statim erat traditurus causas nativi morbi in numero aucto, quæ sensui magis patentes sunt, & quilibet posset ex uno contrario colligere alterum, ideo causas nativi morbi in numero diminuto silentio prætexire constituit.

3. Obiectio. *Tex.* *Solutio.*

Illud verò, quod subjũgit Gal. examinandum est, scilicet vires utrobique validas esse oportere, hoc est, in utroq. affectu, sivé pars addita annumeretur his, quæ naturali sunt habitu, sivè sit toto genere prætera naturam facultates validas esse oportere, alioqui neq. quod utile erat conformasset facultas formatrix, neque quod pravum extrusisset expultrix. Quod debeat esse valida facultas, cũ sunt partes, quæ similem habent substantiam cum his, quę secundum naturam, cujusmodi est sextus digitus, manifestum est: eo tamen stupet bardus, ille, quod, cum partes toto genere prẽter naturam fiunt, debeat esse valida facultas, quia falsum est lapidem in vesica fieri à facultatis naturalis robore. quemadmodum lumbricos in intestinis. Verum sic se res habet. Calculi materia est humor crassus, vel pituita, vel melancholia, ut docet noster autor libro tertio de alimentorum facultatib. sivè pnru lenta substantia, ut sexto Epid. Causa illius est calor immodicus evaporans humidam partem crassi humoris, & reliquam concrescens, quod si moram

4. Obiectio. *Argum.* *Solutio.* *Cap. 17. Par. 1. Com. 6.*

moram faciat in renib. ab alio humore augetur, & lapidis magnitudinem ex arenula acquirit. Lumbrici, licet aliquando ad ventriculum ascendãt, ubi humores agitantes varia pariunt symptomata, nunquam tamen alibi, quam in tenuibus intestinis stabulantur: est enim consentaneum, ut ibi maneant, ubi gignuntur. Materiam habent pituitosum humorem putrefactum, cujus magna quantitas à ventriculo ad intestina delabitur. Quæ causa est, cur sapiẽtes medici potiones amaras exhibeant, lac autem subjiciant, ut illinc fugati, hinc vero allecti, relicto jejuno, in colon descendant, ubi, vel ad punctũ temporis durare non possunt vita superstite. Omnia enim, quæ vivunt, quæq. moventur, in suo quæq. loco servantur, atq. ex ijs alũtur, ex quib. constant. Causa efficiẽs est calor præter naturam excitatus in pituita putrescente, proinde Gal. tertio apho. lumbricos fieri scribit à magno calore, cujus actione talis inducitur in illa excrementa temperies, qualis necessaria est ad illorũ animaliũ generationem. *Duriditiam in reb.* inquit *Arist. bestiola innascitur, propterea quod naturalis calor, idemq. discretus facultatẽ, eorũ cogendorum habet, quæ excreta jam sunt.* Ecce inter causas partiũ toto genere præter naturam, nunquam enumeravit Gal. robur facultatis naturalis: sed tantum asseruit in hoc affectu debere validas esse vires, quod præsertim intelligẽt de facultate expultrice, sine qua excrementa noxia nõ pervenirent ad loca solita suæ generationis, ut ad renes, aut vesicã, & renuis intestina, in quib. gignuntur hæ partes toto genere præter naturã.

Tandẽ quæ sint melicerides, steatomata, & atheromata libro de differentia morborum docuimus, nũc de ganglijs dicendum, *τὸ γάγγλιον*, ut scribit auctor definitionũ, *est nervi collectio præter naturam, quæ in corpus concrevit.* Paulo Aeg. *est nervi concretio ex ictu, vel labore proficiscens, plerunq. verò in manus junctura, qua cum brachio committitur, talo & articul. auctis absolvitur, quanquam in alijs quoq. partibus provenit.* Hæ comites sunt notæ, tumor, concolor, renitens, indolensque. Actuarius *est nervi collectio, seu concretio ex ictu, aut*

1. de cœlo & 1. de ort.

Comm. 26.

4. Meteo. cap. 1.

5. Obiectio.

Solutio. Ganglion. lib. 6. c. 39.

Lib. 2. de dig. morb. cap. 28.

A *lassitudine proveniens in manibus pedibusq. quod plures & conspicui nervi eo inserantur, magisq. quam alia partes exerceantur.* Celsus ganglia inter capitis tubercula enumerat. Iam quæ sit hæc collectio seu concretio explicemus. *Σύριγξ* dicitur græcis, hoc est, tuberculum & durities, ut Gal. exponit in suo lexico Hippocratis, sed multò apertiùs declarat quarto libro de ratione victus in morb. ac. scribens eam esse, *quæ à partib. excitatur intumescentibus. Audire siquidẽ etiam tunc multos in Asia ita nominare omnes præter naturam tumores.* Nam *συριγγοῦσθαι* significat inB pissari, coire, indurescere. Quam *συριγμοῦ* conditionem atque naturam prudenter Hippoc. animadvertit in illo. *Quibuscunq. mulierib. sanguis intra mammas conculcatur, συριγμὸν, maniam præmunciat.* Quod non facit ipsius sanguinis *συσταμὸς*, id est, consistentia, procreando lacti ad mammas cursum inflectentis, sed collectio: multa enim consistunt, quæ non colliguntur. Nam qui humores pravi & effreni confluunt in partem aliquam ibique cumulantur firmiter fixi proprie dicuntur collecti, tumoresq. præter naturam continere. Hæc sint satis.

Lib. 7. c. 6. Systrophe.

Com. 21. & 22.

Syrinx. Syringoũsthai. Systrophes. 5. Aph. 40. Systrephetai. Systasis.

ARG. CAP. IX.

Causas morbi in magnitudine tradit, cum auctã, tũ diminuta, & unius cujusque duas, sed quia morbus in magnitudine imminuta societatem inire solet cum morbo in numero diminuto, hujus quatuor causas, illius etiam esse docet.

CAP. IX. Tex. 21.

ET magnitudo quidem partiũ augetur ubi optime materiæ multitudine, & à potentia robore. Imminuitur autẽ à contrarijs causis, aut ubi sectione aliqua, aut exustione, vel putrefactione, vel immodica frigefactione, quæ interitum affert, aliqua instrumenti corrumpitur pars, adeo ut quæ remanet, mutilata reddatur.

COMMENTARIVS.

Post traditas causas morbi in numero aucto, vel diminuto, ordine libro de differentia morborum servato, causas morbi in magnitudine adducit, quæ omninò sunt eædem cum causis morbi in numero. Est autem duplex morbus in magnitudine, vel in magnitudine aucta, vel in magnitudine diminuta. Magnitudinis auctæ duas causas exhibet, nempe optimæ materiæ copiam & multitudinem, quæ partem maiorē efficit, quā natura esse debeat, atq. robur facultatis naturalis, quæ in copiosam materiam agere potest, sive magnitudo sit à prima statim conformatione, sive post susceptum animal in lucem, ut in ijs, qui obesi sunt, aut corpulenti.

Magnitudinis verò diminutæ simi liter reddit duas, sed contrarias, nēpe materiæ paucitatem & imbecillitatem facultatis. Discrimen est, quod aucta causas ambas requirit necessario, sed diminutæ sufficit altera, quamvis maior sit noxa, cum ambæ concurrunt. Porro cum morbus in magnitudine imminuta sæpissimè conjungatur cum morbo in numero etiam diminuto, ut citato libro est observatum, quatuor causas communes tradit, præterito capite jam adductas, quæ hos duos morbos simul parere solent, hæ sunt, sectio, ulcus, putrefactio, & mortificatio cujuslibet particulæ instrumenti ex frigore immodico, ut ea, quæ remanet mutila, & manca reddatur. Ita libro de differentia morborum mutila & māca dicta est linguæ pars, quæ remanet, non quæ abscisa fuerit. Verūtamē qua ratione mutilatio membrorū, & quib. partib. utrūq. interdū morbi genꝰ cōtingat & magnitudinis, & numeri ibidem satis dictum est.

EPITOME.

Duæ sunt causæ morbi in magnitudine aucta, utilis materiæ copia, & virtus valida: morbi verò in magnitudine imminuta itidem duæ, scilicet illis contrariæ, ac præterea sectio, ulcus, putrefactio, mortificatio ex frigore immodico.

CONTROVERSIÆ aetiologicæ.

DISSOLVTIO EORVM, quæ nono capiti objiciuntur.

QVÆSTIO XXVI.

1. Obiectio.

LEVISSIMVS homo neque infima, quæ ipse excogitavit (nā altiora nunquam) Galeno ignoscere voluit. Primum auctæ magnitudinis tertiam causam addit, copiam scilicet, & abundantiam humoris excrementitij, à quo proveniunt inflammationes, & alij tumores præter naturam, de quibus cum egisset Gal. præterito libro rationi conjunctum erat, ut hic omnis magnitudinis causas perfequeretur. Cap. 9.

Solutio.

Verum illius hominis captum quam maximè excedit artificium Galeni, qui, ut nos citato loco asseruimus, tantum de magnitudine præter naturam aucta, quæ similitudinem habet cum naturali, tractare voluit, cujus consilij causam cumulatè reddidimus, non erat igitur rationi consentaneum, ut in præsentia causas magnitudinis toto genere præter naturam tradidisset. Cap. 9.

2. Obiectio.

Præterea hæsitat rerum ignarus quod in assignandis causis diminutæ magnitudinis prætermiserit multitudinem pravorum alimentorum.

Solutio.

At verò alimenta prava quid subsequitur? Sanè materiæ optimę magna paucitas, quæ vera causa est magnitudinis diminutæ. Remotas ergo causas non curat nolter auctor, cum proximas complecti sapienter statuerit.

3. Obiectio.

Iam facultatum naturalium attractricis, & retentricis debilitatem causam diminutæ magnitudinis constituit, quoniam, quum facultates naturales languent, partes auxilio diminutæ deficiunt. Verūtamē Gal. post

Solutio.

quam auctæ magnitudinis duas causas dedit, imminutā à contrarijs causis etiā tradidit, quæ sunt materiæ optimæ

optimæ paucitas, & facultaris naturalis infirmitas.

Tãdem noſtrũ auctorẽ omiſiſſe ait, 4. Obiectio obſtructionẽ viarum, per quas diſtribuitur alimentũ, etenim impedimentũ hoc diminutionis partiũ cauſa eſt. Solutio. Profectò hic homo, nõ modo litigioſus eſt, verum etiã reter, & immanis hoſtis. Nam, *qui inimicus eſt*, inquit D. Ad Paph. Hieronymus, *etiam in ſyrpo nodũ quærit.* Obſtructiones aditũ prohibent, optimiq. alimenti ad partes trãſitum, rectè igitur ſcribit Gal. cũ paucitatem materiæ optimæ cauſam eſſe diminutæ magnitudinis docuit: hæc enim illius propria, & proxima cauſa eſt, remotiſſimas omnes conſultò prætermiſit, ut diximus.

ARG. CAP. X.

Tradit cauſas morbi, qui contingit in partium compoſitione, ſitus ſcilicet, & connexus: atq. horum, vel ante, vel poſt animalis ortum, & internas, & externas.

CAP. X. Tex. 22.

QVÆ verò in compoſitionis genere ægritudines fiunt, nonnullæ quidẽ à repenti nis ac vehementib. motib. præcedentib. ortũ habent: nonnullæ autẽ ab articulorum immodica humiditate, quæ ligamenta madefacit atq. laxat, totamq. dearticulationem ob lẽtitiã, lubricam reddit. Nonnullis autem ob id, quod cotylarum, id eſt, cavitatum oſſium ſupercilia circunfranguntur, aut quod cotylæ ipſæ ſtatim à principio ſupinæ in continenteſq. ac penitus in ſuperficie factæ fuere, promptius artuum capita ex ſuis ſedib. excidũt. Hæc igitur omnia exarticulationum cauſæ ſunt. In his autẽ ægri- A *tudinib. quæ enterocelæ & epiplocelæ appellãtur, laxari magna ex parte, nonnunquam verò & abrũpi eum meatũ contingit, qui ab peritonæo ad teſticulos pertingit: ſic quoq. deinde ad ipſum meatũ, aut ad tunicã, quam græci erythroeidẽ appellant, aut omentũ, aut aliquod labitur inteſtinum. Moveniur præterea ſuis ſedib. inteſtina, cũ diſſecto peritonæo deciderint. Et pulmonis quoq. fibra ſæpiùs in vulneribus pectoris exit. Et tunicæ uveæ ut plurimum relaxatur, cum corneam nimium erodi contigerit. Vbi etiã viſceris cujuſpiam fibra aliqua nonnunquam ob vehementiores caſus aut cõpreſſiones cõplicetur, hæc quoq. ægritudo ad ſitus ſimul & figuræ evariationẽ pertinebit facta ob illas, quas commemoravimus cauſas. Advicinas autem partes communicatio deprævatur, cum aliqua non oportunè coaluerint, aut cum aliquod appendiculum aut vinculum relaxatur, vel intenditur, vel abrumpitur. Neq. in obſcuro eſt ex quibuſnam occaſionib. horũ ſingula eveniant.*

COMMENTARIVS.

PARTIVM inſtrumentariarum poſtremum morborum genus ad indecẽtem cõpoſitionem pertinet, atq. in ſitu, & connexu præter naturã conſiſtit. Gal. ſitus ſeu poſitus cauſas ordine ſuo percenſet, quæ vel in prima ſtatim conformatione, vel deinde contingunt. In prima quidem formatione læditur alicujus partis ſitus, quando cavitates ſupinæ parum profundæ, & omninò in ſuperficie factæ ſunt: ſi enim tales fuerint ſitus &

cavitates nequeant cõtinere ossa, quę in eas inseruntur, sed proclivius exiliunt à propria sede, plane deinceps contingit luxatio. Causæ verò, quæ situm vitiant post animalis ortum, vel intus, vel foris sunt. Interna causa unica est, immodica scilicet articulorũ humiditas, quæ ligamenta madefacit, & relaxat, totumq. articulum lubricum, ac facilè mobilẽ & ad luxationẽ procliviorem reddit, ut experimur in coxendice. Causæ externæ numero tres sunt. Prima est repentinus ac vehemens motus nativũ partis positum perturbãs. Secunda causa est fractura superciliorum, cujus occasione ossium in artub. capita cavitatib. suis promptè excidunt, ut in coxarũ sinu. Quæ quidem omnia luxationũ causæ sunt. Tertia est laxatio, vel solutio cõtinui ex intensione, ruptione, incisione, erosione, casu vehementi, quorum occasione, cũ omnino laxato vel rupto meatu, qui à peritonæo ad testes pertingit, aliquod ex intestinis tenuibus, vel omentũ delabitur in meatũ, vel tunicam erythroiden, atq. fit, cũ intestinum enterocele (intestinorum ramex, vel hernia dicitur latinis) cum omentum epiplocele (omenti ramex appellatur.) Similiter thorace dissecto & perforato foras procidere solet pulmonis lobus seu fibra, vel à casu vehementi, aut compressione contorta, tuncq. etiam figura læditur, ut etiam hypochondrio dextro dissecto & perforato ab ijsdem causis hepatis lobus seu fibra. Sic quoque ubi erosa est tunica cornea, procidit, atque à proprio situ recedit uvea tunica.

Altera differentia morborum, quę in compositione consistit est morbus in partium connexu, cujus tres causas enumerat Gal. Prima est inceptus earundẽ partiũ coalitus, ut quanto coalescunt ac uniuntur partes, quas distare oportebat, id quod interdum in ipsa formatione, quæ in utero fit, accidere solet, nonnunquã etiã post ortum, ubi exulceratæ partes uniuntur per negligentiam eorum, qui easdem curant. Secunda causa est apendiculi, aut vinculi tensio, vel laxatio. Laxantur autẽ ligamenta, vel à nimia humiditate, ut cũ testium musculi *cremasteres*, laxiores facti elõgãtur, vel ab impetu valido, ut in uteri procidentia, quæ parturientib. nonnunquam accidit ob ingentem conatũ, quo præmũtur in laborioso & difficili partu, præsertim in abortu, ut secundam expellant. Ani etiam procidentia similiter contingit ob magnũ ad egerendum, qualis in tenesmo, conatũ, quo laxantur musculi, & ani ligamentum: tẽdun tur autẽ à nimia siccitate ligamenta. Tertia causa est ligamenti abruptio, quæ propter vehementes motus, aut acres humores contingit.

De musculorum diss. cap. 27.

EPITOME.

Morbi in situ causæ, vel in prima cõformatione, vel deinde accidũt. In prima formatione cum articulorũ cavitates superficiariæ sunt. Quæ post ortum, vel intra, vel extrinsecus. Interna causa unica est humiditas in articulis copiosior. Externæ causæ tres, subitarij, & vehementes motus, labra cavitatis articulorum fracta, luxatio, vel solutio continui, ut in hernia enterocele, ac epiplocele. Similiter cũ excidit pulmonis lobus thorace dissecto, vel hepatis hypochondrio dextro, atq. rhagoides laxatur, erosa ceratoide. Tandẽ cõnexus vitiatur inepta partium coalescentia, appediculo, aut ligamẽto laxato, intenso, rupto.

CONTROVERSIÆ atiologicæ.

EXCVTIVNTVR, QVAE docuit Gal. capite decimo.

QVÆSTIO. XXVII.

DEcimo capite cõfecit, & absolvit numerum Gal. causarũ morborũ cõpositionis organicæ. an verò sũmã sui promissi cõpleverit excutiẽdum est: omnes enim horũ morborum causas artificiosè digessit: ob exempla tamen, quæ tradidit, posset aliquis dubia distrahi cogitatione, propterea nos consilium eius præveniamus.

Primũ loquamur de morbis, quos intestinorũ, & omenti ramices appellant, in quib. dixit G. laxari magna ex parte, nonũ quã verò & abrumpi eum meatũ, qui à peritoneo ad testiculos procedit, atque sic deinde in ipsum meatum, vel in tunicam erythroiden, aut

1. Obiectio.

aut omentũ, aut intestinorũ aliquod descendere. Franciscus Valleriola, quem sequitur Segarra, hujusmodi morbos in scroto cõtingere scribit: alter vero interpres tunicæ erythroi dis meminit, sed historiam ad affectũ non aptat. Quamobrẽ paulò uberiorẽ explicationẽ postulat hoc iste.

Solutio. Lib. 2 inter ms aff. & 2. lib. 2 morbi. oscheon. lib. c. 18. oscheon. Cap. 11. Oscheon.

Dicamus igitur testes quatuor tunicis, seu involucris, tegi, cõmunib. duab. totidẽq. proprijs. Prima cõmunis dicitur ab Hipp. ὄσχε. Celsus Hippocratẽ secutus: *cõmunis*, inquit, *utriq. testiculo, omnibusq. interioribus sinus est, qui jã conspicitur à nobis, ὄσχεον graeci, scrotũ nostri vocant.* Similiter auctor introductorij ὄσχεον, quasi bursam dixit: scrotũ enim vocatur, quod coriacei sacculi similitudinẽ referat: nam veteres appellabant scortea quæcunq. ex aluta, vel pelle constabant. Alterã tunicã cõmunem Rufus δαρτὸν vocat, vel δαρτὸν, quod facilè ab externo scroto & alijs mẽbranis separetur: veruntamẽ cũ è panniculo carnoso ducat originẽ, ego potius mẽbranã carnosam voco. Propriarũ tunicarũ prima & exterior, tũ ἐρυθροειδὴς à Gal. secundo de semine, tum attico more, littera ι mutata in υ, ἐρυθροειδὴς hoc in loco dicitur. Erythroides vocatur à verbo ἐρυθριῶ tubesco seu rubore suffundor, quod rubeat cõsperſa carneis fibris, quæ dũ coeunt musculos testiculorũ *cremasteres* coagmentant. Elythroides appellatur ob vaginæ & involucri similitudinẽ, quoniam Elythron integumentũ, & involucrũ est. Altera testiculorũ propria & interior tunica dura & solida testium substantiã immediatè involvit, quã Rufus ephesius mẽbranã nervosam appellat: Gal. ramẽ lib. de vulvæ dissectione tunicã hanc δαρτὸν vocat. *Fœminæ*, inquit, *testis uterq. propria mẽbrana contegitur, qualis est in marib. quam dartũ, hoc est, excoriabilẽ dicunt.* δαρτὸς enim Gal. excoriacio est: præterea δαρτὸς à verbo δαρθάνω fortasse deducitur, quod cubare significat, quasi testes in ea tunica cubare videantur.

Darton. Dartus. Elythroides. Cap. 5. l. in 2. mutatione. Erythroides. Erythriao. Cap. 9. Darsit. Lib. 3. de Anatom. admin. c. 2.

Iã verò ubi meatus insensiles peritonæi, per quos vasa spermatica ad testes deferũtur, aut laxiores fiũt, aut disrũpuntur, mutatur naturalis situs omenti, aut alicujus intestini, præsertim ilei, cujus frequens est in inũma prolapsus: descẽdunt enim omentũ aut intestinũ, vel in ipsum meatum, & in scrotũ, vel intra propriã tunicã elythroiden, id est, vaginalẽ, loco citato appellatã. Quæ duæ ramicis, vel heruiæ differentiæ, quarũ hìc meminit Gal. ab ipsa parte, quæ excidit, nomina sortitæ sunt. Si labitur intestinum enterocele vocatur, si verò descendit omentum, epiplocele appellatur, præsertim quib. lõgius fuerit: multis enim brevius est.

Lib. de uteri diff. c. 9.

Sed quoniã de musculis testium mentio facta est, tũ in cõmentario, tum in historia dudũ tradita, eosdẽ copiosiùs cõmemoremus, ne aliquid à me prætermissũ aliquis arbitretur.

2. Objectio.

Duo graciles musculi, ait Gal. *in utrũque testẽ perveniunt, quorũ alter à pubis, alter abiliũ osse per mẽbranosum ligamentum tenue exoritur: illinc verò per meatũ, qui ad testẽ devenit, deferuntur: postea dilatati erythroeidẽ mẽbranã complectuntur. Ipsorũ officium est testẽ sursum attollere, unde nõnulli cremasteras, id est, suspensores, ipsos appellãt:* hanc enim ob causã effecti à natura vidẽtur, ut testes suspenderent, ne temerè dilaberentur.

Solutio. Lib. de diff. musc. c. 27.

Tandẽ situs præter naturam postquã formatũ fuerit animal, causas externas referẽs Gal. primũ locum tribuit motui vehemẽti ac repentino, cujus occasione cõtingere potest, ut thorace dissecto pulmonis foras emineat lobus, aut visceris cujuspiã aliquis cõplicetur. Quã affectionem in pulmone fæpe succedere usu quotidiano experimur. In jecore expressam legit Gal. sexto Epidem. quo loco hæc scribit Hipp. *Cui sepis hepatis cõplicatus erat, cũ cõtussi, de repẽte dolor sedatus est.* Lobos in pulmone formavit natura, ne collaberetur, tũ ut levior esset, & et cor undiquaq. amplexaretur. Quoniã verò hi lobi alarum more dilatãtur, explicantur, & colligũtur, per metaphorã alæ dicuntur, fibras vocãt, pinnas, summitates, quę quidẽ thorace dissecto extra solent excedere. Sic brutorum hepar in lobos divisum est, homini soli continuum. Quare quod dixit Gal. scilicet lobũ, vel fibram alicujus visceris cõpliçari posse creditu difficile est.

3. Objectio. par. 3. Lobus.

Profectò Gal. Hippocratẽ venerãdũ à nobis & colendũ putavit: poterat tũ eorũ recordari, quę scripserat

Solutio.

Cap. 9. libello de dissectione vulvę nępe, *veteres ferè omnes rudē quandā non exactā dissectionis cognitionem habuisse.* Quib. adde, quod omnes atque etiam Gal. in brutis animalibus anatomē facerēt nūquam in hominib. Quod si dicas iccoris humani sūmitates aliquando inflecti posse. Respōdeo me nunquam adductum fuisse, ut crederē hepatis humani extremitates ita complicari posse, ut evolui debeant.

ARG. CAP. XI.

Solutionis continui causas explicaturus primū advertit se huius nominis inventorem fuisse. Prætèrea monstrat huic affectui pro varia parte laborante, vel pro vario afflictionis modo, varia fuisse imposita nomina. Demum ad causas illius tum internas, tū externas accedit, quę omnes ad quinque reduci possūnt.

CAP. XI. Tex. 23.

VNIVS vero adhuc generis ægritudinum, quod cōmune omnib. existit partib. sive similares ac omnino simplices sive cōpositæ existant, causæ sunt explicandæ. Ego vero hoc universum genus unitatis solutionē appellare consuevi, aut unitatis corruptionem, aut continuitatis solutionē, vel quomodolibet aliter, prout speraverim sermonem auditorib. fore perspicuū. Neq. enim nomen aliquod ab ijs, qui ante nos fuerūt, impositum accepimus, sicuti non nullas eius species proprijs designavere vocabulis. Fractionem quidem & cariem, cum in osse solvitur cōtinuitas: ulcus autem, aut vulnus, cum in carne hoc fit, appellantes. In osibus autem capitis plures etiam sunt nuncupationes: qualis enim est in reliquis osibus fractio, ruptio vel ruptura vocatur. Quæ verò ab aliquo acuto occursante atq. abscindente fit, incisio atq. dissectio appellatur & sedes. Nomen teredonis apud græcos, quod cariem significat, videtur quodammodo (ut apparet) è, litera superabundare, nam à tremate, id est foramine derivatum esse creditur, veluti tredon quædam, id est foratio existens, quæ videlicet ab acutis humoribus erodētibus fit. Sub aliud autem ab initio quidem cadit ægritudinis genus, & osßis asperitas potiùs quàm caries nuncupatur: maiori autem foramine facto, & quodam velut sinu apparente, caries dicitur. Et collisi quidem ex hoc genere existit, quæ magna ex parte in partib. fit carnulentis, nonnunquam verò & in osßib. capitis, in pueris præsertim: nam in se ipsum cedat oportet quidquid colliditur: hoc autem & molle esse expostulat ac non perfectè durum: quare aut ex carnosis partibus, aut ex tenera osßium natura existit, quæ duri ac validi corporis extrinsecus occursantis violentum sustinet impetum. Cum igitur exterior superficies ejus, quod ita patitur corporis, cōtinuitatem servaverit, multæ verò exiguæ divisiones in profundo constiterint, collisio ac contusio vocatur hoc ægritudinis genus: at, cum cavitas aliqua apparet, quam rei

collisa

coliſæ percuſſor impreſſerit, tunc illiſio dicitur. Neceſſarium eſt igitur omninò, ut ſub ipſo ictu, in ſe ipſum impellatur & cavum fiat id, quod colliditur, alioqui enim non collideretur: ut verò abeunte cauſa cavitatem retineat, non eſt neceſſarium, nam magna ex parte mollia omnia ad naturæ ſuæ locum regrediuntur, ubi percuſſor diſceſſerit. Si verò non ſolum introceſſerit capitis os, verum etiam ruptio aliqua B in ſuperficie exteriore fierit adjuncta, tunc eſt ægritudo compoſita: neq. ei nomen aliquod inditum ab antiquis authorib. habemus: ſed potiùs eſt oratione explicanda, quam nominib. extremè barbaris, quibus pleriq. iuvenes medici uti conſueverunt. Cõtinuitatis verò ſolutio exiſtit & ruptio & † convulſio altera carnoſis partib. altera nervoſis adveniens. Horum verò generationis eſt cauſa repentinus quidã ac inæqualis vehemenſq. motus, actum præcipuè cum neq. perfricata, neq. calefacta, neq. ad æqualitatem ducta, aut molliciem corpora, motibus exponuntur. Divellantur enim in huiuſmodi affectibus plurimæ eorum partes. Atq. ut ſummatim dicam, omnium hujuſce generis ægritudinum cauſæ, nonnulla quidem extrinſecus adveniunt, nonnullæ autem ex ipſo corpore ortum habent. Atque extrinſecæ quidem ſunt ea omnia, quæ vulnerare ac collidere apta ſunt. Ex ipſo autem corpore cauſæ ſunt immodici quidã ac ſine ordine motus animalis, & A nonnulla humorum vitia, quæ corrodẽdi vim habent. Tales quidem ſunt cauſæ ægritudinis omnib. partib, communis, primis ſcilicet, atq. ſimplicibus quæ ſimilares appellantur, atq. ijs, quæ ex illis componuntur, quæ & inſtrumenta, & inſtrumentariæ dicuntur. Compoſitarum verò ægritudinum cauſas non eſt admodum invenire difficile, cum ex his, quas commemoravimus componantur. Quare, ſiquis hoc deſiderio tenetur, poteſt ſibi hanc parare facultatem. Nũc autem eſt tempus, ut huic ſermoni finem faciamus, ac de accidentium differentia deinceps diſſeramus.

† ἐκθεσις.

COMMENTARIVS.

EGIT hactenus tum de cauſis morbi, qui ſimilaribus partibus eſt proprius, tum de illius cauſis, qui diſſimilaribus & inſtrumentarijs accidit, C nunc ad tertium morbi genus progreditur, qui utriſq. partibus eſt cõmunis, & quem unitatis continuitatis-ve ſolutionẽ ipſe primus appellavit. Nihil autem refert ſive ſolutionem ſive corruptelam unitatis vel continuitatis vocemus: nullum enim nomen ab ijs, qui ante Galenum fuerunt, huic morbo à veterib. impoſitum eſt: ſpeciebus tamen illius peculiaria indiderunt. Nam ſi continui ſolutio carni accidit, ulcus aut vulnus D vocatur: ſin autem oſſi, dicitur vel fractura, vel caries. Ad capitis oſſa complura inſtituta ſunt nomina. Nã ῥῆγμα, & ῥῆξις, fiſſio, fiſſura, & ruptura vocatur. Quæ verò continuitatis ſolutio ab acuto aliquo irruente, ac incidente fit, ἔκκοπὴ, & διακοπὴ, & ἔδρα, inciſio, & interciſio, & ſedes nominatur. Nomen autem τερηδὼν cariem latini vocant, ſed litera ρ abundare videtur, unde rectiùs τηρηδὼν, quam τρηδὼν, quaſi perforatio nominatur. Huius autem mali cauſa ſunt humores acres, qui oſſa ipſa erodunt: ubi verò

Rogme. Rexis. Eccope. Diacope. Edra. Teredonos. Tredon. Teridon.

verò primùm oritur hoc malum, asperitas adest: exasperant enim initio prædicti humores ossa, prius quam ea perforent: maiore autem perforatione facta, & quadam veluti caverna apparente, caries appellatur. Huius generis est etiam θλάσμα, ideſt, collisio, quæ in carnosis præcipuè partibus & mollibus ossib. qualia sunt puerorum, accidit. Nam quod collidítur, in seipsum omninò cedit & retrahitur, cum sit molle, proinde, vel carnosa pars erit, vel ossium aliquod molle. Quod si cavitas aliqua in parte, quæ collisa est, à re feriente inducatur, ἔνθλασις, illisio appellatur. Ad solutionem etiam continui pertinet ῥῆγμα, & σπάσμα, id est, ruptio, & divulsio (sic vertendum) hæc in nervis, illa in carne consistens, quæ causam suę generationis habent repentinũ, validum, atq. inæqualem motum.

Thlasma.

Enthlasis.

Rhegma. Spasma.

Agens verò de huiusmodi morbi communis causis Gal. eas partitur in internas & externas, quæ ad quinq. revocari possunt ad ea, quæ vulnerant, frangunt, contundunt, corrumpunt & erodunt. Hæ itaque sunt solutionum continui simplices causæ: compositas autem non est admodum invenire difficile, quum nimirum ex his, quas diximus, constituantur.

EPITOME.

Causæ morborum utrique parti communium, id est, solutionum continui vel internæ sunt, vel externæ. Internæ motus animalis incomposiți, & intentior actionis vehementia. Humores pravi & erodentes, atque plenitudo ad vasa. Externæ erodentia multa, ut ignis medicamẽta acria, & caustica. Tendentia & rumpentia. Frangentia, & contundentia. Incidẽtia, ut acuta & ad secandum habilia. Ex quibus simplicibus cõpositæ causæ facilé componuntur.

CONTROVERSIÆ atiologicæ.

EXAMINANTVR, quæ docuit Gãlenus. Cap. Vndecimo.

QVÆSTIO XXVIII.

1. Obiectio

IN initio huius libri pollicitus est Gal. post causas morborum simplicium tractare de causis compositorum: veruntamen, præterito capite de causis morborum simplicium instrumentorum egit: hoc autem immemor causarum, quæ compositos eorundem morbos pariunt, in causas solutionis continui se transtulit.

Solutio.

At verò, ut idem in fine huius capitis dixit, *compositarum ægritudinum causas invenire non est admodum difficile, cũ ex his*, hoc est, simplicib. *quas commemoravimus, componuntur*. Quæ verba ad ante actum etiam caput præstò sunt.

2. Obiectio

Sed in hoc ultimum caput introducti, ut clarior fiat Galeni contextus, interpretemur aliqua vocabula, quibus veteres designarunt nonnullas species solutionis continui. Primò quæramus quid sit κάταγμα.

Catagma.

κάταγμα, fractio. Est solutio continuitatis in osse & ita ab omnib. græcis proprio nomine appellatur, ut docuit Gal. secundo & sexto methodi, quo loco illius differentias adduxit. Est idem quod ἄγμα, vel ἀγμὸς apud Hippocratem, qui tamen raro ἀγμὸς, sæpe κάταγμα dicit. Hinc factum est, ut permulti librum de fracturis non fuisse inscriptum ab Hipp. περὶ ἀγμῶν, sed περὶ καταγμῶν.

Solutio. Cap. 2. Cap. 1. Agma. Agmos. Catagma. Peri agmõ Peri catag mon.

Præterea quid ἕλκος, & τραῦμα dicendum, tametsi libro de differẽtia morborum de his verba fecerimus.

3. Obiectio

Ἕλκος ulcus, Est solutio continui à rosione proveniens in omnib. præter ossa, partib. Paulò generaliùs nomen ulceris Hipp. usurpavit, cum dixit omnem morbũ ulcus esse, quamlibet continui solutionem eo nomine significans, quum non adhuc fuerant indita nomina, quibus recentiores varias differentias solutæ continuitatis distinxerunt. Τραῦμα vulnus est solutio continuitatis, quæ ab incisione, seu quovis alio sectionis genere facta est, sive directim, sive obliquè, seu punctim soluta unitas in carnosa parte sit, à vulnerando dicta. Quid autem inter ulcus & vulnus intersit loco citato copiosè diximus.

Solutio lib. de cõsil. art. cap. 6. 3. metho. cap. 2. Quæstione 62.

4. Obiectio

Ad hæc utitur Gal. alijs nominib. quæ interpretationem requirunt, oã

quæ

quæ in alijs ossib communiter fractura dicitur, in capitis ossib ῥῆγμα & ῥῆξις vocatur.

Rhogme. *Rhexis.*

Solutio. ῥῆγμα est divisio calvariæ superficiaria, vel profunda quidem, sed eatenus, ut fractum os loco non moveatur, latine dicitur fissio, fissura, & ruptura. ῥῆξις idem est, quod ῥῆγμα ruptum, ruptio, quæ partis carnosæ citra vulnerationem solutio est: omnis ex violento ictu, vel gravi casu, vel alio quopiam valente motu, vel ex distentione excitatur.

Paulus li. 6. Cap. 90. *Rhexis.* *Rhegma.*

5. Obiectio Quę vero continuitatis solutio ab acuto aliquo incidente fit, græcis dicitur ἔκκοπή, πλάκωσις & ἔκκοπε, latinis incisio, intercisio, & sedes nominatur. Paulus loco citato ἔκκοπὴ calvariæ divisionem cum offensi ossis refractione esse scribit, Διάκοπὴ dicitur ab Hipp. vulnus omne, quod alté descendit, impactumq. est: scribit tamen Gal. eo nomine propriè apud medicos significari solutam in osse capitis cõtinuitatem ab aliquo acuto occurrante, atq. abscindente: Verùntamen cur ἕδρην, id est, sedem nominaverint veteres hanc continui solutionis speciem, conijcere nequivit Germanus interpres.

Heccope. *Diacope.* *Hedran.*

Solutio. Hedra. Tex. 9. Verum huius difficultatis dissolutio palàm prompta est. Nã ἕδρη apud Hipp. lib. de vulnerib. capitis est ossis fracturæ species eiusmodi, ut in eo teli vestigium remaneat, atq. appareat, quà telum impactum fuit. Quem quidem affectum à telo acuto fieri necesse est, autore Galeno, secundo de fracturis & hoc loco: latinè sedes appellatur, quia, ut ex verbis Hippocratis colligitur, in cranio remanet veluti concavitas & impressio causæ solutionis & divisionis. Plutarchus in vita Fabij ἕδραν pro alveo fluvij posuit.

Com. 9. *Hedran.*

6. Obiectio Teredon. Nunc quid sit τέρηδὼν explanandũ. Nam libro de differentia morborum interpretatione usi fuimus, quam Galeno displicere diximus.

Solutio. Teredon. τέρηδὼν. Caries. Est solutio continuitatis in osse ab erosione facta. Sed initio malum hoc alterius generis morbi est, & ossis asperitas potiùs quam caries nominatur. Maiori autem facto foramine, & quodam veluti sinu uno vel vario apparente τερηδὼν & caries nominatur, quoniam

Teredon.

A τέρηδὼν vermem significat, qui ligna erodit: namq. & os quasi à vermib. corrosum apparet.

Galeno tamen non placuit hoc capite interpretatio hæc, sed τέρηδὼν quasi τρήδων, projecta litera ρ, ἀπὸ τῆς τρήσεως à tremate, id est, à foramine derivari censet, perinde ac si tredon perforatio quædam sit, cum in eo affectu os pertusum existat.

Observatio Tredon.

Rursus explicemus quid sit πλάσμα, & πλῶσις, quid etiam σύνθλασις quib. vocib. Gal. usus est.

7. Obiectio Enthlasis.

B Thlasma, & thlasis contusio, collisio dicitur propriè soluta continuitas in musculo, cum grave, & durum aliquid deciderit in corpus: id enim carnem abrumpit, & atterit. Quamquam & in osse videtur aliquando evenire, sed in pueris maximè. Oportet enim in sese cogi os, quod colliditur, atq. ita molle evadere, ut omninò durum non sit. Enthlasis etiam numeratur inter fracturæ cranij differentias, quamquam fractura cranij non est, nec fractura quidem simpliciter, sed ossis calvariæ in anteriorem C partem impulsio, cavitatem tãtùm, non etiam unitatis solutionem in calvaria efficiens, ut licet videre in vasis æneis, si foris illidantur.

Solutio. 4. method. Cap. 1. *3. de med. offic. Com. 30.*

8. Obiectio Spasma. Demum σπασμὸς quid sit dicere convenit, quoniam omnes interpretes decepti sunt in illius conversione. Quamquam nostrum Leonicenum titubuisse ac titubasse constat, cum vocem ipsam græcam foras protulerit.

Solutio. σπασμὸς. Divulsio. Est unitatis solutio in nervosa parte citra vulneratio nem: convelluntur enim, quæ in ipsa sunt, fibræ, cum ictu aliquo violentiã patiuntur, aut subitò, & affatim intenduntur. Sed, quod plurimùm differat ab spasmate spasmus, id est, cõvulsio paucis extricemus. Spasma morb. est nempe solutio continui; spasmus verò symptoma & animalis actio læsa musculi, atq. ad suum principium involuntaria contractio. Nã quod musculus, & tendatur, & convellatur ad suum principium, & unà cum eo pars illa corporis, cui inseritur, commune quidem est, & sanis, & convulsis: quod autem hoc invitò accidat, ægris inest, nunquam sanis. Itaq. musculis ad sua ipsorum capi-

D

ta, &

ta, & principia retractis, & parte simul, in quam inseruntur, adducta & attracta motus est naturali similis, sed citra voluntatem, & præter naturam fit, in eo igitur symptoma consistit. Ecce inter hæc duo morbum scilicet & symptoma distinctio: libro autem de differentia morborum *Quæst. 62.* E in controversijs plura locuti sumus, quo loco illius errori, qui semper erat, acerrimè restitimus. Sed cum auctore nostro huic libro de causis morborum finem imponamus, ac libro de symptomatum διαφορᾶς differentia, duce Deo, appropinquemus.

EPITOME.

MORBORVM effectrix causa duplex est, præcedens, vel interna, & evidens, vel externa, quæ extrinsecus advenit.

Causæ internæ & externæ morborum simplicium partium similarium calidorum quinque sunt. Motus, quo promptè accenduntur cor, musculi, articuli. Incorde autem per iram, si in totum corpus calor immodicus spargatur, febrem facit. In musculis & articulis multus & fortis etiam febrē, si lassitudo fuerit magna & diuturna, calorque immodicus in omne corpus sparsus: lassitudinem verò tantum, si calor solvitur, antequam in totum corpus diffundatur. *Putredo* humorum, atq. interdum etiam partium, in quibus humores putrent, ut in phlegmone: sed cum totum corpus ab his calefit febrem quoq. excitant. Putredinis autem causæ tres sunt, transpiratio prohibita. Medicamenta putrefaciētia. Excrementa in corpore genita. *Constipatio* ex densata cute frigore, balneo aquæ aluminosæ, vel alterius huiusmodi prohibet transpirationem vaporum, qui si fuerint fuliginosi cumulati febrem accēdunt. *Vicinia & contactus rei calidi*, ut ignis, aeris ferventis, phlegmonis, vel cæterorum adeo calidorum morborū, F à quibus vicinis partibus distributus calor, ac tandem cordi & toti corpori febrem excitat. *Materia calida*, ut alimētum calidum, vinum, alliū, vel medicamēta calida, quippe quæ omnia febrem excitare possunt, si multa, fortia, diuturna, & corpus propinquum, & accendi aptum.

Earundem partium morborum frigidorum etiam quinq. sunt causæ. *Motus immodicus & otium*, quoniā calor, ut flamma, mediocri motu augetur, immodico dissolvitur, nullo marcescit. *Raritas totius*, vel partis calorem nativum dissipat medicamentis calidis admotis, balneo ex aqua dulci calida, vel medicam vim sortita, sed quæ non densat. Aere tandem ambiente calido ex sole, vel igne. *Constipatio* maxima & densitas totius, vel partis facta ob aerem, vel medicamentum frigida, vel balneum aquæ frigidæ, aut salsæ, aluminosæ, aut similium. *Interceptione* H arteriarum ex nimia sanguinis plenitudine, ut non supersit vacuum spacium, in quod dilatatione externum aerem attrahant. Præterea ob oscula earum obstructa, ut nequeāt transpirare, & vacuari excrementa, quæ si acria & pauca febrem, si multa caloris nativi suffocationem inducunt: si verò halituosa, & parva fuerit constipatio, plenitudinē, exercita,

citatione neglecta: sed corpus calidius exercitatione fecuta. Vicinia & contactus rei frigidæ, vel actu, ut nivis, vel potestate, ut balnei aquæ dulcis intempestivi, vel immodici. *Materia frigida* qualitate, vel quantitate, alimentum scilicet nullum, vel paucum, potus & cibus frigidus, vel multus, & medicamentum frigidum, ut papaver.

Siccorum morborum causæ. *Aer siccus*, & balneum ex aqua siccante. *Motus plurimus* præsertim corpore vacuo. *Alimenta sicca* & pauca. *Magna transpiratio*, aut alia quævis evacuatio. *Medicamenta siccantia* sumpta, vel admota. *Vigilia*, cura & anxietas.

Humidorum causæ sunt. *Aer humidus*, & balneum frequens aquæ dulcis, præsertim mox à cibo. *Motus mediocris* post cibum, & reliqua vita otiosa, molliusque educatio. *Alimenta humida*, & potus plurimus. Medicamenta humectantia. Somnus plurimus, & animi tranquillitas.

Causæ internæ & externæ morborum compositorum partium similarium etiam sunt compositæ. Quæ si solis qualitatibus corpus alteraverint, composita, sed nuda fiet intemperies, ut calida & sicca, calida & humida, frigida & sicca, frigida & humida. At sæpe causæ natura similes corpus immutant, plerunq. tamen contrariæ, ita ut aliquando contingat corpus simul fieri calidum & frigidum, item & siccum & humidum, etiamsi id fieri non posse videatur, quæ inæqualis intemperies dicitur. Si verò corpus à qualitatib. alterati cõtingat, una cum fluxione humorum, composita etiam erit intemperies, sed humorum affluxu comitata. Sunt autem quatuor humores, sanguis calidus & humidus, bilis flava calida & sicca, bilis atra frigida & sicca, quorum aliqui nonnunquam A synceri & puri fluunt, interdum invicem misti, & ob id tumores ab illis geniti variantur: fluunt verò ad partes imbecilliores à fortioribus expulsi, quas qualitate aut quantitate offendunt.

Causæ morborum partium organicarum, & primùm conformationis, figuræ quidem vitiatæ in utero, cum fœtus in eo malè conformatus est obleminis naturalem motum impeditum, vel materiæ quantitatem, vel qualitatem B non idoneam. Ab utero, error obstetricis non rectè fœtum suscipientis, vel nutricis involvendo, deligãdo, lactando, vel in reliqua educatione. chirurgi etiam error membra fracta malè deligantis & conformantis: affectus præterea varij, ut confractio, luxatio, excisio, plenitudo partis, aut totius, elephas, qui quidem affectus primò naturalem figuram vitiant. Tandem nervorum, tendonum, aut musculorum C resolutio, sectio, tensio, quæ per accidens vitiant figuram naturalem. Secundò cavitatis vel meatus causæ sunt, ratitas, coalescentia, constipatio, compressio, resistentia in sese, & obstructio. Vltimò asperitatis & lævitatis, asperitatis quidem parcũ natura lævium in oculis, lingua, faucibus aspera arteria, acrimonia medicamentorum humorum, vaporis, fumi, expirationis per febres, pulvis: sed in gula, ventriculo, & intestinis, eadem propè omnia, & præterea cibi & potus qualitas acris & venena, excrementa etiam in ipsu corpore genita lævitatis parD tium natura asperarũ, humor pinguis, & lentior, ut in ossib. sæpe ob naturam humorum in corpore cõtentorum, vel chirurgi vitium malè ipsa curantis.

Causæ morbi in numero, aucto quidem & specie naturali, ut sexti digiti, utilis materiæ multitudo & vires validæ: specie præter naturam,

ram, ut lumbricorum multitudo & qualitas materiæ præter naturã, atq. vires validæ expellentes. morbi in numero diminuto, refrigeratio, resectio, ustio, putredo.

Morbi in compositione causæ sunt, situs quidem motus subitarij & vehementes, humor in articulis copiosior, supercilia seu labra cavitatis articulorum fracta, & articulorum cavitates superficiariæ. Connexionis præternaturam, luxatio, intentio, ruptio, incisio, erosio, casus vehemens, ex quibus enterocele, epiploocele: intestina excidẽtia, vel contorta peritoneo, pulmonis lobus thorace, vel hepatis lobus hypochondrio dextro dissectis, quo tempore figura quoq. læditur: præterea & uvea tunica immodicè laxata ob corneam erosam: tandem incepta partium coalescentia, appẽdiculo aut ligamento laxato, intenso, rupto.

Solutionis continui causæ internæ sunt, motus incompositi & intentior, actionis vehementia, atq. humores pravi erodentes, plenitudoq. ad vata. Externæ causæ sunt omnia erodentia, ut ignis, medicamenta acria & caustica: tendentia, & rumpentia: frangentia & contũdentia: incidentia, ut acuta, & secantia, ut casus ab alto, grave & durum incidens corpori.

Compositorum autem morborum causas, ex his, quas diximus, compositas facillimè consequemur.

COMMENTARIORVM AD LIBRVM de causis morborum finis.

IOHANNIS

IOH. FRANCISCI ROSSELLI CATHALANI BARCINONENSIS AD

Librum Galeni de differentia Symptomatum Commentarij.

PRAEFATIO.

QVÆ constitutionem, unde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis accidétia: ægrotantibus verò symptomata nuncupantur. Sunt autem tria genera omnium quæ in nostro corpore habentur, seu secundum naturam nos, seu præter naturam habeamus, constitutiones, quæ has præcedunt, causæ, & quæ subsequuntur. De constitutionib. præter naturam, qui morbi existunt, & illorum causis, diximus hactenus. Igitur eorum, quæ præter naturam inesse corpori dicuntur, tertium nunc restat genus, symptomatum nempe, quæ, ut ortu instar germinum, tractatione morbis & morborum causis succedunt, ita morborum ritu suas præcedũt. Hinc priùs de morbis, quam de symptomatis egit Gal. ac de symptomatis priùs, quam de causis illorum. Quoniam morbi symptomatis, & hæc suis causis notiora sunt, saltem cognitione confusa, veluti diximus in superioribus. Cognitio autem confusa distinctam naturâ præit, ut asseruit Aristoteles. Siquidem natura perpetuò progreditur ab imperfecto ad perfectum, quasi ab uno extremo ad alterum per medium: confusa verò cognitio quodammodo medium est inter ignorantiam & distinctam cognitionem. Vnde cum permistè implicentur morbus & symptomata, nos priùs in morbum, quã in symptomata, & in hæc, priùs quam in suas causas promptiùs incurrimus. Porrò symptomatis nomen æquivocum est. Vt enim sunt quædam morborum causæ, quæ sunt affectus, & quædam, quæ secus: ita quædam symptomata sunt affectus, & quædam minùs. Quoniam non omnia symptomata sunt dispositiones corporis, & habentes in eo permanentiam: sed nõnulla, cujusmodi inter causas redundãtia & cacochymia: & inter symptomata color vitiosus, & gracilitas. Symptoma igitur affectibus, & motibus est commune, quorum ratio in eo admodum diversa est. Gal. autem de omnibus symptomatis hoc libro disputat, potissimumque de actionibus, utpotequæ medicis plus negocium facessant.

GALENI DE DIFFERENTIA SYMPTOMATVM LIBER

Thoma Linacro Anglo interprete.

ARG. LIBRI.

POST distinctionem nominum sanitatis, morbi, affectus, passionis, causæ per se, & causæ per accidens, atq. symptomatis, describit generatim symptoma quidquid animali præter naturam accidit: speciatim verò prolatum, quod solum morbum necessariò sequitur. Hujus tres adducit differentias, actiones læsas, affectus corporis, & mutata excrementa: actionum autem differentias duas, animales & naturales: affectuum corporis mutatas qualitates visiles, olfactiles, gustatiles, & tactiles. tandem excrementorum à naturali statu egredientium, vel tota substãtia, vel qualitate, vel quantitate.

ARG. CAP. I.

OMNES affectus nostri corporis præter naturam ternario numero comprehendit. Quid sanitas, quid morbus, quid affectus, quid pathos, quid, & quotuplex causa, quid tandem epigennema & symptoma sit, tum generatim, tum speciatim. Denum quomodo hæc inter se conveniant, & distinguantur, exponit.

CAPVT PRIMVM. TEX. 1.

QVINAM & quot numero morbi in universum sint, tam simplices, quam compositi, generatim, membratimq. dividendi sint causæ, alijs commentarijs prodidimus. Reliquum est de symptomatis differere, quò de affectibus omnib. qui præter naturam sunt, omnis nobis absolvatur disceptatio. Omnis igitur corporis affectus, qui à naturali statu recessit, vel morbus est, vel morbi causa, vel morbi symptoma, quod etiam epigennema quibusdam medicis nominare in usu est: verum non admodum id vocabulũ græcis usurpatum est, sed symptoma, & pathema, et pathos omnia id genus nominare solent. Sanè non idem omninò significatur per jam dicta nomina, sed sicuti ipse distinguam, de omnibus deinceps, quæ propinqua inter se sunt, ad hunc modum differens.

COMMENTARIVS.

Primùm omnium eloquitur quid tractaverit in duob. præcedentibus libris de differentia morborum & causis, atque ut illa cum alijs connectantur, exprimit quid in his, qui subsequuntur libris, differendum sit. Nã omnis corporis affectus, qui à naturali statu jam recessit, aut morbus est, aut morbi causa, aut morbi symptoma. Cum igitur in priorib. libris docuerit quinam, & quot sint omnes morbi, tã simplices quam

quam compositi, per genera & species digesti, & à quib. singuli producãtur causis, reliquũ est, ut de symptomatis differat, hoc est, de illorum differentia, & causis, quò sermo de omnibus præter naturam affectibus perficiatur, & absoluatur. Quã disputationẽ cadẽ aggreditur methodo, qua morborum differentias, nimirũ eorũ resolutione, quæ affectis corporib. succedunt: hac enim via omnes rerũ species, planè inveniũtur. Observat igitur, ut à nominis definitione ordiatur, symptoma ipsum, hoc est, casum, eventũ, sive accidẽs, aliquib. recẽtioribus medicis vocari epigennema, quod est succedens, vel superveniẽs, eo quod symptoma proprié dictũ morbo semper succedere consueverit. Quod nomẽ, nimirũ epigennema, licet naturæ rei mirificè cõveniat, quia tamen antiquioribus græcis non fuit in usu, malunt Gal. veteri, & vulgari consuetudini, quam linguæ proprietati obtẽperare: nominib. enim maximè receptis, ac tritis nos edocebit, & quæ sint in usu optimis auctoribus græcis, à quib. omnia hæc postera & consequentia solent appellari symptomata, & pathemata, & pathe, hoc est, passiones. Quam cõsuetudinẽ imitatus Gal. lib. de diff. morbo, scripsit operationis læsionẽ, tum pathema, tum symptoma nominari. Docet autẽ hoc loco non omninò idem per symptoma, & pathema significari: sed quemadmodũ ipse statim distinguet. Nam traditurus dissimilitudinem, & distinctionem, tum morbi, & symptomatis, tũ morbi, & causæ illius, ne aliquis ea confunderet, cum propinqua, & finitima videantur, nactus occasionem mõstrabit etiam quæ distinctio sit inter symptoma, & pathema, atque alia nomina, quorum faciet mentionem in sequentib. ne rebus tantum curans, & providens, in nominibus deinceps cogatur detineri. Est autem enodatio nominum, quæ similitudinem habent inter se se, ad quamcunq. disputationem maximè necessaria, & ut alio loco dixit Gal. *se distinctioni similium, & dissimilium assiduam operam quantumque impenderimus, nihil vetabit, quominus veteribus meliores, eruditioresq. efficiamur.*

Lib. 9. Epidemiorum cap. 1.

A TEX. II.

ERGO *dictum est morbum esse corporis* *statum quendã præter naturam, à quo sanctio læditur primum. Constat autem, & si cum esse affectum quendam præter naturã dixerimus, à quo actio læditur, idẽ dictum: siquidem omne, quod est, sive id sanũ sit, sive ægrum, sive neutrum, quodammodo afficitur. Ab* [illegible] *verò, id est, affici,* [illegible] *id est, affectus nomen quodammodo est ortum, atq. in hunc usum, non ab antiquis modo philosophis, sed etiã alijs Græcis tractum. Et affectus quidem, tum eorum, qui sani, tũ qui ægri sunt, tum neutro modo se habentium omniũ, est commune: etenim & cantus, & harmoniæ, & orationis, & dictionis affectio quædam esse videtur: morb. autem sanitati contrarium.*

*Constitutionem.

COMMENTARIVS.

Aggreditur ad indicata discrimina, quæ octo numerat, nempe morbi, & affectûs: passionis, & affectus: sanitatis & morbi: actionis, & passionis: morbi & causæ illius: morbi, & symptomatis propriè dicti: symptomatis generaliter acceptis, & passionis: eademque morbi, & symptomatis etiam generaliter accepti. Primum docet, quid inter morbum, & affectum intersit, quos quidem maximè distingui probat hac ratione. Quod est commune, tum sanis, tum ægris, tum neutris, plurimùm ab eo differt, quod dumtaxat convenit corporibus ægris: sed affectus ad omnes sanos, & ægros, & neutros pertinet: morb. verò tantum ad ægros, ergo morb. multũ discrepat ab affectu. Vt assumptionẽ probet, in

Primũ discrimẽ inter morbum & affectum.

medium adducit morbi, & affectus naturam. Morb. quemadmodū scripsit primo hujus operis libro, constitutio est præter naturam, à qua læditur actio, vel affectus præter naturam, à quo actio vitiatur: nihil enim refert, ut ibidem docuit, utrum morbum corporis constitutionem præter naturam, sive affectum præter naturam appelluerimus, quoniam cōstitutio, & affectus, cū definitur morbus pro una, & eadem re usurpatur. Est præterea sanitati contrarius, ex quo etiam aperte constat morbū ad ægros tantum pertinere: affectus est qualitas, qua omne animantis corpus, sive sanum sit, sive ægrum, id aliquo modo afficitur, hoc est, benè, vel malè disponitur. Quæ definitio est ab Aristotele de prompta, ut prę diximus. Hoc probat ex etymologia, hoc est, ex nominis interpretatione. Nam *πάθος*, affectus ab *πάσχειν*, id est, affici derivatum est. Inquę usum hujusmodi nomen receptum est, non solùm ab antiquis philosophis Platone, Aristotele, & Theophrasto, verum etiam à reliquis omnib. medicis græcis. Cum igitur morbus dumtaxat conveniat ægris: affectus verū corporib. omnibus liquet affectus, & morbi maximū esse discrimen. Quinimò & in reb. etiā inanimis affectū esse aiunt: ut hinc etiam pateat à morbo differre: id enim morbo denegamus. Nā cantus, & harmoniæ, & orationis, & dictionis aliquis est affectus. Dicitur cantus obscutior, remitior, dulcior, ejusq. flectiones, & falsæ voculæ molliores, & delicatiores. Idem asserendum est de harmonia, quæ intensio est consensusq. in integros modos sine ulla offensione consonantium. Præterea oratio aspera dicitur ardens, dulcis, gravis, mollis, terribilis. Dictio tandē obscura, subita, popularis. Quib. varijs affectionib. & dispositionibus harmoniam, orationem, & dictionem nonnunquam probè, interdum gravius affici nemini dubium est. Quanquam tunc nomen affectus per similitudinem quandam translatum esse existimandum est. Quamobrem affectus continet, & amplectitur omnē statum naturalem, præter naturam, & neutrum: morbus verò ejus quædam differentia, vel species est, & constitutio præter naturam, à qua vitiantur actiones.

Diathesis.

TEX. III.

DISSIDET autē ab utrisq. (veluti Plato ipse definiēs prodidit) quod græcè pathos, & pathema dicitur, latinè passionē apelles: quidquid enim patitur quis, pathos, sive passio est appellandum. Eòq. arbitror sensuum quoq. alterationes, pathemata sive passiones appellavit: in visu quidem eas, quæ ab albo, nigro, flavo, & cæteris colorib fiunt: in tactu, quæ à calido, frigido, humido, sicco, molli, duro, cæterisq: id genus. Ad eundem modum, & in singulis reliquorum sensuum. Nominat autem is & voluptatem passionē, omnemq. in summa motum, quicunq. ab altero fiat in alterum. Quippe agentis motus actio est: ejus verò, quod ab eo est quoddam modo affectum passio: summaq. ipsum affici, idē quodāmodo quod pati est. Differtq. passio ab affectu, affectione ve, motu. Quippe cessante eo, quod alterabat, alteratio, quæ in passo jam remanet, affectus ejus est: ita scilicet, ut in ipso verti, & mutari, & alterari, & moveri, passio generationē habeat: in eo verò, quod manet, & in subjecto corpore reservatur, affectus constat. Iā ipsū quoq. permanētem affectū Græci passionem nominant, veluti etiā quod jā fecit, nec etiam nū facit, causam. Quanquam neq. hoc ab-

soluto

soluto sermone causa est, nec affectus, qui manet, absoluto sermone passio: sed exactè loquenti, affectus passio est jam facta, non autem, quæ adhuc fit. Quod autem Græci sic nominare consuevere, in libro de medicis nominibus à nobis est monstratum.

COMMENTARIVS.

Secundum differimē inter passionē, & affectum.

DOCET ab affectu & morbo plurimū distare pathos, id est, passionem, quod Platonis auctoritate probat, qui exactè monstravit in Timæo, quid esset pathema. Hoc, ut penitus intelligamus, ex eodē Gal. duo sunt observāda. Primū est, rerū omniū duplex esse genus: alterū est eorum, quæ habent essentiam in generatione, & mutatione, & alteratione, &, ut semel dicam, in motu, veluti sermo: alterum earum, quæ habēt essentiam in ipsius substantiæ constātia, ut reduntantia sanguinis, vitiosus corporis color. Præterea notandum est, motum esse prioris habitus, vel status alienationem: est autē duplex, vel in qualitate, vel in loco. Mutatio, quæ in loco agitur, latio dicitur: quæ in qualitate, alteratio, de qua hoc loco sermonē habet G.

1 Fundamētum.

2 metho. c. 3. & 11. cap. 12.

Alt. Fūdamentum.

Iam pathos, vel pathema vocavit Plato quidquid aliquis perpessus est. Vnde & sensuū alterationes, eas nimirū, quæ in visu à colorib. in auditu à sonis, in odoratu ab odorib. in gustu à saporib. in tactu à calido, frigido, & similib. tū primis, tū secūdis qualitatib. fiunt, pathemata nominantur, juxta illud Aristot. *sentire est quoddam pati.* Vocavit etiam voluptatem pathema, quia, quamvis in voluptate fiat reditus ad naturalem statum: nihilominus tamen aliquo modo tunc patitur tactus. Neque tantum corporis alterationes pathemata vocantur à veteribus, sed etiam, ut sentit Aristoteles, motus animi turbati, quos perturbationes Medici vocāt, à quibus animus quodammodo patitur, & alteratur, ut in ira & timore. In summa pathos, id

2 de anima tex. 51. & 3 tex. 2.

A est, passio, est omnis motus, quicūq. ab agente in passum procedit, quatenus in passum recipitur, quoniam motus ab efficiente actio est: motus verò rei, quæ patitur pathema, vel passio. At quod à passione relinquitur est affectus ab ea maximè distinctus. Sed objiciet aliquis, affici idem est, quod pati, ergo passio, & affectus nihil differunt. Respondet Gal. ipsum affici idē esse quodāmodo, q̄ pati. Nā, quod afficitur, patitur quidē, & quod patitur, afficitur: at passio differt ab affectu motu, hoc est, propria natura, & essentia, quia passio est motus: affectus verò quædam quies, & terminus motus. Quod hoc argumento probat Gal. Quod tādiu est, quādiu operatur agens, & concitatur mot', multū distat ab eo, quod existit, cum agens desiterit agere, & motus habuerit finē: sed passio tandiu est, dū contēdit agens, & fit motus affectus verò nūquā apparet, donec agens cessaverit agere, motusq. conquiescat, ergo inter affectum, & passionem multùm inter est. Probat assumptionē, quoniam passio propriam generationē obtinet in ipsa rei patientis conversione, mutatione, alteratione & motione: hoc est, passio tunc tantum est, cum aliquid convertitur, mutatur, alteratur: affectus autē est id, quod ab alteratione in subjecto manet ac servatur. Sunt autem hæc maximè diversa. Nam, quæ in solo motu consistunt corporum operationes, nec prodesse, nec obesse possunt: ejus autem, quod factum est, aliud naturales actiones molitur, nimirum sanitas, aliud aliquam earum offendit, scilicet morbus, ergo passio res succedens est, & in solo motu, fluxuq. posita: sed affectus res fixa, permanens, & constans. Obsérvat tamen Gal. hic & secundo methodi, ubi eandem innuit differentiam inter passionem, & affectum, *veteres pathematis nomine privatim intellexisse omnem extrinsecum motum*, suo tamē tempore *sumiores per abusum etiam affectus permanētes, qui ex passione jā provenere, nec amplius in motu sunt, passiones appellasse.* Vnde primo de locis patientib. *Vbi ad permanētem*, inquit, *dispositionem (ἕξιν) alteratio pervenerit, sitq. dispositio (διάθεσις) præter naturam*

3. Obiectio.

Solutio.

Cap. 3.

Cap. 3.

naturam, morbus appellatur, quamvis per abusionem inter eandem dispositionem (διάθεσιν) nonnulli passionem (πάθος) vocant. Copus malè convertit affectū. Quamobrem duos culpat Gal. juniorum abusus. Nam, quamvis passio propriè dicatur, quando corpus movetur, & patitur: nihilominus tamen, cum jam perpessum est corpus, ac permanentem sustinet affectionem, passionem quoque ferré juniorib. dicebatur, qui primus est abusus. Occasione hujus reprehēdit alterum, quoniam simili ratione id, quod fecit, nec jam nunc facit, causam nominabant, cum neque permanens affectus simpliciter sit passio, sed cum adjectione facta passio, vel potiùs cessata passio: nec, quod agere desijt, simpliciter causa, sed cum addito causa, quæ agere desijt, vel, quæ factum conservat. Est autem *abusio* (Græcis κατάχρησις) *quæ verbo simili, & propinquo pro certo, & proprio abutitur.* Quod verò recentiores Græci causam, & affectū sic nominare consueverint, à Galeno dictum fuit libro de medicis nominib. qui temporum injuria non potuit ad nos pervenire: ipse tamen in hac disputatione eundem nominum usum semper servabit. Quamobrem priscī motum omnem, etiā, qui naturaliter se habet, dummodo activus non sit, passionem vo carūt. Qua ratione passio cum affectu convenit, quoniam, & in sanis, & in ægris reperitur: sed eo quidem maximè à morbo distat. Verum passio abutriſq. dissidet motu, ut cū quid calefit, motus adest, ac passio, cum calfactum jam est, non est passio, si propriè loquamur, sed affectus: quippe cessavit jam motus, &, quo tendebat, pervenit.

Duplex abusus.

Catachresis. M. T. Cic. ad Her.

Secundo commentario in Hippocratis librum de humorib. legere licet, quæ in hoc textu scripta sunt, quamvis immiscuerit Gal. aliqua in libro secundo methodi exarata, Sed, ne fallaris, attende. Nam licet ille interpres diathesin rectè vertat affectionem (affectum etiam convertere potuisset) tamen pathos, quod est passio, malè convertit affectum, quo sensum Galeni omninò perturbavit.

Observatio Comm. 26.

TEX. IIII.

CVIVS memores, id agamus, ut, (quod à nobis semper est dictum) de nominibus quā primùm inter nos conveniat, ad res autē ipsas properemus, in ijsq. moremur. Verum pleriq. eorum, qui sibi doctrinam vindicant, contrafaciunt: litigando enim de nominibus totam vitam conterunt. Quare ad finem artis attingere nunquam possunt. Quidnam igitur est agendum ei, qui veritatis est studiosus? Nempe res ipsas, quæ inter se natura sunt similes, eoq. minus advertuntur, ostendere: dein nomina ijs imponere, potissimùm quidem si potis est, quæ maximè sint in usu: sin hæc non novit, apta fingere: ante omnia verò singulis reb. singula nomine, ne qua in sermone, vel obscuritas ex homonymia nascatur, indeq. sophismata oriantur, vel res ulla omittatur: illud verò rectene, an non rectè, & propriè, an impropriè nomen sit positum, per longius ocium æstimare, cum res ipsas jam intellexerimus: quippe in harum cognitione successus operis consistit, non in nominib. At nos quidem, sicuti diximus, tum consueta vulgò nomina reb. imimponimus, tum res, quæ inter se sunt vicinæ, distinguimus: cæteris nominare quidem, sicuti libet permittimus, rem aliquam indefinitam relinquere non permittimus.

COM-

COMMENTARIVS.

Quoniam libri de nominib. græcis meminit, occasionem sibi oblatã esse putavit ad repetendam ex eo regulam, qua ea, quæ dicta, & dicenda sunt, metiri possimus. Etenim licet Gal. nimis curiosus non sit in nominib. exquirendis, nihilq. præter suũ negocium agat, quod est, omnes differentias rerum, quas tractat, inuestigare diligentiùs: nihilominus tamen rerum similitudine obrutus, & oppressus, cogitur aliquando in initio disputationum varias nominum exceptiones perscrutari. Porrò iuxta Hipocratis, & Platonis decreta, *tres sunt rerum considerationes potestate unum, & idem*, quæ initio cuiuscunq. disputationis maximé conducunt: de proprijs, inquam, & communib. speculari: tum discernere similia ne, an dissimilia sint, quæ comparantur: tertia quid idem, & quid diversum sit in rebus considerare: solent quippe græci interdum similia appellare, quæ aliquid in se habuerint, quod sit idem. Hinc librum hunc de differentia symptomatum Gal. certa quadam regula præmunivit, à qua aberrantes in permagnam verborum captionem, erroremq. decidemus: principium enim est dimidium, &, ut Plato dicebat, totius operis maximum. Quidnam igitur est agendũ ei (Gal. ait) qui veritatis fuerit studiosus? Sanè de nominib. verbisq. minimé necessarijs temerè non altercandum, more quorundam, qui totam vitam de nominibus litigando conterunt, atq. adeo in hoc tantum studium incumbentes, nunquam ad artis finem perveniunt. Potiùs igitur curandum est, ut res ipsas cognoscamus. Nam, cũ ideo sint imposita nomina, ut nobis rerũ varias significationes explicent, in rebus ipsis versari, atq. immorari oportet, non in scrupulosa nominum inquisitione: siquid em, ut alibi scribit, *de nominibus pugnandum, & multùm elaborandum non est, sed eatenus illis studendum, quatenus ex illis iuvare possimus ad apertiorem significationem eorum, quæ narramus.* Quare, qui veritatis flagrant studio, in initio disputationis, duo præcipuè præstare debent. Primùm res natura inter

9. de placitis cap. 5.

3. de diffe. pul. cap. 1. & 2. prog. 39.

A se similes secernere, ac demonstratione distinguere, ut quæ sit cuiusq. natura seorsim intelligatur, quemadmodum præstitit Gal. primo libro de simplicium medicamentorum facultatib. qui dilucidè distinxit, quod est per accidens ab eo, quod est per se: deinde perspecta rerum singularum natura, nomina illis imponere. Nam res proprio nomine designare ad tria potissimùm confert. Ad evitandam obscuritatem, quæ in sermone nascitur ex homonymia, ut is au-

B tor aliquando observavit. Ad effugienda *sophismata*, hoc est, fallaces conclusiunculas. Et ad res omnes singulatim memorandas. Nomina verò imponenda sunt maximè usitata, & consueta, si ita fieri potest. Nam consuetudo, & usus multam reb. adferunt perspicuitatem. Quod si usitatis destituantur, poterunt fingere propria, imitatione Galeni, qui primus omnium solutæ unitatis nomen introduxit. Considerare autem num rectè, an perperam, sive propriè, vel impropriè nomen positum sit, dein-

C de multo ocio considerandum erit, ubi scilicet prius res ipsas discerimus. Nam rerum notitia comparata, difficile non erit, de nominibus iudicium facere, ac deliberare. Hæc Galeni regula est, iuxta quam, res ipsas, quę natura longè disiunctę sunt, aliàs tamẽ maximam similitudinem interse habẽt, studiosissimè separat, mox singulis absq. inutili altercatione nomina imponit patria & consueta, vel commodè ficta, si non suppetunt: cæteris ad arbitrium nomina usurpare permittit, rem tamen aliquam non exploratam, vel inexplanatam relinquere rectissimè vetat.

1. de difficul. resp. Cap. 3. 1. metho. Cap. 5.

Lib. de dif. morbo q. 59.

TEX. V.

D *IN his namq. ipsis, quæ proposita nunc sunt, quoniam id, quod in ipsa corporis cõversione, & mutatione, & qualicunq. alteratione consistit, diversum est ab eo, quod iam factum est, & subsistit: eius autem, quod factum est, aliud naturalem*

turalem actionem efficit, aliud eã ladit. Quod in ipso (ut sic loquar) fieri essentiam habet, actionem passionemve nominavimus. Quod in permanentia ad aliquod tempus, sanitatem, morbumve. Passionem verò ab actione discrevimus, tanquam quod fit ab eo, quod facit: sicuti morbum à sanitate, veluti id, quod præter naturã est, ab eo, quod secundum naturam. Rursus igitur integris horum orationibus positis, deinceps quæ reliqua sunt persequamur. Sanitas est secundum naturã affectio functionis effectrix. Nec interest, sicuti diximus, an affectũ statumve, qui actionem efficiat, dicas, an actionis causam. Simili modo nec si illud secundum naturam auferes quidquam refert: ad significatur enim in reliqua oratione. Ita sanè & morbus status corporis est extra naturã vitiatæ actionis causa. Vel brevius ad hunc modum. Morb. est affectus præter naturam, qui actionem impedit. Passio motus in materia, qui fit ab agente: ipse verò agentis motus actio.

E F G

COMMENTARIVS.

Præcepta, quæ dudum tradidit, in ijs exercet, de quib. præsens sermo est. Nam, cum alteratio, quæ fit, dum corpus convertitur, & mutatur, & quomodolibet alteratur, tota diversa sit à qualitate introducta facta jam & permanenti, ex qua quidem non alterari, sed jam alteratum esse corpus dicitur (quæ rerum est facilis & expedita distinctio) ideo quod in ipso fieri essentiam habet, actionem, aut passionem appellavit, quod verò permanet per aliquod tempus, quantumvis minimum (quod naturę permanentiã aperte includit) vocavit affectum, sanitatem, vel morbum, quæ nominum designatio est. Nunc verò quid sit inter res ipsas discrimi nis inquirit.

H

Differunt sanitas & morb. quoniã sanitas est secundum naturam, naturalemq. perficit actionem: morbus præter naturam, & actionem offendit. Quibus non contentus integras definitiones adduxit, quo magis pateat distinctio & dissimilitudo. Sanitas est affectus, vel affectio secundum naturam actionis effectrix. Nihil verò refert (ut dictum esse ait, nimirũ libro de differentia morborum) sive constitutionem, sive affectum, sive actionis effectricem dicamus, sive actionis causam. Similiter nihil interest etiamsi omittamus, secundum naturam: intelligitur enim in reliquo sermone: necessariò namq. constitutio, vel affectus actionem faciens, vel actionis causa, secundum naturam est. Sic quoque morb. constitutio est corporis præter naturam, quæ actionem impedit. Quod si tantum definiatur constitutio lædens actionem, jam præter naturam quoq. sit oportet. Adduntur igitur illa secundum, & præter naturam, explicatè & distinctè, non sanè ob aliud, nisi ut clarior prodeat sanitatis, & morbi definitio, tollanturq. nonnullæ sophistarum argutiæ. Quo posito discrimine ad actionem, & passionem sermonem trasfert.

Tertiũ discrimẽ inter sanitatem & morbũ.

Porrò quocunq. modo fiat motus semper dicitur dupliciter, nimirum actio & passio. Collegit autem passionem ab actione distingui, eo quod agens à passo disjunctum, & distinctum est. actionis enim ratio alia est à ratione passionis (rationem formalem vocant) ut agens aliud ab eo, quod patitur. Quod non ita intelligendum est, ut motus sit revera duplex, quoniam actio, & passio sola ratione distinguntur. Nam, ut motus procedit ab agente, dicitur motus activus, qui à se ipso editur, nimirũ ab eo, qui agit, vocatur etiam ἐνέργεια, hoc est, actio, ut volatio, incessus: ut verò in patiẽs suscipitur motus passivus, qui abalio quopiam excitatur, & pathema, id est, passio dicitur.

Quartum discrimẽ inter actionẽ, & passionem.

tor. Quamobrē passionē definit Gagēris motum in materiam, hoc est, in eo, quod patitur: actionem verò motum, ut ab efficiente procedit.

TEX. VI.

QVOD autem ex sua natura ei, quod fit partem aliquam generationis confert, causa ipsius dicitur. Porrò huius multa sunt genera, nam & materia, & utilitas, & scopus, & instrumentum, & unde motus initium: singula enim horum, ei, quod fit, perfectionis aliquid conferunt. Quæ verò nihil conferunt, sed tamen ab ijs, quæ conferunt se jungi non possunt, hæc eius, quod sine quo non, rationē obtinent. Sanè hæc, cum ita se habeāt, fieri subinde potest, ut causarum, quæ se deinceps excipiant, series quædam existat, non aliter quam si calculis aliquod deinceps positis, primum eorum moveat quis, ac primus secūdum, & ille tertium, atq. ita deinceps unusquisque eum, qui sibi succedat. In talibus autem omnibus nisi quis id, quod per se facit, ab eo, quod ex accidenti facere dicitur, distinguat, plurimi absurdissimiq. errores in disputatione contingent. Significat autem per se, idē quod primùm, tametsi Atticizantium quidam non ita periculā usurpent: ex accidenti verò, idem quod secundo loco. Igitur qui primo calculo digitum admovet, primum quidem hunc movet: ex accidenti verò, ac secundo loco eum, qui illi succedit, atq. ad eum iam modum reliquos omnes. Pari modo primus

A *quoque secundum quidem movet per se, ex accidenti verò tertium, & qui reliqui ab hoc habentur. Iā secundus ipse pro eadem ratione, primò sive per se movet tertium, secūdo loco quartum & quintum, & si qui sunt deinceps. Quod si diligentiùs adhuc distinguere libet (quippe ad exquisitiorem rei notitiam sic præstat) quisq. calculus eū,*
B *qui sibi deinceps habetur, primum movet, secundò eum, qui post hūc, & tertio adhuc eum, qui post illū, & quartò eum, qui huic est deinceps.*

COMMENTARIVS.

LIBRO de differentia morborum aggressus est discrimē positum inter morbum, & suam causam, quod sanè multas habebat oportunitates, sed dedita opera instituta non absolvit: hoc verò capite distinctionib. dicato voluit exitu præclaro rem concludere. Ad quod exequendum duo præmittit fundamenta, quorum est primum, quid & quotuplex causa sit, alterum est, causarum aliquas agere per se, & primò, aliquas verò ex accidenti, & secundò. *Causa*, inquit, *est id, quod suapte natura confert ei, quod fit, aliquam sua generationis partem. Confert*, dixit vel inducit, non quod conferre, vel inducere potest, aut quod contulit, vel induxit: quod de causa propriè dicta, quæ talis est, dum agit, intelligēdum est. Nam cum promiscuè & communiter loquimur de causis, utrumq. vocamus causam, & quod potest agere, & quod egit. Sic libro de artis constitutione. *Sed causa, hoc in primis nomine appellantur, quum agūt, quamvis ita nonnunquam dicantur, etsi non agant, quod vim habeant agendi, exēpli gratia, inter morborum causas, eruditas censetur, quam nullum adhuc morbum invexit.* Libro verò de differētia morborum, ubi sermo erat de humorib. quietis meatib. inhærentib. qui agere

Cap. 8.

Duo fundamenta.

Primum fundamenta.

Cap. 15.

Cap. 7.

re desierunt: *ipsa*, inquit Gal. *obstructio morb. est: succi autem morbi causa.* Hinc supra dixit medicos abuti nomine causæ, ad id, quod egit, nec etiã num agit significandum, veluti nomine passionis ad declarandum affectum permanentem, quanquam nec illud simpliciter causa, neque passio simpliciter permanens affectus sit. Deinde addit causam ex sua natura partem generationis inducere, ut excluderet causas, quæ fortuitò incidunt, quarum neq. certus est numerus, neq. aliqua methodus, vel scientia. Causarum plurà sunt genera, scilicet materia, utilitas, scopus, instrumentum, & efficiens, unde principiũ motus: quælibet enim harũ ei, quod fit, tribuit aliquid suę generationis & perfectionis. Aliud etiam causæ genus cõcurrit: ad quemcunq. producendũ effectum, quod tamẽ nihil in generatione confert, verum ab ijs causis, quę conferunt, separari non potest, propterea causa, sine qua non appellata est, ut in hominis ortu, locus & tẽpus: in ulceris cavi, & foetidi curatione puritas & cavitatis impletio: nequit enim curari vlcus, nisi prius ab excrementis fuerit mundum, & cavitas impleatur. Sed hæc omnia, quæ de causis erant dicenda, in controversijs antecedentis libri sunt præmonstrata. *Quæst. 2.*

Alt. Fundamentum Præterea, ut explicet, quæ causa per se agat, & quæ per accidens, docet fieri posse ordinem, seriemque causarum efficientium (de his enim potissimùm verba facit) quæ se se frequenter suscipiunt, & consequuntur, atque ad unius tandem effectus productionem conveniunt. Veluti si pluribus calculis inter se ordine positis, aliquis moveat primum, primus secundum, secundus tertium, atque ita deinceps quilibet illorum moveat calculum, qui sibi succedit. In his reperiuntur causę, quę per se agunt, & quę per accidẽs: nisi enim quis huiusmodi causas dilucidè distinguat, versabitur in summo errore, & in maxima rerum ignoratione. Porrò significat per se idem, quod primò, vel nullius interventu: ex accidenti verò idẽ, quod secundò, vel alterius interiectione. Igitur, qui primum calculum movet, illum quidem movet per se: ex accidenti autẽ reliquos omnes: at primus per se movet secundum: ex accidenti vero eos, qui succedunt, & sic de singulis: siquidẽ severè distinguamus omnia, quilibet calculus movet per se, & primo calculum sibi proximum: per accidens autem, & secundo eos omnes, quicunque propinquũ sequuntur. Huius ordinis causarum, quę per se invicem crebrò exipiũt, perspicuum exemplum est apud Gal. libro undecimo medendi methodi, *Cap. 10.* nempe ubi multitudo humoris crassi, & glutinosi per se, & primò venam aliquam obstruit. Obstructio sine alicuius interventione parit prohibitã ventillationem, hæc putredinẽ quoque proximè, à qua sine ullo interiectu fit febris, quæ per se, & primò naturales actiones lædit. Sic distingui existimavit Gal. quæ per se, ac per accidens dicuntur agere, ut etiã multis exemplis illustravit in alijs operibus, quæ longũ esset recensere. *3. de temper. cap. 5. 1 simp. cap. 2. 3. & 4. 2. simp. ca. 9. & 12. 10. meth. cap. 10. 1 post. c. 4.*

Illud tamen alicui potest in dubiũ venire, quid sit, quam obrem, per se, cum, primò, æquari putaverit. Nam Aristoteli, per se, duplex est, per se, quod sit par ei, quod primo, qua ratione, homo per se est animal: & per se, quod licet non dicatur primò, tamen per accidens non est, sed per aliud, ut cum Petrum per se animal esse dicimus, non primò, sed per hominem interiectum. Verum hæc nimium arguta sedulitas in attributionibus essentialibus dictis potius laudanda videtur, quam in causarum efficientiũ actionibus. Atque hoc est, quod hic animadvertit Gal. scilicet nonnullos Atticos vocabulũ, per se, nõ ita usurpasse, per quos Aristoteles intellexit. Verùmtamen cum perspexillet sermonem simpliciorẽ esse utiliorem medicis, qui de Atticismo non magnopere laborant, non minibus aliquando usus est, quæ ipsi intelligant (ut hoc loco) etiamsi aliquibus veterib. græcis non sint consuetæ, quod secundo de alienorum facultatibus observavit. *Cap. 11.*

TEX. VII.

HIS ita se habentibus ac desinitu, quoniam morb. affectus quidam

quidam est præter naturam, qui actioni incommodet: morbum autē ipsum præcedere potest affectus alter, qui etiam præter naturam sit, non tamen secundum suam ipsius finitionem, actionē labefactet, sed morbi inventu: talem affectum non morbum, sed causam, quæ morbum præcedat appellavimus. Quo in loco diligenter animum ad eos advertamus oportet, qui illum quoque affectum lædendæ actionis causam dicunt: non enim per se, aut primùm, sed ex accidenti, & secundò impediri offendiq; per eum actionem dicemus: à morbo verò ipso primùm & secundum ipsius substantiæ rationem. Itaq; cum dicitur, morbus est corporis affectus, qui actionem impediat, ijs, qui statim subaudiunt, quòd primùm, & ex se ipso id facit, sufficiens est definitio. Si qui verò, vel minus dexteré, vel contentiosiùs inaudiunt, ijs adjiciendum in oratione est, primùm, quò talis sit definitio, Morb. est affectus corporis actionem aliquam impediens primum. Quot quot igitur affectus hunc præceaūt, ij morbi non sunt. Quod si illi alij cum his affectus incidunt, qui ipsos veluti umbræ sequantur, nec hos morbos vocabimus, sed symptomata. Ita non statim quidquid est in corpore præter naturam, morbum vocabimus: sed id, quod primùm actionem vitiat, morbum: quod hunc præcedit, morbi causam, non dum autem morbum. Quod si quis alius affectus in corpore morbum sequitur, is symptoma dumtaxat dicetur. Quin etiam actionis ipsius læsio, symptoma animalis est: quid quid namq. animali præter naturā accidit symptoma est. Ac nominū quidem usus apud græcos ita se habet. Quæ tamen mutare, dummodo res ipsæ (sicut prædictum est) maneant immotæ, ei, qui volet licebit: verbi gratia si cui non placet symptoma vocasse, sed epigennema, quasi superveniens, vel supergenitū: symptoma enim esse, quidquid præter naturā animali accidit: epigennema verò non omne, sed quod solos morbos necessariò sequitur. Verum nos (sicuti diximus) omnem alterationem, quæ adhuc fiat, passionem: omnia verò, quæ in corpore præter naturam subsistunt, nominavimus symptomata.

COMMENTARIVS.

QVIBVS jactis fundamentis, ad propositum redit, ac docet, quid inter morbum, & suam causam intersit. Primùm tamen Hippocratica doctrina instructus, communia discernit à proprijs, quoniam tria sunt, ipsi causæ cum morbo conjuncta, & communia. Imprimis morb. & illius plures causæ affectus sunt; plures dixi, quia permultæ nō sunt affectus, quandoquidem non sunt qualitates permanentes, veluti motus, qui tum calidi, tum frigidi morbi causa est: atq nonnullæ substantiæ scilicet cauę aucti numeri, vel meatus occlusi. Secundò conveniunt, quod uterque tum morb. tum causa præter naturam sint: morbus enim longiùs recedit à naturali constitutione: causa verò ab eorum statu, quæ sanitatem tuentur, ac fovent. Tertiò & ultimò quodammodo consentiūt, quoniam & morbus, & morbi causa lædunt actionem. Differentia illorum per magna

Quintum discrimē inter morbū & suā causam.

Lib. 9. de Placitis c. 5.

magna est. Nam morb. actionem im E pedit per se, & primò, quod est proximè (immediatè quis diceret) causa verò actionem impedit, non per se, vel primò, sed exaccidenti, & secundariò, nempe interposito morbo, quod est remotè (mediatè nostri dicunt.) Qui morbum cum sua causa confunderunt, utrumq. actionis læsæ causam indiscriminatim constituebant: Gal. tamen suadet, ut diligenter animum ad eos advertamus: neque F enim suapte ratione causa lædit actionem: sed morbus primò & secundum sui ipsius substantiæ rationem. Quando quidem sanitas & partium naturalis constitutio suapte natura est actionis causa, hinc morb. sanitati contrarius erit sui ratione causa vitiatæ actionis. Iam sanitatis causæ interjecta sanitate opem ferùt actionibus igitur causę morbi, & actioni læsæ morbus erit interjectus. Quamobrem hæc definitio, morb. est corporis affectus, qui actionē impedit, G vehementer placet illis, qui mente quieta consistentes, statim subaudiunt per se, & primò, quoniam morbus ex se appositus, & propinquus est lęsis actionibus: at causa morbum antecedit. Qui verò rudiùs, & contentiosiùs inaudiunt, his addendum est primò, ut sit hujusmodi definitio.

Mor. quid. *Morbus est corporis affectus præter naturam actionem aliquam impedicus primò.*

Hæc est morbi perfecta definitio, & omnibus suis partibus expleta. Affectus ergo, quicunq. morbum prægrediuntur, eoq. intermedio lędunt actionem, morbi non sunt: sed morborum causæ.

H Porrò cum morbi, & præcedentium causarum illius, disjunctionem attento animo Gal. intueretur, vix ab eo potuit morbum subsequentia semovere: unde in morbi, & symptomatum discrimen oculos convertit. Ut autem hæc, & ea, quę deinceps de symptomatis tradenda sunt, penitus intelligamus, primùm observanda est duplex symptomatis significatio, quam ex præsenti, & subsequenti contextibus atq. ex capite sequenti facillimè licet colligere. Symptoma nonnunquam usurpatur cōmuniter, universè, ac generatim: aliquando verò nominatim, & speciatim, hoc est strictè magis, & proprié. Symptoma generaliter dictum est quidquid præter naturam corpori animantis accidit, qua ratione, tum morb. tum causa interna morbi, tū etiam symptoma propriè dictum latè patenti, & generali symptomati subjiciūtur. Symptoma sumptum speciatim est, quod morbum consequitur, ut actio lęsa, color vitiatus, & immoderatio excrementorum, quæ excernuntur, & retinentur. Huius symptomatis propriè sumpti, & morbi discrimen adducit hoc loco noster Galenus. Quæ verò sint morbo cum hoc symptomate conjuncta, & communia diffusius hic non observavit, eo quod maximè pateant: nos tamen ad maiorem explicationem, quę defecerint, aliunde assumemus.

Sextū discrimē inter morbū & symptoma propriè dictum.

Symptoma dupliciter.

Ergo morb. & symptoma proprié dictū tripliciter conveniunt. Primo, quod morbus & aliquod symptoma ex proprié dictis sint affectus. Hoc Gal. significavit, cum dixit. *Quod si illi alij cum his affectus incidūt.* Ac etiā, cum scripsit. *Quod si quis alius affectus in corpore morbum sequatur.* Idem secundo methodi, ut nos statim dicemus declaravit apertiùs. *Cap. 3.*

Præterea conveniunt, quoniam tum morb. tum hoc symptoma speciatim dictum præter naturam sunt, quod non indiget probatione, quia morb. & hoc symptoma sub symptomate generaliter dicto subjciuntur, quod definitur quidquid præter naturam contingit.

Postremò conveniunt, quod utraque comitantia sint, & insequantur, morb. quidem suam causam, symptoma verò morbum. Declaravit hoc Gal. libro med. metho. primo, cum *Cap. 8.* scribit, causam eandem habere rationem ad morbum, quam habet morb. ad actionem lęsam: quemadmodum enim morbi causa morbum promovet, ac tuetur, sic morb. ipse, qui causa symptomatum est, illa producit, & conservat.

Discrimen similiter triplex est. Primum, quoniam morb. omnis lędit actionem: ideo enim causa dicitur actionis læsæ: nullum autem symptoma lędit actionem, quamtumvis ex illis aliquod sit affectus & permanentiam habeat, ut docuit Gal. primo *Cap. 1. &* methodi

methodi & primo de sanitate tuenda.

Cap. 5. Secundò plurimũ differunt, quandoquidẽ morb. ut efficiens causa, semper anteit: symptomata verò tanquã germina morbos perpetuò subsequuntur, veluti umbræ ipsa corpora. Quemadmodũ enim umbra nusquã apparet sine corpore, ita hæc symptomata nunquã reperiuntur sine morbo.

Tandẽ differũt, quòd hæc symptomata necessario morbũ tãquã causam sequuntur: sed quod morb. sequatur causam, unde ortus fuerit, contingens est.

Cap. 8. Nã, ut primo methodi legitur, morb. cũ actione læsa unà cõsistit, nec potest usquam esse actio prẽter naturam sine morbo: causę autẽ morbi possunt quidẽ non etiam esse: possunt autem & ad huc nunc manere.

Iã verò cũ meminerit affectuum, qui morbum sequũtur, nequis dubitaret, quid de actione læsa sit sentiẽdũ, an sci licet in affectib. numerãda fuerit, accurrit ac præsto est *Quin etiam*, inquit, *actionis ipsius læsio symptoma est animantis.* Ac si dixisset, quod deinceps addidit

Cap. 3. secundo medẽdi methodi. *Diversa ab his sunt* (affectus intelligit) *actio læsa, & quæ immodicè excernuntur à corpore, aut retinẽtur, omnia scilicet cõmuni nomine appellata symptomata. cæterũ non uni generi synonyma subjecta. Quippe affectus quidam corporis est vitiosus color. Quod excernitur autẽ, aut retinetur affectus non est, sed affectum sequitur. Similiter actio læsa affectus non est particulæ autem, unde aditur, necessariò comitetur affectum.*

Quare actio læsa affectus nõ est, sed tantũ symptoma, propriè sumpto nomine symptomatis, cũ prẽter naturã animali accidat, quæ symptomatis generaliter accepti, exisset deffinitio: ac prætereà cũ morbũ consequatur, quæ symptomatis propriè sumpti natura est, ut nominũ, de quib. disputaturus erat Gal. legitimus usus, qui apud græcos sic se habet, planissimè ostẽdit. Licentiã tamen & libertatẽ largitur mutãdi nomẽclationes, & appellationes ei, cui nominũ is usꝰ parũ placebit: rea tamẽ lege, ut nulla res omittatur, sicuti prædictum est. Vnde si alicui non placuerit vocare symptoma id, quod morbũ sequitur (symptoma propriè dictũ intelligit) ei licitum erit vocare epigẽnema, id est, succedẽs, supervenies, vel supergenitum, cujus deffinitio est, *quod solos morbos necessariò sequitur*; symptoma verò generatim dictum describere, quidquid animanti prẽter naturam accidit.

Vbi diligẽter observare licet Galenũ de industria in epigẽnematis nomẽ iterum incidisse, quod despexerat initio capitis. Quoniã epigẽnema, vel epigenema id, quod morbũ subsequitur, magis exprimit. Nam symptoma interpretatur casus, vel concasus: epigẽnema vero succedens est, & quasi germen agnatum. Ex quib. colligamus symptoma, & epigẽnema candẽ rem significare, sed epigẽnema rem significatã magis effingere, & exprimere: symptoma tamen esse veterum literis usitatius.

Observatio

Sed cum judicasset Gal. datam hanc licentiã usurpandi ut lubebit hæc nomina, immoderatam fore, tanquam legis lator impunitatem voluit tẽperare, ac in his, quæ sequuntur, quasi edicto, suã sententiam aperire, ut nos manum demus, & ab eo vinci patiamur. Ergo profitetur se omnem alterationem, quæ adhuc fit passionem quidẽ: quæcunq. vero prẽter naturam sunt in corpore, symptomata nominasse, generali quidem significatione.

TEX. VIII.

ACCIDET Q. aliquoties eandẽ rẽ & passionẽ, & symptoma nominari, quod scilicet utriusq. significatũ (quanquã secundũ aliã, atq. aliam rationẽ) illi insit. Verbi gratia, ipsum tremere pati est, propterea quod tũ alterari, tum moveri particulam aliter, quã pro suæ, & naturalis actionis ratione cõtingit. Prætereà tremor passio, propterea quod talis motus alteratio est. Idem etiam tremor symptoma est, propterea quod motus est prẽter naturam. Quod si alteratio solùm esset qualis in videndo, audiendo, odorando, gustando, tangendoq. intelligitur, passio tantum nominaretur, non etiam symptoma: symptomatis

matis enim id proprium est, ut sit E
præter naturam. Quo fit, ut in formis omnib quæ à naturali statu immutantur, consistat: siquidem in figuris naturalib. & coloribus, & magnitudinib. & actionib & passionib. ubi corrumpuntur, existit. Estq. hæc ejus maximè propria finitio, mutatio à naturali statu. Quid igitur? Nũ & morb. mutatio naturalis est status? An non absolutè mutatio, sed mutatio quæ F
dã: symptoma verò absolutè mutatio? Quippe naturali inaffectib. statu mutato, actionemq. lædente, morb. existit: duoq. hæc, quo morb. sit, omninò exiguntur, ut in genere sit affectus, & functionem lædat: quorũ neutrũ symptomati necessario adest. Quippe quod, licet neque affectus sit, neq. actionẽ aliquã lædat: tamen eo solo, quod præter natura sit, abunde definietur. Atq à morbo quidẽ ea ratione differt. A passione verò, quod hæc omninò sit in motu, interim verò & secundũ naturã: symptoma nõ solũ in motu, sed etiã in habitu quodã & permanẽtia, omninò autẽ præter naturã. Erit igitur passio alteratio, motusve circa materiã, adhuc (ut sic loquar) fiens affectus verò post manẽs: symptoma omne, quod animali præter naturam incidit. Qua ratione morb. quoq. sub generali symptomatis appellatione veniet: est enim is quoq. ad quendã modum symptoma. Quin etiã præcedentes morborũ in corpore animalis causæ sub generali symptomatis notione cadunt.

COMMENTARIVS.

Docuerat in introitu capitis, non idẽ omninò significari per symptoma & pathema, hoc autẽ loco, ne quidquã relinquatur minùs explicatũ, exponit quid inter hæc duo inter sit. Loquitur autẽ in hoc contextu Gal. de symptomate generaliter accepto, de quo dixi dudum. Conveniunt ergo pathos vel pathema, & symptoma, quod una eadẽq. res potest esse simul symptoma, & pathema, quãvis alia, atq. alia ratione. Quod exẽplo tremoris confirmat. Tremor est cõpositus quispiã motus præter naturã, quo mẽbrum cõtrarijs vicissim motib. sibi invicẽ succedẽtib. movetur, nunc in sublime facultate attollẽte, nunc deorsum mẽbri gravitate ferẽte. Est ergo tremor passio, quia mẽbrũ tremẽs graviter offenditur, & vim patitur. Est quoq. idẽ motus symptoma, quia præter naturam est. Differt autẽ à symptomate pathema, vel passio duplici nomine. Primũ, quia passio nõnunquã est secundũ naturã, ut alterationes in videndo, audiendo, odorãdo, gustãdo, & tãgendo: symptoma verò semper est præter naturã. Præterea differunt, quia omnis passio est posita in fieri, cum sit alteratio, & motus G
circa materiã, quę adhuc patitur symptoma vero cadit, & in res fientes, & in affectus, resq. permanẽtes, quæ à naturali statu sunt immutatæ. Nã formæ, & figuræ corruptæ, numeri, magnitudines, atq. sit*, qui adhuc nõ pervenerũt ad tantã magnitudinẽ, ut partiũ actiones inter turbare possint, atq. morbi vocari, symptomata dicũtur generaliter sumpto symptomatis nomine. Actiones etiã læsæ, ac passiones symptomata sunt, quoniã hæc est hujus symptomatis definitio, id est, *maximè propria ratio*, vel definitio, ut sit mutatio à H
naturali statu.

Idiaitatu logos.

Porrò vocat in quæstionẽ Gal. utrũ morb. quoq. sit mutatio ab statu naturali, unde quo differat à symptomate morb. emanabit, quod est ultimũ discrimen eorũ, quæ aliquam similitudinẽ habent inter se. Brevi respondet morbum ipsum, & symptoma generatim acceptum convenire, quod utrũq. sit præter naturam: sed multum distare, quod symptoma simpliciter sit mutatio præter naturam: morb. autẽ non simpliciter mutatio, sed mutatio

Octavũ, & ultimũ discrimẽ inter morbũ, & symptoma generaliter accepta.

tatio quædã. Quod hac ratione confirmat. Nullus affectus actionem lædẽs potest esse simpliciter mutatio, cum sit res permanens, sed mutatio quædã, hoc est, cessata, & ad terminũ perducta: atq. ostensum est morbũ esse affectũ, qui lædit actionẽ, morb. igitur erit à symptomate totus diversus: &, ut explicatè, & distinctè dicamus, bifariã distinguntur. Primò quoniã morb. necessariò est affect⁹: omnis enim morb. est partiũ constitutio, & qualitas permanens: symptoma verò nõ est affectus necessariò, quia quantũvis possit esse affectus, veluti omnes morbi, & per multæ causæ, ut refima nasi figura, nonnullaq. symptomata, ut vitiatus color: nihilominus tũ potest esse ex genere succedentiũ & fientiũ, ut est actio læsa, & immodicæ excretiones, ac retẽtiones, quæ omnia sub diversis generib. cõtẽta cõprehẽdit symptoma generaliter usurpatũ. Præterea differunt, quia morb necessariò lædit actionẽ. Nã, cũ morb. sit illa eadẽ partiũ constitutio præter naturã reddita, quæ in naturali statu secundũ naturã se habens erat sanitas (loquor materialiter, ut dicũt) necessariò debet lædere easdẽ actiones, quas edebat sanitas: symptoma verò non lædit actionẽ necessariò, quoniam aliquãdo lædit, ut morb. & morbi causa, interdũ nõ lædit, veluti symptoma speciatim acceptum, quod semper sequitur morbus. Ex quib constare putat Gal. quæ sit symptomatis generatim dicti à morbo differentia, & rursus symptomatis à pathemate, passione-ve, quatenus coincidant, & qua item ratione idẽ, & symptoma & pathos vel passio appellari possit, quæ præterea sit symptomatis generatim dicti maximè propria ratio, quodq. morb. & illius causæ internæ ad generalis symptomatis appellationẽ reducãtur, quia præter naturam sunt. Quæ quidem omnia nos singulatim explicavimus. Sed hoc tã productum caput compendio suo cõcludamus.

EPITOME.

Partium nostri corporis affectus, vel est morb. vel causa morbi, vel symptoma, qui quidẽ a morbo differt, quoniã affectus pertinet ad sanos & ægros, & neutros: morb. solũ ad ægros, cum sit cõstitutio præter naturã sanitati cõtraria. At passio ab utrisq. dissidet motu, quoniã in ipso moveri passio est: in eo verò, quod manet affectus, & morb. Nã passio est motus, qui ab altero fit in alterum, vt agẽtis motus dicatur actio: motus verò ejus quod afficitur, passio. Porrò affectus, qui actionẽ secundũ naturã efficit, sanitas est: affectus, qui lædit actionẽ, morb. Causa verò est, quod suapte natura aliquid cõfert ad rei generationem, quæ multiplex est, materia, utilitas, efficiens, instrumẽtum, scopus, & vocata sine qua non. Per se autẽ agere, idem est, quod primò: ex accidenti idem, quod secũdo. Quæ nõ lædunt actionẽ primò, sed per morbos, causæ morborũ sunt: morbi qui primò lædũt. Demũ symptoma large sumptum est, quidquid animali præter naturam accidit. Vnde morb. & causa symptomata dicũtur, & quæ morbo superveniunt, ut actio læsa. Symptoma generaliter dictum à passione differt, quod passio omninò in motu versetur, sitq. interim secundum naturã: symptoma verò nõ in motu tantũ, sed in habitu etiã & permanentia, omninò autẽ præter naturã, tametsi interdum in idem coeãt, cũ alteratio præter naturam est: sed à morbo symptoma differt, ꝙ hoc, neq. sit affectus, neq. actionem lædat necessariò, quæ sanè duo ad constituendum morbum necessaria sunt.

CONTROVERSIÆ pathologicæ.

DE SIGNIFICATIONIbus nominis affectus.

QVÆSTIO. I.

Quæst. 2

IN controversijs libri de differentia morborum noluimus disceptare latiùs de nomine affectus, ne multiplex significatio quemquam primo aditu à vestibulo prohiberet: hoc verò loco, ubi Gal. severè distinguit affectum ab his, quib. cũ est illi magna similitudo,

affectusq. nomine ea videtur appellare, quib nihil est cũ sanitate, vel morbo, ex usu erit illius verbi vim & potestatem exponere, quantũvis liceat cum alitquib. instituto certamine, dum tamen nostram sententiam de proximo genere morbi asseverantiùs dicamus. & fidem citato loco datam liberemus. E

Quæst. 3.

Germanus interpres commentariis ad librum de differentia morborum existimavit vocem affectus à Galeno trifariã usurpari. Primũ generatim pro omni eo, à quo nostrũ corpus quomodolibet afficitur. Secundò magis cõtractè pro omni mutatione in id, quod præter naturam est, cujusmodi sunt morb. causa morbi, & symptoma. Tertiò proprijssime pro eo, quod permanet in re aliqua, quæ patitur, postquã alterans quievit. Sic affectus idem significat, quod constitutio, atq. ad ea tantum transfertur, quæ ex permanentium, constantiumq. numero sunt. Primã significationẽ affectus hujus capitis verbis confirmat, quæ interpres ille, sic convertit in latinum. *Affectus igitur generatim ad omnes tũ sanos, tum ægros, tum neutros pertinet.* Secundam tum illis verbis initio capitis notatis. *Omnis corporis affectus præter naturam, vel morb. est, vel morbi causa, vel symptoma:* tum illis, quæ habuit libro de curatione per sanguinis missionẽ, quũ eodẽ interprete dixit G. *Affectus quidem vox quemadmodum alibi quoq. dictum est, ab affici verbo deducta similiter illi de multis efferturrebus, verum nunc mutationes in habitum præter naturam qualescunq. fuerint affectus per universum hunc librum nominamus.* Tertiam & postremam significationem ex Galeno colligit, cum ait. *Quippe cessante eo, quod alterabat, alteratio, quæ in passo jam remanet, affectus ejus est.*

Quorundã opinio.

Tex. 2.

Tex. 1.

Cap. 3.

Tex. 3.

Sed homo iste in summo versatur errore, quẽ equidẽ, atq. illius theoriæ cõprobatores, & æmulos nõ miror, cũ inter philosophos sint abjecti, & neglecti: at denostratib. viris valde doleo, quod in hac nominis interpretatione talẽ auctorẽ secuti fuerint, non advertentes nullibi Galenũ tres hujusmodi significationes, vel indicasse. Hoc quidẽ certe manifestũ erit, si omnes locos adducam', in quib. Gal. de affectu locutus est. H

Refutatur.

Atq. ut auspicemur abhoc capite, quod adhuc in manib. est, observemus Galenũ duo tantũ de affectu dixisse, Vnum est à morbo distingui, quod morb. sit constitutio, vel affectus præter naturã, utpote sanitati contrarius: affectus verò sit communis, tũ sanis, tum ægris, tum neutris. Quin immò etiã affectũ ex corporib. transferri ad cantũ, harmoniã, orationẽ & dictionẽ, non autẽ morbũ. Ex quo quid significet nomen affectus, nondũ cõstat, sed tantũ quod latiùs pateat, quã morb. cũ sit genus illius. Alterũ est affectũ à passione disjunctũ esse, quod passio sit motus: affectus verò id, quod manet, & servatur in subjecto corpore cessante motu. Est igitur passio alteratio & motus, qui adhuc fit: affectus autẽ qualitas ab alteratione permanens. Quod etiã secundo cõmentario in Hippocratẽ de humorib. proditũ est. Ex quib. unicã nominis affectus colligimus usurpationẽ & significationem, qua nihil aliud est affectus, quam qualitas, quæ permanet ab alteratione cessata in eo, quod perpessum est.

1. Fundamentum Auctoris, Tex. 2.

Tex. 3.

Comm. 26

Sed accedamus ad librum medendi methodi secundum, ubi Gal. hæc paulò altiùs repetit, & accuratiùs explicat. Eo libro ostẽdere instituit, quid inter morbũ, & quod græci pathos vocant, intersit, cũ id libro primo se ostẽsurũ promisisset, duo accidentiũ genera constituit. Primum eorum, quæ absolute esse dicuntur, & essentiã habent in ipsius substantiæ cõstantia, cujus generis sunt affectus, vel habitus, qui quidem omnes ex permanentiũ constantiumq. numero sunt. Alterũ est eorum, quæ in generatione, & mutatione, & alteratione, & motu essentiã habẽt, atq. propterea nõ dicũtur esse absolute, cujusmodi sunt omnes actiones & passiones, & alterationes, etenim in quacũq. re fuerint ipso fieri essentiã possidẽt. Hotũ exẽplo erit, qui nigrefit, dũ alteratur: iis quidẽ alteratus est, cũ jã obnigruit, & in eo permanens à motu nigredo affect' est, multũ ab alteratione dissidens. Ex quo etiam loco una tantum cõcluditur

Cap. 3.

Cap. 9.

ditur significatio nominis affectus.

Eandem distinctionem affectus & *Cap. 3.* passionis videtur probare lib. primo de locis patientib. ubi neotericos exagitat, quod morbum appellantes, alieno abutantur nomine. *Ceterum*, inquit, *in præsentia non inutile fuerit meminisse eorum, quæ in libro de medicis nominibus diximus, ubi de significatis est sermo, quæ pessimè à recentioribus tum medicis, tum philosophis confunduntur. Nam qui potissimus est usus vocabuli passionis* (quo morbum appellabant) *à diametro pugnat cum voce actionis, quippe id agere dicitur, quod ex se ipso motum obtinet: pati verò, quod motum habet ab alio.* Quod discrimen posuit etiã sexto de Hipp. & Pla. de- *Cap. 1.* cretis inter actionẽ, & passionẽ, ubi *1. de lo. aff.* interpres non bene vertit affectionẽ. *Cap. 3.* *Quum itaq. duo sint motus genera alterationis, & lationis, ubi ad permanentem affectum alteratio pervenerit, sitque affectus præter naturam, morb. appellatur, quamvis per abusionem interdum eundem affectum nonnulli pathos, id est, passionem nominant* (interpres etiam malè convertit affectum) *qui si more græcorum patrio nomine uterentur, partes ipsas potiùs pati dicerent, quum motum sustinent præter naturam, quum verò affectus habent præter naturam, si propriè quis loquatur, ægrotare eas potiùs, quam pati dicet.*

Dubiũ tamen erit alicui, quod dixerit, *permanentẽ affectũ*, ex eo enim *Obiectio.* conjicere possumus dari affectũ, qui non sit permanens. Respondeo affectũ omnem permanere: dixit verò *Solutio.* affectũ permanentẽ, ut motũ à suo termino aptè distingueret, nã intelligentia rei potiùs erat illi curæ: quasi hoc modo diceret. Affect⁹, qui morb. dicitur non est illa præcedẽs alteratio corporis, seu ipsum pati, vel affici, sed quod eã alterationem cõsequitur, atq. à motione cõstantia & firmitate differt. Hæc est dispositio, quã intellexit Gal. hoc capite, *Text. 2.* cũ dixit. *Si quidẽ omne, quod est, sive id sanũ sit, sive ægrum, sive neutrũ, quodam modo afficitur:* non potest autẽ corp⁹ aliquod dici quodãmodo affectum esse, quin habeat dispositionem aliquã à motu relictã, & permanẽtẽ, & facile, vel difficile separabilẽ. Hac ratione usurpavit affectũ, vel dispositionẽ primo lib. de sanitate tuẽda. *Cap. 5.*

Porrò libro de morborum differentia, postquã scripsit morbũ esse *2. Fundamentum.* constitutionẽ præter naturã, vel læsæ operationis causam, eo quod sanitas sit naturalis constitutio, sive operationũ secundũ naturã causa, hæc addit. *Liquet autẽ, quod si affectum* *Cap. 2.* *præter naturam dixeris* [nimirũ etiã læsæ operationis causam] *cũ eo, quod nomine usus fueris antiquo, idem quoq. significabis.* Et hoc capite. *Ergo dictũ est,* *Text. 5.* *morbũ esse corporis constitutionẽ quandã præter naturã, à quo functio læditur primum. Constat autem etsi eum esse affectũ quendam præter naturam dixerimus, à quo actio læditur, idem dicturos.* Paulò post verò. *Sanitas*, inquit, *est secundam naturam affectio functionis effectrix. Nec interest, sicuti diximus, an affectũ constitutionẽ ve, quæ actionẽ efficiat, dicas, an actionis causam. Ità sanè, & morb. cõstitutio corporis est extra naturã, vitiatæ actionis causa.* Vnde libro primo medẽdi methodi. *Sin autẽ*, inquit, *affectio quæpiam, aut constitutio naturaliter se habens* *Cap. 5.* *sanitas est, & morb. affectio constitutione præter naturã necessariò fuerit.* Et eodem libro. *Siquidẽ quod primũ, maximèq. omnium desideramus, id naturalis est actio: propter hanc, & naturalem sive affectum, sive constitutionẽ nominare velis.* Ad hoc etiam respicit, quod li- *Cap. 9.* *Cap. 2.* bro de differentia morborũ, & quinto de Hipp. & Plat. decretis protulit, morbum esse ametriam, vel asymmetriã, eo quod sanitas symmetria sit. Nam quęcunq. sanitati cõveniũt, eadem & morbo congruere putavit, nisi quod sanitas secundũ, morbus præter naturã sit. Aliter de causa, & de symptomate sentit: quas enim causas, quæq. symptomata putavit esse affectus, nunquam votavit *Cataseevas* *naturales constitutiones*, ut ego diligẽtissimè observavi, quamvis sint ex numero constantium, & permanentium. Hoc enim in lucem prodere fas est, quod sane mihi, non solùm confirmavit, sed etiam persuasit, Galenum, quando morbum definivit libro de differentia morborum, hoc capite, & primo methodi, *Cap. 2.* *Cap. 5.* ubi ex professo rem tractavit, affectum & constitutionẽ in unũ morbũ convenire putasse, & idẽ esse existimasse: atque hoc est, cur causas & sympto-

symptomata, quantumvis nonnulla sint affectus, nunquam vocavit constitutiones.

Ex quibus ego jam pridem conjecturam cepi de affectu contractiori, & in doctrina Galeni sanitati, & morbo genere proximo, quam vis ipse de illo non fuerit planè & apertè locutus. Quod, ut possimus pervestigare, animadvertendũ est ex Aristotele in categorijs, affectum esse qualitatem, *qua res aliquo modo disponitur*, hoc est benè, vel malè, quæ deinceps in affectum, & habitum distinguitur, quatenus facilimè, vel difficulter potest separari. Libro autem quinto de prima Philosophia docuit, affectum, vel dispositionem, communem scilicet habitui & affectui esse *qualitatem, qua aliquid benè, aut malè habet ad se ipsum*, hoc est, ut sit, *vel ad alterum*, id est, ut agat. Quæ definitio ultimis verbis indicat duo habituum, vel dispositionum genera, quorum altero non disponitur subjectum, primò & proximè ad agendum, sed tantum ad se ipsum, cujusmodi est pulchritudo, deformitas, corporis vitiosus color. Altero, quo subjectum primo & proximè disponitur ad faciliùs agendum, cujus generis sunt animi & corporis dispositiones, virtus, & vitium, sanitas, & morbus. Hæc dispositio, qua benè, vel malè habet subjectum ad faciliùs agendum est ea, quam idem Aristoteles antea dixerat esse ordinem rei habentis partes secundum facultatem & potentiam, hoc est, ut nos superius diximus, ad actiones exercendas. Quoniam autem ad agendum multa concurrunt (ordo enim plura supponit) propterea hæc dispositio partium dicitur constitutio rei, & quædam compositio. Quæ duplex est, una, qua disponitur corpus ad bene agendum, ut sanitas, quam dispositionem septimo physicorum appellavit *dispositionem perfecti ad optimum*, id est, naturæ omninò perfectæ ad perfectam actionem: altera est, qua disponitur ad malè agendum, cujus generis morb. est.

Quæ cum ita sint concludo Galenum explicatè, & distinctè tantum fuisse locutum de affectu generico, qui describitur, & definitur qualitas in subjecto sita, & permanens, quod bene, vel malè disponit, & à quo facilè separari potest, ut sanitas, morb. & causæ atq. symptomata quæcunq. ex permanentiũ, constantiumq. numero sunt, ut resima nasi figura, vitiosus color.

Num illum affectũ intelligit perpetuò, *quo afficitur quodammodo corpus sanum vel ægrum, vel neutrum*, ut in hoc capite, vel quo præditum est quidquid aliquo modo se habet, ut secundo methodi: sed is affectus est permanens illa qualitas, quæ constituit primam speciem apud Aristotelem, Galeno igitur una tantum est usurpatio nominis affectus, qua significat qualitatem in subjecto permanentem.

Quoniam, cum ipse longissimè abhorreret à methodicorum dogmate, qui nec quid esset passio, nec quatenus à morbo, vel affectu differret, intellexerunt, planè putandum est, eundem nunquam existimasse affectum sumi posse promotu, sed pro termino illius.

Decipitur verò interpres ille, cum scribit, sumptum sic affectum idem significare, quod constitutio. Nam cum is affectus conveniat aliquibus causis, & symptomatis, cujusmodi sunt, resima nasi figura, & vitiosus color, quæ noster Gal. nunquam vocavit cõstitutiones, ut nos observamus in secundo fundamento, hunc affectum latiùs patere, quã pateat constitutio, ad pluraque pertinere, manifestum est.

Verum firmissimè assevero sub affectu assignato, quem Gal. celebravit, assiduéq. frequentavit, contineri tanquàm sub genere, tum affectũ facile separabilem à subjecto, quod disponit bene, vel malè, ut sit, tum affectum minùs patentem, qui definitur qualitas à subjecto facilè separabilis, & nostrum corpus benè, vel male disponens proxime, non modo, ut tale sit, verum etiam ut taliter agat, cujusmodi sunt sanitas, & morbus. Quem intelligit Gal. undecimo methodi, ubi solum morbum vocat affectum. *Cum autem*, inquit, *eorum quæ præter naturam sunt, duplex prima differentia sit, aliys per se subsistentib.*

3. *Fundamentum.*

Cap. 4.

Cap. 3.

1. *Conclus.*

1. *Ratio.*

Text. 2.

Cap. 3.

2. *Ratio.*

Observatio

Altera conclusio.

Cap. 12.

tionis aliàs in ipso fieri, essentiam suam habentibus ac umbra ritu affectus comitantibus, sanatio quidem affectuum ipsorum est sublatio: hanc verò symptomatum amotio sequitur. Et Paulò post. *Quippe, cum affectus, quos symptomata sequuntur, sanamus, symptomata nimirum ipsa in contrarium statum perducimus.* Item libro tertio de præsagitione ex pulsibus, ubi morbum dumtaxat vocat affectũ contradistinctum á causa & symptomate. *Quoniam autem,* inquit, *quidquid præter naturam est, ut aliàs demonstravimus, aut affectus sunt, à quibus primùm functio laditur, aut causæ horum, aut symptomata, dicam primò de affectib.* *Cap. 1.*

Quo loco dividit symptoma generatim usurpatum, quod definitum est, quidquid præter naturã accidit, in morbos, causas morborum, & symptomata: affectusq. nomen soli morbo aptat, quandoquidem partium constitutio, & affectus, qui ad agendum proximè disponit, inter se paria sunt. Hæc significatio colligitur ex sententia Galeni in secundo fundamento exposita. Nam illum affectum intelligit citatis locis, qui idem est atque partium constitutio; sed hæc est qualitas quædam partes disponens actionis effectrix, quæ nulli causæ, nulliq. symptomati cõvenit, ergo is affectus est qualitas benè, vel malè partes nostri corporis disponens, non solum ut sint, verum etiam ut agitentur, & agant, quique suo complexu tantum continet sanitatem & morbum. *Ratio.*

Sed avidissimè expectabit aliquis, quid putem esse in causa, cur Gal. solùm dixerit explicatè & distinctè de affectu generico, qualitate nimirum ab alteratione permanente: alterum verò affectum specificum, & qui coit cum constitutione, nempe genere proximo sanitatis & morbi, nimis obscurè memoraverit? *Obiectio.*

Respõdeo, Galenum satis habuisse, quod medicos sui temporis averteret ab errore methodicorum, qui passionẽ confundebant cum affectu, & morbo, ut ex primo methodi cõstat. Vnde quotiescunq. insidit in sermonem affectus, mirificè solicitus est, quidnam de illo, & de passione sit decernendum, atq. ubicunq. distinguit affectũ à passione, quod passio sit motus, & alteratio: affectus verò terminus, ad quem alterationis, & qualitas permanẽs corpus benè, vel malè disponens. Quæ sola, & unica est nominis affectus significatio, cui Gal. se totum tradidit, ut methodicorum opinionẽ excuteret radicitùs. De affectu verò, qui minùs patet, atque genus est sanitatis & morbi, nihil aperté dixit: leviter tamẽ tetigit, cum asseruit affectum, & constitutionem, causamq. actionis effectricẽ idẽ significare, & cum docuit morbi definitionem satisfacere his, qui statim subaudiunt, *primò:* addendum verò esse propter imperitos, & litigiosos: tacitùs enim videtur indicare affectum minùs patentem, & proximũ morbi genus, quod iam includit in se id, quod est primò agere. Sed hoc actutum evolvemus accuratiùs, nam hic affectus est, quem Aristoteles voluit oriri ex ordine, unde constitutio, & rei compositio exordium capit, ut Galeni dogma cum Aristoteleo undiq videatur consentire. *Solutio.* *Cap. 9.*

Nunc præposteri hominis ineptias excutiamus. Affectus, inquit, generatim ad omnes, tum sanos, tum ægros, tum neutros pertinet. Gal. sic locutus est. Ἡ μὲν οὖν πάθησις, κοινὴ ἁπάντων ὑγιαινόντων, νοσούντων, οὐδετέρων ἐστὶν. *Affectus quidem communis est omnium, tum sanorum, tum ægrorum, tum neutrorum.* Generatim, nõ dixit. Quod autem affectus ad plura pertineat, quam morbus planè dixit, quod nos liberè confitemur. Præterea omnem morbum esse affectum palàm profitemur: sed omnem causam, vel symptoma esse affectum omninò negamus: licet enim omnis corporis affectus præter naturam, vel morb. sit, vel causa morbi, vel symptoma: plures tamen causæ sunt, multaq. symptomata, quæ nõ sunt affectus, quod, cum videam ferè omnes Galeni studiosos præterijsse, in sequentem quæstionem discutiendum distuli. Libello de curatione per sanguinis missionem hæc scripsit Gal. *Affectus nomen, veluti alibi à nobis quoq. dictum est* (nimirum hoc libro) *ab affici deductum, similiter illi de multis effertur rebus sed nunc κυριώτερον, in id, quod præter naturam est, qualescunq. fuerint affectus, toto hoc libro nominabimus.* Κυριώτερον dixit, *Interpretatur Gal.*

xit, eversiones, vel declinationes, quemadmodum libro de differentia morborum, ubi sic habet. *Breves verò à medio ad utrumq. extremorum ἐκτροπὰς, eversiones* (ut transtulit noster interpres) *vel declinationes* (ut convertit interpres, quem nunc exagitamus) *donec partis operatio omni noxa sensibili caruerit, nequaquam ægritudines appellabimus.* Vbi per eversiones, vel declinationes, non potuit intelligere mutationes, sed recessus, vel digressus, hoc est, qualitates à motu permanentes in latitudine sanitatis parum excedentes. Vnde libro de curatione per sanguinis missionem nomine recessuum in statum præter naturam non intelligit mutationes (ut ille malè convertit) sed qualitates ex mutationibus & alterationibus remanentes.

Tex. 14.

VTRVM OMNIS causa & omne morbi symptoma sit affectus.

QVÆSTIO II.

1. Opinio. INterpres ille, cuius opinionem de tripartito affectu quæstione trã sacta ex intimis multorum mentibus evellimus, arbitratus est omnes causas, & omnia morbi symptomata affectus esse. Quæ sententia probatur auctoritatibus Galeni, qui hoc capite dixit. *Reliquũ est de symptomatis differre, quo de affectibus omnibus, qui præter naturam sunt omnis absolvatur disceptacio.* Mox addit *omnem coporis affectum, qui recedit ab eo, quod secundum naturam est, vel morbum esse, vel morbi causam, vel symptoma.* Secundo etiam methodi, horum, quæ hîc docuerat, memoriam habens, *tres esse in corpore affectus præter naturam, ostẽsum iam esse* prodit, *causas, morbos, & symptomata.* Et paulò post contrarium sanitati affectum, à quo læditur actio, morbum tantum appellat: mox addit. *Ex reliquis affectibus præter naturam, eos, qui hunc præcedunt, causæq. rationem obtinent, causas tãtum dicimus, non passiones. Qui illum sequuntur si actionum offensæ sunt, & symptomata, & passiones: eodem modo & immodicas, vel inanitiones, vel retentiones. Qui verò affectus sunt, veluti vitiosus color, supra passionis, & symptomatis appellationem, etiam affectus vocamus, ita nimirum, ut sunt.* Quamobrem illius hominis fautores putarunt affectũ omnia summa rerum genera transcendere, ut potequi plura complectatur genere differentia. Sed hæc opinio in superioribus explosa, & ejecta est.

1. Auto. 6. Tex. 1.
2. Auto. 6.
3. Auto. 6. Cap. 3.
4. Auto. 6.

Lib. de diff. morb. in cõtrouer. q. 4. Opinio Comitis Montani.

Comes Mõtanus in hac est opinione, ut putet affectum esse verum genus, quod de morbo, eius causa, & symptomate sic enuncietur, quemadmodum animal enunciatur de homine, & leone. Quæ opinio etiam absurdissima est. Nam qualitates permanentes, ut febris, qui morbus & motus, qui causa morbi, atque actiones, & passiones, quæ sunt symptomata, sub una synonyma natura subijci non possunt, quod patebit inferius.

Refutatur

Opinio Autoris vivæ, Anat.

Autor vivę Anatomes librorum Comitis Montani, quem aliquando legi, arbitratur morbum omnem, causam, & omnia symptomata dispositiones esse: at non synonimòs (uni vocè dicunt) sed ἀφ' ἑνὸς, seu πρὸς ἕν, id est, ab uno, vel ad unum. Nam præter naturam affectus, si propriè loquamur, solus est morbus, sed ad unum morbum referuntur causæ, quæ affectus & dispositiones dicuntur, quatenus efficiunt, seu imprimũt corpori morbum: symptomata etiam dicuntur affectus quatenus morbi sunt effectus. Ita solemus, inquit, sanitatis causas, corpus, & lotium sana vocare, atq. sic vocavit Gal. quia efficiunt illæ, hoc in se habet sanitatem, ac propriè dicitur sanum: lotium verò sanum sanitatem significat, cum sit effectus illius.

Confutatur

Sed hoc quoq. dogma est expers veritatis. Nam multę causæ sunt, ut resima nasi figura, multaq. symptomata, ut vitiosus corporis color, quæ synonymòs dicuntur affectus, cum sint qualitates permanentes, & subiectum benè, vel malè disponant, igitur affectus sunt ex se, non quatenus ad morbum collata.

1. Fidsuma tum.

Quò penitùs hęc intelligamus, observandum est, affectum esse qualitatem,

rem, quæ subiectum quomodolibet hoc est, benè, vel malè disponit. Quę definitio, ut alibi est demonstratum, non modo verę dispositionis propriam amplectitur potestatem, ut virtutis, & vitij, sanitatis, & morbi: sed etiam alterius dispositionis, quæ minus propriè dispositio appellatur (dispositionē in modo logici vocant) cuiusmodi sunt qualitates patibiles, formæ & figuræ, atque alia multa accidentia generis alterius, quæ, quatenus subiecta disponunt, ad faciliùs agendum, dispositiones vocantur.

In contro. lib. de diff. morb q. 3. 1. Fūda. & q. 24. Sol. 1.

2. Fūdamentum.

Porrò morborum omnes causę ad trifinium reducuntur. Alię corpora sunt, ut calculus, humor aliquam venam obstruens. Aliæ sunt accidentia post motum relicta, & permanentia, tum qualitates, ut putrescentium humorum caliditas, crassities, & glutinositas, resima nasi figura, tum alterius generis, ut redundantia sanguinis, tumor, vel redundans numerus, aliquem meatum obstruens, mutatus situs alicuius partis habentis usum, cui pars principalis locum cederit. Alię tandem causæ sunt ex eorum numero, quæ non dicuntur absolutè, sed in ipso fieri essentiam obtinent, ut motus.

3. Fūdamentum.

Postremò symptomata omnia, quātum ad hoc instituti, bifariam distribui possunt. Quædam accidentia sunt, & permanentes qualitates, quę mutatæ dicuntur, ut malus corporis color. Quædam in solo fieri essentiam obtinent, ut actiones læsæ & immodicæ, tum excretiones, tum retentiones.

1. Cōclusio. 1. Auto. Cap. 3.

Colligamus hinc nullam substantiam esse affectum. Quæ firma est Galeni sententia. Nam libro secundo methodi medēdi de alteratione disputans, eādem vocat generationem qualitatis. Sed cum posset aliquis obijcere, generationem plurimùm distare ab alteratione. Respondet, *quoties cuiuspiam, quod substantia non sit, generationem esse dicimus, non significamus absolutè generationem, nam quæ absolutè generatio nominatur, via est in substantiam, quæ verò huius, vel illius rei dicitur generatio, via est in illius subsistentiam.*

2. Auto. Cap. 7.

Eodem libro circa finem tractans de morbi synonymia. *Nec verò*, ait, *substantijs modo id inesse videtur, verum etiā ipsis accidentibus velut affectus sunt, velut actiones, vel ut passiones.* Et ultimis illius libri verbis de rebus naturalibus & præter naturam verba faciēs, *omnia*, inquit, *hęc corporibus insunt, partim ut affectus, partim ut actiones, partim ut passiones.* Ex quibus præclarè constat Galenum affectus nomine nullā substantiam intellexisse. Nam sic cōcluditur ratio. Substantia nulli adhæret: sed ipsi in sunt omnia, ut Aristotelis est opinio, ergo substantia non est accidens corporum, si de accidente, ut hic, propriè loquamur.

3. Auto.

Ratio. 1. Physico. Cap. 3.

Præterea neq. causæ omnes, quæcunq. scilicet accidentia sunt, neque omnia morbi symptomata sunt affectus. Hoc significavit Gal. presenti capite, cum dixit. *Morbum autem ipsum præcedere potest affectus alter, qui etiam præter naturam sit.* Vbi nō dixit, præcedit, sed præcedere potest affectus, perspiciens causam nō semper affectum esse. Nam, cum causa semper morbum præcurrat, si omnis causa esset affectus, non dixisset præcedere posse affectum alterum, sed præcedere, ac semper anteire synceré protulisset.

2. Cōclusio. 1. Auto. Tex. 7.

Ad hoc pertinet illud, quod deinde scribit primo methodi. Nam post quam dixit rerum præter naturam tertium genus esse causarum, quę affectus creant, subiungit. *Nam quam rationem habet affectus ad actionem, hanc alterum quippiam ad ipsum affectum omninò habet.* Alterum quippiam, hoc est, causa, quam noluit affectum appellare.

2. Auto. Cap. 8.

Porrò postquam de causa locutus est hoc loco. *Quod si quis*, inquit, *alius affectus in corpore morbum sequitur, is symptoma duntaxat dicetur.* Vbi conditione utitur, cum tamen semper extet symptoma morbū sequens, quoniam symptoma nō semper affectus est.

3. Auto.

Quinetiam (deinde addit) *actionis ipsius læsio symptoma animalis est.* Quibus videtur etiam indicare læsam actionem à numero affectuum excludi, ut exclusit secundo methodi, solumq. symptoma esse.

4. Auto.

Præterea in fine capitis distinguēs morbum à symptomate generaliter accepto, prodit *duo hæc, quòd morbus*

Cap. 3. 5. Auto.

sit

sit omninò exigi, ut sit affectus, & actionē lædat: sed horum neutrum symptomati necessariò adesse, quippe licet neque affectus sit, neq. lædat actionem, abundē tamen definiri eo solo, quod præter naturam sit. Sanè si omnis causa, & omne symptoma esset affectus verba hæc in magnā difficultatem incurrerent.

Confugium Interpres, quem insectamur, hæc verba intelligit de symptomate speciatim dicto, atq. sua triplici de affectu distinctione omnia se facilè extricasse putat.

Refutatur. Sed hic homo interdū, vel potiùs nimium sæpe irridendus quidem: at hoc loco miserandus est. Quoniam quilibet locū perlegens clarè perspiciet Galenum de symptomate propriè dicto, quod morbum semper sequitur, & in tres differentias distribuitur, non loqui: sed de eo agere, quod de causa, de morbo, & de proprié vocato symptomate effertur. Illud enim symptoma est, quod antea descripserat, quidquid animali præter naturam accidit. Vnde rectè dixit, illud non esse affectum necessariò, cum multa præter naturam accidant, quæ non sunt affectus: neq lædere actionem necessariò, cum aliqua sub eo genere lædant actionem: nullum autem symptoma propriè dictū actionem lædat. Ergo interdum illi convenit alterum, aliquando utrumque, aliquando neutrum, propterea dixit, non convenire necessariò. Sed *Tex. 8.* ubi decuit, hæc planiùs exposuimus.

Idem ex secundo methodi colligimus exquisitiùs, ubi dixit Gal. tres *6. Auto.* esse in corpore affectus præter naturam causas, morbos, & symptomata: causas, veluti redundantiam, vel cor- *Cap. 3.* ruptelam: morbos, ut phlegmonem, ulcus: symptomata, ut malum colorem, & gracilitatem. In quibus constitisse verbis hunc interpretem sibi persuadet Vallesius, atq. hunc locū integrum legisse nunquam. Attamen subiungit Gal. *Diversa ab his sunt, quæ immodicè à corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur, & functionum vitia, omnia scilicet communi nomine symptomata dicta, cæterum non uni generi subiecta. Quippe affectus quidam corporis est vitiosus color: quod excernitur, aut retinetur, affectus non est, sed affectum sequitur. Similiter actio, vel læsa, vel integra, affectus sanè nō est: particulæ autem, unde editur, affectum necessario comitatur.* Diversa facit affectus corporis, & qualitates mutatas, ut malum colorem, ab ijs, quæ immodicè à corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur, atq. à læsis actionibus. Nam licet omnia dicta genera obtineant commune nomen symptomatis, quatenus morbum sequuntur: tamē omnia tria non subijciuntur uni generi synonymo, quia tantum qualitates mutatę, ut colores, in genere affectus reponuntur.

Mox concludens, quod propositū *7. Auto.* illi maximè fuit eo in capite. Τοιαῦτ' οὖν, inquit, καὶ νόσοι ἕκαστα συμπτώματά ἐστιν ἢ πάθη ἢ διαθέσεις ἢ ἕξεις ὑπομενόντων ἀεί. Si verbum verbo exprimere velis, sic ferè reddas. *Ac sanitas quidem, & morbus & quæcunq. ex symptomatis, vel causis, affectus, vel habitus sunt, ex permanentium numero sunt.* Sanitatem quidē, & morbum absolutè pronunciat esse permanentia, & constantia: de causis verò & symptomatis, neq. absolutè, neq. de omnibus pronunciat: sed solùm de ijs, quæ sunt dispositiones vel habitus, indicans dari quasdam causas, & quædam symptomata, quæ non sunt dispositiones.

Vnde libro primo de sanitate tuē da docet affectum esse communem *8. Auto. Cap. 5.* sanitati, & morbo, accidentibus & symptomatis aliquibus.

Et libro de causis morborum, quę *9. Auto. Cap. 2.* sunt in ipso animalis corpore, causas precedentes, dispartitus est in affectus, vel in motus. Iam si motus aliqua significatione affectus essent, non distinxisset motus ab affectibus.

Vnde si omnes causæ, omniaque *1. Ratio.* symptomata essent affectus aliqua significatione ex trib. quas introduxit interpres ille. profectò, cum Gal. definit symptoma generaliter acceptum, quod complectitur morbos, causas, & symptomata, illius definitionis genus constitueret affectum saltē secunda significatione: sed Gal. in principio huius libri quater, vel quinquiés definit symptoma generatim sumptum, & nunquam vocat affectum, ergo credendum est omnes causas, & omnia symptomata non esse affectus.

Hinc

Hinc vulgus medicorum universam medendi artem in tres veluti ordines totam digessit (nisi quis ex Galeni libro de oculis accipiat) nempe in rerum naturalium tractationem, non naturalium, & præter naturam: affectus nullus ausus est dicere, sed res, quæ plures actiones, & passiones comprehendunt.

Alt. Ratio.

Quamobrem concludamus tãtum esse affectus illas causas, illaq. symptomata, quæ sunt qualitates à motu permanentes.

3. Cõclusio.

Nam illam duntaxat accidentia merentur nomen affectus, quę bene, vel malè subiectum afficiũt, & ad aliquid faciliùs agendum disponunt: sed tantum qualitates permanentes possunt subiectum disponere, igitur tantum dictæ qualitates possunt dici affectus. Patet assumptio, quoniam omnis affectus disponit subiectum, vel ut tale sit, vel ut aliquas actiones faciliùs exerceat: sed hoc supponit permanentiam in subiecto, & actum perfectum, quia nihil agit, nisi prout in actu est: motus autem est actus imperfectus, ergo tantum qualitates, quæ in subiecto permanent, possunt disponere, & ex necessaria consecutione affectus appellari.

Ratio.

Sed diluamus, quæ contradicta sunt: Primùm de affectibus præter naturam, cum disputasset Gal. scilicet morbis, qui omnes, & causis, quarum plures affectus sunt, atque inter symptomata reliqui affectus numerentur, nihil aliud superesse videbatur ad absolutionem disputationis de omnibus affectibus, quam ut de symptomatis differeret.

Solvitur. 1. Auto. G.

Præterea omnis affectus, vel est morbus vel morbi causa, vel symptoma, igitur omnis morbus, omnis causa, & omne symptoma est affectus. Ego antecedens facilè concedo: consecutionem prorsus nego. Nam divisio totius universi dicta per se, oratio est, qua ipsum totum dividitur in partes subiectas, de quibus essentialiter dicitur, ut animal dividitur in hominem, & leonem, de quibus dicitur secundum totam eius essentiam. Verum in divisione per accidens, ut accidentis in accidentia, qualis hæc, de qua sermo est, membra dividentia non sunt partes per se totius divisi, sed per accidẽs: ut in hac, omne album, vel est durum, vel molle, vel liquidum, membra divisionis sunt partes divisi per accidens, quia non omne durum est album. Ergo sic intelligenda est divisio Galeni, ut de solis affectibus præter naturam verba faciat, non secus ac si diceret, tres esse in nostro corpore affectus præter naturam, morbos, affectus, qui causæ, atque affectus, qui symptomata sunt. Si affectus omnes præter naturam sic illi sumerent, atque sub cõmuni præter naturam affectu, veluti hominem & leonem sub animali collocarent, profectò ad veritatem loquerẽtur: siquidem nullus est affectus præter naturam in corpore, qui non sit, vel morbus vel morbi causa, vel symptoma: veruntamen causæ, vel symptomati simpliciter sumptis accidit affectum esse. Quo fit, ut non omnis causa, nec omne symptoma sit affectus. Vnde rectè dixit G. symptoma generaliter sumptum, sub cuius appellatione veniunt morbus causa, & symptoma, non esse affectum necessariò. Quod secundo methodi præclarè dixit, quando mutatas qualitates, eò quòd sint affectus, posuit diversas ab actionibus atque excretis & retentis, quæ non sunt affectus, licet omnia sequantur affectum, & hac ratione communi nomine dicantur symptomata. Quæ tamen paulò inferiùs conscribuntur, si verbum è verbo reddamus, sic trasferenda sunt. Τὰς δ' ἄλλας ἁπὰς τὰς προγεγραμμένας τούτων, ἐν ἀρχῇ λέγω, διαθέσεις παρὰ φύσιν, αὐτὰ τὰ πάθη, διαθέσεις, οὐ πάθη. Τὰ δ' ἐπόμενα τούτοις, ἴσα μὲ ἐνεργείας οὐ βλάβας συμπτώματα τὰ μὲν πλείω, κατὰ ταυτὸ δὲ τὰς ἀφαιρέσεις ἐκφύσεις, ἐκκρίσεις. ἔνια δὲ διαθέσεις, ὅσπερ ἡ ἀκαχμία, πρὸς ὃ τὰ αὐτὰ τὰ μὲν τῶν συμπτωμάτων ἕξεσιν, διαθέσεις ὀνομάζουσιν, ὥσπερ εἴρηται καὶ ἔμπροσθεν. *Aliorum autem omnes affectus præter naturam, qui hos præcedunt, causaq. rationem obtinent, causas tantum dicimus, non passiones. Illa verò, quæ his succedunt, si actionum offensa sunt, & symptomata, & passiones: eodem modo & immodicas, vel inanitiones, vel retentiones. Quicunq. verò affectus sunt, veluti vitiosus color, præter passionis, & symptomatis nomen, vocamus affectus, ut planè sunt.* Quibus verbis videtur etiã Gal. distinguere affectus ab illis causis, & sympto-

Sol vitur. 2. Auctoritas.

Cap. 3.

symptomatis, quæ sunt passiones.

Obiectio. Sed dicet aliquis, esto nõ sit affectus omnis causa, nec omne symptoma, sub quo igitur, quod illis commune fit, continebuntur morbus & omnis

Solutio. causa, & omne symptoma? Hoc est facilé dictu, sub symptomate generatim intellecto, ut voluit Gal. in hoc

Tex 8. Cap. 1. capite, & tertio de præsagatione ex pulsibus, vel sub re præter naturam,

Cap. 15. ut libro de constitutione artis.

QVID SIT MORBVS.

QVÆSTIO. III.

HActenus existimo uberrimé tractatum esse, ad quod genus commune rerum pertineat morb. nunc de illius proximo genere & definitionis differẽtijs deliberandum est. Quæ inquisitio & investigatio multos induxit, ut errarét in morbo definiendo. Vbi tamen fuerit à nobis semel explicata illius definitio, multa, quæ quasi involuta sunt, confestim evolvemus. Doctores nostri & magistri optimi asseruere genus proximum, quo morbus definitur, esse partium cõstitutionem, vel affectum præter naturam, cum in idem incidat

Lib. de diff. morb. c. 2. sermo, ut est Galeni sententia. Sed an proximum hoc genus complectatur etiam causam, & symptoma, & quis affectus ille sit, qui cum constitutione coit, indefinitum, & incertũ reliquerunt, ex quo tanta perturbatio rerum orta est, & magna confusio. Quamobrem, ut hoc in facili cognitione versetur, accipiant studiosi,

Quæstio. 1. huius libri 3. fundam. præter illa, quæ diximus superiùs, quò sine ulla dubitatione possint respondere ijs, quæ in utramq. partẽ occurrunt.

1. Fundamentum. Affectus seu dispositio, quæ unà cum habitu constituit primam speciem qualitatis, nihil aliud est, quam permanens qualitas, quæ benè, vel malè disponit subiectum, à quo potest facilé separari. Hic duplex animi, & corporis. Affectus corporis est permanẽs ex motu qualitas, quæ nostrum corpus disponit. Qui affectus itidem duplex est, vel enim corpus disponit, ut sit, veluti pulchritudo, vel corpus disponit, & ut sit, & ut faciliùs operetur, veluti temperamentum. Affectus, qui disponit corpus ut sit, bipartitò quoq. distributus est: vel disponit naturaliter, cuiusmodi sunt omnes causæ, vel effectus, & accidentia sanitatis, quæ constantia, & permanentia sunt, ut nativus sanguinis, & spirituum calor, decòrus, & suavis color, naturalis conformatio: vel disponit præter naturam, ut omnes causæ, atq. omnia symptomata morbi, quæ constantia sunt, & permanentia, ut caliditas humorum putridorum, vitiosus color, similitas. Affectus, qui corpus utrinq. disponit, nempe & ut sit, & ut agere possit, similiter bifariam dividitur: vel enim secundum naturam disponit, ut partium naturalis constitutio causa omnium actionum secundum naturã, & sanitas ipsa (sanitas enim propriùs in dispositionibus quam in habitibus numeratur) quæ duplex est, perfecta, quæ congruentes, & perfectas actiones edit, atq. imperfecta, quę parum firmamenti, & virium habet, parumq. abest à morbo, licet dicatur naturalis: vel disponit præter naturam, qui quidem affectus simili modo idem est atq. partium constitutio præter naturam, omniśq. vitiosæ actionis causa, quæ duplex etiam, una multùm à perfecta distans, sed quia nullam adhuc actionem manifestò vitiat, in naturalibus reposita est: altera sic præter naturam, ut aliquam actionem perspicuè lædat, qui morbus. Hæc est affectuum & dispositionum corporis absoluta series.

2. Fundamentum. Porrò Gal. corporeum affectum ubiq. partitus est in naturalem, & præter naturam, naturalis in sanitatem, causas illius, & effectus, vel accidentia: affectum verò præter naturam in morbum, causas illius, & symptomata, quoniam cum hæc in curatione, quemadmodum illa in conservatione maximè proxima viderẽtur, sic planiùs exposuit, in quo congruerent, ac discreparent. Verum cum sanitatem, & morbum in quodam genere proximo convenire arbitretur nimirum in affectu, qui est idem, atq. partium constitutio, sub

sub qua non putavit subjici causas morbi, neque symptomata, ut prædiximus, obscurum illud medicis vulgarib. libro de differentia morborum voluit illustrare argumento physico à cõtrarijs petito, quæ quidem explicatio essentiæ morbi patefaciendæ plũrimùm, licet curationi non multùm interfuerit.

3. Fundamẽtum.

Vnde morbus dupliciter potest definiri. Primùm adducto proximo illius genere, scilicet partium constitutione, & maximè propria differentia, quæ partium constitutionem dividit, quaque morbus distinguitur ab ijs, quæ sub ipsa constitutione, una cum eo cõtinẽtur. Veruntamen, cum non solum medico sit curæ de natura morbi experienda (quamvis hanc planè sustineat) sed etiam adhibeat multum diligentiæ in eo dilucidè distinguẽdo ab ijs, quæcũ illo maximè congruere videntur, unoq. tempore cum eo concurrunt, & in unam partem corporis conveniunt, hinc noster Gal. ad curationẽ magis intentus morbũ remoto genere accuratiùs definit, nempe affectu præter naturam. Quod tametsi genus remotũ sit, aliquib. tamen differẽtijs ad morbũ contrahitur, ut pateat discrimen inter morbũ, & illius causas, atq. symptomata, quæcũq. nimirũ sunt affectus præter naturam, & cum morbo societatẽ, & magnã similitudinẽ habent in curatione, utpote veluti morb. permanentia. Idem possumus dicere de sanitate, quæ similiter proximo, & remoto genere definitur in conservatione.

1 Conclus.

Lib. de diff. morb. c. 2. & 1 meth. cap. 7.

Ex quib. sic colligo morbi primã definitionẽ. *Morb. est constitutio præter naturã actionẽ lædens.* Quæ confirmatur ex argumento Gal. *Siquidem contraria sunt, quæ in eodem genere plurimũ inter se dissident, veluti albedo, & nigredo, quorũ proximum genus est color:* sed sanitas & morb. sunt inter se contraria, ergo sub eodem genere proximo subjiciuntur: sanitas autem partium nostri corporis naturalis constitutio est, ergo morbus est earundem partium constitutio præter naturam. Nam, cum morbum definimus, si dumtaxat respicimus illius naturam & essentiam, sumimus proximum ejus genus, mox subjungimus differentias, quibus distinguitur ab ijs, quæ sub eodem genere subjiciuntur. Vnde, cum partium cõstitutio sit genus, quod proximè dividitur insanitatem & morbum, constitutionemque mediam, de qua postea dicemus, tantum addendæ sunt constitutioni differentiæ, quæ sufficiunt morbo à sanitate, & à constitutione media separando. Per hoc proximum genus, scilicet per constitutionem probè definitur sejunctus ab omnibus affectibus, & dispositionibus, quæ corpus tantum disponunt, quà tale sit, quæ non sunt partium constitutiones, ut omnes causæ ac symptomata. Definitionis differentiæ sunt, *præter naturam, actionem lædens.* Quod morbus præter naturam sit à sanitate differt. Quod actiones lædat, separatur à constitutione illa præter naturam, quæ nondum vitiat actiones manifestò, quæq. à Galeno, ex Herophylo neutra vocata est, cum neque perfectas operationes prodat, ut sanitas, neque manifestè vitiosas, ut morbus. Rectè igitur dictum est, morbum actionem lædere, ac subintellectum manifestè lædere. *Nam, si omnes præter naturam affectus, qui nos assidùe afficiunt, & adeo exigui sunt, ut nulli actioni sensibile & manifestum incommodum adferunt, morbos appellamus, ut est doloris quispiam in nobis affectus, veruntamen exiguus, & insensibilis, ut minimè afficiat ei, quem corripuit hominem, profectò insanum, id est, nunquam desiturum affectionem introducimus;* quam, ut medici evitarent, terminum statuerunt *sensibilem operationum lesionem. Multi quidem præcedunt antehanc, quandoquidem in sanitatis amplo latitudine, materiæ minuisque ratio invenitur: nullius tamen eorum morbus dici meretur. Vnde si præter naturam se habeat affectus protinus morbus non est, igitur morbi definitioni oportet adjicere, quod actionem lædat, atque hoc intelligere cupio*, id est, *manifestè*, ut addit Gal. aliquando. Sed, cur nos particulam hanc dissimulamus. Profectò subjungere possumus ad facilem explicationem:

Lib de constitutio. artis c. 19. Lib. de tu. morib. præter naturã cap. 1. & 2. de san. tuẽda. cap. 5.

1. de natur. humã. com. 19. 3. de tẽpe cap. 4. & in arte medicinali c. 8.

Obiectio. Solutio.

subaudiri tamen arbitramur. Nam cum læsio, quæ infertur à morbo, colligatur à medico sensib. mancipato, & subjecto, non est dubium, quin manifesta sit. Atque hæ differentiæ ad hanc definitionem sunt maximè necessariæ, sed potissimùm actio læsa, usque adeo, ut nihil referat, etiam si, præter naturam omiseris: includitur enim, & adsignificatur in reliqua oratione, ut notat Gal.

Præterea concludo alteram magis medicam morbi definitionem.

2. Cõclus *Morbus est affectus præter naturam lædens actionem primò*, id est, morb. est permanens qualitas, qua proximè dispositum nostrum corpus nequiter exercet suas operationes.

Definitur morbus per affectum præter naturam separatus ab omnibus naturalibus, tum alterationibus & passionibus, tum etiam dispositionibus, quæ genere conveniunt cum eo, quæque sunt affectus, & dispositiones secundum naturam.

Quòd lædat actionem primò, differt à causa, quæcunq. permanens fuerit, ut dilucidè docuit Gal. & nos exposuimus in hoc capite.

Actione læsa distinguitur morbus à symptomate. Nam, quæ symptomata sunt dispositiones, ut vitiosus color, corpus tantum disponunt, ut tale sit, non ut agere possit. Vnde Gal. hanc distinctionem

Cap. 9. significans libro primo medendi methodi exponens morbi definitionem, *supraid.* inquit, *quod præter naturam sit affectus, adijci oportet etiam aliquam obladi actionem: nam quo ad illæsa hæ omnes servantur, etiam si millies corpus sit alteratum & mutatum, ut à coloris vitio, nullus tamen affectus adhuc morb. est.*

primo etiam libro de sanitate

Cap. 5. tuenda de affectu remoto morbi genere loquebatur, cum dicebat. *Vt sit nimirum sanitas affectio naturalis actionem perficiens: contra morb. affectio præter naturam actionem impediens. Neque enim si affectus secundum naturam se habeat continuò etiã sanitas existit. Est enim affectus secundum naturam, tum ægyptiorum nigritia, tum gallorum candor, tum scytharum fulvus color, quorum tamen nullum est sanitas, cum ex omninò in colore non consistat: neque si præter naturam se habeat protinus morbus est: quando ita, vel ex sole nigritia, vel diutina umbratili consuetudine contractus candor, morbus sit: sed adjecisse oportet sanitatis notioni, quod causæ rationem ad opus edendum obtineat: morbi verò notioni, quod actioni incommodet.*

Quo loco sumit affectum in rebus naturalibus, ut est communis, tum sanitati, tum permanentibus causis, & accidentibus illius: in rebus verò præter naturam, quatenus complectitur morbum, illius causas, & symptomata, quæcunque permanentia quoque sunt. Nam, si non consideretur sola morbi natura: sed potissimum distinctio cònstituatur inter morbum & suam causam, atque symptomata, primùm adduci debet illud morbi genus, licet remotum, quod morbum, causam, & symptoma communione quadam complectitur, mox illorum differentiæ adjungendæ. Quãdoquidem, cum morb. ejus causa, & symptomata conveniant in affectu præter naturam, Gal. hinc morbi definitionem est exorsus. Tamen quoniam inter affectus præter naturam, aliqui officiunt actioni, ut omnes morbi, & omnes causæ: symptomatum verò nullum, præterea morb. quã lædit actionem, primò lædit, causa semper interjectione morbi, profectò morbum magis medicè voluit definire affectum præter naturam lædentem actionem primò, nempe à causa & à symptomate longè disjunctum, quoniam in morboso corpore cum illis penitùs implicatus, & confusus videbatur.

Genus in hac definitione est, affectus præter naturam, sic dictus nomine generis remotioris, & suæ differentiæ dividentis penuria nominũ. Licet verò affectus præter naturã sit remotũ morbi genus, ut constat ex serie retrofacta, nempe qualitas præter naturam adhærens in subjecto, & ab alteratione permanens: tamẽ differẽtijs interjectis cõtractũ, nimirũ agendi vi, seu actione primò læsa, æquatur cum constitutione, quod est proximum genus.

Quę

Quæ medici peculiaris consideratio facilimè distinguit morbum ab ijs, quæ illi similia sunt, & cum eo simùl ad unam partem vexandâ concurrunt: in hoc enim causa, & symptoma videntur æqualia, & paria morbo, atque sub eodem genere cum eo æqua conditione subjici, quamvis proximum, & propriũ morbi genus sit aliud multò contractius.

EXAMINATVR MORbi definitio.

QVÆSTIO. IIII.

1. Obiectio. QVATVOR potissimum se mihi offerunt, quæ ad expositam morbi definitionem videntur dubitationem afferre. Principio judicabitur fortasse nugatoria prima definitio morbi, qua definitus fuit, *Constitutio præter naturam lædens actionem*, quoniam actionem lædere, jam includitur in constitutione præter naturam. Nam quemadmodum omnis partium constitutio ex se ministrat actionem, ita partium constitutio præter naturam ex se molitur actionem præter naturam, quod est actionem lædere, igitur ad naturam morbi explicandam sola sufficit constitutio præter naturam.

Solutio. Respondeo verissimum esse omnem partium constitutionem actiones edere, atque omnem partium constitutionem præter naturam actiones proferre præter naturam: atverò morb. non solum edit actiones præter naturam, ut plures præter naturam constitutiones in latitudine sanitatis, quæ nulli actioni sensibile incõmodũ afferunt, quãdo quidẽ morb. actiones, quas præter naturã edit, nequiter edit, & manifestò lædit, unde cognoscimus á naturali constitutione longiùs recessisse. Quare, cum dicimus, morbum esse cõstitutionem præter naturam, quæ lædit, vel impedit actionem, similiter loquimur, ac si diceremus, morbum esse cõstitutionem præter naturam, quæ judicio sensus vitiat, & graviter lędit actionem, quã edit. Nam præter naturam duplex est: vel præter naturam omninò mediã, quę sanitas perfectissima est: vel præter naturam imperfectam, quæ habet amplam latitudinem, & multos status complectitur, qui similiter sunt prẹter naturam perfectissimam. At verò morb. præter naturam est, sed præter omnem, cum sit præter illam, quæ magnam habet latitudinem, sanitatem scilicet amplum, à qua, ut primùm corpus egreditur, morbosum existit. Summa est. Sanitas, & morb. quia constitutiones, actiones edunt, sanitas secundum, morb. præter naturam: sed morbus prẹter id, quod actiones extra naturam edit, quo distinguitur à sanitate: illas tamen adeo vitiatas edit, ut illarum lęsio quod prẹter omnem sanitatem sit, sensib. percipiatur, quo distinguitur à neutra constitutione, quę quidem vitiat actiones, sed vix dum illarum sensu percipitur lęsio.

2. Obiectio. Deinde quęrunt aliqui subtiliùs, an sit idẽ lędere actionem, atq. impedire. Ego idẽ esse judico, vel pro eodẽ sumi hoc loco, ubi morb. dicitur actionem lædere, actionẽ malã, vitiatam, vel prẹter natutam manifestò edere, actionis læsæ causam esse, vel actionem impedire. Siquidẽ promiscuè utitur his Gal. in hoc capite. Vnde libro primo de locis patientib. quosdam reprehendit, qui urinę suppresionis affectũ, ubi vesica citra noxã munere suo fungitur, dicere cogebantor, *fieri non læsa, sed impedita meiendi actione, tanquam medicæ arti opem ferrent, si vocabulum, Lædi transmutantes, impediri dicerent.* Cap. 11. Nam hujusmodi quæstio ad artem omninò supervacanea est, atq. ad affectus ipsius dignotionem, vel sedis affectæ invẽtionem, nihil accommodata: parum enim refert, actionem, quę fieri nequit, sive læsam, sive impeditã appellemus. Sed objiciet aliquis eũdem Galenũ per similẽ errorẽ lapsum esse tertio libro de symptomatum causis, ubi vẽtriculum male concoquere dixit, *ipsa scilicet facultate ejus concoctrice propriâ substantiâ læsa, in temperamenti quidẽ vitijs in cæteris verò morbis, qui tãtum instrumentales* Cap. 1.

sunt, impedita solùm. Ex quib. verbis, non modo Galenum de levitate & inconstantia quis accusabit, verum etiam concludet, non esse idem lædere, atq impedire actionem, de quo disceptamus.

Solutio. Verum Gal. tertio de sympto causis non loquitur de actione læsa, sed de facultate, cujus læsionem & impedimentum plurimum differre scribit. Proposituum erat illi causas exponere vitiatæ concoctionis ventriculi. Primum communem causam esse tradit frustrationem facultatis, quæ, ut ex Galeno diximus, ventriculi temperamentum est. Frustratur autem suam actionem facultas ob duas particulares causas: altera est propria noxa, altera est error externus. Propria facultatis noxa fit duobus modis, primò cum ejus læditur, & corrumpitur propria substantia, ut in intemperiebus. Præterea cum solùm in actionibus impeditur, & aliigatur, ut in morbis organicis. Vnde, si loquamur de facultate, aliud est lædere, aliud verò impedire, quoniam temperamenti læsio substantiæ corruptionem supponit: impedimentum verò solam sine corruptione moram, & actionis, & executionis retardationem: secus autem sentiendum, si de actione loquamur. Nam sive dicas lædere actionem, sive impedire actionem, offendere, officere, vel obstare, idem planiùs significabis.

Interpretatur Gal.

Lib. de diff. morb. q. 15.

3. Obiectio Porrò suffurrari audio morbum non solùm actione læsa, sed etiam sublato usu definiri. Nam Gal. libro de differen. morborum existimat morbum adesse ubi corrumpitur, quod actionem, vel usum aliquem animali præstat. Videtur ergo deficere usus in morbi definitione, atque morbus definiendus, affectus præter naturam lædens actionem, vel usum, cum non semper actione, sed usu aliquando terminetur.

Cap. 4. Tex. 19.

Solutio. Respondendum est, morbum his definiendum esse, quæ semper illi, & necessariò accidunt. Morbus secundum ipsius substantiæ rationem producit læsam actionem: usus verò partium morbo præsenti, quãdoq. E auferetur, quandoque supereſt. Itaque mirandum non est, cur nihil magis solicitet Galenum, quam actio læsa, cum sola ipsa morbi naturam determinet, ac circunscribat. Nam, cum partes naturaliter agunt, naturaliter constitutæ sunt, ita cum præter naturam exercent aliquam actionem, & vitiosè, perperam constitutæ sunt, ac morbosæ. Vnde libro citato commune morbum tantum rimatus est in actionib. quandoquidem licet ipsa continuitas præberet solùm usum animali benè habenti: quia tamen soluta potest actionè lædere, ideo inter morbos numerata est. *Ibidem.*

F

4. Obiectio. Postremò non possum occultare scrupulum, qui aliquos poterit stimulare, ac pungere, quod de particula; *primò*, nullam fecerim mentionem, quando morbum in prima cõclusione definivi, constitutionem præter naturam lædentem actionẽ. Nam Gal. in hoc capite vehementissimè solicitus est de hujusmodi differentia, & meritò ac jure, quoniam libro de differentia morborum magno usui fuit ad morbum à sua causa distinguendum. Sed objectionem hanc, quæ magnam difficultatem videtur habere, quæstione sequenti percurremus. *Cap. 7.* *Solutio.*

G

VTRVM IN MORBO definiendo sit ex usu particula Primò.

QVÆSTIO. V.

PRIMA definitione decretum est, *morbum esse constitutionem præter naturam lædentem actionem*, sed appendiculam *primò*, nõ commemini, utpote quæ subaudiatur, & adsignificetur in constitutione. Verum nostra hæc sententia in has, quæ sequũtur, angustias compelli potest.

H

Gal. libro de diff. morb. *Quiemq. igitur affectus*, ait, *non per se ipsos*, hoc est, non primò *impediunt: sed ea ratione quod primo actionis instrumento officiunt*, id est mediante parte instrumenti *Cap. 6.*

menti principe, *causæ morborum sunt. Sed in aliquo non lædentes primũ actionis instrumentũ*, hoc est, nõ lædẽtes interjectione primi actionis instrumenti, sed per se ipsos, & primò *ipsam operationẽ impediunt, jã tum hujuscemodi affectus ægritudines sunt appellandæ.* Deinceps verò. *Cap. 7.* *Nã pro confesso habetur, quod quæcunq. dispositiones primò læsũt operationes, ægritudines nũcupantur.* Præterea. *Ibidem* *Cũ verò ipsa dispositio operationem primò impedierit, ejusdem autem dispositionis causa nullam attulerit primò offensionem, dispositionem quidẽ ægritudinem: quod autem ipsam facit, causam ægritudinis dicere oportet.* Et paulò post. *Cap. 8.* *Constat igitur, quod in hujusmodi affectib. angustia meatus est ægritudo, nã primùm ipsa spirandi officiũ impedit: causa verò præcedens similitas nasi, quæ naturalẽ eiusdem figuram depravarit.* Item. *Ægritudinum causæ sunt germina, quæ meatus interserant: imprimis enim obstructio est ægritudo, quoniam & ipsa primò officit operationi.* Ad hæc. *Ibidem* *Quod verò ex his ipsis quæcunq. operationem primò impediunt, ægritudines à nobis dicantur, sicut suffusio, quæ verò non sunt ejusmodi, ægritudinum causa, omnib. constare arbitramur.* Rursus: *Ibidem* *quæcunque sane ex his operationem impediunt secundum sui ipsorum rationem*, id est, primò, *inter ægritudines locabuntur: quæcunque verò aliquam aliam partem operationis effectricem refrigerant, aut parcè alimentum transmittunt*, hoc est, interjectu intemperiei, *sunt ægritudinum causæ.* Mox addit. *Liquet earum læsiones, quæ actiones immediatè offendunt, ægritudines esse appellandas: earum verò, quæ ad usum aliquem tendunt, ægritudinum causas.* Tandem in hoc capite, postquam tradidit quandam seriem causarum, quæ frequenter se se invicẽ excipiunt, monuitque ut mentem accuratè adhiberemus ijs, qui causam etiam actionem lædere proclamarunt, subjungit. *Non enim per se, aut primùm, sed ex accidenti, & secundo impediri, offendiq. per eum*, id est, per eum affectum, qui causa est, *actionem dicemus: à morbo verò ipso primùm & secundum ipsius substantiæ rationem.* Et paulò infrà. *Ita non statim quidquid est in corpore præter naturam, morbum vocabimus, sed id, quod primùm actionẽ vitiat.* His tamen ego non perturbabor.

A

Vt autem mea opinio exitu præclaro concludatur, præfari expedit, quod & paulò ante dixi, duo esse affectuum, vel dispositionum genera, quorum alterum nõ disponit corpus primò & proximè ad agendum, sed tantum, ut tale sit, veluti resima figura nasi: alterum primò, & proximè corpus ad agendum prę munit, ut obstructio interni meatus nasi, quæ à resima figura ortum trahit. Affectus, qui tantum præparat, ut sit corpus, est qualitas simplex, ut color, qui verò ad agẽdum B præmunit, constitutio est, quæ ab Arist. dicta fuit ordo rei partes habentis secundum vim, & facultatem agendi. Quamobrem partium nostri corporis naturalis dispositio & constitutio, quam triplicem fecit Gal. lib. de diff. morb. & illius contrariam præter naturam, scilicet morbum, quem deinceps in tres quoque divisit differentias, illa omnib. secũdum naturam, hæc omnib. præter naturam actionib. proximæ sunt. Est namq. omnis partium constitutio continens actionum causa, proxima igitur est.

1. *Fundamentum.*

Cap. 3.

Ratio.

Præterea sanitas, media constitutio, & morb. proximo genere C congruunt, quoniam sunt partium constitutiones: idem tamen morb. ejus causæ, ac symptomata remoto genere conveniunt, quod sint affectus præter naturam. Quare morbus aliquando definitur, ut dictum est, constitutio præter naturam, subjunctis differentijs, quib. distingui tur à sanitate, & à meda constitutione: aliquando verò describitur affectus præter naturam, quo additis quibusdam differentijs discernitur à causa, & à symptomate.

2. *Fundamentum.*

His addatur nos de morbo duobus modis loqui posse. Namunum quodq. dupliciter cognoscitur. Primum ex propria forma, propter D quam est, à priori quis diceret, quoad medico speculari est. Præterea ex causa remota, & ex effectu, nimirum quia est, à posteriori dicũt. Sic morb. tum qua partiũ constitutio est, considerari potest, quæ quidem ex genere proximo & à priori cognitio est, tũ quatenus affectus est

3. *Fundamentum.*

præter naturam, quæ à remoto genere desumitur cognitio.

Quib. positis cõcludo. Cum morbum definimus partium constitutionem præter naturam actiones lædentem, quo tempore morbum ex proximo genere, & propria forma cognoscimus (genus enim in accidentibus respondet formæ) particula, *primum*, in definitione ex usu non est, nisi quis tyronum gratia addere voluerit, ad maiorem explicationẽ. Similiter arbitror, cum definitur morb. simùl affectus & constitutio. Nam tunc sumitur affectus paulò contractiùs nõ sanè pro affectu, qui tantum disponit præter naturam corpus, ut sit, sed pro eo, qui subjectum præmunit, & ut sit, & ut operetur, qui quidem est proximum genus morbi, quod æquat se partium constitutioni. Sic primo methodi medendi, cum definit Gal. sanitatẽ, & morbum simùl per affectum, & cõstitutionem semper affectui posti posuit constitutionem, ut firmiter stabiliret tunc affectum non esse genus morbi remotum, sed proximum, quod cum constitutione æquatus est. Tunc igitur particulã, *primò*, definitioni opus non esse, demonstremus.

1. *Conclusio*

Auctoritas Galeni. *Cap. 7.*

Primùm, quod ad hanc rem multum ponderis habet, libro de differentia morborum, & primo methodi, quib. locis probat Gal. morbũ esse constitutionem partium prẽter naturam, & causam actionis læsæ, de illa particula non commemorat.

1. *Ratio* *Cap 2.* *Cap. 7.*

Præterea definitio morbi probatur eidem Galeno absq. hujusmodi appendice: scribit enim in hoc capite morbi definitionem satisfacere his, qui statim subaudiunt, *primò*; imperitis verò, & litigiosis addendum esse, *primò*. Quod quidem non fuisset dictum artificiosè, si differentia illa esset ad distinctionem aliquã necessariò exprimenda, quoniam doctis etiam patentiùs addenda foret, non subaudienda.

2. *Ratio.*

Vndequæcunq. in aliqua definitione subaudiri dicuntur, implicitè continentur in aliqua illius definitionis parte: sed in morbi definitione, cum definitur constitutio præter naturam actionem, lædens sub

3. *Ratio.*

E intelligitur *primùm*, ergo in aliqua illius parte includitur, & comprehẽditur, quæ pars, ut liquet, constitutio est, igitur particula, *primò*, in definitione hujusmodi non est exprimenda.

Quinimmo, cum morb definitur constitutio præter naturam lædens actionẽ, dilucidè distinguitur morb. ab ijs omnibus quæ cum eo conveniunt genere: illa verò particula morbum à nulla specie distinguit, quæ conveniat cum eo, ergo constitutio præter naturam lædens actionem satis est morbo definiẽdo. Nã, quatenus est constitutio partium, differt à causis & symptomatis, quę nullatenus sunt constitutiones. Quã tum est constitutio & qualitas, permanensq. dispositio dissentit ab aliquib. causis, ab actione læsa, & excretis vel retentis, quæ permanentia non sunt, secundo methodi docente Galeno. Quã verò constitutio & affectus, qui disponit corpus, & vt sit, & ut agat, separatur à causis & symptomatis permanentib. quæ tantum disponunt corpus ut sit, ut depravatus color, similitas. Qua parte autem est constitutio præter naturam à sanitate dissentit, quæ naturalis constitutio est. Tandem qua ratione lædit actiones à neutra constitutione discordat, quam non judicamus actiones lædere.

4. *Ratio.* *Cap. 3.*

Quamobrẽ si species aliqua fuerit, à qua morbus esset distinguendus, maximè quidem esset ejus causa: sed morbũ á sua causa distinguit partium constitutio, utpote quòd nulla causa constitutio sit, ergo particula, *primò*, ad morbum definiendum nihil proficit.

5. *Ratio.*

Sed dicet aliquis, Permultæ causæ sunt morbi, ergo plures causæ sunt constitutiones. Valet antecedens, quoniam morb. ex morbo nascitur frequẽtissimè, ut docuit Gal.

Obiectio.

Hujus difficultatis solutio in promptu erit, si memoriam excitamus ad quæstiones libri de differ. morb. Quare observatum est morbum, quando sumitur formaliter (ut dicunt in scholis) non esse causam alterius morbi, sed cum sumitur ratione suæ materiæ, quæ constitutio non est. Sit exemplum inflammatio,

Solutio.

intemperies nimirũ ex fluxione sanguinis, febris causa dicitur, at non ipsa intemperies: sed caliditas præter naturam aucta, quæ à loco inflãmationis de parte in partem ad cor tendit, ipsius febris causa est, quæ tamen non est constitutio: sed qualitas simplex sub generico affectu collocata. Similiter, si tunicæ venæ, quæ in cavo iecinoris est, afficiatur præter naturam tumore, qui venæ meatum claudat, causa obstructionis nõ est constitutio venę prętęr naturam reddita, quæ morbi forma: sed tunicæ nimis aucta magnitudo & quantitas, quę morbi materia est.

Præterea cõcludo. Cum morbum definimus affectum præter naturam actiones lædẽtem, remoto, inquam genere, & ex effectu eundem cognoscimus, tunc particula, *primò*, in definitione magno usui est. Hac ratione morbum descripsit Gal. hoc capitę à sua causa distinctum.

2. Cõclusio.

Ratio.

Nam illa particula in aliqua definitione opus est, quę separat definitum ab ijs, quę cum eo continentur sub genere posito in eius definitione: at verò sub affectu præter naturam, una cum morbo, collocantur plures morborum causæ, quę itidem sunt affectus præter naturam, & præter id actionem lædunt alius interiectione, est ergo necessarium, ut in definitione morbi exprimatur actio primò læsa.

Gal. interpretatus.

Sed Galenũ Galeno conciliemus. Cum definit morbum ex propria forma, & à sanitate, naturaq. media, & neutra distinguit, quemadmodum in principio libri de differẽtia morborum, & primo methodi, de illa particula non commeminit: veruntamen cum genus commune cõtemplatur, sub quo morbi causa subijcitur, quemadmodum deinceps eodem lib. de differentia morborum, sanè tunc omne studium in illa particula ponit, & collocat. Quam quidem conciliationem ex hoc capite colligere licet ex quo nos fortasse duplicem definitionem olfecimus. Nam contextu quinto ex nostra partitione, cum morbum d istinguit à sanitate, eundẽ definit duntaxat constitutionem prętęr naturam actionem lędentem: cõtextu verò septimo, ubi discrimen

Cap. 6. 7. & 8.

A tradit inter morbũ & suam causam, toto animo de particula, *primum*, cogitavit. Quibus quidem voluit ignorantiam eorum corrigere (ut primo methodi) qui morbum cum sua causa, *quod proxima inter se habeantur*, confundebant. Nam, cum ignari essent Logicæ disciplinę, atq. propterea difficilé fuisset illis persuadere morbum & causam non subijci sub eodem proximo genere, nempe sub partium constitutione, facilioris doctrinę gratia ex remoto genere morbum definiri, atq. propterea particulam, *primò*, subiungi facilé passus est, B ac siluit. Quam Galeni doctrinam ego creberrimè secutus sum, cum aliquorum medicorum nostri temporis dicendi consuetudo sit non satis accurata propter ignorantiam Philosophiæ, ratus Galenum ex sui temporis medicis id ipsum de posteris verè fuisse auguratum nimirum *ex præsentib.* cum Hippocrate, *futura prævidens*.

Sed ne aliquid præterire videamur, ad hæsitationes inimici odiosi & molesti accedamus, cuius animi imbecillitatem opinionum vanitas C ab hac vera definitione torsit ac flexit.

VTRVM MORBVS probe definiatur per affectum præter naturam.

QVÆSTIO VI.

D ET si ex ijs, quæ dicta sunt, posse mus facilè dissolvere omnes difficultates in quas disputatio de morbi genere incidit, & incurrit: tamen, cum maxima sit in aliquib. obiectionib. obscuritas & in aliquorum iudicijs infirmitas, cogar invitus ante oculos mihi cõstituere cẽsoris duri & agrestis argumẽta, & cuilibet figilla tim respõsum reddere. Quę quidem innumerum duodenarium digessi, & morbi definitionis tripartitæ uni cuiq. parti quatuor opposui, ut studiosi obiecta cuncta facilius compre

henderent,

henderent, & memoria retinerent vehementiùs.

1. Obiectio Primùm reprehenditur noster Galenus (si hoc dictu fas est) de genere ambiguo & dubio, quo usus est ad morbum definiendum. Nam affectus præter naturam continet sub se morbi causam & symptoma, ut ipse docuit in hoc capite, & libro secundo medendi methodi, quæ ad diversa rerum genera pertinere manifestũ est, ut lapis, color, motus, quæ non possunt in unam synonymam naturam congruere & convenire.

2. Obiectio Præterea videtur corrumpere antiquam huius vocis potestatem, & significationem, quoniam dispositio præter naturam facilé à subiecto divellitur, & distrahitur, quod planum fecit Arist. qui dispositionem ab habitu distinguit, & separat, quod habitus sit qualitas inveterata ægrèq. dissolvatur, & diutiùs detineatur: ipse autem affectum, & dispositionem rẽ intelligit constantem & firmã, quęq. stabilis possit permanere: sic enim locutus est. *Ita scilicet, ut in ipso verti, & mutari, & alterari & moveri, passio generationem habet: in eo verò, quod manet, & in subiecto corpore reservatur, affectus constat.*

Tex. 3.

3. Obiectio Ad hæc iusta reprehensione careret, si inter illas alterationes, quæ habẽt aliquid stabilitatis, plures alias temporis spacio præcisas, & breviores numerasset, ac ut illas morbos etiam constituisset, quoniam tantum morbos esse putat stabiles, ac permanentes alterationes: excludit verò eas, quæ citò finiuntur, licet semihoram perdurent: enimverò apoplexia, & dolor colicus, quantumvis ad exiguum tempus durẽt, nihilominus tamen morbi sunt.

4. Obiectio Illud demum tolerare nõ potuit, accusitor, dum calumniatur, quod Gal. hoc capite, & multis alijs in locis permansionem & cõstantiam postulaverit in morbo: libro autem methodi primo acerbè & asperè accusaverit Olympicum, quod morbũ permanẽtem esse debere definierit. Sic enim sermonem confert. Rursus sicuti illi ὑπομένον, permanens (ut transtulit interpres) adijciunt, nec indidant quot horas eiusmodi affectus moratus morb. sit censendus, ita illi nobis concedant, illud ὑπομένον, subtrahere.

1. Solutio Hæc argumenta probabilia visa sunt aliquib. nimirum illis, qui dum primum nodum expedirent, ambiguitatem in affectus nomine facilè concesserunt.

Germanus interpres respondet Galenum affectus nomen interdum generatim usurpare pro omni eo, à quo nostrũ corpus afficitur: & item magis contractè pro omni mutatione in id, quod præter naturam est, qua ratione tres esse affectus præter naturam censet, morbum, causam, & symptoma: tertiò compressiùs ad hoc pro eo, quod factum est, & permanet in re, quæ perpessa est, qua ratione sumitur affectus in definitione morbi, eius nomine ad certam significationem contracto. Quæ tripartita distinctio à nobis paulò ante reiecta fuit: in præsentia verò non possum non facilè existimare interpretem hunc dedisse manum obiectioni & genus ambiguum cõfessum fuisse. Nam licet illa nominis distinctio vera reputetur: tamen ancipite cogitatione distractus adhuc mihi videtur errare. Siquidem cum Gal. morbum definit affectum, definitione nulla nota ostendente affectum illum significare rem factam & permanentem, poterit quispiam existimare morbum esse passionem, vel alterationem, non minus, quam permanentem qualitatem, à quo longissimè abhorruit Gal.

Refutatur.

Alia sol. Comes Montanus, cum fugit homonymiam, labitur ad errorem cõtrarium. Opinatur affectum esse synonymum & verum genus morbi, causæ ac symptomatis.

Refutatur. Sed eius opinio falsa est, aut certè obscura, cum expresse non scripserit, utrum id de omni causa, & de omni symptomate intelligatur. Nam affectus, qui genus est morbi, qualitas est constans & firma: motus verò, qui multorum morborum causa est, vel actionis læsæ, quæ symptoma, nullo temporis spatio partes manent, sicuti profectò nec sermonis.

Alia sol. Autor vivę Anatomes, cuius opera interdicta sunt, arbitratus est, affectum, & constitutionem corporis verum genus esse, atq. sub prima spe-

cie

cie qualitatis contentum amplecti affectum corporis naturalem, qui sanitas est, & affectum corporis præter naturam, qui morbus atq. præter nos nullum esse proprié humani corporis affectum. Nam causa, & symptoma nomine tantum sunt affectus, causa quatenus imprimit corpori morbum, symptoma quatenus producitur à morbo. Ad unum igitur morbum dicuntur affectus.

A

Refutatur. Sed huius viri sententia superiùs refutata est, quoniã plenitudo, quæ morbi causa est, & vitiosus color, qui symptoma, non minus sunt affectus, & res permanentes præter naturam, quam morb. ut secundo methodi patet.

B

Cap. 3.

Solutio. Auctoris. Dicamus ergo nos morbum, tum per constitutionem, tum per affectũ definiri. Cum dicitur cõstitutio partium præter naturam, definitur per genus proximum, cuius veræ species sunt sanitas & morb. Quod si voluerit aliquis mediam constitutionem statuere, nihil repugnabo. Idem dicendum est, cum definitur per affectum simul & constitutionem, quoniam tunc affectus constitutione signatus & notatus, sumitur pro qualitate corpus ad actiones per se disponente, qui etiamsi nomine differat à constitutione, re tamen est unum & in omnib. idem. Verumtamen si morbi genus constituatur solus affectus præter naturam, neq. tunc ambiguum, vel incertum genus est. Quoniam affectus est remotum illud morbi genus, quod etiam competit causis, & symptomatis, quorum nomen affectus est commune, & ratio essentiæ iuxta illud nomen eadem: morb. enim, atq. causę, ac symptomata quę cunq. absolutè dicuntur, hoc est, quæ permanentia sunt, ut febris, sanitas, vitiosus color sunt qualitates in subjecto permanentes, quæ perperam illud disponunt: licet enim tunc remotum sit: tamen sic aliquando morbum definiri prædictum est, ut cum causis ac symptomatis permanẽtib. conferatur, illorumq. distinctio magis eluceat in curatione.

C

D

2. Solutio. Secundæ obiectioni cumulatè fuit satisfactum libro de differentia morborum, ac magis, magisq. probatum affectum non aliter Galeno, quam Aristoteli usurpari. Sed, ut omnia magis explicentur, observandum est ex libro primo medendi methodi, mansionem, vel permansionem (permanentiam vocant) bifariam dici. Altera est naturæ rei & subsistentiæ, altera verò temporis. Si permanens referatur ad partium subsistentiam, qua ratione consideratur, ut distinguitur tãtum ab eo, quod movetur, id permanens est, quod moveri cessavit, res quidem stabilis, & facta, atq. in termino existens, cui opponitur, quod movetur, alteratur, & adhuc est, ut dicunt, in fieri, & in via. Si verò ad tempus pertineat, rem diuturnam significat, & quæ difficiliter immutatur, cui opponitur breve, & quod celeriter mutationem facit. Qua posita distinctione, facilé solventur, quæ tres diluendæ supersunt objectiones. Nam, cum Arist. vocat dispositionem facilé mobilem, tempus considerat, qua ratione dispositio discernitur ab habitu, qui omninò adhæresc it & fixus est. At quando Gal. vocat dispositionem stabilem, & permanentem, contemplatur naturæ permanẽtiam, & partes extra motum, quæ iam factæ sunt, & subsistentes non amplius in motu, sed in cessatione.

Replicatio. Verum infestus homo replicat argumentum, nobisque obijcit Galeni auctoritatem ex hoc capite deprõptam, ubi hæc legimus. *Quod in ipso fieri essentiam habet actionem passionem-ve nominavimus: quod in permanentia ad aliquod tempus, sanitatem, morbum-ve.* Ex quib. verbis colligit, permanere, mãsionem temporis significare.

Solutio. Verumtamen, cum nos in dispositione partes factas & stabiles contẽplamur, non excludimus tempus: ficimus enim dispositionem durare ad aliquod tempus, quantumvis exiguum. Ergo arbitramur eius essentiã tantum consistere, non in duratione, sed in permanentia naturæ, quæ potiùs est signum rei factæ, & permanentis.

3. Solutio. Hinc tertium argumentum debilitatur, & frangitur. Nam ea dispositio morb. à Galeno vocatur, quæ à motu relinquitur in corpore, quod perpessum est: tametsi dumtaxat duraverit ad semihoram, aut multò minùs,

1. metho. Cap. 9.

nùs, ut in fulminis ictu. *Siquis enim*, ut ipse ait, *sive trib. horis sive quatuor, sive horæ tantum dimidio, toto corpore vehementer sit arreptus, sic ut neque sentiat, neq. moveatur, hunc apoplection, sive attonitum dicimus. Æquè siquis convulsus toto corpore sit, hunc etiam comitiali morbo laborare, nulla nec horarum, nec dierũ ratione habita, quippe hæc morborum nomina indicia sunt modi & quantitatis naturæ rei, non temporis.* Veluti cum aquã iam calidam esse dicimus, non tempus, sed aquæ subsistentiam in eo statu consideramus. Apoplexia igitur, epilepsia, dolor colicus, & febris diaria, qualitates præter naturam permanentes sunt, ac morbi.

4 Solutio

Quartæ obiectioni diluendæ magnum ornamentum nobis suppedita bit contextus græcus. Ergo voluit Gal. ut dictum est, omnem affectum propria vi obtinere permanentiam naturæ ac partium, quib. cõstituitur. Vnde dixit hoc capite. *Ita scilicet, ut in ipso verti, & mutari, & alterari, & moveri passio generationem habeat: in eo verò, quod manet* (μένει) *ac in subiecto corpore reservatur, affectus consistat.* Et paulò post. *Iam ipsum quoq; permanentem affectum,* (μόνιμον διάθεσιν) *græci passionem nominant. Quanquam qui manet affectus* (μένουσα διάθεσις,) *absoluto sermone passio non est.* Libro autem primo de locis patientib. morb. appellatur affectus μένων, *manens*, à verbo μένω, quod est maneo. Præterea hoc capite in initio distinguẽs affectum à pathemate. *Quod verò*, inquit, *per aliquod tempus permanet* (διαμένον) *sanitatem, vel morbum nominamus*, quod à verbo διαμένω dixit, quod est permaneo. Tãdem eodem loco morb. appellatur affectus, qui permanet (διάθεσις ἰσχυρὰ) à verbo ὑπομένω, sustineo, permaneo. Quam appellationem usurpavit libro secundo medẽdi methodi, ubi de actione verba faciens scribit. *Siquidem nullo temporis spatio illius partes* ὑπομένει, *permanent.* De morbo verò & sanitate loquens, dixit. *Aliqua habẽt* (ἕκαστον τῶν ὄντων) *permanẽtem substantiã.* Et paulò post. *Sanitas quidem & morb. & quæcunq. symptomatum, causarumque affectus vel habitus sunt,* ὑπομονητικὰ ἕξεων, *ex permanentib. sunt.* Methodici autem arbitrabantur morbum ex propria essentia, præter naturę permanentiã,

Mènonti.
Menusan Diathesin.
Mènusa diathesis.
Mènimos.
Mèno.
Diamènein
Diamèno.
Diathesis hypomènusa Hypomeno.
Cap. 3.
Hypomène
Hypomènẽ ten usian.
Hypomènõ ton eisin.

E includere ex præfam temporis duratione, ut colligitur ex Galeno methodi medendi primo, ubi Olympicus sic morbum vel pathos definiebat: idẽ enim esse putabat morbum & pathema. Pathos est conversio corporis à naturali habitu in eum, qui præter naturam est ἰσχυρὸν, ideſt, durabilis. Nam verbum ἐπιμένω, à quo ἐπίμονον methodicis, ac etiã Galeno, qui proprium usum diligentiùs observavit, nihil erat aliud, quam constanter permaneo, & quasi, pertinax sum.

F Methodici ergo, cum morbum ἐπίμονον esse dicebant, temporis intelligebant diuturnitatem, quod significavit Gal. duob. argumentis, quib. in illos invehitur. Primum est, quoniã cum morbũ ἐπίμονον esse debere constituissent, indicare tenebãtur, quod tempus id sit, quod durationem illam determinet, utrumne dierum aliquis numerus sit, an horarum. Alterum est, quoniam nemo illorum observavit, cur ἐπίμονον dicant, cum licuerit χρόνιον, ideſt, *diuturnum* dicere, aut cur ἐπιμονὸν mutantes illorum non-

G nulli, morbũ appellaverint δύσλυτον, *difficilè solubilem.* Nam extremę ruditatis est existimare ad rem pertinere *agrè solubilem, an durabilem, an diuturnũ* dixerint.

Itaq. morb. à Galeno μένιμον, permanens dicitur, nunquam ἐπίμονον, quoniam μένον quamcunq. permanentiam, tametsi exiguam indicat: ἐπίμονον verò tẽporis longinquitatem significat, quæ causa est, cur Gal. à morbi definitione hanc durationem methodicorum subtrahendam mordicùs tenuit. Quamobrem si interpretes ipsius Galeni μενετὸν, *manens*, vel *permanens*: ἐπίμονον verò *durabile*, perpetuò

H transfuliſſent, nec ita confunderent permanentiam Galeni cum methodicorum duratione, diuturnitate ve, nec ita censorem nostrum græcæ linguæ imperitum fefelliſſent. Nam Olympicos, ut significavi, permanentiam temporis in morbo requirebat: sed Gal. permanentiam naturæ sufficere putavit.

(✠)

Epimonos. Epiméno. Epimonos. Epimonon. Ibidem. Epimonon. Epimonon. Chronion. Epimonon. Dyslyton. Monimos. Epimonon. Monon. Epimonon. Monon. Epimonon.

VTRVM

VTRVM MORBVS bene definiatur actione læsa.

QVÆSTIO. VII.

PRæterea importunissimus homo secundam morbi definitionis partem insectatur & agitat. Nam, si Gal, adeo aspernatur, & abhorret, atque anxius, & solicitus est de actione manifestè læsa, ut vel exiguas à medio ad utrumque extremorum eversiones, nequaquam ægritudines appellari permittat, donec partis operatio omni noxa sensibili caruerit, quare dixit primo libro de morbis patientib. quamcunq. declinationem à naturali statu morbum esse, quamtùvis non lædat actionē manifestō? Illius verba nos aliquando transcripsimus.

1. Obiectio

Acipathesiam.

Li. de diff. morb. q. 13

2. Obiectio.

Insuper non potest actio læsa morbum tantopere circumscribere, nos ve in illius cognitionem ducere, quā topere Ga. prædicavit. Quoniam per multæ in humano corpore partes incorrupta sanitate fruuntur, sæpissimè tamen proprijs actionib. orbatę. Huius generis sunt oculi, nervi, & vocis instrumenta, atq. partes aliæ, quæ vim agendi, aut materiam ab alijs suscipiunt, siquidem ob vitia illarum, à quib. vim & materiam sumunt, ratione consensus propria munera exercere nequeunt: etenim ventriculus defecto nutrimenti absque ægritudine aliqua cōcoquere desinit. Ecce læsam actionem citra morbum.

3. Obiectio

Amplius, si actio læsa, quid morb. sit demonstraret, non modo solutio continui morbi esset utrisq. partibus communis, sed etiam omnis morbosa intemperies. Nam hæc etiam instrumētorum actionib. incommodat: exemplo sit febris, à quo motus, & aliæ instrumentorum actiones impediuntur: crystallini quoq. humoris intemperies, & actionem similarem, & visionem, quæ actio instrumētaria est, manifestò turbat.

4. Obiectio

Illud demùm in magnam admirationem traduxit inconsideratum hominem, quod voluerit Ga sola actione læsa definire morbum: cum ab eodem quoq. trahant originem reliqua duo symptomatum genera, nimirū, quæ in qualitatib. alienis, & excrementis præter naturam consistunt, ex quib. nonnunquam morbum facilius cognoscimus, quam ex actione impedita, ut in dysenteria, & morbo regio licet contemplari.

Observatio

Vulgaria, & communia sunt argumenta hæc, quib. sanè desisterem respondere, nisi quòd, dum responsito, & doctissimorum virorum sententias refero, semper ex illis fructum duplicem capio: docti enim interim, dum responsa reddunt, quasi semina quædam doctrinæ spargunt, ac disseminant.

1. Solutio. In contro. quæst. 23

Ergo libro de morborum differentia uberrimè disputatum est, qua ratione docti viri fuerint interpretati Galeni verba libro primo de locis patientib. conscripta. Quæ verò ego ibi senserim, hic breviter perstringam. Non dixit Gal, quamcunq. declinationem morbum esse, quamvis non lędat actionem manifestè, ut ille desipiens de optimo viro falsò confinxit: sed describit quemcunq morbum, tametsi exiguus ex propria essentia fuerit, ut ob parvitatem non appareat, ab initio tamen propriam morbi naturam habere, veluti continui solutio in colico dolore, quæ adeo exilis est, ut sensu percipi nequeat.

2. Solutio.

In secunda ratione libenter concedimus in morbis per consensum vitiari partis actionem, etiam si pars ea nullum proprium affectum patiatur. Sic enim afflictātur animalia instrumenta, ad quæ vis aliqua defluit à principio, veluti lumē à sole, quod quidem non inficiatur Gal. Voluit tamen quemcunq. morbum lædere actionem cuiuscunque partis fuerit actio. Quod sane decretum expeditum est solutum, liberum, nullaq. ratione implicatum.

Alia solu.

Aliter ego respondeo, cum accuratiùs differo. Nam libro primo de locis patientib. docuit Gal. *quamlibet in animantis corpore actionem peculiarem habere particulam, per quam perficitur, eoq actionem lædi necessum esse instrumento* (partem intelligit) *ipsam efficiente quomo-*

quomodolibet affecto. Quomodolibet, dixit, quoniam ad ęstionem actionis, nō est opus, partem proprio aliquo malo laborare, sed satis est per consensum alterius partis pati, per sese minimè affectā. Igitur, quoties actio lęditur, pars illius opitex bifariam potest pati, vel per se, vel per consensum. Duobus autem modis per consensū lęditur, aut enim re aliqua privatur, ut cū aere guttur, vel oculus spirituosa substantia, seu facultate ex cerebro influēte, qui proprius consensus est, aut rem aliquam aliunde venire patitur, ut cum cerebrum lęditur à vaporibus vitiosis, vel humoribus, à ventriculo ascendētib. His positis respondeo affectus omnes per consensum dictos ad proprios morbos referri ac reduci posse, & quidem instrumentales, quoniam omnes fiunt per excessum, vel defectum. Quare, si re aliqua in usu sibi necessaria privatur instrumentum, morb. adest numeri deficientis: si verò recipit, quod damnum inferat, numeri aucti, & abundantis morb. est. Verū G. qui partem primùm affectam semper respicit, nimirum in curatione, altera solutio satis est. Nostra verò deserviet curiosis investigaturis, an dentur morbi per consensum. Nam quantùm attinet ad curationem, quam contemplatur Gal. concedendi sunt: sed quoad rei naturam nihilminùs. Vētriculus autem, licet ob alimenti defectum concoquere desistat, eius tamen actio ex eo, neq. aboletur, neq. diminuitur, neq. depravatur, neq. enim lęditur, cum in opere cessat.

3. *Solutio.* Tertiæ difficultati respondet Comes Montanus morbos non distingui per actiones læsas, sed per propriam naturam: eosdem enim discriminant partes ipsæ, quarum sunt constitutiones præter naturam. Vnde si fuerit partium simplicium constitutio, illorum morb. dicetur, itidem si compositarum, quemadmodum si utrarumq. morb. communis. Quod autem morborum distinctio nō colligatur ex actionib. læsis, ex eo constare putat, quoniā morbi partium similarium lędunt actiones, non similarium tantum partium, sed etiam dissimilarium: & morbi organici nō suas tantum, sed etiam partium similarium. Qui valde mihi videtur errare quoniam hac data responsione, obiectatio, quæ alioqui apud omnes levis & infirma est, multò plus firmamenti, & roboris habet. Sed nos in superiorib. opinionem Montani reiecimus, & illius cōfidentiam compressimus. *Refutatur.* *Li. de diff. morb in cō tro. q. 58.*

Quare respondendum existimo nullam esse actionem similarem, quā lędat morb. organicus, nullamque instrumentariam, cui morb. similarium incommodare possit: sed solùm continui solutionem morbum cōmunem esse, ut potequi sola utrarumq. partium impediat actiones. A febri autem instrumentorū actiones per accidens offenduntur, per se verò ob organi structura, cuius aliquod ex constituentib. permutaverit febris, vel eius causa: quemadmodum intemperies humoris crystallini visioni officiunt solummodò cum formationem mutaverint. Quæ omnia, ut penitus intelligantur, studiosè lectitanda est quæstio hac de re constituta loco citato. *Auctoris Solutio.*

Postrema ratione ignarus homo quid actio valeret, duo reliqua symptomatum genera cum actione læsa putavit æquari, & ad morbū describendum non minùs posse. Ab ea tamen plurimùm distant, longeq. diversa sunt. *Nam prima utilitas animalib. ab actionib. accedit, secunda à partib. nullam enim partem propter se ipsam habere cupimus, supervacanea enim ita esset, si actione esset orbata, & abscindenda potius, quam optenda.* Quamobrem *affectus cum actione una consistit, nec potest usquam aut proba actio esse sine corporis naturali affectu, aut vitiosa, nisi cum corpus sit vitio affectum.* Ac corporis affectus, ut color, interdum vitiatur citra morbum, veluti cum *ex diuturna in sole mora quis fit ex candido niger.* Vnde *ipsum functionis vitium insigne quoddam morbi symptoma dicitur* à Galeno: reliqua tantum *familiaria* vocat, & *propria*, quorum multa possunt à morbo seiungi: *si quis tamen voluerit, nec familiaria, nec propria, sed forte quadam incidentia* nominare, libenter permittit. Hæc læsam actionem sequuntur, atq. hac de causa libri de oculis autor nocumentum actionis reliquorum 4. *Solutio*

rum ſymptomatum cauſam eſſe ſcribit. Iam quaſdam veterum ſectas læſas actiones morbos ſtatuiſſe paſsim tradit Gal. quorum errorem coarguit, ſed illud neceſſariò concedit morbum poni poſita actione læſa, & tolli ſublata, quemadmodum poſito morbo ponitur actio læſa, & aufertur ſublato, quando quidem ſanitas, & naturalis actio ſimiliter ſe habent. Summa eſt: dum actione ſola morbum definit Gal. actionem maximi momenti, & ponderis, reliqua nullius, ad morbi vim expendendam & ponderandam, cũ revera ita ſit, eſſe putavit.

VTRVM SOLVS MORBUS lædat actionem primò.

QVÆSTIO. VIII.

Micra pro ſibece.

PRIMVM, ad extremum ſe offert exponendum, tanquam μικρὰ προσθήκη, & quaſi appendicula definitionis explicatæ, quæ licet ex parte quadam propter ſophiſtas fuerit adjecta, nihilominus tamen pro ea eſt acerrimè propugnandum, ut Galeni definitio omni culpa liberata in integrũ reſtituatur, ne qua, ex ſumma indignitate calumniatoris, labes illius dignitati aſpergatur.

1. Obiectio.

Porrò cauſam ignorat malitioſus interpres, cur addita fuerit hæc particula. Nã morbus alteratio eſt Galeno, vel qualitas Ariſtoteli, cauſa verò ad aliquid, ergo indefinitione redundat illa differentia, quæ poſita eſt, ut morb. à cauſa diſtinguatur, cum ſub eodem genere nõ ſint.

2. Obiectio. cap. 1.

Quinnimò cauſa ſæpiſsimè lædit actionem primò, ut legimus tertio libro de ſymptomatum cauſis, ubi concoctionem ventriculi labefactari affirmat Gal. vel propter ciborũ: & potionis copiam immodicam, vel pravam qualitatem, vel quia intẽpeſtivè, vel non recto ordine ingeruntur, vel ob excrementum vitioſum, vel ſomnum brevem, quæ omnes cauſæ primò & per ſe impediũt coctionem, ventriculo minimè affecto.

3. Obiectio.

Præterea inter morbũ, & actionẽ mediat vis corporis, ut intemperies cauſa ſit facultatis agẽdi, hæc actionis, operis verò actio, veluti libro primo de naturalibus facultatib. & alibi paſsim oſtẽdit Gal. ergo morbus nõ lædit actionem primò, ſed facultatis interjectione.

4. Obiectio.

Poſtremò plura ſymptomata ſũt, quæ lædunt actionẽ primò. Nã actiones permultæ impeditę lædere ſolẽt alias actiones, ut læſa vẽtriculi cõcoctio cauſa proxima eſt generationis ſanguinis vitioſi: hæc vitioſitatis nutritionis: ſenſus acerrimus vẽtriculi vomitus, ſingultus cardialgiæ, ac ejuſdẽ generis multorũ ſymptomatũ, veluti dolor in pleuritide difficilis reſpirationis. Quin etiã ſymptomata, quæ ſunt diſpoſitiones, & dicuntur qualitates mutatæ, primo, & per ſe lædunt actionẽ. Flavus color tunicæ corneæ fallacis viſionis cauſa eſt, ut in morbo regio: fœtor narium depravati odoratus: amaritudo linguæ guſtatus injucundi: auriũ intra ſeipſas ſonitus auditionis læſæ: durities, mollities, laxitas, aſtrictio, craſsitudo, tenuitas, raritas, & denſitas proximè lædũt actiones, ergo à ſolo morbo non lædũntur actiones ptimò.

1. Solutio.

Sed mirari ſatis hujus hominis perfidiã non queo. Sanè Gal. ſignificavit, ut nos prædiximus, particulã hanc fuiſſe additã propter tyrones, hebetes, & rudes, atq. ad ampliorẽ dilucidioremq. rei explicationẽ, dũ intelligatur affectus idem quod partiũ noſtri corporis cõſtitutio, cum nulla cauſa morbi conſtitutio ſit: ac quia morb. & ejus cauſa incõmodãt actioni, re pingui minerva, ut aiunt, cõſiderata, particulã illa morbum apertiſsimè & planiſsimè ſeparamus à ſua cauſa. Quinimmò ſi morb. definiatur per affectum præter naturam, & remotum genus, quod adhuc non coit cum cõſtitutione, ſed in morbum, cauſam, & ſymptoma dividitur, tunc actioni læſæ, *primùm*, ſubjungere neceſſum eſt, ut morbum ex rei natura diſtinguamus à ſua cauſa ſpecie diſpari, ea ſcilicet, quæ non minus, quam morb.

præter naturam affectus est, tametsi deinde ad idem morbum respectū habeat, quo tantum dicitur ad aliquid, non tamen est, sed qualitas ab soluta, quemadmodum de morbo dicebamus.

Lib. de dif. morb. in cō tro.

Iam verò, cum ventriculus non concoquit, quod naturaliter cōquere non potest, ut immodicā ciborū copiā, vel pessimā qualitatē, lapillos cerasorum, vel vinacea, nihil errat circa propriam actionem, quod ad ipsius rationem pertinet. Quoniā illi cibi nullam habent proportionē ad facultatem: oportet enim semper memoria tenere, ut alicubi G observavit, quod nulla causarū sine patiētis aptitudine agere potest. Facit quidē vētriculus, quod debet, ac potest, ut homo cōpedib. cōstrictus, qui tametsi non lædatur, extrinsecus tamen impeditur. Cum igitur ventriculo impedimento sit tāta moles, vel pravitas, quā nequit sustinere, illius quidē actio non dicitur læsa, abolita, diminuta, vel depravata, sed adhuc nō inchoata. Qua re actione illæsa manente, opus læsum est. Vnde cōcoqui nō posse, ut Gal. habet, ὅτι τὸ τῶν χυμῶν σφῖγμα ἐνέργεια, *actionum substantia symptoma est.* Quamobrem, ut legimus tertio de causis symptomatum, cū ventriculus nihil omninò concoxerit, aliquando id evenit ob propriū illius affectum, atq. tunc cōcoctio dicitur læsa: nōnunquā tamē accidit ob immodicā multitudinē vitiatāve qualitatem, quo tempore ex hac re vētriculus nullū patitur affectum, ut primo de locis patientibus exaratum est, dicitur autem externus error illud symptoma substantiæ ciborum propter illorū ineptitudinem. Sed hac de re alio loco dicemus.

2. Solutio.

3. Solutio.

Tertiam rationem, ut solvat Segarra dixit facultatem nihil aliud esse, quā certā quandā ac conveniēn tem quatuor elementorum temperiem, seu partiū corporis naturā, & structurā, ut nihil referat sive facultatem, sive naturam, sive cōstitutionem naturalem, sive temperiem actionis causam dixeris. Quemadmodū ergo temperies causa est actionis probæ, sic intemperies causa est actionis læsæ, quam primò & nullo alio interveniente lædit. Sententiā hanc poterat ex Gal cōfirmare, qui libro de morborū differentia scripsit sanitatem non esse actionem: sed potentiā, vel, ut nos interpretati sumus, id, quod est, posse agere.

Refutatur.

Tamen Segarra, licet apud aliquos sit excusatus, quod cum Galeno sentiat: à me tamen ponitur in culpa, quod cum eo errare maluerit, quam cū Aristotele, ipsaq. adeo veritate ac natura sentire. Nam Gal. cujus vestigia sequi debebat, *præter unā veritatis amatorem, quem multis præposuit, reliquos omnes pro nugis meris habet.*

Lib. 2. de dig. pul. c.

F

Solutio Au thorit.

Quamobrem statuendum est animā seu ejus facultatem principia esse operationum omnium, atq. actu agere nihil posse absq. certis instrumentis, quæ nacta sint dispositionem certā ad singularem actionem producendā. Quoniā autem facultas impatibilis est, ac nulli per se obnoxia mutationi, seu alterationi, certum est ejus culpa, nullā actionem mutari, aut deteriorem effici. Quoties ergo variat, necesse est, ut instrumentum variatum seu mutatum sit ratione alicujus dispositionis, nimirum temperici, vel structuræ, vel cōtinuitatis, quæ partib. insunt, atq. accidunt: nisi enim accideront, nō possent, modo laudabiles, modo illaudabiles esse manente subjecto. Quare facultas agit mediis partium cōstitutionib. & dispositionib. quæ agentia proxima sunt. Sed huic quæstioni libro de differentia morborum abunde satisfecimus.

G

H

Solutio. Comitis Montani.

Argumentatio postrema biparti ta est. Primùm actionē læsam posse impedire alias actiones probat: deniq. de qualitatib. quæ sensu percipiuntur, idipsum confirmat. Comes Montanus, dum ad primam partem aggreditur libenter concedit læsam actionem aliā primò lædere, ut cum ex ventriculi depravata cōcoctione, vitiatur sāguinis generatio, etiā si hepar nullū patiatur affectū, atq. ex hac postremò nutritio: omnia tamen à morbo pendere putat, à quo nascitur primum symptoma. Nā sublato morbo, & illud tollitur, quod primò & per se traxit originē à morbo, & cetera, quæ à præcedentib.

tibus fuerunt excitata. Responsum hoc depromsit ex hoc libro, ubi docet Gal. alteri symptomati alterum
Cap. 4. succedere, atq. symptoma symptotis causam esse, fieriq. nonunquam symptomatum, quæ deinceps sibi invicem succedunt, veluti seriem quandam: à morbo quidem ipsum primum symptoma, ab hoc secundum, deinceps rursus post hoc tertium, ab isto deinde quartum.

Sed id omne plenum est erroris falsoq. proditum actionem aliquã
Refutatur. læsam oriri à morbo interpositu & interjectu alterius actionis, ut suo loco demonstrabitur, ubi à multis imperitis lectionis Galeni tantus
Ibidem. Tex. 18. eripietur error.

Nunc objectioni respondemus actionẽ læsam alicujus partis ægro-
Solutio Autoris. tantis nõ posse lædere actionem alterius, quæ morbo vacet, sed occasionẽ esse, cur sana pars opus suum nõ rectẽ faciat, etiam si læsa non sit. Quamobrẽ ex depravato chylo non generabit hepar optimũ sanguinẽ, licet ipsum nullo vitio laboret ejusq. actio neutiquã erret, quoniam propter inconveniens objectum talis contrahitur culpa. Sed paululùm respiremus, res enim protinùs
Ibidem. ad pugnam veniet.

Iam sensus acumen vel hebetatio naturales imbecillitates sunt, non symptomata, de quib. quæsitum est nobis aliàs.

Permulti de dolore dubitant, utrũ lædat respirationẽ. Verũ id ex
Cap. 15. plicat Gal. libello de artis constitutione: spirãdi enim difficultas pleuritidẽ comitatur, quod mẽbrana costas succingẽs respiratorij instrumẽti, nẽpe thoracis, portio quædã fit, qua affecta intercostales musculi, qui respirationi plurimũ inseruiũt ob tumorẽ liberè attolli, & deprimi non satis queunt: parva tamẽ, & frequens fit in hujusmodi affectu respiratio ob instrumẽtorũ ei actioni inservientiũ inobedientiam, & coarctationẽ. Nã, cum valde doleãt, qui tali affectu præmũtur, dolor autẽ augeatur, ubi instrumenta respirationis plurimum deducuntur ob coarctãtem musculos tumorẽ, hinc fit, ut nondũ absolutã actionẽ respirationis dissolvere, atq. interrũpere cogantur. Facultas ergo instrumẽtorũ interjectione illã difficultatis respirationis speciẽ molitur & facit.

In superiorib. latiùs disputavimꝰ cõtroversias de tunicæ corneæ colore præter naturam, & alijs mutatis qualitatib. quas habent Gal. fautores cum homine isto criminoso, vel potius cũ nonnullis maiorib. à quibus quidem ipse sumpsit hæc, si fatetur, vel si neget, surripuit. Hic igitur subduxisse summam satis est.

Partiũ instrumentaliũ morbi nascuntur, ubi vel naturalis conformatio permutatur, vel decẽs particularũ numerus, vel cõveniens uniuscujusq. magnitudo servatur, vel nõ, ut oportet, illæ compositæ sunt. Nam quemadmodũ instrumentorũ sanitas, & naturalis cõstitutio in his, veluti forma in materia, reposita est: non dissimili ratione morb. cõsistit in ijsdẽ simili in vicẽ existẽtib. tamet si ex unius occasione præter naturã mutatis, & sub alia forma dispositis. Omnes autẽ partes instrumẽtariæ quatuor his præditæ sunt, cõformatione, numero, magnitudine, & situ. Verũtamẽ oculi, præter ista quatuor, ultrà requirunt diaphasin, hoc est, perspicuitatẽ: & animalia instrumẽta, quib. in motu firmitate opus est, postulãt ossiũ, quib. fulciuntur, duritiẽ, quæ similiter extra illa quatuor, visioni opus est. Nã oculus debet recipere colores, ideoq. vidualtũ, & expertem colorum esse oportuit (saltẽ extremorũ) ut omnes rectẽ reciperet. Os autẽ firmamentũ stabilitatis, & robur membris tribuit, idcirco durũ, & quasi ferreum esse decuit. Vnde in oculo solo instrumẽtalẽ structuram vitiat color, quia solus est ad omnes colores recipiendos a natura destinatus. In solo itidem osse duricies, vel mollities eandem corrumpit, quia solum os datum est ad firmitudinem.

Quibus sic stabilitis respondeo, quemadmodũ ex elatione caloris fit febris, ex numero aucto, vel diminuto fit morbus in numero, ita ex vitioso colore humoris chrystallini, vel aquei, vel tunicæ corneæ, vel ossis mollitie fit morbus instrumentalis: & perinde ut Gal. morbos vocat excedentem caliditatem,

tatem, vel frigiditatem, & sextum digitum, vel pterygium, hoc est, numerum auctum, in quæ potiùs ducitur ipse, cum hæc planissimè respondeant curantis medici actionibus, eodē modo corneæ tunicæ colorem flavum & ossis mollitiē possumus morbos appellare, tametsi morb. sit tota instrumenti constitutio visionem, vel itionem lædens quasi forma præter naturam inducta ex mutata perspicuitate, vel duritie tanquam materia.

Putidus, & malus odor, sapor injucundus, & aurium sonitus ex aliquo humore superfluo, vel flatu, cujus facilis non pateat exitus ingenti molestia sensus afficiunt, sed nullum in illos inducunt symptoma citra continui solutionem, vel intemperiem: ipsi verò symptomata sunt, non sensus, qui secundum naturam se habent, quamvis patiantur, sed ejus intemperiei, à qua genitus est ille humor, vel flatus præter naturam. Tinnitus autem ubi ob solum auditus acumē ortus fuerit, vel intemperiei siccæ, vel calidæ & siccæ soboles erit. Porrò durius quidquā efficitur, aut ficcessēs, aut concrescens, aue nimia repletione, ut scribit Gal. Molle verò est, quod cedit insēipsum, nec migrat, ejusdē sententia, & in quo igneū, vel aereū, vel humidū elementū incōcretū excellit. Quare durities & mollities, ubi non offenderint organa, symptomata sunt, ut asperitas & lævitas, atq. inter affectus corporis ab eodē numerantur.

Crassitudo, & tenuitas, densitas, & raritas, laxitas seu tensio, & adstrictio, atq. amplitudo, & angustia meatuum ad instrumenta pertinēt, ut cum Galeno aliquando splendidè dictum est.

VTRVM MORBI FIENtes dicti, verè morbi sint.

QVÆSTIO. IX.

EX facili, & expedita distinctione, qua noster Gal. disjunxit affectū à passione, interpretes illius captarunt occasionē disputandi de morbis fientib. appellatis, utpote quas dūtaxat contemplantur quatenus fiunt, & procedunt. Ergo fientes morbos dari & Galeni testimonio, & rerū generatione id attestante, cōprobari potest: quam verò significationem faciat verbum, *fiens*, qūum morbo congruit animi pendere multos video.

Quidam ex barbaris scriptorib. opinati sunt hos ipsos veros morbos esse, non tamen qualitates permanentes & cōstantes, sed qualitates fluentes dictas, quæ à passionib. vel alterationib. non distinguntur. His nescio quē de grege novitiorū faviſſe conspicio Aristotelis, & Galeni auctoritate. Quærebat Ar. in septima sectione problematū, *qui fiat, quod morbi nonnulli contagiosi inficiant appropinquantes: sanitas verò neminē sanet?* Respondet, *quia morb. motus est, sanitas autem quies.* Si morb. est motus, proculdubio fientes morbi, revera morbi sūt. Gal. primo libro de locis patientib. ubi hāc rem exprofesso tractat, ad hunc modum locutus est. *Igitur semper incipere oportet à læsa actionis instrumento: deinde quærere quis sit noxæ modus, utrum videlicet dispositio jam stabilis ac firma, an adhuc quidem fiens, stabilitatem autem, ac firmitatem nondum sit adepta.* Hoc in loco inquiunt, dispositio permanens terminus est motus: dispositio verò fiens, & quæ stabilitatem adhuc non habet, est ipse motus, vel actio, vel passio. Et paulo post eandem morbi divisionem proponit, nimirū fientis, facti, & partim fientis, partim facti, ut etiā in arte medicinali statuisse videtur. Ex quib. locis præclarē constat morbum omninò fientem vocari morbum à Galeno. Ad hoc pertinere videtur, quod nōnulli arbitrati sunt, morbū non esse purū motū, sed non multū interesse inter morbū, & motum. Adducunt hi Gal. testimoniū ex proximè citato libro, ubi dixit, *morbū esse alterationē, cū ad permanentē dispositionem pervenerit.* Cap. 3. Proinde nihil aliud esse morbum existimant, quam motum confirmatum. Fientes ergo morbos, & in motu positos verè morbos esse dicunt, quamquam in illis considerant

rant motum habentem aliquid stabilitatis.

Veruntamen hi omnes mihi prope ineptire videtur. Nam morbum fientem judicare morbū esse, quem admodum illi accipiunt verbū *fieri*, profectò nihil aliud est, quam judicare motū esse quietem, quod in philosopho reputo miserrimum.

Sed, ut omnia succedant ex sententia, primum omnium de ambiguitate nominis facti, vel fientis præfari decet. Tripliciter diximus morbum fieri, factumque esse. Primò proprié fit morbus quando nondum est, nullamque partem factam habet, sed generatur, & omninò fit. Quod sensibiliter intelligēdum est: philosophis enim, qui sola mente in rem incumbunt, in omni motu contemplantur mutatum esse. Secundò quando vi efficientis causæ augescit, & incrementum capit, quo tempore aliquas partes habet factas: sed aliquæ fiunt, & futuræ sunt. Tertiò quando generatus est, & utcunque ad terminum perductus, sine causa tamen conservante nequit permanere, sed ab ea adhuc dependet. Totidem quoque modis morbum factum sumi diximus. Primò factus dicitur morbus, qui etiam ablata sua causa perseverare aptus est in corpore. Secundò, qui aliquas partes permanentes habet, & aliquas fientes, futurasque ob præsentiam causæ. Tertiò, qui ita constat, ut non amplius fiat: à causa tamen, quæ desijt agere, conservatur.

Morb. fiēs & factus tripliciter.

Coincidunt autem secundus modus fientium, & secundus factorum: sed qui morbi in utroque tum fieri, tum facti esse dicuntur bipartitò distributi sunt. Nam, quod factum obtinent, vel est insigne, manifestum, & conspicuum, vel exiguum, & minimum. Insigne factum interdum sublata omninò causa ex toto aufertur cum parte fiente, cujusmodi factum obtinent obstructiones, quorumcunque meatuum, inquos obstruens substantia partim fluxit, partim fluit. Interdum causa omninò sublata nihilominus in partibus affectis adhuc remanet insignis pars morbi facti, quæ pro-

A pria' deinceps indiget curatione, ut in multis febribus putridis, & potissimùm ardentibus evenit, quibusdamque gravissimis intemperiebus inæqualibus fluxione comitatis, atque tumoribus præter naturam. Vtrique autem morbi, quoniam obtinent ambas partes, tum fientes, tum factas, patentes & manifestas, partim facti, partim fientes dicti sunt à Galeno primo de locis patientibus. Verum quando morbi factum exiguum est, sublata causa, nullo remedio est opus, quoniam statim ad nihilum récidit, vel soli naturæ relinquitur, quæ *morborum est medica*, ut rectè dixit Hippoc. Quod morborum genus contemplabatur Gal. secundo aphoris. cum scribit idē Hipp. *Quicunq. morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio.*

Cap. 4.

Lib. 6. Epīdē. 5. 1.

Comm. 22.

Ad hoc pertinent febres illæ, de quibus loquitur octavo methodi, quas adhuc esse in generatione tradit, quippe dum aufertur causa, ipsæ unà intereunt. Præterea permultæ inæquales intemperies parum confirmatæ, ac stabiles. Nam principio alienus calor partes occupat in superficie, easq. mutat, præsertim vapores, & spiritus, seu flatus in ipsis existentes: cæteræ autem partes, quæ profundiores sunt, nativamque temperiem tum hactenus conservant, cum imprimēs abijt causa, confestim extingunt adventitiam caliditatem.

Cap. 2.

Item aliqui morbi per cōsensum, ut cum ijsdem imaginibus, quibus per suffusiones quis afficitur allecto in ore ventriculi tenui excremento, quo evacuato morbus continuò in nihilum occidit. Quos affectus exiguos, & citò pereuntes, quoniam factum habent exiguum, & obscurum, fientes morbos appellat Gal. primo citato libro de locis patientib. ubi post multa illorum affectuum exempla, subjungit. *Sic etiam affici aliquem dicimus, cum aliquid extrinsecus accidit, vel calfaciens, ut ignis, vel refrigerans, ut nix, vel contundens, ut lapis, quo separato protinus finitus fuerit affectus, nemine propter hoc dicente, partē non fuisse affectā, quod in ipsa nulla fuerit relicta dispositio.*

Ibidem.

Iam igni tantisper admoue manum

num usque eò dum vehementer do leas, & mox remove, quam primũ cessabit dolor, non cessaret, nisi ejus causa pulsa jam esset, quæ quidẽ morb. dicebatur, aderat igitur vel intemperies, vel continui solutio, tametsi adeo exigua, quò verbis Galeni utar, ut neque cognosci, neque sensu percipi posset: nihilominus tamen morb. factus erat, quem admodum intemperies, vel continui solutio, quæ doloris colici, vel dysenteriæ incipientis causa est, licet aliquis putaverit illius doloris causam esse humorem vitreum, vel mordacem, quoniam eo excreto, vel effluere desinente, sine mora finitur dolor.

Præterea tertius modus factorum, & tertius fientium similiter in idem cadunt. His modis fientes, & factæ dicuntur obstructiones quorumcũque meatuum, ad quos infarciendos aliqua jam se intrusit, & nulla nunc intrudit substantia: tales sunt obstructiones á germine in narib. & à lapide incollo vesicæ Quemad modum enim absoluta, & perfecta eclipsis lunæ, tum fiẽs, tum facta dicitur, facta quia non amplius augetur, fiens, quia dependet ab interpositu ipsius terræ, sic hujusmodi obstructiones factæ dicuntur, quoniam causa desijt agere: fientes verò, quod sustententur, & pendeant ab ipsa causa conservante.

Demum valdè commendandũ est, morbum omnem, quem primo modo factum esse diximus, non ita factum existimandum esse, ut in se nihil rei fiẽtis admittat. Quippe si rei naturam diligentiùs investigaverimus primo modo factus morbus, & qui ablata causa perseverat, bipartitus est. Alter ita factus, & constãs, ut etiam sublata causa ægrè discutiatur, ut intemperies æqualis, ad quã nihil fientis apud medicos admittitur: alter licet aliquo tempore supersit absente causa: levis tamen, & morbilis est, faciléq. discutitur, veluti calor solis à ligno, cujus generis est febris diaria. Vnde morb. primo modo factus, qui non est cõstãs, & stabilis, sed facilimè curatur, pro culdubio ad secundũ modum fientiũ reduci potest, cũ aliqua ex parte adhuc in motu sit. Quamobrẽ unus tantum supereſt morb. qui omninò factus est, & tanquã habitus fundatus, & firmus, quem propterea Gal. factum simpliciter appellavit, cujus modi est hectica febris.

Nunc pulchrè intelligamus Galenum, quando in febri diaria philosophatur. Libro primo de differentia febrium, tertio de præsagitione ex pulsib. & libello de inæquali intemperie docet febrim putridam, & diariam esse fientes, & inæquales intemperies, cum nondum apprehenderint omnes partes æqualiter, nec sint ad terminum perductæ: febrim verò hecticam, factam, & intẽperiem æqualem constituit, quoniã omnia corporis membra æquabiliter obsidet, & constanter occupat. Libro autem medẽdi methodi octavo putridam secundo modo fientẽ statuit, sed cum hectica diariam consociaxit, ambasq. sub primo factorũ modo subjecit, atq. sine generantibus causis subsistere asseruit. Quod etiam ex libro artis medicinalis colligi potest. *Cap. 5.* *Cap. 7.* *Cap. 9.* *Cap. 89.*

Sed en verbis discrepantes Gal. locos, sententiã congruentes. Medici actio triplex. Prima sola præservatio, quæ respicit imminentes causas, ut corpore valido existente plenitudinis imminutio. Secunda propria curatio, quã exigit morbus factus, ut refrigeratio, & humectatio in febri hectica. Tertia est actio mista ex præservatione, & curatione, quam minus proprié & per abusionem curationem quoq. dicimus, ut scribit Gal. quoniam *proprio caremus nomine*. Diaria febris à dupli ci causa fit, si natura illius acerrimè contẽplemur, tũ externa, tũ interna. Primũ à procatarctica, hoc est, præincipiente, rectè, ac manifesta, quæ semper externa est, quod primum existit, & præcipuum febriũ diariarum indicium. Quam solam causam studiosé, diligenterq. attendit Gal. quoniam licet nullum postulet remedium, cum jam præcesserit, ut defatigatio, tamen plurimũ cõfert ad morbi cognitionẽ. Altera causa diarię febris est spirituũ incaluisse, hoc est, nimi' illorũ calor. Quis dubitat? Exercitatio, vel in solatio ipsos spiritus *2. apho. com. 22.*

ritus inflammat, sed hi nativũ caloré partium in igneum convertunt, hinc inæqualis intemperies calida, & febris secundo modo fiens. Veruntamen cum spirituum substantia laxa sit, & fluida, in quam se facilé insinuat quæcunq. qualitas, & undiq. alterat, spiritib. omninò neglectis, G. solam in partibus alterandis curam ponit, perinde ut in hectica febre, cui, quòd sine causa subsistat, simplex & proprié dicta debetur curatio. Hæc est causa, cur diaria modò fiens, modò iure, ac meritò febris facta dicatur.

1. Assertio 1. Ratio. Quib. præclaré iactis, sit hæc prima assertio. Nullus morb. primo modo fiens veré morb. dici potest. Quãdo quidem omnis morb. est affectus: at nullus morb. primo modo fiens est affectus, conficitur ergo nullum morbum fientem primo modo esse morbum. Patet assumptio. Nã morb. primo modo fiẽs sola passio est: sed nulla passio est affectus: nihil enim fuit à Galeno diligentiùs commendatum, quam dissidium, quo diathesis à pathemate dissider, ergo nullus morb. primo modo fiẽs est affectus.

2. Ratio. Deinde omnis morb. lædit actionẽ: sed nullus morb. primo modo fiens potest aliquam actionem impedire, igitur nullus morb. primo modo fiens verè dicetur morb. Assumptionem probant hæc verba Galeni, in hoc capite conscripta. *Eius*, inquit, *quod factum est aliud quidem naturaliter actionem efficit, aliud verò eam lædit.* Et rectè quidem. Quoniam, quod simpliciter fit, non est, ac proinde agere non potest: res enim quælibet sic agit, ut existit, quod veré dixit Aristoteles, Quo circa necessariò fateri cogimur omnem morbum, qui actu lædit actionem, existere iam, & factũ esse. Vnde postquam dixit Gal. maximè propriam symptomatis finitionem esse mutationem à naturali statu, subiungit. *Quid igitur? Num & morb. mutatio est naturalis status? An non absolutè mutatio, sed mutatio quædã: symptoma verò absolutè mutatio.* Morb. ergo primo modo fiens, quippe qui absoluté mutatio est, morb. verè dici non potest.

2. Assertio Præterea omnes morbi secundo modo fientes verè morbi sunt. Hæc est sententia Galeni libro methodi medendi octavo, ubi scripsit, febriũ aliquas fieri, ut putridæ, aliquas esse factas, ut diariæ, & hecticæ. Fientes vocat, quæ factæ quidem sunt, cum actiones actu lædant, sed a suis causis adhuc pendent. Vnde secundo modo fientes dicuntur. Neq. rectè existimabit aliquis (nisi planè sit fatuus) Galenum eo loco de fientib. primo modo febrib. fuisse locutum. Nam stolidissime distinxisset putridas, fientes nimirum febres à diaria, & hectica, si de simpliciter fientib. accipiatur locus. Quoniam diariæ, & hecticæ non minus fiunt primo etiam modo, cum oriri incipiunt, quam alij morbi, initium enim sumunt aliquando. Hac igitur ratione non distinguntur à putridis, sed alia nempe, quod diaria, & hectica sine causis suis subsistere possunt, quod non contingit putridis, atq. hac de causa putridæ fientes dicuntur secundo modo. Iam omnes affectus, vel constitutiones partium præter naturam, quæ lędunt actiones planè morbi sunt: sed omnes morbi secundo modo fientes dicuntur affectus lędẽtes actiones, igitur ubicunq. morbi sunt. Tandem sanatio morbis proprié vocatis debetur: sed curatio debetur morbis secũdo modo fientib. veré igitur morbi sunt. Assumptionem subministrabit nobis Gal. in secundum de natura humana, ubi post quam dixit plenitudinem vasorum aliquando morbos parere obstruendo, qui ut patet, morbi sunt fientes secundo modo, addit curationem non modo dici eorum morborum, qui facti sunt, verumetiam morborum, qui fiunt. Secundo etiam aphorismorum scribit, cum aliquid agit morbi causa, simul quod fit, prohibendum, & quod morbi iam factum est, curandum esse. Tandem in arte medica. Eius autem, inquit, morbi, qui adhuc fit, quod quidem factum est, curare oportet: quod autem futurum prohiberi ne fiat. Idem colligitur ex quarto libro medendi methodi & undecimo.

Galeni auto ritas.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Morbi tandem tertio modo fientes reverà morbi sunt. Quoniã sunt affectus, vel constitutiones partium nostri corporis, quæ actu lædunt actiones,

3. Assertio

actiones. Huius generis sunt obstructio meatus alicuius venæ, ad quam defluxerit humor lentus, & crassus: nihil verò in præsentia defluit: obstructio ab stercore ducto, quod interfepit intestinum, & quæ fit a lapide in collo vesicæ: licet enim huiusmodi obstructiones factæ sint, & consistentes, ut potequæ ne tantillum augescant: veruntamen fientes morbi vocantur, quod præsentia causæ conserventur. Docet hoc sanatio, quæ quidem simplex, & propria non est, hoc est, non sola morbi sublatio, qualis in diaria, & hectica febribus. Nã, ut in arte medica legimus, apertionem, quæ obstructionis unicum remedium est, antecedunt abstertio, & humoris incisio, stercoris duritiei ex humidis & pinguibus correctio, lapidis comminutio, & fractio, quæ pugnant cum ipsius causæ vi conservatrice, à qua meritò, ac iure obstructio traxit nomẽ morbi fientis, quoniam cõservari est fieri quodammo, ut conservare facere, veluti nos significavimus aliàs.

Cap. 94.

Solvitur auto. Arist.

In Aristo. autem in problemmatis non accuratè semper propositorum causas reddi, facilè existimabit is, qui cum iudicio opus illud perlegit, & cum reliqua Philosophia contulit: apertum enim est, cum non fuisse in ista opinione, neq. exquisitè, & propriè locutum. Nam quis quæso motum plus agere, quam factam diathesin credet? Igitur, ut existimo, morb. dictus est motus ab Aristo. quia in morbis omnia prẽter naturam moventur, & perturbãtur, humores, & spiritus agitantur, confunduntur, & permiscentur, cum per sanitatem quiescerent, quæ si cum morbis conferatur, humores ac spiritus cõtinet intra corpus quietos, nec quidquam inordinatè, ac vehementiùs commovet. Iam verò loquebatur Aristo. de morbis contagiosis, quos serpere, & cum ægris conmorantes corripere, sanitatem verò neminem sanum reddere scribit. Vnde colligere unusquisq. potest Aristotelem non existimasse morbum aliquẽ propriè motum esse. Sed audiamus quid hac de re dixerit libro quinto physicorum teste certo meritorum illius: scribit motum, qui ex sanitate in morbum fit, cõtrarium esse illi, qui fit ex morbo in sanitatem: oportet itaq. ut sanitatem, ita & morbum terminum motus statuere: at terminus motus nõ est motus: calor enim, ut qualitas quædam acquisita, & permanens, maximè differt à calefactione. Vnde libro citato de albatione, non albedinem, quemadmodum metaphysicorum undecimo, calfactionem, non calorem motum esse dixit. Quod si res sic habet in terminis, qui primo consequuntur, multò magis existimandum est distingui à motu terminos illos, qui non primò, sed consequenter acquiruntur, ut figura, locus, relatio, æqualitas, vel inæqualitas, postquã in accretione fuerit quantitas primò comparata. Huius generis sunt dispositiones, sanitas, & morb. consequenter enim acquiruntur, motuq. alterius accidentis præcedente repentinò existunt.

Al. solutio

Tertia sol.

Cap. 2.

Interpretus Gal. Cap. 2.

Galenus primo de locis patientibus voluit morbos alios esse factos, & confirmatos, ut ablata causa nihilominus perseverare in corpore possint, cuiusmodi est Glaucoma, cum scilicet crystallinus humor arefactus mutatur in colorem glaucum, vel album: alios fientes, quoniam absq. suis causis permanere nõ possunt, quorum duo etiam sunt modi. Alij in eo ipso loco habent hærentem causam, non aliunde accersunt, veluti suffusio: alij autem aliunde eã subinde suscipiunt, at non diu retinent, ut cum à succis evaporantib. sæpiùs in ventriculo collectis, imagines quædam oculis obijciuntur. Ecce hic nihil est, quod Galenum cogat nomine affectus abuti, & pro alteratione, vel passione usurpare, vel aliquem morbũ vocare passionem. Nam, quos proponit primi ordinis morbos, tertio modo facti sunt. Morbi secundi ordinis, primo vel secundo modo sunt facti: tertij & postremi, qui sunt aliqui morbi per consensum, facti sunt primo modo, nullus ergo morb. passio est. Tripartita divisio similiter tantum morbos cõtinet. Morb. fiens est, qui, cum factum exiguum obtineat, sublata causa consestim cessat. Partim fiens, partim factus, qui aliquas partes factas habet stabiles, & insignes: in motu tamen est,

est, augeturq. nondum ad ultimum terminum perductus. Factus tãdem, qui sine causa perseverat. Libro artis medicæ divisit etiam morbum in factum, qui iam non dependet a causa, quæ seperatim, & extra morbum postulat remedium, & in fientem, qui ultra quod veré morb. est: tamẽ causam habet foventem, quæ seorsum à morbo aliquid postulat, & expectat. Postremò in futurum, qui adhuc non est, sed propter aliquam causam, ut sanguinis copiam imminere videtur. Quam verò demum addunt alij auctoritatem, malè intellexerunt. Nam dubium non est, quin eo loco idem docere voluerit, quod in secundo methodi scribit, ubi passionem, ac motum ita discernit à morbo, & absolutè existentib. ut illorum partes non esse, nisi quandiu fiunt, horum autem, etiam cum factæ sunt, permanere partes dicat. Quippe factum esse in motu, aliud nihil est, quam non amplius existere, sed in nihilum occidisse, evanuisseq. in dispositione contra est. Nam partes suas omnes, quæ inquam, factæ sunt, tempore simul habet, cum revera existat. Quare, ut motum à suo termino aptè distingueret, terminum dixit permanere, quasi hoc modo dixisset. Affectus, qui morb. est, non est illa præcedens motio corporis seu ipsum affici, sed eam motionem consequitur, & à motione constantia, atq. firmitate differt. Qua propter observandum est, quod non dixit, ubi alteratio permanere coeperit (est enim impossibile motum permanere) sed cum ad dispositionem pervenerit ad rem nimirum permanentem, & stabilem. Ergo sic legenda sunt eius verba. Vbi ad permanẽtem dispositionem alteratio pervenerit, sitq. dispositio præter naturam, ea ipsa morb. est. Tantum verò abest, ut dicat esse motum, ut potiùs nonnullos deinceps arguat, qui abutuntur nomine passionis ad morbum appellandum. Sed hæc dicta Galeni aliquando sufumus interpretati.

VTRVM DETVR CORpus neutrum.

QVÆSTIO. X.

HÆc quæstio magnam habet societatem cum ea, quæ delatitudine sanitatis libro de differentia morborum fuit constituta: unde quæstio logica similiter dicenda est, & cum Galeno quinto de sanitate tuenda pro nihilo habenda, quoniam quidquid deliberemus, neq. immutat curationem, neq. prædictionem. Veruntamen cum hanc controversiam aliquo adiumento fore putemus ad disputationem de morbi natura, cui finẽ fecimus quæstionib. huic capiti subiunctis, propterea brevi percurrere in animo est, utrum constitutio neutra, & media concedenda sit.

Vt lemma huius quęstionis intelligatur, de neutro, & medio distinguendum est, quod à multis prætermissum esse miror. Medium corpus dictum neutrum geminum est, ut in arte medica legimus. Vel absolutè & naturali habitu neutrum est, vel tantum actu, & in præsenti, hoc est, non à natura: sed ab aliquib. causis adventitijs. Neutrum simpliciter, & quod ab ipso naturæ habitu neutrum dicitur, medium est inter corpus optimé constitutum, & corpus pessimè constitutum in latitudine saniratis, quasi mediocriter inter extrema positum. Vnde Gal. mediocrium hominum animos, cum hoc statu corporis quinto de Hipp. & Plato. decretis idoneé comparavit. Rursus utrumq. neutrum duplex, ut colligitur ex Arisio. in catego, & scribitur in arte Medica, atq. ex Herophilo primo libro de simp. med. fac. Primum neutrum est, quod nullius extremi dispositionem participat, per negationem dicunt: alterũ, quod utriusq. sit particeps, per participationẽ interpretantur. Potrò absolutè & simpliciter vocatum neutrum, sive sit ex negatione, sive sit ex participatione, libenter concedunt, omnes tum philosophi, tum medici, quia, cum sana

Cap. 21.

corpora

corpora vagentur per magnam sani E
tatis latitudinem, tum in multiplici
constitutione illorum, tum in actio-
num varia perfectione, ut primo de
sanitate tuenda scriptum est, licet
planè reperire corpora, quæ nec
moderatissimè constata sint, ut om-
nino sana. nec perperam constituta,
ut corpora prædita omni ex parte
imperfecta sanitate. Quæstio tantum
est de medio inter sanum, & ægrum,
quod neutrum est, non ab ipsius na-
turæ ortu: sed nunc & in præsentia
propter aliquid extrinsecus acce- F
dens, sive sani & ægri sit expers, sive
utriusq. sit particeps, hoc est, sive sit
medium ex negatione, sive ex par-
ticipatione, ut vulgus medicorum
loquitur.

His sic intellectis, supponamus
tũc sanitatem esse, cum nec dolorib.
cruciamur, nec in vitæ actionib. im-
pedimur, quem statum notabilem
habere latitudinem cum Galeno in
superiorib. est demonstratum: loqui
mur enim de sanitate, quæ in corpo
rib. animantium solidè subsistit, non
de ea, quæ sola cogitatione potiùs
usurpatur. Hæc igitur sanitas du-
plex est. Alia restrictè præfinitur,
quatenus solùm determinat, & con-
cludit sanitatem in habitu, scilicet
constantem, & firmam, quæ nervosas
tantum & potentes, vel non debiles
producit actiones, quam nos citato
loco triplicem fecimus. Alia est la-
tissimè patens, ad multasq. actiones
pertinens, sive robustas, sive maxi-
mè leves, & imbecillas, quæ sanita-
tem in habitu, & sanitatem in affe-
ctione suo complexu continet, ac de
niq. omnes status naturales quicun-
que per amplissimam illius evagan-
tur latitudinem. Nam, si ab illa pa-
tente latitudine tantillum recedatur, morb. est. Vnde sanitas in affe-
ctione, quæ tum parum firma, tum
mendosa, fallax, & incerta dicitur,
sub se continet decidentes in mor-
bos, & ex morbis convalescentes, ad
quos senes reducuntur, ut libro de
salubri arte ad Thrasybulum, quin-
to de sanitate tuenda & in arte me-
dica exaratum est.

Cap. 7. & 30.
Cap. 4.
Cap. 82.

Quare nostri corporis actiones
duplices sunt, vel à sanitate, vel à
morbo. Actiones morbosæ dicũtur,
quę præter naturam sunt, sed mani-
festò læsæ, & impeditæ. Actiones à
sanitate, quæ & actiones secundum
naturam vocamus, dupliciter etiam
dicuntur, aut secundum naturam cõ
prefsiùs acceptæ, quales sunt actio-
nes robustæ, vel non debiles, quæ
profluunt à sanitate ex habitu, aut
secundum naturam dicuntur, sed la-
tè, & minus proprié, quoniam debi-
les sunt, læsę, & quodammodo præ-
ter naturam; nondum tamen conspi
cuè, & manifestò, quæ quidem à cul-
pata sanitate ex affectione proveniunt. Nam actionum, & virium im-
becillitas in sanitatis latitudine re-
peritur, si sensibilis, & manifesta nõ
intelligatur, ut secundo de tempera
mentis, primo de san. tuenda, & pri-
mo de natura humana legimus. *Verũ enim verò*, Gal. inquit, *ubi nondum conspicuè læditur functio, culpata quidem sanitas est, nondũ adhuc tamẽ morb.* Septi-
mo medendi methodi. *Imbecilla verò actio, prout magis minus ve talis est, aut ad sanitatis tuendæ, aut ad medendi tractationem pertinet: leviter quidem impedita ad priorem, gravius ad posteriorem.* G
Discernitur utraq. ex eo, quod à consuetis actionib. obeundis propter noxæ magnitudinem, vel desistatur, vel non desistatur. Vnde quispiam doloris affectus tam exiguus, insensibilisq. ut minimè officiat ei, quem corripuit hominem, ut primo de sanitate tuenda, licet pręter naturam sit, ut in arte medica: tamen non dicitur ægrotare, qui eundem patitur, veluti utrobiq. dictum est. Hinc in eodem libro artis medicæ sensibilis actionum lęsio ter
minus constituitur, qui distinguit
morbum à sanitate. Quare actiones,
quæ dimanant á sanitate ex affectio- H
ne, qualis est corporum in morbos
decidentium, atq. ab ijsdem convale-
scentium, cum morbosis actionib.
conveniunt, quod pręter naturam
sint quodammodo: at quoda sensib.
non percipiantur ab illis differunt.

Quib. positis sic decerno. Si sani-
tas & sanum latissimè sumantur, quẽ 1 *Conclus.*
libetq. comprehẽdant statum, a quo
producantur quælibet actiones se-
cundum naturam dictæ, vel proprię,
vel improprię, hoc est, sive robustæ,
sive debilitate, inter sanum & ægrũ
non datur corpus medium, vel neu-
trum,

In catego. cap. de oppositis.

Nam *contraria, quæ talia sunt*, inquit Aristoteles, *ut ipsorum alterum necessariò reb. iis insit*, hoc est propriis subiectis, *in quib. aptum est fieri, ea nullum prorsus medium habent: quorum autem alterum inesse non necesse est, inter hæc aliquid omninò medium cadit:* sed *sanitas ac morb. in animalis corpore fieri apta sunt;* illud enim est illorum propriũ subiectum, *atq. alterum insit animalis in corpore, sanitas inquam, aut morb. est necesse,* si sanitas eo, quo diximus sumatur modo, ergo *nullum inter sanitatem, ac morbum medium cadit.* Quamobrem sanitas cum magna sua, & patente latitudine definitur naturalis constitutio, à qua profluunt actiones secundum naturam: morb. verò præter naturam constitutio, quæ lædit actiones, inter quas duas constitutiones nihil interiectum est, quoniam hoc modo accepta sanitas secundum naturam ædit omnes actiones ad actionem usq. læsam, ad quam ubi pervenerit corpus, continuò ægrum est.

Alteracõclusio.

Veruntamen, si sanitas pressè, & angustè definiatur, tantumq. complectatur sanitatis differentias, quę sunt habitus, à quib. profluunt actiones, quæ proprié dicuntur secundum naturam, scilicet actiones robustæ, vel non debiles, & excludit omnem sanitatem ex affectione, à qua oriuntur debiles actiones, affirmamus inter sanum, & ægrum dari corpus mediũ, & neutrum. Nam contraria, *quorum alterutrum inesse necesse non est*, in proprio subiecto, *inter hæc aliquid omninò medium est*, ibidem docente Aristotele: sed non est necessarium, ut sic accepta sanitas, vel morb. insint in animalis corpore, ergo sanitas & morb. medium habent, atq. inter sanum, & ægrum corpus neutrum concedendum est. Quando quidem, cum ab uno contrario non transitur ad alterum absq. aliquo interiectu status intermedij, status ille neuter est: sed corpora ex habitu sana nullo tempore incidũt in morbum, quin priùs fuerint sana in affectione, quemadmodum ægra nunquam evadunt è morbo, nisi traiecta fuerint in eandem affectionem, ergo necessarium non est, ut sic accepta sanitas, vel morbus, insint in animalis corpore, quippe quod in statu medio, qui ex A affectione dicitur, sæpe ac diu consistit.

Summa sit. Si sanitas complectatur, & sanitatem in habitu, & sanitatem in affectione, quæ maxima sanitatis latitudo est, non datur corpus neutrum, si verò sanitas solùm comprehendat sanitatem in habitu, medium interiectum est, nimirum ea sanitas, quæ in affectione dicitur, corpusq. neutrum inter sanitatis latitudinem & latitudinem morbi, quæ similiter latè, longèq. diffusa est, ut libro de differen. morborum legere licet. *Cap. 2. Tex. 9.*

B

VTRVM GALENVS de corpore neutro assentiatur Aristoteli an Herophilo.

QVÆSTIO. XI.

VT quæstioni propositæ possimus satisfacere, certaq. in aliqua sententia consistere, primùm quid Aristoteles & Herophilus hac de re censerint, breviter dicamus. *Opinio Platonis, quem sequitur Aristoteles* Platonis opinio fuit inter sanum, & ægrum non dari corpus neutrum, quem Arist. in catego. facile secutus est. Ergo sexto topicorum, septimo physicorum, & prima sectione problematum scribit, sanitatem esse primarum qualitatum symmetriam, & morbum ametriam, quarum quidem nullum medium est. Porrò symmetriam intelligit, non usquequaq. perfectam, & summam, sed magnam latitudinem habentem, & in qua sanitas consistere possit, vel in habitu, vel in affectione, à qua oriantur quęlibet actiones secundum naturam, vel proprię, vel minus proprię acceptæ, sive robustæ, sive debilitatæ.

Observatio

Vnde mirari satis illorum negligentiam non queo, qui temere credunt philosophos, cum inter sanitatem, & morbum negant medium, nomine sanitatis intelligere symmetriam, æqualitatemq. perfectissimã, & summam exiguasq. declinationes omnes

omnes ab ea mediocritate morbos E constituisse. Si quidem nemini persuasum esse debet, optimos autores tam soluté, tam leviter, & tam oscitanter egisse, ut censerint homines intemperatos ægrotantes appellandos esse, quib. planè sit licitum, & negocijs publicis privatisq. perfungi, & balneo uti, & cibum perfacilé capere, & bibere, ac reliqua, quæ opus sunt, per agere. Affirmandum est igitur, viros excellentes existimasse ita tum ad necessarios usus minimé impeditum sanitatem determinare, cúis sit omnium hominum communis consensus. Nam si latissimè non pateret sanitas Aristoteli, non diceren tur eidem corpora magis minùs-ve sana: sed in catego. alius homo alio dicitur sanior, ut alius alio iustior, maiorem igitur vim habet sanitas, & latiùs patet Aristotelis sententiâ, quã aliqui voluerint explicare. Quoniam non aliter virtutem voluit appellare mediocritatem, atq. sanitatem ipsam: virtutem autem medium esse putavit, non quidem ex natura rei, sed quantum ad nos. Quemadmodum ergo in animis integris, & tranquillis, varietates contemplatus est, ita in sanis corporib. magnas F dissimilitudines constituisse est credendum. G

Opinio Herophili. *Cap. 4.* *Cap. 38.* *Cap. 5.* *Cap. 6.* *Cap. 2. & 11.* *Cap. 1.* *Cap. 4.*

Herophilus Chalcedonius sectæ rationalis autor, ut in introductorio seu medico scribitur, qui totam artem ad corpus pertinentẽ calluit, ut libro ad Thrasybulũ refert Gal. ac ideo inter medicos gravissimos octavo de placitis ab eodem numeratus est, prodidit medium, & neutrum corpus inter sanum, & ægrum interiectum, ut scriptum est in introductorio, libro sexto de san. tuen. & primo de simp. med. fac. Idem significavit Gal. quarto de sanit. tuenda, cum quærit, an morbosa symptomata, de quib. eo libro statuit differe- H re, spectent ad artem sanitatis tuendæ, an ad medendi rationem, an ad tertiam, *quam nonnulli* (Herophileos intelligit) *sanitatis, & morbi mediam statuunt, & neutram appellant.* Vnde libro de subfiguratione empirica scribit Herophilo Medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum.

Observatio

Hinc mihi magna suspicio iam pridem iniecta est dubitandi, utrum liber artis medicinalis sit legitimum Galeni opus, an Herophili. Sed hoc aliàs: nunc illud dico, loquendum esse ex ore multorum, licet cum paucis sentiendum sit. Iam verò Herophilus sanitatem sumebat minus patentem, & eam, quæ tantum complectitur sanitatem habitum, à qua profluunt actiones validæ, excluditque omnem ex affectione sanitatem, quod quidem palàm promptum est.

Gal. cui assentiatur.

Quib. iactis ad Galenũ veniamus, qui, ut opinio mea fert, de corpore neutro Aristoteli est assensus. Nam Platonem, & Aristotelẽ aliqua de re consentientes cum viderimus, Galenum eandem opinionem retinuisse putandum. Quoniam *symmetria*, moderatio, & *ametria*, immoderatio medio carent, ut in Aristotele diximus: at Gal. non minùs, quam Arist. sanitatem vocat *symmetriam*, & morbũ *ametriam*, vel *asymmetriam* quinto de Hipp. & Plat. decretis, primo sanitatis tuendæ, lib. de diff. morb. octavo metho. primo epidem, atq. secundo aphorismorum. Vnde libro de differẽtia morborum sanitatis, & morbi latitudines tradit, & nullum inter illas interiectum medium admittit. In corporib. animantium magis, & minus inesse scribit, ut aliud summè boni habitus sit, aliud simpliciter boni, non tamen summè boni habitus, quoddam verò, quamvis sanũ, non tamen boni habitus, aliud quoddam parum firmasanitate prẽditum, quæ quidem sanitatis magna latitudo est. Mox autem subiungit, quoddam corpus etiam nunc ægrotare. *Tex. 14. Cap. 4.* Præterea eodem libro eandem sanitatis & morbi latitudinem retexuit, docens exiguas, & breves ab exquisita moderatione declinationes nondum esse morbos, donec sensilem alicuius actionis noxam inferant. Cum igitur totum illud spacium & intervallum ab optimo corporis habitu, ad id usq. dum læsa est actio manifestè, sit latitudo sanitatis, profectò medium, & neutrum corpus nusquã est, quoniam primus exquisitè insultus, qui pro principio totius morbi statuitur, indivisibilis est, primo de crisib.

Cap. x. Cap. 5. Cap. 3. Comm. 4. Cap. 2. Tex. 9.

crisib. docente Galeno. Quamobrē ad sanitatem ex affectione, quæ continetur in latitudine secundū naturam, ut ex libris de differentia morborū, & ad Thrasybulū colligitur, revocantur plenitudo humorum & pravitas, nō nullæ obstructiones, vis corrūpens in corpore suborta, motus vētris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorū, aut cū alvus subducitur, aut vomitus excitatur, aut mingitur, sive aliquis alius dolor mediocris, & alia multa ex eorū quidē genere, quæ præter naturam sunt, quæq. homini periculum asseruot, nequā primùm in morbū illabatur. Nā, cum hæc sæpe sint cognitu difficilia, quoniā nullam ferè hominī molestiā præstāt, in capace, & ampla sanitatis latitudine includūtur, in qua tēperamentorū immēsū, penèq infinitū, diserimē invenim⁹, velut i lib. de cōstitutione artis, primo de sanit. tuēd. & in arte medica annotavit Gal. Qui Arist. cōcors est in sanitate, & morbo sine medio cōstituēdis. Dices aphorismorū secundo Gal. hæc habet verba. *Nā, cūsanitat moderātia quadā sit necesse est omnes immoderātias, quæ plurimū à modo recessērut jā ægritudines esse: quæ verò nondū id, quod plurimū obtinent, ægritudinem generationē ostēdere.* Sed tibi refero, quæ luculēter sanè respōdit Brasavolus. Ex hoc loco, inquit, aliàs neutrū colligi posse apud Gal. putavim⁹, quoniā hæc parva à mediocritate recessio, sanitas dici nō potest, nec etiā ægritudo: tamē rē speculātes, novimus ex his neutrū colligi nō posse, quoniā semper sanitas est, quousq. sensu operationū læsio percipitur. Verūtamē hic recessū futurā ægritudinē significat nēpe sanitas, atq. ægritudo latitudinē habēt, sed eorū apices in indivisibili cōsistūt.

Nihilominus tamen Gal. Herophili dogma studiosè cōmendavit, frequentavit, atq. libentissimè recepit. Cōmendavit libro de salubri arte ad Trasybulū, cum scribit, *non malè censisse quicunq. neutras appellarūt Medicinæ partes, quæ amphibolis naturæ sunt inter partes cōtrarias totius artis, scilicet eā, quæ magna vitia, & eam, quæ parva dissolvit.* Porrò toto in libro artis medicæ hāc eandē sententiam frequētasse ac celebrasse solis luce clarius est. Recepit autē lib. de optima secta ad Thrasybulū quādo scribit. *Cæterū, quæ supermuntur, aut noxia sunt, aut utilia, aut neutra.* Et lib. de cōstitutione artis Potest id ex symptomatib. quibusdam intelligi, quæ mediū inter ea, quæ in sanis reperiuntur, & ea, quæ ægris eveniūt, locū servāt. Sexto itē sanitatis tuendę Propterea, quod ejusmodi corpora inter ea, quæ exactā sanitatē habēt, & quæ jā ægrotant, mediū statū obtinēt. Præterea lib. de tumorib. præter naturā. Animalīū corpora triplicitèr cōpositā esse prodit, vel secūdū naturā, vel non naturā, vel præter naturā. Et adjūgit, *velut sæpe dictum est*, ut hanc opinionē sibi cōplacoisse indicaret. Corpora dispositā secūdū naturā, sana sunt in habitu: corpora nō naturā dispositā, sana sunt etiā, sed in affectione tātū, vel supra id, q̄ secundū naturā est, ut decidentia in imminētes morbos, vel quidē infra, ut ex morbis cōvalescentia: corpora tādē dispositā præter naturā actu morbosa sunt. Hoc etiā capite corporū tripartita divisione us⁹ est. *Siquidē*, ait, *omne, quod est, sive id sanū sit, sive ægrū, sive neutrā, quodāmodo afficitur.* Libro tandem de partib. artis medicę de tertia, & neutra corporis constitutione fit mentio.

Cap. 27. Cap. 11. Cap. 13.

Quod siquis à me ultrà requirat, cur Gal. ita vehemēter fuerit amplexatus hoc Herophili placitū, respōdeo causā fuisse utilitatem illius, & quā obtinet, ad medici actiones separādas, oportunitatē. Nā, ut ipse docet lib. de Salubri arte ad Thrasybulum, ars tota correctrix, & emēdatrix est: correctio verò, vel sēsim, & leniter fit, ita ut à nullo sensu percipiatur, quę pars conservatrix est, vel correctio fit repētè, & sensibiliter, quæ pars dicitur curatrix, vel medio modo, & pars neutra, media que vocari potest, quæ corpora decidētia præcavet, cōvalescētia verò renovat, & instaurat. Cū igitur medicus varie corpora tractet, hoc modo sana tueatur, alio medeatur ægris, nō eodē indulgeat paratis ad morbū, vel his, qui ex morbo evadūt, pfecto neutra cōstitutio magno usui foit Gal. ad medici facta discernenda, & inde artis partes commodissimè distribuendas.

Cap. 30.

Observatio

QVAE SINT CORPORA neutra.

QVÆSTIO. XII.

CONSTItutum, & definitum est quæstione decima in secunda cõclusione dari corpora neutra, mediaq. inter corpora sana, & ægra, quæ quidem dicũtur neutra, ut nũc, propter causam aliquam extrinsecus accedentem, modo quæ sint illa corpora in medio posita breviter explicandum.

Neutrum autem hoc, ut ejus vim explanemus, nihil aliud est, quam medium ejusdem generis cũ extremis, quod in præsentia nec est hoc, nec est illud: id verò duplex est, ut dixim⁹, aut enim est neutrum, quod inter sanũ, & ægrũ exquisitè mediũ existens, nec de uno, nec de alio participat, quod verè neutrum est, & neutrũ ex negatione dicitur, aut cp & sanitatis, & morbi dispositionis est particeps, vel in una parte, vel in diversis, & neutrum ex participatione vocatur.

Conclusio. Quib. positis concludo neutrũ, & mediũ inter sanũ, & ægrum esse, tũ corpus ex aliquo morbo convalescens, ad quod reducuntur senes, quod neutrũ est ex negatione, tum corpus in morbum decidens, quod est neutrum ex participatione.

Gal. auctõ. Quæ conclusio scripta est in arte medica, ubi Gal. loquitur de signis corporum decidentium, quæ docet ambas naturas signorum includere, neutraq. dici ex participatione: convalescentiũ verò & senũ indicia neutra dici altera significatione, quæ certè pernegationem est.

1. Ratio. Quare traditurus neutrorũ corporum notas, signa retulit, quib. facilè cognoscamus illos, qui in ægritudinẽ lapsuri sunt. Deinceps autẽ methodũ tradit, qua præcaveamus & præservemus eosdẽ, atq. reficiam⁹ convalescentes, in quib. numeravit senes, veluti etiam quinto de sanitate tuenda, quia convalescentium, & senum corpora in sanguinis, & spirituum inopia, & membrorum siccitate paria sunt. Quare decidentia, & convalescentia, & senum corpora vera neutra, & media sunt inter sana & morbosa.

2. Ratio. Quámvis autem hæc sanitatis sit vltima, & imperfecta pars, mendosa & inutilis, cum sanitatem patentem ante oculos nobis constituim⁹: tamen libro de salubri arte ad Thrasybulum sanitate restrictè præfinita, enumeravit artis partes juxta illius officia, & Prophylacticen, quæ morborum arcendo causas, corpora decidentia præcavet, æquavit, & cõsociavit cum Analeptice, quasi refectricem, & convalescentium recreatricem dicas, permisitq. vocari medias, & neutras inter cõservatricẽ, & curatricẽ. Ex quib. præclare constat convalescentia & decidentia corpora, de quib. illis duab. partibus est curæ, neutra, & media quoq. vocari.

3. Ratio. Vnde quinto de san. tuẽd. de his corporum constitutionib. verba faciens sic scribit. *Videnturq. hi affectus non esse exacta plane* sanitas, sed vel morbi, & sanitatis affectus quidam medij. Et addit paulo post, ad rem nihil interesse, sive morbum, sive morbosum quendam affectum, sive medium sanitatis & morbi, sive sanitatem secundum affectionem appellemus. Quibus verbis indicavit corpora neutra, & media, interdum ad unum extremum, interdum ad alterum reduci posse: decidentia quidem ad morbum, cum quo affinitate quadam, veluti convalescentia ad sanitatem, qua cum naturæ cognatione conjuncta sunt.

4. Ratio. Præterea Gal. de salubri arte ad Thrasybulum volens describere sanitatem ex affectione, quam neutram constitutionem fecimus, debiles homines considerãdos proponit, qui gravi morbo laboraverint, proximè verò convaluerint. Illi licet medelam nõ requirant, sed illis refectione viribusq. tantum opus sit: tamen æstum, frigus, vigilias, aut cruditates ferre non possunt, cum non habeant sanitatem firmam, sed lubricam, & quantumvis levi noxa pulsati, in ægritudinem sint relapsuri. Ecce convalescentem introducit, qui tametsi graviter laboraverit,

boraverit, amplius medelam non requirit, cũ sit à morbo liber: sanus tamen non est sanitate in habitu, quoniã adhuc nõ habet sanitatẽ vtilẽ ad actiones, erit ergo neutrũ ex negatione, cum formam quandam mediam habeat, quæ nullius extremi naturam participat.

5. Ratio. Quin etiam decidentia corpora neutra sunt, & quidem ex participatione. Cujus rei fidem nobis faciet morbosa causa in illis præsens. Docuit hoc Gal. lib. de constitutione, & in arte medica, ubi media signa tradit, quæ partim sanitatem significant, sed præter modum aucta sunt in quantitate, & qualitate, partim morbum, magnitudine tamen carent, quam morb. requirit. Ergo præter naturam conjectãdum est adesse aliquod morbi principium: tamen omnia sunt cognitu difficilia, cum ferè nullam corpori molestiam exhibeant.

6. Ratio. Quinimmò corpori convalescenti convenit definitio neutrius, ut nunc, dicti ex negatione, igitur corpus convalescens tale neutrum erit. Medium, & neutrũ ex negatione exquisitè interjectũ est inter sanum, & ægrũ: exquisitè, inquã, quia nec de sano, nec de ægro participat, hujusmodi verò est corpus cõvalescens, cum in eo nihil de morbo supersit, nec potiatur utilẽ sanitatẽ ad actiones, erit ergo neutrum ex negatione. Vnde convalescentes, & senes inter sanitatem & morbum erunt medij.

7. Ratio. Postremò neutrũ ut nunc ex participatione definitur, quod & sanitatis, & morbi dispositionis est particeps, vel in una parte, vel in diversis: sed hujusmodi est decidens corpus ergo neutrum est, & mediũ particeps utriusq. extremi. Quamobrẽ decidentes, nec sani dicuntur, nec morbosi, sed in media & neutra latitudine collocantur.

Conclusio. Hinc præclarè constat corpus, q̃ sanitate incorrupta est, nunquam morbo teneri, quod priùs nõ sit cadens, ac decidens, atq. in certo retineatur statu, qui neq. saniras, neque morb. sit: quod verò in morbo est, nunquã ex eo levari, sanumq. omnino fieri, quin prius cõvalescat, & ad certam conditionem perducatur, quæ inter sanitatem, & morbum interjecta, & media sit.

A

B

C

D

QVID SIT SYMPTOMA.

QVÆSTIO XIII.

MVLTA diximus, quæ distinctionibus à Galeno traditis suffragantur, nihilominus tamen in eo cardo rei vertitur, ut quod videtur huic capiti maxime necessariũ diligentissimè persequamur: id verò est symptomatis definitio, in qua illius vis sic exprimenda, ut neq. absit quidquã, neq. super sit. Verum, ut optimus auctor Aristo. animadvertit, *tamdiu intellectus noster incertus est, quãdiu vox homonyma talis remanet, vtpote cũ certâ significatione non determinata, nihil certi cognoscere possimus*. Ideo meritò vocis acceptiones primò determinandæ sunt. Symptoma, casus, eventus tripliciter sumitur. Primò cõmuniter, & promiscue, quo tempore dicitur quidquid corpori sive secundum, sive præter naturam accidit. *Vnde quædam symptomata secũdum naturam esse* scribit Gal. *ut niger color in indis: quædã verò præter naturã, ut extorti artus, acuminatæ nares, & oculi cavi. Quoniã sunt symptomata*, ut idẽ docet, *quæ diversas corporum alterationes necessariò sequũtur, sive hæ secundũm naturam, sive præter naturam se habeant*. Est enim adeo generalis hæc significatio, ut ea, & symptomata secundum naturam, & symptomata præter naturam includat: sed quæ secundum naturam, proprie accidentia vocantur: quæ verò præter naturam, symptomata potiùs. In arte medica, cum dixerit *sanorum corporum dignotiones, inter alia sumendas esse ab his, quæ necessariò consequuntur, symptomatis*, subjungit: *quæ sanè accidentia propriè dicuntur*. Et primo methodi. *Quæ verò constitutionem, unde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur*. Hoc igitur inter est

Lib. 1. de cœlo c. 11.

Prima symptomatis significatio.

Lib. de optima secta cap. 26.

Lib. 1. methodi c. 8.

Cap. 8.

Cap. 9.

inter accidens & symptoma, quod accidens corporib. sanis: symptoma verò ægrotantibus contingit, quamvis latissimè omnia symptomata dicantur. Secundò appellatur symptoma subgenerali etiam notione, sed minus patente, quidquid animali præter naturam accidit, ut hoc capite descriptum est. Hac ratione dividitur in morbum, causam morbi, & symptoma proprié dictũ.

Secunda symptomatis significatio.

Tertia symptomatis significatio.

Nam tertio, & propriè symptoma sumitur pro eo, quod animali præter naturam cõtingit exceptis morbis, & eorum causis, ut capite sequẽti docebit. Quamobrẽ primò & latissimè symptoma, tũ ad ea, quæ secundum, tum ad ea, quæ præter naturam sunt, pertinet. Secundò laté ad ea tantum spectat, quæ præter naturam animanti accidunt. Tertio propriè symptoma vocatur illud, quod morbis & eorum causis exceptis, præter naturam animali contingit. Quum verò docuit Gal. de nominibus quam primùm esse conveniendum, illud in unaquaque tractatione intelligit. Vnde mirari desinat amethodus ille qui nostrũ Galenum admiratur, quod in variis operib. nomine symptomatis pro accidentis, vel accidẽtis pro symptomatis nomine abutatur licẽtiùs. Nam in hac disputatione, quæ nihil continet, quod secundum naturam se habeat, exclusa prima symptomatis significatione, reliquarũ dũtaxat meminit, atq. de altera tertia nimirũ magis propria, quã perpetuò retinebit, eloquetur copiosius.

Præoccupatio.

Tex. 4.

Porrò illud, quod agnascitur morbo, atque illius consectarium est, quibusdam medicis fuit in usu vocabulo Epigénnema, succedens: Ciceroni posterum, & consequens tertio definib. ubi tamen scribitur *Epigènema* cum simplici n. Ac profecto nihil est, quam nomẽ hoc, quod tam propriè declaret naturã ejus, quod morbo accesserit, succeditq. Verum, ut scribit Gal. id vocabulum non admodum græcis est usurpatum, sed symptoma, quæquidem causa est, cur semper ipse usurpet nomen symptomatis, tãta est cõsuetudinis existimatio, atq. auctoritas. Sed quoniã, ut docet Gal. *notitia genina est, aut enim solã rei notionem, aut essentiam quoq; percipimus*, relictis nomine & notione, rei naturam persequamur, & symptomatis propriè dicti definitionem investigemus.

De arte sanandi ad Thrasybulũ cap. 1.

Qui nostrum in Galenum petulãter invectus est, symptoma definit quidquid præter naturam in corpore reperitur, morbis, & illorum immediatis causis exceptis. Quæ symptomatis proprié dicti perturbata, & cõfusa descriptio est, tradita quidem per solum genus, absq. aliqua differentia, sed exclusis tãtum morbis, & illorum causis, quod non declarat quid sit speciatim sumptum symptoma, sed quid non sit, veluti siquis hominem definiret, quidquid sentit exceptis brutis animalibus. Quã definitionẽ ex sequenti capite surripuisse, liquet, ubi Gal. distinguens symptoma generatim appellatũ à symptomate speciatim sumpto, docet symptoma latè patens dici, quidquid corporib. præter naturam accidit: propriè verò dictũ, quod præter naturã contingit, exceptis, tũ morbis, tum causis. Quib. quidẽ Gal. non definit symptoma propriè vocatum, sed, quo magis pateret illa distinctio, definitionẽ genericã symptomati proprié dicto accommodavit, quæ cum eo æquari non poterat, nisi exclusis morbis, & causis, quæ similiter symptomata sunt generali significatione. Vnde constat minùs patere symptoma proprié dictũ, & ex eo à symptomate generaliter accepto plurimũ distare. Sed miser, & infelix homo, cũ fere omnia Gal. præcepta reprehendat, & vituperet, si forte aliquod illorum mutuatur ad gloriam, quid mirũ, quod magno errore capiatur, (divino Dei permiss.) auctoris ignarus instituti?

Definitio calumniatoris

Refutatur.

Gregorius Horstius professor in Academia Giessenã in suis disputationib. medicis sic definit strictè, & proprie dictum symptoma. Est, inquit, affectus præter naturã, qui morbũ sequitur, veluti umbra corpus. Hanc definitionem etiam amplexati sunt nostrates, atq. ex hoc Gal. capite colligi putarunt. Nam postquam dixit, omnes affectus, qui morbũ præcedunt, illius esse causas,

Definitio Horstij.

hæc

Tex. 7. hæc subjungit: *Quod si alij quidam affectus morbis supervenerint, qui ipsos, veluti umbræ sequantur, hos symptomata vocabimus.* In hac definitione genus constituunt & differentiam: genus est affectus secunda illa significatione, ex trib. adductis à Germano interprete, qua sumitur affectus pro omni mutatione in id, quod præter naturam est. Differentia, quod morbum sequatur, veluti umbra sequitur corpus. Quæ similitudo sequelã symptomatis explicat, & exprimit apertissimè, hoc est, naturam generationem, & dependentiam, quam symptoma trahit ex morbo: quemadmodum enim essentia, & existẽtia umbræ depẽdet à corpore, nõ dissimili ratione omne symptoma sequitur morbũ, ab eoq. oritur ac pẽdet inesse (ut aiũt) fieri & conservari.

Sed hæc definitio tanquam anormis, & inartificiosa semper à me habita est, crassaq. minerva concepta. Ea verò, in quib. ejus fautores turpissimè lapsi sunt, ad tria capita reducamus. Nã symptomatis genus constituunt affectũ, quem morbũ sectari volunt, quemadmodũ corpus umbra sequitur, unde cuncta symptomata in esse, & fieri, & cõservari ex morbo depẽdere cõcludũt. Quę qui dẽ omnia falsa sunt, erroriśq. plena.

In contro. præterito capiti subjicis q. 1. Primùm, quãdo quidẽ cũ Gal. retrò confirmatũ est omnẽ affectũ esse qualitatẽ ab alteratione cessata permanẽtẽ in eo, quod perpessum est, atq. sub eo duo subjici affectuũ genera, unum eorum, quib. subjectum benè, vel vitiosè habet, ut pulchritudo, vel deformitas: alterum eorũ, quib. corpus benè, vel malè se gerit ad facilius vel difficiliùs agẽdũ, cujusmodi est partium illius constitutio, vel secundum, vel præter naturam, ut sanitas, vel morb. Vbi cũ eodem monstratum est non omnia symptomata propriè dicta esse affectus. Nam actio læsa, & contentorũ vitium affectus non sunt, genus ergo in definitione symptomatis nequit esse affectus.

Ibidẽ q. 2. Præterea hujus definitionis differẽtia, vel est illa sola particula, quod symptoma sequatur morbum, vel simul cũ ea subjuncta similitudo, scilicet quod morbum subsequatur, A veluti umbra ipsum corpus. Sanè illa sola particula generi adjuncta, non satis declarat symptomatis naturã, & necessariã depẽdentiã, neq. à similib. distinguit. Nã aliqui morbi extant, qui affectus præter naturãcũ sint, morbos alios sequuntur, ut libro de differentia morborum vidimus. Neq. illa particula, unà & similitudo possunt exequi injunctũ munus: nam definitionis, quæ cum similitudine traditur, hæc natura est, ut sine similitudine propriam definiti vim, & naturam breviter & absolutè pronunciet: mox verò subjuncta similitudo involutum, siquid fuerit, evolvit operrarumq. rerũ est patefactio. Vnde similitudo utilis quidem, sed necessaria non est. Cum igitur illa sola particula sit deficiẽs, & manca, similitudo autẽ nequeat rei essentiã supplere, sed à genere ac differentia terminatam magis explicare, profectò sic tradita definitio nimis parca & restricta est. Cap. 7. Tex. 32.

Sed tertium illud, quod nostri ex umbræ similitudine colligunt, discutiamus: declarant enim symptomatis, quam trahit à morbo, dependentiam. Nam veluti umbra ex ipso corpore, ita symptoma ex morbo in esse fieri & conservari dependere dicunt. Ego verò non possum cõjicere, unde traxerint doctrinam hanc, nisi dixerit aliquis ex secundo physicorũ Aristotelis depromptam esse, ubi potissimùm agitur de formarum naturalis ordinis eductione, ut sunt forma equi, albedo, quãtitas. Concluditur in eo loco, ut aliqua forma de subjecti potentia educatur, duplicẽ cõditionem requiri, ac sufficere. Vnã, ut ad id naturalis potentia subjecto insit; alterã, ut quod educitur sine talis subjecti adminiculo nec effici, nec permanere possit, atq. hoc vocant pendere in fieri, & conservari à materia. Cap. 9.

Exemplo sit albedo, quæ, quum educitur, à materia, & à subjecto, dependere dicitur in fieri & conservari: ubi verò educta est, tantum dependet in conservari. Adaptemus nunc symptomatibus ea, quæ ibi de formis dicta sunt. Nã quemadmodũ formæ, cũ educũtur è materiæ sinu, ab ea & subjecto depẽdent

in fieri & cõservari: ubi verò eductæ jam sunt, in conservari tãtum, quòd sine materiæ, subjecti ve adminiculo, nec educi poterãt, nec deinceps queãt permanere, sic omnia symptomata, cum in lucem prodeunt, à morbo dicuntur pendere in fieri & conservari. Sed quæ in sola successione, mutatione, ac alteratione naturam positã obtinent, ut tunc sunt, ita progrediuntur: quæ verò alteratione absoluta naturæ ductu permanentiam consequuntur, sola indigẽt conservatione, propterea q. á morbo in conservari tantum dicuntur dependere.

Si res ita se habet, illorum sententia oraculum veritatis est: at certò scio aliter esse. Nã postquam ab illis audio symptomata omnia pendere à morbo in esse, fieri, & conservari, atque sibi ipsis obiecerint affectus corporis qualitatesq. secundas mutatas, quæ naturam habent
Cap. 3. permanentem, ut morb. ipse, veluti constat ex secundo methodi, respõdẽt affectus corporis, hujusmodiq. mutatas qualitates bifariam considerari, vel ut symptomata sunt, vel ut sunt qualitates: ut qualitates sũt, stabilẽ naturam habent, & permanentem, sed ut symptomata, essentiam habent in fieri. Quare, ut possent salvam, & incolumẽ suam servare symptomatis definitionẽ, suo modo intellectam, negarunt dari symptoma, ut symptoma est, permanens ac stabile. Sed ego illis monstro aliqua symptomata, quæ, ut symptomata, permanentia sunt. Sic definiebat Olympicus morbum. Pathos est conversio corporis à naturali habitu in eum, qui præter naturam est, permanens. Gal. contra
Cap. 9. definitionem hanc libro methodi primo sic composuit argumentum ducens ad incommodum, probaturus aliqua symptomata esse morbos. Color vitiatus, & macies sunt conversiones in statum præter naturã permanentes: sed hæc sunt symptomata, ergo aliqua symptomata sunt conversiones in statum præter naturam permanentes, & per consequentiam, aliqua symptomata sunt morbi. En G. symptomata, ut symptomata sunt ac permanentia, in lucem protulit, alioquin nihil conclusisset argumentum. Quamobrem falsum esse constat omnia symptomata é morbo pendere in fieri & conservari, quoniam licet actiones præter naturam ita se habeant: veruntamen ipsi affectus præter naturam non fiunt, sed permanẽtia symptomata sunt, licet à morbo conservẽtur.

At ijs, quæ diximus obesse videtur Galeni locus undecimo methodi scriptus, ubi expressis verbis exaratum est, quæ præter naturam sunt, duplicem obtinere primam differentiam, alteram eorum, quæ per se subsistunt: alterã eorum, quæ in ipso fieri essentiam suam habent, ac umbræ ritu morbos comitantur, quæ sine dubio symptomata sunt, & quidem omnia ex morbis videntur etiã nunc profluere, continuoq. in motu pendere. Hæc objectio cũre, de qua agitur, quam aptissimè cohæret. Sed inquiramus ad quæ instituta pergebat Gal. undecimo methodi. Observandum ergo symptoma, ut symptoma, id est, per se & ex sua naturã in curatione nihil indicare: ex accidenti tamen curandi rationem immutare, quando scilicet habet rationem causæ, siquidem urgentia illius adeo tunc insignis est, ut cogat medicum, morbo ad id tẽpus neglecto, accurrere ad symptoma, viribusq. fractis, & debilitatis subvenire. Porrò duo tantum symptomatum genera vim causæ morbosæ induere possunt, actio læsa, & contentorum vitium, nam corporis affectus, cujusmodi est vitiatus color, nunquam morbosæ causæ rationem habet, cum ex eo ægrotantes nihil patiantur præter deformitatem, & turpitudinem, cujus correctio ad comptoriam, seu exornatoriam tantum, non ad curatricem artem pertinet. Iam Gal. methodi undecimo solius curationis rationem habet, unde tantum meminit symptomatum, quæ possunt eãdem immutare, & in quib. potest verificari præceptum illud, *contraria contrarijs curantur*, quæ quidem symptomata sunt actio læsa, & contentorum vitium, quorum essentia tantum in motu posita est, atq. propterea

Obiectio. *Cap. 1.*

Solutio. *Ibidem.*

terea rectè divisit, quæ præter naturam sunt, in ea, quæ per se subsistũt, & ea, quæ in fieri essentiam suam habent, corporis præter naturam affectu contempto, quippequi nunquã immutat curationem. Cõfirmat hãc nostram solutionem Gal. Nam deinceps duodecimo methodi inter primas symptomatum differentias corporis affectum enumerat, sed postquam dixit actionem læsam, contentorumq. vitium contristare, & solicitudinem medici ad se convertere, impellereq. ut morb. negligatur, quasi reddens rationem, cur affectũ corporis undecimo libro prætermiserit, ejusq. notitiam nullum ibidẽ fore usum habituram, subjungit. *At genus symptomatum, quod in affectibus consistit, alterius quidem, quẽ curare oportet, affectus est signum: ipsum tamen nullam seorsum curationem exigit.* Quamobrem symptomatũ, quæ propriè dicuntur, non est genus affectus, cũ illorum pleraq. pathemata sint, passiones, & motus, ut actio læsa, & cõtentorum vitium: omnia verò morbos sequi dicuntur. Quinimmo, & ab ipsis in fieri pendere, si quis dixerit permittimus, non quòd é morbis adhuc fluant, quoniam illorum aliqua ex permanentium, constantiumq. numero sunt, ut vitiatus color, sed in hoc sensu, quoniam sine morbi adminiculo, nec oriri poterant, nec permanere deinceps, nec durare valent. Adulterina igitur est horum hominum symptomatis definitio.

Interpretatur Gal. Cap. 1.

Neque de Galeni verbis depromi potest, ut ipsi arbitrantur. Quoniam ibi non erat institutum Galeno definire symptoma. Nam in illo contextu, quem nos septimum designavimus, discrimen tradit, tum inter morbum, & suam causam, tum inter morbum, & symptomata propagines illius. Primum docet trib. cõvenire morbum, & suam causam. Morb. est affectus, est præter naturam, actionem lædit: similiter plures morborum causæ sunt affectus, sunt præter naturam, & actionem lædunt. Discrimen adest maximum, quia morb. lædit actionem primò, causa interventu morbi. Quo loco noster Gal. neq. tradit definitionẽ causæ, neq. ibi definitio morbi erat ex usu, utpote quæ jam antea fuerat exposita, sed eo animo tradidit, ut particulâ *primò* secerneretur morbus à sua causa, quam docuit præcedere morbum, & illius interjectu actionem lædere. Præterea, cum antecedentia percurrerit, consequentia strictim attingere voluit, quò morbus à sui similib. severè distingueretur, illustrareturq. Consequentia symptomata sunt: hinc subjungit. *Quod si aly quidam affectus morbis supervenerint, qui ipsos veluti umbræ sequantur, symptomata vocabimus.* Ecce hic noster Gal. neq. symptoma definivit, neq. id designavit: sed dumtaxat inter morbum & symptoma discrimen adduxit, quod primo methodi, & secundo renovavit. Porrò symptomatis sequelam similitudine umbræ confirmatam adduxit etiã undecimo methodi, ubi symptomatis ipsius definitionis nõ meminit, sed tantùm ut á morbis symptomata secerneret.

Cap. 9. Cap. 1. & 3. Cap. 2.

Postulat tamen tempus, ut nos symptomatis propriè dicti verã tradamus definitionem, quam quidem hoc in capite adduxisse Galenum tam notum est, quã quod maximé. *Symptoma est id, quod solos morbos necessariò sequitur.* Nam symptoma proprié dictum quod morbi symptoma vocavit Gal. re, substantia, & definitione unum, & idem est, atq. epigénnema, quemadmodum scripsit contextu primò: sed epigénnema est id, quod solos morbos necessariò sequitur, quemadmodum legimus contextu septimo, morbi ergo symptoma hoc ipsum est. Hujus opinionis fuit doctissimus Valleriola commentario in illum textum, in quo Gal. definivit epigénnema. At, inquit, si nominis vim suis finibus, ac quasi cancellis cogere volueris, id tantũ symptoma erit, quod morbos necessariò sequitur, illiq. succedit. In hac definitione genus est symptoma (illud intelligo, quod generaliter sumptum est) vel res præter naturam, ut diximus aliàs. Differentia maximé propria, vel qua tanquã maximè propria utimur, est solos morbos sequi necessariò. Quod solos morbos sectetur symptoma, cre-

Definitio sympt.

Interpretatur Gal. Tex. 7.

Quæst. 2. in fine.

creberrimè commemoratur à Galeno potissimùm capite quarto, quinto, & sexto hujus libri. Quippe omnis actio secundum naturam, contentorum integritas, corporisque affectus decori, & egregij (Galeni hæc argumentatio est) tanquam *Hoc lib. cap. 4.* efficientem causam sanitatem solã insequuntur, ergo actio læsa, contentorum vitium, & affectus corporis præter naturam pro certo habendum est solis morbis succedere, & quidem *necessariò*. Nam hæc particula, *necessariò*, quæ sequelæ necessariæ significationem explanat & implet, Galeno maximè familiaris est ad naturam symptomatis explicandam. Vnde in hujus libri extremo sic loquitur. *Iam quod eorum, quæ præ* *Cap. 5.* *ter naturam excernuntur, & colores, & odores, morbos necessariò sequantur, nihil opus est ostendamus.* Primo methodi medendi. *Sed sunt*, inquit, *symptomata, quæ diversas corporum alterationes* *Cap. 9.* *necessariò sequuntur.* Ac deinceps. *Quæ vero constitutionem, unde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis accidentia ægrotantib. symptomata nuncupantur.* Mox secundo libro, rerum *Cap. 1.* præter naturam quatuor tradit differentias: unam actionis læsæ, alteram morbi: tertiam causarum: quartam symptomatum, *quæ morbum*, inquit, *necessariò sequuntur.* Et paulo post. *Alterum eorum, quæ necessariò consequuntur.* Ac tandem actionem læsam morbum *necessariò* comitari docet. Quibus quidem locis Gal. videtur symptoma propriè dictum definire, atque necessariam eius sequelã absq. circumlocutione uno verbo explicare. Nam in hac definitione particulã *necessariò*, magno artificio explicatur natura symptomatis, cõmodiùs quidem, & planiùs, quam similitudine, quæ semper altero pede solet vacillare: non enim res tota toti rei necesse est similis sit, sed ad illud solum, ad quod confertur, similitudo est, reliquorum autem existunt plures varietates, dissimilitudinesq. ex quo non parva rerũ sequitur perturbatio. & magna confusio. Hinc scripsit Magister Plato quamlibet similitudinem esse maximè observandum ei, qui tutus esse vult, quoniã hoc genꝰ periculo fissimum est, cui subscripsit Mar. Tullius dicens nonnunquam errorem creare similitudinem. Dicet tamen *Obiectio.* aliquis, ergo similitudo ac species umbræ, quam symptoma genere docuit Gal. ex usu non est. Respondeo *Solutio.* usum habere maximum, non sanè ad symptomatis naturam, generationem, processum ad esse, vel existere, vel permanere: sed solummodò ad maiorem explicationem sequelæ necessariæ, unde similitudo ducta est. Quamobrem ut ego definio symptoma cum Galeno, *quod solos morbos necessariò sequitur* similiter, licebit qui volet, definire id, quod solos morbos necessariò sequitur, veluti umbra corpus: dummodo nõ intelligat similitudinem supplere, vel explere aliquam partem essentiæ, vel definitionis: sed tantum explicare magis quo ad comitatum & sequelam, symptomatis definitionem, quæ aliàs sine similitudine perfecta, suisq. partibus omnib. expleta est.

Sed quoniam similitudini dextram tetendimus, quò faciamus omnib. satis, explicemus formam, & similitudinem umbræ, quã dixit Gal. habere morbi symptoma, ut dissimilitudo, quæ in symptomate, & umbra multa est, penitus innotescat. Vmbra est sola carentia lucis, vel splẽdoris: cum enim corpus aliquod lucidum, ut sol, omnia circunstantia illustrat, si fortè obiciatur corpus opacum, impeditur luciditatis, splendorisq. transitus, & permeatio ad longitudinis, & latitudinis opaci corporis proportionem, unde umbra. Quod si casu quodam moveatur corpus, statim umbra in aliud spacium mutari videtur, moveri, & consequi. Quare velut umbra sequi dicitur, qui semper assectatur. Nam umbra corpus subsequitur, velis nolis. Hinc Plautus. *Decretum est mihi, quasi umbræ, quoquo ibis tute persequi.* Ergo umbra non est aliqua res physica (positivam dicũt) neq. producitur à corpore opaco aliqua reali efficientia, neq. aliqua vi conservatur, neq. aliquid est, sed omninò nihil, & pura privatio. Vnde similitudo hæc non consistit in essentia umbræ, generatione, vel con-

conservatione, sed nititur sola sequelâ vulgariter intellecta. Quemadmodum enim intelligunt vulgares homines umbram perpetuò subsequi corpus, siue quo nusquã est, sic voluit G. putare medicos de symptomate. De quo ipse aliàs multò secus sentire videtur, quoniã morbus est nostri corporis cõstitutio, à qua efficienter producitur symptoma, quod est accidens corporeũ in certa rerum categoria locatum, & multò aliter, quam corporis umbra, solius morbi affecta. Quod quidem, ut liqueat, tentemus leviter similitudinem. Nam illustrante corpore lucido aliquod spacium ob interpositum corpus opacum, adest umbra, verum si è contrario aliud corpus obijceratur lucidum, & splẽdens, ut evanescat umbra, permanebit corpus opacum undiq. illustratum: symptoma igitur melius, quã umbra corpus, affectatur morbum, quem nunquam deserit. Respondemus, sicut aufertur umbra superstite remanente corpore opaco, dum obijcitur ex alia parte aliud corpus lucidum & splendens, ita permanẽte morbo, potest auferri symptoma ex oppositio accedente alio corpore potentiori, aut alia causa, quæ valeat illud symptoma è medio tollere: experimur enim acerbissimum dolorem remitti ac vere sedari adhibito narcotico, quod inducto stupore, partis sensum obtũdit, torpidioremq. reddit, ut doloris urgentem causam minimè perciat. Ecce à potentiori causa dolorem leniri, ac levari, remanente intemperie, vel solutione continui, non minus, quam evanescat umbra remanente corpore, quod sequebatur. Verum licet detur corpus sine umbra, cum tamen hæc nusquam sit siue corpore satis est ad designandum apendicem morbi esse symptoma, cui, quoad sequelam dumtaxat, tanta est cum umbra similitudo, ut ovum ovo tam simile non sit.

Obiectio.

Solutio.

Cic. 4. Acad.

Sed discedamus ab umbra, & lucis adventu, quo lumen hujus definitionis magis luceat, caligines omnes dissipemus. Quoniam neq. omnia symptomata videntur morbum sequi, neq. omnia, quæ sequuntur morbum, symptomata vocari. Porrò utrum morb. sit causa omnium symptomatũ in caput quintũ differimus, ubi Gal. in hujus quæstionis mentionem penitùs insidet: nunc alterum problemma exagitemus, an scilicet omnia, quæ morbum sequuntur symptomata vocãda sint.

Primùm nobis occurrunt evacuationes criticæ, quæ morbum sequũtur, illiusq. sunt effectus. Nã, si morbus non præcederet, nunquam apparerent. Veruntamẽ symptomata non sunt, quoniam ultimo capite hujus libri edixit Gal. ut opera naturæ curarentur, erraturumq. subjungit, quicunq. symptomata judicaverit, sequuntur ergo morbum, & symptomata non sunt. Respondemus nos hujusmodi evacuationes, quę in decretorio die tempestivè, atque ad commodum animalis fiunt, quamvis sequantur post morbum tamen nec sequuntur morbũ, nec fiunt à morbo, sed à natura sola, non irritata, immò tempore naturali expellente, meritò igitur opera naturæ dicuntur à Galeno, & ab Aristotele secundum naturam fieri.

1. Obiectio.

Solutio.

Præterea morbum, & circuitum febrilem sequuntur primæ qualitates, ut extremarum partium refrigeratio in accessionum principijs, earundem calefactio in accessionum vigore, duricies & siccitas cutis, aridita sq. atvero hujusmodi qualitates symptomata non sunt, quia, ut citato capite dixit Gal. omnis intẽperies morb. est: ecce multa morbũ sequuntur, quæ symptomata non sunt. Qualitates primas ego eadem regula metior, qua noster Gal. tumoris magnitudinem metitus est libro de differentijs morborum. *Tumor*, inquit, *si ad tantam magnitudinem attollatur, ut ob ipsam actio lædatur, tam morbi tenseri debet, alioqui*, hoc est, si tantus non fuerit, ut actionem non lædat, *symptoma tantum est.* Similiter qualitates primæ, si tantam intensionem fuerint adeptæ, ut ab illis partium similarium actio lædatur, morbi sunt illarum intemperies, qua ratione Gal. interpretandus est: sin minùs dumtaxat symptomata. Siquidem præter naturam corpotib.

2. Obiectio

Hoc libro cap. ultimo.

Solutio.

Cap. 12.

rib. accidunt, atqui non sunt morbi, quia nullam manifestò inferunt læsionem, neque morbi efficientes causæ (ut imperitissimè dixit ignarus ille) sunt ergo symptomata prorsus dicta.

3. Obiectio. Lib. 1. patho. cap. 1.

Ad extremum diluamus argumentum, quod Iohannes Fernelius magnifacit. Quum morbus unus alium de se proximè gignit, ut tumor intra venam obstructionem, vel inflammatio febrim, posterior affectus prioris morbi est effectus, & ut symptoma sequitur, symptoma igitur est. Respondent huic difficultati, qui definitionem Horstij secuti sunt, in morbo, & symptomate sequelam disparem esse: etenim quãdo symptoma sequitur morbum ab eo dependet, ut dicunt, in fieri, & conservari: morb. autem, qui subsequitur alterum morbum, tantum pendet ab eo in conservatione. Quæ solutio inanis est, quoniam ex symptomatis aliqui fũt affectus, qui à morbo genitore processerunt, fluxeruntq. at nunc quiescunt, tantumq. morbo debent conservationem, nõ minus quam morbi, qui sequuntur alios morbos. Sed illi affectus symptomata sunt, licet fruantur permanentia. ergo etiam morbi, qui sequũtur alios morbos, erunt symptomata. Complutenses coætanei nostri sic satisfaciunt objectioni. Hoc distinguitur morbus á symptomate, quod ille actionem lædit, hoc verò neutiquam. Vnde secundus morb. qui sequitur priorem, symptoma non est, quoniam peculiarem partis alicujus actionẽ impedit, quod ex similitudine Galeni colligitur. Nam quemadmodum umbra ea ratione sequitur corpus opacum, ut non inducat aliam opacitatem diversam ab ea, quam producit corpus, ita symptoma non provehit novam, vel peculiarem læsionem in aliqua parte diversam ab ea, quam profert ipse morb. Veruntamẽ ego discrimen inter morbum, & symptoma positum libenter, & studiosè admitto, res mihi nova non est: subtiliùs tamen, quam satis, similitudinem voluerunt explicare: atque id quoq. facilé fero: ægré tamen admodum, quòd, cùm inquæstionem vocant, utrũ omne symptoma procedat ex morbo, respondeant, necessarium non esse, quod omne symptoma immediatè oriatur ex morbo, cũ actio læsa, quæ primò à morbo profluit, possit ex se promere aliam actionẽ læsam: hic verò symptoma aliud symptoma non posse parere dicunt, profecto memoria vacillant.

Aliquorũ solutio.

Refutatur.

Complutensiũ solutio.

Confutatur

Nos ex libro de differentia morborum transcribamus in hunc, quæ hac de re ibi sunt prodita. Cum morbum ex morbo nasci dixit Gal. ut febrim ex inflammatione, id non formaliter ut dicunt, sed materialiter intellexit. Nam ipsa partis intemperies humoris fluxione comitata morb. est, calor verò præter naturam auctus, quæ illius morbi est materies, de parte in partem effusus in cor febrim induxit. Ergo, quæ sequitur, genita febris morbum non sequitur, propterea revera symptoma non est, sed morbi alterius materiã sequitur: solet enim unius morbi materies alterius fieri causa efficiens, ut loco citato in cõtroversijs explicavimus. Veruntamen aliter hoc loco respondendum censeo, quando symptomatis definitio facilè se per se ipsa defendit. Symptoma necessario sequitur morbum, nullus autem morbus est, qui alium morbum sequatur necessario. Nam primo libro medendi methodi quando morbum cum causa Gal. comparavit, cõvenire dixit, quòd affectus præter naturam actionem præter naturam, veluti causa præter naturam affectum præter naturam producat: in hoc vero differre, quod morb. & actio læsa semper una consistant: causa verò ad morbum adesse, vel ab eodẽ abesse possit, ergo symptoma semper sequitur morbum, & necessario: causa vero interdum præsens adest, interdum vero abest. Ecce, cum morbum sequitur alter morb. qui sequitur symptoma non est, quoniam alterũ nõ sequitur necessario: febris enim, quæ sequitur inflammationem, sine dubio sequi poterat aliam causam. Similiter obstructio, quæ sequitur venæ internum tumorem, non subsequitur eundem necessario, cum à crassis

Solutio Auctoris.

Alia solũ.

Cap. 8.

crasis humorib. oriri potuisset. Ergo symptoma semper & necessariò sequitur morbum: sed morb. aliquando sequitur alium morbum, frequentissimè non consequitur.

ARG. CAP. II.

Tres esse symptomatũ, quæ propriè dicuntur, differentias, corporis affectum, actionem læsam, & excrementorum excessum docet: læsionis autem nomine privationẽ quoque intelligi exemplo mali motus, & malæ concoctionis declarat.

CAP. II. Tex. 9.

AC de ijs quidem jam dictum est. De propriè verò dictis symptomatis, in hoc opere disputare paramus. Est porrò horum triplex differentia. Alia namq. ipsius corporis nostri sunt affectus. Alia functionum offensæ. Alia hæc ambo comitantia, idq. tum in excrementorum excessu eorum, quæ excernuntur, & retinentur, tum in ijs, qui in ipso animali æduntur sonitib. tũ etiam in reliquis, quæ sensibiles sunt, differentijs omnib. Sub læsionis autem sive offensæ nomine, nunc privatio quoq. mihi in audiatur. Non enim difficultas modo motus, quam Græci dyscinesian vocant, neque difficultas sensus, quam dysæsthesian appellant, vitia quædam actionum sunt, sed etiam immobilitas, & insensibilitas. Adeundem modũ nec dispepsia, id est, mala concoctio solum, sed etiam apepsia, id est, cruditas. Atque hæc quidem

A *genera symptomatum sunt, in quibus æstimandæ sunt membratim differentiæ, quarum singulas prosequi sermone deinceps conveniet.*

COMMENTARIVS.

Morbum, & illius præcedentem causam, atque symptoma propriè dictum, quod morbi symptoma vocavit, sub cõmuniter accepti symptomatis notione comprehendi, leuiter quidem tetigit præterito, sed
B hoc, quod aggreditur, capite significat apertius: cum q. de morbo, & eius causa hucusq. dixerit, deinceps de morbi symptomatis se dissertũ proponit, quod illius est in opere reliquo institutum. Sed quoniam præcedente capite propriè dicti symptomatis definitionẽ tradidit, hic more suo, & dialectice ulterius progrediens à divisione rem orditur, atq. tres esse primas, & generales illius differentias ostẽdit. Prima est simplex corporis nostri affectus & mutata qualitas. Altera est actio læsa. Tertia in excremẽtorum
C consistit excessu, immoderationeq. *Cap. 15.* Hæc etiam libris de constitutione *Cap. 3.* artis medicæ, secundo methodi, & *Cap. 1.* duodecimo adduxit, vbi quartum symptomatum genus enumerandũ non esse scribit. Est autem qualitas mutata, quæ à philosophis vocatur sensibilis, propria scilicet, vel communis, juxta Aristotelem secundo de animo, quarum quælibet à naturali suo statu mutata, adeoq. læsa dici potest. Propria sensibilia sunt color, sonus, odor, sapor, & tactilis
D qualitas. Colores præter naturam oriuntur ex alterationib. lædentib. vel in toto, ut flavus ictericoti color, vel in parte quadam, ut nigredo linguæ in febrib. ardentib. Sonus non judicatur permanens qualitas, ubi tamen novus, & insolens percipitur in actione, cujusmodi est vox mutata vel stridor dentium, hac sola ratione ad hoc symptomatum genus referri potest, veruntamen hic de sono nihil decernimus: capite quinto, quid tenendum fuerit,

rit, constituemus. Odores non naturales graveolentia sua se ie produnt, quod patet in halitu phthisicorum, item in ructib. vêtriculi fumosis, acidisq. Sapores præter naturam lingua tantum percipiuntur, quando eadē ab humorib. biliosis, vel alijs inficitur, & ita saporem præter naturam acquirit. Tactiles præterea qualitates, vbi iustā æqualitatem non retinent, nec tamen eò perveniunt, ut detrimentum inferant alicui actioni, horum symptomatū specié constituunt: ideoq. nimius calor in febrib. durities in scyrrho, & alia huiusmodi generis, ad hæc attinent. Qualitates deniq. sensiles cōmunes Aristoteli sūt magnitudo, numerus, figura, motus, & quies, quæ si præter naturam reddi tæ, nullam actionem perse lędunt, annumerantur his symptomatib. propterea huc pertinent illa signa, quæ in facie Hippocratica dicta describūtur. Alterum symptomatum genus est actio læsa, quæ primo nobis morbum demonstrat. Nam, cum actio ab instumento, mediante cōstitutione naturali, fiat, sequitur functionem impeditam constitutionis præter naturam signum esse, primo de locis patientib. docente Galeno. Tertium genus symptomatum, quod supereſt, contentorum excessus constituit: hic vitia excretorum, & retentorum p.n. intelligimus, quæ vel oriuntur naturaliter, & necessario, ut quatuor humores alimētarij, & naturalia excremēta, vel nō necessariò, sed prēter naturam, ut vermis, calculus, pus. Horum vitia morbos antecedentia causæ rationem obtinent: quatenus verò morbum sequuntur, eatenus symptomata sunt. Ad hæc etiam spectare scribit Gal. psophos strepitus, qui in ipso animali consistunt, & alias omnes sensibiles qualitates. *Psophon* autem, ut ipse commentatur, *non nulli borborygmon, murmur significari dicunt, quidam ructum, alij flatus per sedem exhalantes: item alij quodlibet istorum simpliciter, qualiscunq. in intestinis motus sit, qui ab auribus centiatur: sunt enim & alij quidam præter murmura in intestinis motus, ac strepitus, non nulli quidem sonis persimiles, aliqui verò sibilis, aut alicui alij huiusmodi voci.* Exponitur etiam quarto aphorismorū quid sit borborygmos, *murmur. Est sonus, quem flatus facit, quando, neq. magnus, neq. multus extiterit, cum quadam modica humiditate ad inferiora evacuatus.* Alię verò sensibiles differētiæ, quas Gal. addit, sunt reliquæ sonituum differentiæ sensibiles, nimirum auribus. perceptę qualitates, quę in excremētis existentiam habēt, quoniam ex aeris, & illorum collisione in cavitate potissimum ventris proficiscūtur. Subiungit autē hæc symptomata tertij generis *ambo comitari*, nempe affectum, & actionem lęsam, semper enim affectantur, & subsequuntur. Sed quid Gal. intelligat per affectum, morbum scilicet, an qualitatem mutatam, ut verborum series indicare videtur, hoc loco pretermitto, & in aliud tempus rejicio, ne Galeni contextū interturbem. Qui, cum dixerit functionum offensas constituere secundum genus symptomatum, movet, quod per læsionē sive offensam hoc in loco actionis privatio etiam omnimoda intelligenda sit, ita nimirum, ut non sola difficultas movendi, aut sentiendi sit actionis lesio, sed etiā omnimoda, tum motus, tum sensus abolitio, & privatio actiones læsæ sint. Similiter non modo mala concoctio, verū etiam omnimoda cruditas actio lesa est. Cumq. generaliter symptoma diviserit, concludit has esse communes differētias, quæ deinceps sub dividendę sunt in alias particulares diligenter considerandas.

1. *prognost.*

TEXT.

ILLO primū admonito, quod in libro de morborū differentia diximus, nempe qui sanitatem non esse affectum corporis, unde actio proficiscatur, sed ipsas actiones putarunt, hos itaq. quam nos nunc doctrinam in symptomatis de actionum lasione tradimus,

mus, in morborum esse doctrina tradituros. Constatq. à nobis si modo nihil in ipsis rebus errabũt de solis nominib. esse dissensuros. Oriuntur autem (ut sæpe dictum est) huiusmodi doctrinarum errores ex omittenda quapiam differentia. Itaq. si differentias omnes percensentes, non esse eas, symptomatum, sed morborum dicant, in nomine tantum, non re, à nobis dissentient.

latur quidquid præter naturã cõtingit, ita ut tũ morbi ipsi, tũ morborũ causæ, quæ scilicet intra corpus subsistunt, nõ quæ extra habẽtur symptomata sint. Altera verò significatione, ac veluti magis propria, detractis tũ morbis, tum eorum causis, reliqua omnia, quæ præter naturam sunt, symptomata nominantur. De quib. nunc agere nobis est propositum.

COMMENTARIVS.

Cap. 5. Tex. 24.

LIBRO de differentia morborũ meminit aliquorũ veterum, qui, cum existimaverint saniratẽ nõ esse corporis cõstitutionẽ, per quã agimus, sed actionẽ ipsam, similiter arbitrati sunt actiones vitiatas morbos esse: hoc autẽ loco, ubi aggreditur symptomatũ differentias, quarũ actionis læsæ disputatio diutissimè nos demorabitur, merito constitit, & animadvertit hanc doctrinã, quã ipse de actionib. læsis tradere instituit, medicos illos ad morbos esse relaturos: quod tamen nihil interesse significavit, dummodo ex ipsa varia nuncupatione in reb. ipsis nihil erroris suboriatur. Nã, ut sæpe dictum est, huiusmodi errores accidunt, ubi aliquã præterita fuerit differentia. Si igitur actionum læsarum nulla omittatur, quantũvis dixerint veteres morborũ esse differentias, & nõ symptomatum, eosdem floccifacere debemus, quoniam nomine tantum, non re ab hac doctrina discrepabunt, quod ad curationem, nec prodesse, nec obesse potest, ut alibi Gal. observavit.

1. metho. cap. 1.

TEX. XI.

ERGO *dicendæ differentiæ nobis jam sunt, disputatione ad principium revocata. Quoniã symptoma generatim quidẽ appel*

COMMENTARIVS.

AD illud redit, unde diverterat, nimirum ad symptomatũ differentias: sed, quo possit reliqui operis institutũ explorare, primùm explicatè, & distinctè magis, quam antea, symptoma bifariam accipi docet, generatim scilicet, & speciatim. Generatim symptoma vocatur quid quid animanti præter naturam accidit, ita ut hac ratione, tum morb. tum causa morbifica interna symptomata sint, & sub generali significatione symptomatis comprehendantur. Causam internam dixit, quoniam externa causa symptoma non est, quod extra corpus animantis consistat, nec illi proprié accidere dicatur. Speciatim verò symptoma dicitur, quidquid animanti, exceptis morbis, & dictis causis præter naturam, accidit. Quæ quidem symptomatis propriè dicti definitio non est, sed quædam imperfecta descriptio excludens ea, quæ cum eo quomodolibet videntur convenire. Vnde non de quolibet symptomate, sed de proprié sumpto posthac instituit agere, idque in suas species, vel differentias ad infimas usque dividere.

EPITOME.

Morbi symptoma triplex est, corporis affectus, actio læsa, & contentorum vitium. Vbi cum læsionem dicimus, privationem quoq. intelligi-

mus. Sed, qui differentias symptomatum morbos appellant, dummodo nulla differentia prætermittatur, in nominib. tantum à nobis dissentiunt. Symptoma verò generatim est quidquid animanti præter naturam accidit: speciatim verò idipsum exceptis morbis, & illorum causis internis.

CONTROVERSIÆ pathologicæ.

VTRVM SYMPTOMATIS propriè dicti divisio in tres differentias sit commodè distributa.

QVÆSTIO. XIV.

POST traditã definitionem symptomatis morbi Gal. tres ejus differentias adduxit, affectũ corporis, actionem lęsam, & excretorum, retẽtorumq. immoderationẽ, quorum, tanquã effectus, morbũ sequitur functionis lęsio illius primum symptoma propriũ, & indissolubile, à quo deinde reliqua omnia defluunt, atq. alia in partium substantia, alia in excrementis insident. Nã omnia, quæ reperiuntur in nostro corpore, vel sunt substantiæ, vel accidentia: substantię Hippocrati, vel sunt cõtinentia, ut viventes partes, quę suo complexu omnia cingũt, coercent, ac cõtinent, vel cõtenta, ut humores intra vasa, vel impetũ faciẽtia, ut spiritus, qui licet revera cõtineantur, tamen propter celeré motũ, & agitationẽ, quã habent, potiùs impetum facere dicuntur. Iam verò medicus nõ considerat substantias, ut tales sunt, sed ratione accidentiũ, hinc fit, ut morbi, & symptomata ex accidentib. colligantur. Quorumquidẽ aliqua sunt partium cõstitutiones, & actionum principia, quę, cũ manifestè præter naturã fuerint, morbi sunt: quędam verò sunt actiones à constitutionib. orrę, unde colligimus symptoma in actione lęsa: quędã tandẽ ab ea proficiscuntur, quę si fuerint in nobis, affectum corporis, si verò in alio, ut cõtingit in excrementis, tertiũ symptomatum genus cõstituunt. Quamobrem hoc loco puniendus est improb. calũniator, qui adeo fines verecundię transivit, ut omnia symptomata in duas tantũ differentias, lęsã scilicet actionem, & opera partitus fuerit, solũ ut nostrũ auctorẽ reprehenderet, mox verò coactus distribuit opera in tres differentias, affectũ corporis, humores, & excrementa, quib. nihil cõtinetur, quod non includatur in duab. differẽtijs Galeni, affectu, inquam corporis, atq. excretis, & retentis, tantum ut quæ conjecit jacula in Galenum ad seipsum possint retorqueri. Vnde solis luce clarius est, quam sit evidens, & perspicua Galeni divisio. Inquam, quę objcit imperitissimus homo, producamus in prospectum, permistis interim alicujus momẽti difficultatib. aliundè assumptis, ne ridiculas tricas, quib. ipse convolvitur, dumtaxat evolvere videamur.

Reprehẽditur Argũ.

Primùm ergo adversus Galenum se offert quędã symptomatum divisio, quã ipsemet tradidit primo medẽdi methodi libro, ubi duas tãtùm adduxit symptomatũ differentias, alterã actionẽ lęsam, alteram corporis affectum, superflua igitur est, tripartita, quam hic tradit, divisio.

Prima objectio. Cap. 8. & 9.

Veruntamẽ primo methodi Gal. de differentijs symptomatũ non tractavit ex professò, unde rectè potuit sub uno mẽbro divisionis cõprehendere alterum: licet enim sit lex optimę divisionis, ut membra dividentia opponantur, nec unum sub alio contineatur: possunt tamen duo mẽbra in aliquo simili convenire, & ratione illius unum constituere, quod ibi Gal. procul dubiò consideravit. Conveniunt autẽ affectus corporis, & excreta vel retenta, q̃ in humano corpore cõsistentes, actioni neq. cõmodant, neq. incõmodant, qua ratione possunt alterũ genus ab actione lęsa constituere. Iã cum affectus corporis & excreta, vel retenta oriantur ab actione lęsa, conjectare etiam possumus sub qualitate mutata excreta & retenta comprehendisse.

Solutio.

Præterea Gal. methodi medendi libro secundo quatuor tradit eorũ diffe-

2. Objectio

differentias, quæ nostris corporib. præter naturam accidunt, quod ante acta quæstione diximus, licet aliò spectaret oratio, morbum, causam morbi, actionem læsam, & symptomata, ergo actio læsa symptoma nó est, cum à symptomatis sejuncta cõ stituatur, & consequenter divisio symptomatum nimis redundans.

Solutio Hujus argumentationis nodum libro de differentia morborum solvi, ea tamen, quæ ibi dicta sunt, in hunc locum trãscriberé magno usui erit. Ante Galenum, & Galeni tempore aliqui non modo medici, sed etiam Philosophi arbitrabãtur actionem læsam esse morbum: Gal. verò secundo methodi mõstravit dispositionem, quæ actionem præter naturam parit, morbum esse, & non ipsam actionem, quod ut persuaderet, res omnes præter naturam in lucem protulit: læsa tamen actione à cæteris abducta, ac si venisset ad judicium. Quam non posuit in causis, cum ex omniũ sententia causa morbi non sit, nec potuit in morbis numerare, quoniam id erat funditùs eversurus, neq. tandem in symptomatis, quãdoquidem petiisset principium, quod erat probaturus, cũq. in neutram partem propendere deberet, sed ad utramq. parata, neutrobiq. potuit collocare, tametsi insigne morbi symptoma aliàs constituisset.

Alia solutio. Hic tamen lubet aliter respondere. Gal. primo methodi capite quinto morbi definitionem, ac differentias investigaturus, proposuit inquirenda esse, quæ in corpore cõsistunt, ita inter se proxima & cognata, ut periculũ esset, ne alterum pro altero sumeretur. Cœpit autẽ ab actione, & instrumenti dispositione: in quo instituto perseveravit capite octavo, ubi scripsit ei propositũ fuisse investigare, quot in universũ res sint in ea disputatione, quę proximè inter se haberentur. Videtur enim, inquit, unũ genus esse dispositionũ: alterũ actionũ: mox tertiũ addit, quod causarũ est. Sed quoniam corporib. accidunt nõ pauca, genus quartũ adjunxit eorũ, quæ illis præter naturã insunt, & actioni nec cõmodant, nec incõmodant, ut colores. Ecce methodi secundo illæ quatuor enumerat eadẽ methodo, quib. singula invenerat, exploratũ habens læsam actionem esse symptoma, cum morbo succedat.

3. Objectio Iam actio læsa, cũ se habeat ex parte agentis, causa efficiens est respectu aliorũ symptomatum: Gal. ergo in perturbatũ ordinẽ redegit symptomatum genera, quoniam primo adduxit affectũ, qui tamen actioni & excrementis succedit: rectiùs verò duodecimo libro medendi methodi, ubi actionem, quæ omnium est causa primùm retulit, secundò excreta & retenta, tertiò & ultimò, affectum præter naturam, qui novissimè contingit.

Solutio. 1. ad Glau. cap. 1. Verùntamen aliud est docere, aliud curationẽ adhibere *scripta*, inquit alicubi Gal. *cõtrario modo se operib. habent.* Hic docet, reiq. naturã, & perfectionem contẽplatur, unde affectũ qualitatem factã, & permanentẽ priùs tradit, quã læsam actionem, quæ in ipso fieri est, hanc verò priùs, quam immoderationẽ excrementorũ, quæ similiter in successione cõsistit, sed ex actione manat. At duodecimo methodi curandi rationem tradebat, & symptomatũ differentias enumerabat pro ratione noxæ, quã nostri corporis viribus inferunt. Quamobrẽ actionum offensæ primitus solicitudinem afferũt, subsequuntur eorũ, quæ excernuntur, vel retinentur excessus, in quib. multum curæ, atq. industriæ ponitur. Postremum est symptomatum genus, quod in affectib. consistit, qui quidem à medico negliguntur.

4. Objectio. Sed cur dixit Gal. excreta, & retẽta comitari prædicta. Nã retenta inferunt & procreant ipsos corporis affectus, qualitatesq. mutant, ergo potiùs dicendum erat, quod affectus, & qualitates mutatæ sequantur excrementa.

Solutio. Dissolutio hujus objectionis, tametsi primo intuitu levis, difficiles tamen explicatus habet. Nam, cum dixit Gal. quod excreta, & retenta comitantur ambo, vel utraq. consequuntur (ut convertunt alij) magnas multorũ mentib. tenebras offudit, unde variæ, ac inter se dissidentes opiniones de his ortæ sunt,

ad quæ consequantur excrementa. Quis sit ergo illorum verborum
Quæst. 15. intimus sensus in cõtroversias producimus.

Porrò necesse non est, quod tertium genus symptomatum ab alijs
5. Obiectio. duob. diversum cõstituatur Nã duo se nobis offerunt in hoc genere cõsideranda. Primũ actiones ipsę excernendi, & retinendi, quæ ad læsam actionẽ aperte referuntur: deinceps substãtia, eaq. triplex, excreta jã quæ nunc excernitur, & quæ deinceps excernenda est. Iam excreta, quoniã abest à corpore, symptoma non est: sic morbum numeri deficiẽtis non ad partẽ sublatam referẽdũ
Lib. de diff. morb. c. 8. censet Gal. sed ad reliquã, quæ adhuc manet & servata est. Itidem substantia, quæ excernitur, si propter aliquam vitiosam qualitatem excerni contingat, sub affectu, & qualitate mutata continetur: si verò excernitur, vel retinetur absq. aliquo vitio, sed ob solam culpam facultatis expultricis, vel retentricis, actio læsa est, quoniam in hoc evẽtu ex parte rei excretæ vel retentæ nihil cogitare possumus, quod extra naturam sit. Tandem substantia, quæ venit excernenda: symptoma non est, sed causa morbi, vel præsentis, vel imminentis, plethora scilicet, vel cacochymia.

Dubium hoc gravissimũ est, plurimumq. difficultatis habet, unde
Solutio. Quæst. 16. ne longiùs digrediamur, hanc in aliud tempus rejicimus.

Ad hæc distinetur ille bardus
6. Obiectio multis symptomatis, quæ, ut ipse putat, nõ capit hæc divisio, sed nos omnia ocyùs dissolvemus. Cibus malè coctus in febricitantib. & sanguis improbè genitus, vel corruptus, atq. fungosa caro symptomata sunt: sed nulla sub parte divisionis contenta, ergo symptoma latiùs patet, quam hic exponatur à Galeno. Existimabit fortasse aliquis, hæc sub excrementis comprehendi: sed contra. Nam excrementa finita concoctione ab utili substantia segregantur, & foras ejiciuntur, aut dejectionem postulant: hoc tamen his non cõtingit, ergo excrementa non sunt.

Iacob. Segarra negat assumptionẽ hujus objectionis, ac respondet, hæc omnia excremẽta esse symptomata tertii generis in retentis: excrementa verò bifariam dici. Primò quæ à concoctionib. separãtur, utili substantia inculpata remanente: secundo quæcunq. sunt è corpore depellenda ob vitium quãtitatis, vel qualitatis, vel utroq. ne noxam inferant. Hinc cibum corruptum evacuat Gal. sexto sanitatis tuendæ, & sanguinem putrefactum undecimo lib. methodi.

Solutio. Iacob. Segarra. *Cap. 7.* *Cap. 13.*

Nos verò distinguamus ambigua & distinctè loquamur. Nam hujus hominis disci plina philosophicis, & medicis præceptis tincta est, non affusa. Quare negamus propositionem, quoniam cibus semicoctus neque præter naturam, neque purgandus est, ut docuit Gal. libro de artis constitutione. *At*, inquit *cum pituitosus humor exhuberaverit, si salsus sit, purgandus est: si acidus* (sic vertendum, ut Lacuna, etenim ἡ ὀξὺ acetum est) *experiundum, an possimus alterare, natura ad illum concoquendum opem ferentes: & longè etiam magis, si dulcis sit: erit enim concoctu facilior.* Similiter sanguis semiputris symptoma non est, neq. evacuandus, sed alterãdus, & concoquendus, in nostramq. substantiam convertendus juxta præceptum Galeni methodi undecimo traditum. Carnem fungosam concordes respondemus excremẽtum esse, atq. symptoma in retentis, ut colligere possumus ex primo de locis patientib. tametsi posset aliquis existimare morbum esse: verum ex his, quæ in libro de morborum differentia dicta sunt, facillimè rem explanabimus. Nam, si tantum est carnis augmentum, ut aliquam actionẽ lædat, morbus est in numero auctо ex his, quæ toto genere præter naturam sunt: sin minus symptoma in retentis. Quomodocunq. verò fungosa caro auferenda est, ut libro de constitutione artis docet Gal.

Cap. 19. *Oxy.* *Cap. 10. & 13.* *Cap. 1.*

Similiter somnus, & vigilia symptomata sunt: sed ad nullum ex tribus symptomatum generibus pertinere possunt, quoniam si ad aliquod, proculdubio ad actionẽ lęsã reducerentur: at omnis actio motus est: somnus verò potius quies. Præterea
7. Obiectio

terea vigilia, si esset actio depravata foret, sed non fit alio modo, atq. fieri debet, unde concluditur non esse actionem præter naturam, ergo somnus & vigilia actiones læsæ non sunt, licet sequantur actionem læsam.

Solutio. Respõdemus vigiliam præter naturam esse animalem actionem depravatã immodicam: somnum verò vigiliæ privationem ad habitum referri, ad actionem & ad motum animalem imminutum, & deficientem. Sed de his plura scribam aliàs.

8. Obiectio. His adde, quòd tumor præter naturã, si tantus fuerit, ut actionem per se impedire possit, in morborũ numero cẽseri debet: sin minùs inflammationis symptoma est: sed hoc ad nullũ prædictorum generum reduci potest, non ad corporis affectum, vel ad actionẽ læsam, quia tumor est quantitas: neq. ad excreta & retẽta, quoniã hæc substãtię sunt, ad aliud igitur genus pertinebit, quod in hac divisione deficit.

Solutio. Hæc etiã objectio quæstiunculam per se postulat: ad majorem enim distinctionem, omnia sejungere libuit, separatimq. pescribere.

Quæst. 17.

9. Obiectio. Postremò, ut hæc divisio cara libertate fruatur, exturbemus aliquos obstrepentes, quorum est, unà cum conviciatore, de Galeno sermo liberior, quod in hac divisione per læsam actionem privationẽ etiã omnimodam actionis voluerit intelligere, ita nimirum, ut nõ solùm difficultas movendi, aut sentiendi fit actio læsa, verum etiam omnimoda, tum sensus, tum motus privatio, & abolitio. Nam actio abolita, vel ablata non potest cõtineri sub actione læsa, quæ certò præsupponit existentem actionem: abolita verò abnuit, & negat omnem existentiã. Quamobrem actio abolita non potest constituere differẽtiam aliquã actionis læsæ, quando quidem, cui non convenit divisum, non potest esse membrum divisionis.

Solutio. Verum Gal. læsæ actionis nomine intelligit existentem actionem cum læsione, sed potiùs læsionem, quæ contingere potest actioni secundum naturam debitæ, sive nunc existat actio, sive non. Qua ratione actio abolita continetur sub actione læsa, quia est defectus sive læsio actionis, quæ secundum naturam statui debebatur & solutè, libereq. se gereret, si abesset morb. læsionis causa. Aliter & brevius respondent aliqui. Tripliciter potest offendi quælibet nostri corporis pars, vel quia nullam exercet actionem, vel quia diminutam, vel quia depravatam: sic explicandam censent divisionem actionis læsæ. Sed quæstione vigesima secunda decidam hæc, & statuam exploratiùs.

QVIS SIT HORVM *verborum sensus*, alia hæc ambo comitantia.

QVÆSTIO. XV.

TRIA symptomatum genera cõstituens ac dinumerãs Gal. *Alia*, inquit, *ipsius corporis nostri sunt affectus: alia functionum offensæ: alia hæc ambo comitantia*, quæ quidem sunt excreta, & retenta. Sed quæ sint ambo excretis & retentis comitata, non satis constat. *Tex. 9.*

1. Opinio. Nonnulli ex barbaris, antequam hoc opus commentarijs illustraretur, cum in hæc verba insidissent, dixerunt, hæc ambo esse corporis affectum, & actionem læsam, quia excreta, & retenta sequuntur frequentissimè, tum actiones læsas, tũ affectus corporis, hoc est, mutatas qualitates, quoniam sanguinis, vel alvi profluvia, quæ sunt symptomata in excretis, non modo sequuntur imbecillam retentricem, & irritatam expultricem, sed etiam mollitiem, & laxitatem vasorum, quæ sunt affectus præter naturam, & mutate qualitates, quemadmodum retenta excrementa sequuntur, non modo imbecillitatem expultricis, & retentricis excessum, verum etiam duritiem & densitatem vasorum, quæ sunt qualitates præter naturam.

Hæc quidem vera sunt: attamen unum quodq. reliquorum symptomatum etiam alia duo cõsequitur, nempe actio læsa corporis affectũ, & excrementum: affectus similiter actionem, & excrementa, ergo non est credendum id tantum excrementis Galenum adjudicasse, & adscripsisse, quod cæteris etiam contingit, cum se præbet occasio, aut dabitur suspicandi nullius fore momenti Galeni hanc observationem. Quodlibet verò cæterorum, ut reliqua duo sequatur, hinc constat. Nam actio vitiatur nimia duritie, vel mollitie, laxitate, vel densitate vasorum cujusq. instrumenti, præterea occasione excrementorum, quę in partib. detinentur. Porrò corporis affectus ex actione læsa originẽ trahit, cum non potuerit facultas per loca conferentia hũmorem expellere, qui corporis, vel alicujus partis illius cutem imbuit, ac tingit: sequitur etiam affectus corporis humorem, cujus aspersione cutis coloratur, incorpore præter naturam retentum. Cuilibet ergo potest contingere, ut sequatur alia duo: at quod quærimus est, cur hoc magis in excretis, & retentis Gal. voluit observare.

Refutatur.

Hujus operis interpretes existimant excreta, & retẽta promiscua, & incerta esse, ut quæ modò ad affectus corporis, modò ad actiones læsas consequantur. Et cum affectus sub se contineat, tum affectum præter naturam, videlicet corporis constitutionem, qui morb. est, tum corporis affectum, quæ mutata qualitas dicitur, arbitrati sunt excreta, & retenta plerunque morbum sequi sine alicujus alterius affectus, vel symptomatis interjectione, veluti cum sanguinis profluvium sequitur aliquod recens inflictũ vulnus, plerunq. verò similiter proximé, ac sine aliquo intermedio, læsam venarum actionẽ, nimirum imbecillitatem retentricis, vel immodicum expultricis facultatis motũ. Sic recrementa dicuntur ambo comitari, hoc est, alterutrum, & unum de duob. aliquando corporis affectum, nempe morbum: aliquando verò ipsam actionẽ læsam. Iacob,

2. Opinio.

E Segarra interpretib. assensus est.

Refutatur ob tres errores.

Sed expositio hæc cum re, de qua agitur, non cohæret: triplici enim interpretes ducuntur errore. Primò, quoniam arbitrati sunt excreta, & retenta promiscua esse, ut quę modo ad affectus, nimirum ad morbos, modo ad læsas actiones consequantur. Secundo, quando quidẽ nomine corporis affectus morbum ipsum intellexerunt, de quo in hoc capite nulla prorsus fuit facta mentio. Tertio, quod existimaverint excreta & retenta quandoq. solũ morbum consequi nullo functionum vitio intermedio. Porrò, ut primum errorem exagitemus, & à nominib. exordiamur, rectiùs à Lacuna & Linacro nostro, qui *hæc ambo comitantia*, quam à Copo, & Germano interprete, qui *ad utraq. consequuntur*, hæc verba conversa sunt. Etenim Gal. non dixit ἀμφότερα, utraque, sed ἄμφω, *ambo*. Differunt autem interse *ambo*, & uterq. quòd quum utrumq. aliquid feciſſe dicimus, & ab hoc, & ab illo separatim id factũ esse intelligimus: ut, uterq. sibi domũ ædificavit: hoc est, & hic ædificavit sibi domũ, & ille. Quũ verò ambos dicimus fecisse, ab utroq. conjunctim id factum esse ostendimus: ut, ambo sibi monumentum constituêre: hoc est, hic & ille simul unum sibi commune monumẽtum fecêre. Quamobrẽ, cum scribit Gal. quod excrementa cõsequuntur ambo, nempe affectũ, & actionem læsam, ita quidem, ut affectum, & actionem læsam simùl & conjunctè consequantur, intelligendum est. Præterea, ut in alterum erratum insurgamus, atq. id quoq. à grammaticis mutuemur, ἄμφω, *ambo* non dicitur nisi de duob. quæ præcesserint. M. Tullius. *Quorum amborum generum una ratio est.* Ita hoc loco oportunè accidit: antecesserunt verò affectus corporis, scilicet qualitas mutata, & actio læsa, quas proximè nominaverat, ergo nomine affectus corporis nulla ratione possumus morbum mente concipere. Nam Gal. in initio hujus capitis severè distinxit symptoma generaliter vocatum à symptomate propriè dicto, quoniam, cum in fine præteriti asseruisset morbũ, & illius internas

Exagitatur primus error interpretum.

Ratio.

Confutatur secundus error.

Ratio.

internas causas sub symptomatis generatim dicti significatione comprehendi, hoc caput aggressus est observãs de illis symptomatis dixisse abũde satis, enũciatq. se posthac de symptomatis proprie dictis in opere reliquo disserturũ. Quę protinus trifariã distinxit, in affectũ corporis, scilicet qualitatem mutatã, actionem læsam & ea, quæ ambo comitantur. Quæ, cum ita sint, nullus mente sana publicis literis consignabit Galenum affectus nomine morbum intelligere potuisse: sed affectum, in quem, & actionem læsam, atq. excreta & retenta fuit divisum symptoma proprie dictum.

Reprehenditur tertius error. Vltimus error, quo interpretes lapsi sunt, perniciosus est: etenim arbitrantur excreta, & retenta interdũ consequi solum morbum absq. alicujus actionis læsæ interjectione.

1. Ratio. Nam sanitas, ut ipse millies significavit, semper est causa prima, & proxima omnium actionum secundum naturam: at morb. sanitati contrarium est, ergo morb. semper est causa prima & propinqua læsarum

2. Ratio. actionum. Quoniam continentia naturali quadam actione contenta cõtinent. quo significatu, & præceptor discipulos, & imperator milites continere sæpe à doctis dicitur: sed sanitas, & morb. sunt dispositiones, & constitutiones continẽtium, ergo quemadmodum sanitas nequit contenta naturaliter gubernare sine interventu actionum secundum naturam, non poterit morb. contenta, vel excernere, vel retinere præter naturam absque interjectione actionis læsæ. Quandoquidem inter agens, & opus actio semper, tanquam media, interjecta est:

3. Ratio. sed symptoma tertij generis quodammodo opus est, ergo morb. nõ potest symptoma tertij generis promovere, quin intercedat actionis læsio. Porrò verba Galeni adducta prętertta quæstione, ob unius adverbij significationem neglectam, malè ab explanatorib. cõversa sunt. Quemadmodum nos suo loco clarius dicemus.

Observatio Illud verò interpretes decepit, quod existimaverint Galenum hoc loco immodicé excreta & retenta comparasse cum morbis, unde trahunt originem, quemadmodum prę stitit in fine hujus libri: veruntamẽ hic symptomata dumtaxat comparavit inter se, ut statim repetam longiùs.

3. Opinio. Neq. Henricus Solanus in expositione interpretum potuit acquiescere, sed, ut erat bellé curiosus, ita ingeniosé & subtiliter philosophatus est. Primùm jaciebat duas hypotheses. Prima est, affectum consistere in permanẽtia, atque in eo, quod manet, & servatur in subjecto corpore: actionem verò in successione, alteratione, & motu generationem habere. Altera est, tertium genus symptomatum coagmentari, & constare ex actione, scilicet excretione, & retentione, atq. substantia excreta, & retenta, quæ cum sit corporea, permanentiam obtinet proculdubio: ita ut natura symptomatis tertij generis partim sit posita in permanentia, partim in successione. Quibus positis concludebat, quod ea, quæ præter naturam excernuntur, & retinentur, ambo comitantur, & consequuntur affectũ corporis, scilicet mutatam qualitatem, & actionem læsam, hoc est amborũ similitudinem, speciem, & naturam gerunt, quoniam cujusq. naturam participant, quod ab utroq. partẽ capiant, ab hac, nimirum actione motum, & successionem: ab illo, nẽpe affectu permanentiam. Hæc proportionis sequela est: hæc similitudinis consequentia: hæc tamen subtilior, quam vera interpretatio.

Refutatur Quandoquidem nihil tam acerbè odit noster Gal. quam veterum dogma, quod affectum & passionẽ confundebat, ut nulla de re tãtum, quantum de differentia inter affectum, & passionem laboraverit. Quamobrem prætermisso capite, atq. primo, & secundo methodi summo studio huic discrimini consuluit, & prospexit. Quapropter persuadere mihi non possum, quod hic voluerit Gal. symptoma tertij generis cum affectu comparare, atq. docere, quod aliqua in re congruant, quæ secum tantopere pugnare pluries significavit. Vnde quò ruat Solani posterior hypothesis, sumamus

Tex. 3. Cap. 9. Cap. 3.

1. Ratio. ex phi-

ex philosophis entia per se non cõponi ex diversis rerum generib. at symptoma tertij generis est ens per se, ut postea videbimus, igitur non potest constare ex actione læsa, & substantia excrementorum, quæ in diversis generib. multum inter se distant. Nam quod unam & simplicem obtinet naturam, impossibile est, quod partim sit motus, & partim quies: sed symptoma tertij generis, potissimum si sumatur formaliter, ut dicunt, unam habet naturã & simplicem in certo rerum genere locatam, ut constabit inferiùs, ergo nulla ratione poterit esse partim motus, & partim quies.

Altera ratio.

Mihi verò interpretum aliquando probabilior visa est expositio: sed paulò accuratiùs singula evolvens, abjecta illorum sententia, novam suscepi. Veruntamen, ut mea consilia sint omnibus nota, quilibetq. possit per varias opiniones vagari, exponam quo fuco illorum interpretationis formam, & tanquam faciem illitam, publicè docui nonnunquam, & cur deinceps mihi fuit offensa & suspecta. Ergo ceu illorum explicationem defendẽdam susceperim, sic respondeo adductis à me rationib. Affirmo & concedo libenter affectus nomine solã qualitatem mutatam Galenum intellexisse, neq. alium affectum primò intelligere potuisse. Veruntamẽ, cum aliquod nomen habet duas significationes, gravissimi, & ingeniosissimi viri ab una in alteram pulchrè transire solent. Quum Philippo Macedoni clavicula in bello esset fracta, & chirurgus, á quo curabatur, in singulos omninò dies ab eo aliquid postulasset. Accipe, inquit, Philippus, quãtum volueris, quoniam clavem habes in tua potestate, jocatus ex vocis ambiguitate: dicitur enim clavis, qua aperitur scrinium, aut hostium, clavis etiam & clavicula vocatur os, quod cervicem, & humerum concludit, Celsus jugulum appellavit. Sic noster Gal. vir acutissimo ingenio præditus, licet hoc capite constitu erit corporis affectũ esse differentiam symptomatis proprié dicti, quæ ad primam affectus notionem pertinet: tamen provocatus ab altera significatione, qua affectus morbũ indicat, inciratusq. ut ille, cui offertur prægustatum poculum, lusit ancipiti voce, atq. ad morbum deflexit, quem & actionẽ læsam excretis, & retentis comitari planè constat. Hac ratione potuit Gal. primò sumere affectum pro symptomate proprié dicto, deinceps transgredi ad affectum alia significatione sumptũ, ac docere quod excreta & retenta comitentur ambo, simul, inquam, vel vtraq. consequantur, morbum scilicet & actionem læsam separatim cum Galeno in extremo hujus libri, ea ratione, qua nos retrò explanavimus. Sed, ut verum fatear, errore, in quo versabar, liberatus sum, quamprimum circunspexi à Galeno hîc nullam fieri morbi, & symptomatum comparationem, quemadmodum circa finem hujus libri, sed tantum de respectu, quem habet tertium symptomatum genus ad alia duo mentionem fieri. Quis verò ille respectus sit subjungam brevi.

Refutatur.

4. *Opinio.*

Vt scopum attingam, ante omnia duo notanda duxi. Primum est, quacunq. methodo investigaverimus tres symptomatum differentias, semper immodicè excretis & retentis contingere novissimum, & ultimum locum. Colliguntur tres symptomatũ differẽtiæ dupliciter. Primo ex illorũ causa, ut ex nostris corporib. malè se habẽtib. Nam, ut in corporib. sanis facultes partium cõtinentiũ contenta secundum naturam dispensant: sic in ægrotãtib. facultates & actiones partium præter naturã dirigunt humores, quos vel intus detinent, vel ad cutẽ mittunt, quam inficiunt, & tingunt, vel foras depellunt. Hinc duo in partibus continentib. symptomata insunt, actio præter naturam, quæ tanquam causa primum genus constituit, alterum est coloris vitium: tertium verò, est ultimo collectum, quod intus immodicè retinetur, & foras detruditur. Præterea colligitur differentia symptomatum postrema ex effectu. Nam in statu præter naturam, quod primum & maximè considerãdum venit est ægrotantis corporis actio, reliqua, vel

Auctoris opinio.

1. Fundamentum.

ad

ad actionē edēdā cōferūt, vel nihil conferunt, si cōferūt, vel per se, vel per aliud, si per se, corporis dispositiones præter naturam sunt. si per aliud causæ dispositionum, si nulla ratione symptomata sunt, vel affectus præter naturam, & mutatæ qualitates, vel immodicè excreta, & retenta: sed affectus corporis citiùs objiciuntur visui, & perfectè cognoscuntur, quoniam res permanentes sunt: quæ verò habent essentiam in motu positam à solo sensu nequeunt perfectè comprehendi, cujusmodi sunt immodicè excreta, & retenta: excreta quidem, quod non consistant, sed raptim fluant: retenta verò, quod non moveant sensum positivè: debet enim sensus juvari à memoria, quæ partes præteritas, & futuras, colligit, & inter se confert.

Alterum fundamen.

Alterum notandum est, Galeni hanc observationē, nimirum quod excreta, & retenta comitentur ambo, vel cōsequātur utraq. (ut alii cō vertunt) non modo ad artem nō esse necessariam, verum etiam illi nullo usui esse. Argumēto sit, quod omnes, qui de differentia symptomatum scripserunt, quorum munus nō est quæcunque his in libris dixerit Gal. commentariis persequi, sed tā tum solida, & expressa, non adumbrata memorare, hanc observationem consultò præterierunt, cū nullius sit emolumēti. Vnde Fernelius, Avegā, Vallesius, Gorraeus, Horstius, Angelutius, Riolanus, atque horū librorum interpretes, Valleriola, & Germanus explanator, quā do non cōmentantur Galenum, hujus comitatus, & consequentiæ nullam fecerunt mentionem. Symptoma describunt primùm vocabuli notatione, deinceps propriam definitionem adducunt, tandem ad differentias adeunt, in quib. traendis semper incipiunt ab actione læsa, cui primum locum deferunt, secundum corporis affectui, ultimum immodicè excretis & retentis.

Auctoris assertio.

Quibus jactis asseveranter affirmo Galenum his verbis docere voluisse, quod immodicè excreta, & retenta comitantur, & sequuntur simplicem affectum præter naturam, & actionem læsam, illa, inquā, duo symptomata non sanè ordine ac sequela naturæ: sed ordine doctrinæ, & consequentia quadam tractationis, ut enim methodo ultimò inveniuntur, sic tertium semper, & omnium ultimum in docendo locum obtinuerunt. Diximus enim aliás præclaram resolutionis methodum plānè invenire, atque propterea methodum inventionis appellari: ordinem verò resolutionis, quasi methodi ministrum, differentias inventas commodè distribuere, atq. mirabiliter collocare, sed de hoc satis.

QVID CONSTITVAT tertium symptomatum genus.

QVÆSTIO. XVI.

SOLITA lenitate, & facilitatè nostra de morbi symptomatum, quæ proprié dicuntur, tertio genere, hucusq. non pauca diximus, minurizando quidem, & humili submissaque voce: nunc verò contenta, & vibrissata vaticinari expedit: est enim hæc nō ab aliquo ante nos scripta doctrina, sed nobis ultrò debita, quam inter alia multa ex nostro marte arripuimus, hausimus & expressimus. Nollem tamen ob id inanis cujusdam gloriolæ, quam satis est, avidior judicari, quia voluntas consiliorumq. meorum scopus est posteris quoddam exēplar proponere ad imitandum, ubi rei expediendæ difficillima ratio est, atque inter sacrum (ut dicunt) & saxum quis constitutus fuerit. Quam verò descripsero, si obscura, & a natura involuta videbitur, cogitatio, non mihi, sed ipsius rei difficultati convenit imputari: attento itaq. animo sæpius relegenda est, ut intelligentia, memoriaq. valeat comprehēdi. Ergo quærit hæc controversia, quid illud sit, quod tertium, & ultimum genus symptomatum constituit. Nā utrum ad excreta, retentaq. an potius ad excretionem ipsam, & re-

tentiō

tentionem pertineat, ex Galeni doctrina vix colligas. Siquidem aliàs substantiam excretorum, ac retentorum considerat, aliàs actionem circa hæc præter naturam. Et substantiam quidem intelligit libro de artis constitutione, ubi hoc symptomatum genus in excrementorum ἀμετρίᾳ, *immoderatione* reponit, quem admodum in hoc capite. Quod quidem aperté significat in fine hujus libri, dum scribit. *Quæ verò, vel à corpore excernuntur, vel in eo præter naturam detinentur, ea quoq. in primas tres diducantur differentias.* Item secundo libro medendi methodi. *Diversa*, inquit, *ab his sunt* (de corporis affectibus, præter naturam verba fecerat) *quæ immodicè à corpore excernuntur.* Tandem duodecimo methodi hanc symptomatum differentiam similiter in retentorum, vacuatorum-ve ἀμετρίᾳ, *immodicò excessu* collocavit. Verũ in fine hujus libri, paulò post illa verba, quæ modo protuli, quod statim proponit exemplum, actionem denotat, potius quam substantiam excremẽtorum: hæmorrhagia enim non est sanguis ipse, qui effunditur, sed sanguinis eruptio facta errore facultatis expultricis, aut retentricis, aut utriusq. Sic etiam Dysuria (urinæ difficilis, & cum dolore excretio) Ischuria (urinæ in vesica suppressio) Stranguria (urinæ stillicidium) & Diabete (subita potus omnis per urinas cum magna siti profusio) excretiones, aut retentiones præter naturam factæ, non urinam ipsam, quæ retinetur, aut expellitur, indicant. Id ex eo confirmatur, quod ipse capite sequenti recensens actiones motivas, inter eas obiter Ischuriam, & Dysuriam enumerabit. Sed apertiùs multo libro tertio de causis symptomatum hæc inter actiones (motus, inquam, depravatos) constituet. Vnde secũdo methodi loco citato immodicas, vel inanitiones, vel retentiones symptomata vocat. Immodicæ igitur, & præter naturam expulsioni, & retentioni, quæ actiones sunt, tertium genus symptomatum assignare videtur.

Cap. 15. Cap. ultim. Cap. 5. Cap. 1. Cap. ultim. Cap. 3.

Refricatur quinta obje

Iam verò, quid tertio genere opus est, cum excretio, & retensio sub secundo, nimirum sub actione læsa, contineantur: retenta verò, sivé plus justo aucta, sivé à sua natura recedentia, vitiosaq. non symptomata, sed multorum morborũ causæ fiant? Laboriosa, & molesta est difficultas hæc, cujus auctor, & impulsor fuit Ioubertus, sed ei satisfacere nunquam potuit, immò, cum multa sequeretur, ut se dissolveret, pauca consecutus est.

Actio quæstionis. 14.

Qui corticetenus Galeni verba tractarunt, arbitrãtur excretorum, & retentorum excessum, immoderationemq. definire tertium symptomatum genus: excrementa enim, quà excrementa, morborum quidẽ causæ, atquà immodicé excernuntur, & immoderaté retinentur, symptomata sunt. Hic tamen magnus est error. Nam excessus, & immoderatio nihil est aliud, quam declinatio in statum præter naturam. Vnde lib. de differ. morb. præter naturam, & immoderatum in idem cadunt, veluti secundo medendi methodi, ubi hæc scribuntur. *Diversa ab his sunt, quæ immodicé à corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur.* Præterea symptoma generaliter dictum definitur id, quod præter naturam est. Quare si præter naturam esse adæquatur cum generali symptomate, ac propterea nequit præscribere symptoma specialiter sumptum, multo minus constituet aliquam differẽtiam illius. Ergo tertium genus symptomatum ab excrementorum immoderatione, vel excessu statui non potest.

1. *Opinio.*

Refutatur 1. *Ratio.*

Cap. 2.

Cap. 3.

Altera ratio.

Iohannes Fernelius tertium symptomatum genus appellavit excrementorum vitium, quam opinionẽ amplexi sunt Hautẽtius, Ioubertus, Gregorius Horstius, & ex nostratibus nonnulli: ram en quod sit hoc vitium nullus explicavit. Nam virtus dupliciter dicitur. Primò latè sumpto ejus nomine: deinde verò proprié. Virtus latè est dispositio perfecti, ut docuit Aristoteles: perfici autem unũquodq. cum virtute informatur, ex eo ostendit, quia virtus est propria cujusque rei perfectio, qua unumquodq. cum obtinet, secundum naturam bene habet, & in suo genere bonum dicitur: sumit enim

2. *Opinio.*

Virtus bifariam dicitur.

Lib. 7. phy. cap. 13.

enim Aristoteles eo loco virtutis nomen laxiori significato pro ea qualitate, qua res ad suũ munus ritè obeundum idonea redditur, quod genus virtutis etiam plantis convenit, humorib. actionib. colorib. & excrementis, immo & artefactis, ut circulo, cum formã naturę suę debitam habent. Propriè autem virtus est habitus electivus consistens in mediocritate, quę ad nos est, iudicio prudentis viri, ut definit idem Arist. libro secundo ethicorum, quę virtutis moralis definitio est ut liberalitatis. Similiter vitium bifariam distributum est. Primò sumitur pro remotione, aversione, & recessu à perfectione cuiq. rei debita secundum suam naturam. Prętera vitium est habitus cõtrarius virtuti morali, qui à mediocritate recedit.

Quid virtus propriè

Cap. 6.

Vitium bifariam dicitur.

Quęramus nunc quam vitij acceptionem intelligit Fernelius. Vt ego existimo primam mente complexus est, qua vitium est recessus à natura, quæ debetur excrementis, defectusq. perfectionis, quã tribuere solent facultates nostrum corpus gubernantes excrementorum substantiæ, quantitate, & qualitate. Vnde vitium hoc loco non est cacochimia, humorumq. pravitas, sed latiùs patet, quoniam in sola quantitate excreti etiam peccatũ adest, ut optimi sanguinis in effluvio mensurno.

Quid nomine vitij intelligat Fernelius.

Veruntamen Fernelius nihil excogitavit distinctum ab excessu, & immoderatione, vel ab eo, quod prę ter naturam est, quoniam prorsus idem sunt immoderatum, vitiosum, & præter naturam esse. Quod idem sint immoderatum, & præter naturam, diximus dudum: modo probemus non distingui vitiosum, & præter naturam. Primo methodi traditurus Gal. symptomatum primi generis exemplum, adduxit coloris vitium, deinceps libro secundo pro exemplo secundi generis protulit actionis vitium, intelligens proculdubio & colorem, & actionem præter naturam. Cum igitur excessus, & immoderatio, præter naturam, & vitiosum esse, omnes differentias symptomatum generaliter constituant, atq. nullam differẽtiam specificam designent, concludendum est Fernelium nomenclationem, vel appellationem propositæ quæstioni non satisfecisse: quærimus enim hoc loco, quid illud sit, à quo specialiter constituantur excreta, & retenta in tali esse symptomatis, atq. in tertio genere à duobus priorib. generib. distincto.

Refutatur

Cap. 6.

Cap. 3.

Nuperi nonnulli, ut mihi relatũ est, sic respondent huic quæstioni. Per hoc symptoma tertij generis in excretis & retentis, nõ intelligimus ipsam excretionem, & retentionem simpliciter, quoniam actiones sunt, & ad secundum genus symptomatũ referuntur, neq. possumus mente cõcipere substantiam ipsam excretam, & retentam præter naturam, quia hujusmodi substãtiæ sunt causæ morbificæ, sed utrumq. simùl debemus intelligere, scilicet excretionem, & retentionem, atq. substantiam excretam & retentam. Hanc fortasse opinionem excogitaverat Solanus, cum dicebat naturam tertij generis partim in successione, partim in permanentia repositam esse.

Opinio.

Nugæ sunt meræ, quas Galeni sententiã facilimè exterminabimus. Secundo libro medẽdi metho. quæ præter naturã sunt doctissimus vir partitur in duas classes: alia essentiã habẽt positam in fieri, cujusmodi sunt motꝰ omnes, actiones, & passiones: alia verò habent essentiam existentem: & permanentem, ut habitus, affectus, & termini motu jam acquisiti: hoc autem genus symptomatum, de quo sermo est, in motib. numeravit, actioniq. læsæ associavit, nequit ergo perpeti alicujus rei permanentis admistionem. Idem scripsit undecimo libro, ubi eorum, quæ præter naturam sunt scriò decernit duas primas differentias, unam per se subsistentium, ut puta effectuum: alteram in generatione suam essentiam habentium, ac umbræ ritu affectum concomitantium, nempe, symptomatum primi, & hujus tertij generis, de quo verba facimus, quodquidem sub aliqua natura simplici, & minimé dubia debemus collocare, ac inde concludere ex recrementis, & actionib. non componi, cum ens per accidens non sit, sed in uno & certo rerum genere statuendum.

Refutatur;

Cap. 3.

Cap. 1.

Quare

Auctoris opinio.

Quare nos, ut res habeat, explice mus. Porrò quæ ad hoc genus pertinent, sunt immodicè excreta & retenta: non tamen ea, quæ foris sunt, sed quæ nunc foras projiciuntur, & præter naturam excernuntur, præterea quæcunq. intus in corpore præter naturam includuntur, & quatenus immodicè retinentur. Principiò

Excreta.

loquamur de excretis, in quib. quatuor sunt ponderanda. Primò substãtia. Secundò vitium, immoderatio, & quod præter naturam sint, quæ, ut diximus, in idem cadunt, & symptoma generaliter dictum cõstituãt. Tertiò quod morbum sequantur necessariò. Quartò quòd excernantur: distat enim plurimùm illud excerni, & exire à reliquis trib. Excrementa quoad substantiam, symptomata nõ sunt, quà vitio affecta, immoderata, & præter naturã, symptomata sunt generaliter accepto symptomatis nomine: ut necessariò sequũtur morbum, symptomata sunt propriè dicta: atverò quatenus foras excernũtur, & proferuntur, constituunt hoc tertium symptomatum genus. Exẽplo sit sanguis é vulnere profluens, quem, si sumamus, quà sanguis, symptoma non est: si ut præter naturam vitioſé, ac immodicé excretum, symptoma est generatim sumpto symptomate, ut spéciatim accepto, si quatenus necessariò sequitur morbum: atverò, ut movetur, fluit, exit, excernitur, in tertio genere symptoma est, ita ut illud, excerni sanguinẽ, definiat, & cõstituat tertiũ symptoma-

Exemplum

tũ genus. Vt enim, cũ foras exit quotidie, qui ab urbe neq. pedem egrediebatur, vel cum semper domi manet, qui sæpe aliàs ibat deambulatum, dicimus illud exire, vel consiſtere, & commorari præter assuetudinem illius hominis, prodigium & certissimum portentum esse, quid mirum, quod nos *exire* illud sanguinis contẽplemur separatim, ac præter cætera tria, *exire* illud tertium genus symptomatis constituere arbitremur? Sed dicet aliquis, excerni,

Obiectio.

exireq. sanguinem, facultatis expultricis est opus, quoniam excretio illius facultatis est actio, unde in secundum genus sympto matum relabimur, tertium ex vsu non est. Respondeo verum esse facultatem de

Solutio.

parte in partem abjicere recrementa, & tandem foras projicere: verum in excretis, dum excernuntur, non tantum sunt nobis curæ expultricis facultatis motus, qui agitantur intus, scimus enim ad actiones pertinere: sed vehementer soliciti sumus de illo motu, qui in substantiam excrementorum suscipitur, sivè ab aliquo agente intrinseco fuerit excitatus, ut sanguinis vomitus, sivè à propria natura excreti, ut lumbricorũ, sivé à removẽte prohibens, ut in venæ sectione, vel extractione lapidis. Quem excrementorum motum impulsum-ve ab actionib. facultatum plurimùm differre præclaré constat, quoniam hoc loco rem formaliter, ut dicunt, mente cõtemplamur, quoniam motus, ut profluit ab agente dicitur actio: pathos verò, vel passio, cum in passum recipitur, quemadmodũ noster Gal. observavit præterito capite, & 2. metho. Hoc igitur pathema, id est, passio eorum, quæ excernuntur, hoc, inquam, *pati*, & *exire*, ipsum tertij generis symptoma est.

Cap. 5.

Retenta.

Nunc dicamus de retentis & intra corpus præter naturam quietis. Nam quies motus privatio est, per motum cognoscitur, atq. ad eundem reducitur. Quò fit, ut in retentis similiter quatuor considerentur. Primò substantia: secundò vitium, immoderatio, præter naturam, tertio, quòd necessariò sequatur morbum: quartò, quòd intus retineatur. Substantia symptoma non est: quà vitiosa, immodica, præter naturam, communiter symptoma: quà verò necessariò sequitur morbum, propriè symptoma: sed quatenꝰ retinetur, quod excerni debebat, illud, inquam, *pathos*, & præter naturam *retineri*, ob validam retentricem, & languidam expultricem, tertij generis symptoma est, ut lapidis substantia symptoma non est, sed ut præter naturam symptoma generaliter, ut morbum aliquẽ necessariò sequitur, propriè symptoma: quatenus verò præter naturam retinetur, symptoma in tertio genere. Hoc illud est, quod libro secũdo medendi methodi docuit Gal.

Cap. 3.

loco sæpe ac sæpius citato, ubi post-

quam

quàm dixit tres esse in corpore affectus præter naturam causas, morbos, atq. symptomata, subjungit. *Diversa ab his sunt* (ab his affectib.) *quæ immodicè excernuntur à corpore aut retinentur præter naturã, & functionum vitia: omnia scilicet communi nomine appellata, symptomata, cæterum non uni generi subjecta.* hoc est, non affectui subjecta, quia non omnia sunt affectus. *Quippe affectus quidam est corporis vitiosus color. Quod excernitur autem, & retinetur, affectus monest, sed affectum sequitur. Similiter actio vel læsa, vel integra affectus sanè non est: affectum autem particulæ, unde editur, necessariò comitatur.* Affectus ergo res permanentes sunt: fientes verò actiones læsæ, atq. passiones præter naturam excrementorum, quoniam tantisper sunt, quandiu in excrementis, quatenus excernuntur, vel retinẽtur, insunt.

AD QVAM DIFFERentiam symptomatum referatur præter naturam tumor.

QVÆSTIO. XVII.

Cap. 12. Tex. 44.

EXquirens Gal. lib. de differẽtia morborum compositas differẽtias in partib. similarib. prodit non solùm intemperiem cum intemperie consociari, compositumq. morbum inducere, sed etiam solutionem continui cum intemperie, tum simplici, tum composita conjungi, quarum quælibet potest humoris præsentia sustentari, & confirmari. Cumq. nonnunquam sanguinis cursus inflammationem pariat, docuit tunc temporis tres adesse morbos necessariò, solutionem continui, & duplicem intemperiem, calidam nimirum, & humidam: aliquando verò quatuor, & tumorem. Quærens autem cur non adsint perpetuò quatuor morbi, cum tumor semper cõsequatur inflammationem. Quoniã, inquit, tumor non semper est morbus. Est quidem morbus, si ad tantam magnitudinem attollatur, ut ob hanc ipsam lædat actionem: at si tumor eò magnitudinis non creverit, ut alicui actioni detrimentũ adferat, dũtaxat est symptoma. Cujus Galenicę respõsionis occasione quę rebant olim Barbari, ad quod symptomatum genus, cum tantum symptoma est, pertineret tumor. Quam objectionem sibi falsò attribuẽs insolens Iatrosophista impudẽter mutuatus est, ut id Galeno vitio verteret. *Object. 10. quæstionis decimæ quartæ.*

Turisanus ad primũ genus symptomatum, nempe ad effectus corporis, tumorem reducit, cumq. illorũ sint quatuor differentiæ nempe visibles, olfactiles, gustatiles, & tactiles, tumorem sub tactum subjectum esse arbitratur. Quod ex Galeno monstrat, qui exponens hoc libro differentias, qui tactu percipiũtur, docet cutem esse duram, distentam, aridam, præhumidã, aut rugosam, pars autem tumida extensa, & intenta est: existimat ergo tumorem esse numerandũ in propriis objectis sensus tactus. *1. Opinio.*

Sed hæc respõsio nullius momẽti est, quoniam Gal. cum tactus objecta refert, loquitur de tensione, quæ laxitati opponitur: unde cutis potest tendi absq. aliqua eminentia, ut in tympano, in quo mẽbrana absq. aliqua eminentia tenditur. *Refutatur.*

Nuperos quosdam audio, qui arbitrati sunt tumorem pertinere ad tertium genus symptomatum, nempe ad retenta præter naturam. Sed horum captum excedit postulatio nostra. Quoniam Gal. primo methodi medendi sanguinis redũdantiam, quæ substantia retenta est, internam inflammationis causam constituit, tumorem antẽ inflammationis symptoma. Quod quidem à tumore, qui morb. est, *non specie quidẽ, sed magnitudine differt: inflammatio enim, sive maxima, sive minima*, ut scribit Gal. *unus atq. idem est affectus*, quod in genere tumoris intelligendum est: plurimũ enim distat morb. à symptomate. Quare, ut est incredibile tumorem magnũ nihil aliud esse, quã materiã sub eo retentã, ita de tumore parvo dicendum non est. Loquimur hic de extuberatione, & inflatione non de substantia, præter naturã retenta quæ *2. Opinio. Refutatur. 1. Ratio. 1. de loc. affect. cap. 2. 2. Ratio.*

quæ attollit, elevat, & inflat, ut neque de parte, quæ attollitur, & extumescit. Quærimus ergo, quando tumor est symptoma, an illa magnitudo aucta sit corporis affectus, an actio læsa, an illud pathos, quod tertium genus designare diximus. Dices fortasse, intelligût vitium, quod *Refugium.* *Cõfutatur.* sequitur substantiam retentam. At vitium hoc triplex est, juxta triplex officium humoris retenti, nam ut calidus intẽperat partẽ, ut corporatus attollit, ut retentus symptoma est in tertio genere. Vnde vitium, quod substantiã retẽtã sequitur, vel est intemperies, vel tumor, de quo litigamus, vel pathos illud, quod cõstituit tertium genus symptomatũ. Non est morbus tumor, quem in eo statu sumimus, in quo nullam actionem lædit, non est illud retineri, vel illa passio, quam nos tertium genus symptomatum constituere monstravimus, ut apertè patet, est ergo partis ea magnitudo, præter naturam aucta, quam Gal. symptoma constituit, & cujus sit generis percontamur, ad nihilum ergo recidit illorum responsio.

Ego tumorem præter naturam in *3. Opinio.* symptomatum genere collocari cũ Galeno semper tuli, sed quod sub aliquo ex trib. generib. contineatur, aliquando ægrè admodum: satis enim esse putavi, quod esset symptoma generaliter acceptum. Sed ecce *Obiectio.* ad hanc meam interpretationem refutandam nata objectio. Quæcunq. continentur sub symptomate generali, vel sunt morbi, vel morborum causæ, vel symptomata morbi, si tumor præter naturam continetur sub symptomate latè patenti, vel est morbus, vel causa morbi, vel ejus symptoma. Huic objectioni respon *Solutio.* debam nõ esse causam, nec propriè morbum, nec ejus symptoma, sed ad morbum reduci, quemadmodũ Embryon ad hominem, in cujus collocatur categoria reductivè, ut dicũt. Quam explanationem ex præterito *Tex. 8.* capite colligebam, ubi passionem, & symptoma generaliter sumptum dupliciter differre scriptum est. Primò, quia passio nonnunquã est secũdũ naturam: symptoma verò semper præter naturã. Præterea, quia passio est posita in fieri, cum sit alteratio: symptoma verò, & in res fientes, & in res permanẽtes cadit. Nã symptomata fiunt, ubi à naturali statu recesserint naturalis figura, color, magnitudo, actio, & passio. Ex quib. figura, & magnitudo, si non pervenerint ad tantum incrementum, ut actionem lædant, symptomata remanent generaliter dicta, non completi morbi, nec causæ, nec proprié dicta symptomata, sed exiguæ ab statu naturali declinationes, & viæ quædã ad morbũ, quæ si deinceps adeo ingravescant, ut aliqua offendatur actio, planè morbi fiunt. Quæquidẽ responsio probabilis, & multis verisimilis visa est.

Verum non est aliunde colligenda hujus difficultatis explanatio, *4. & ve rior opinio.* quam ex proprio loco, ubi Gal. hac in re decretum inter posuit. Ergo libro tertio de causis symptomatum *Cap. vltim.* postquã egerit de causis actionis læsæ, & excrementorũ, tandem accedit ad causas ipsorũ affectuum corporis præter naturam. Auspicatur autem ab objectis visus, placuit tamen ex propriis solas causas colorum percensere: at ex cõmunib. solius figuræ, cujus quatuor causas esse prodit, nimirum particulas immodicè impletas, vel vacuatas, vel à propria sede semotas, vel convulsas, quemadmodum libro de morborum cau- *Cap. 7.* sis copiosissimè expositum est. Iam quod de figura mutata dixit, de mutata magnitudine idem existimandum est. Quamobrem tumor, quæ aucta magnitudo est, si tantùm extendatur, ut actionem lædat, instrumentalis morb. est, at si usq. eò non pervenerit, symptoma est in genere corporis affectus à visu perceptum, atq. à tactu (quò Turisani responsionem decoremus) nã objecta communia sunt, quæ non uno, sed aliquib. percipiuntur sensib.

ARG. CAP. III.

Dividit actiones læsas in animales, & naturales: animales in sensificas, motrices, & principes: has verò in imaginationem, ratiocinationem, & memoriam: sensificas in

in visum, odoratum, gustum, auditum, & tactum. Mox quot sint sensificarum actionum symptomata: quę motivarũ & quæ principũ enarrat.

CAP. III. Tex. 12.

ERGO repetita jam eorum triplici natura, deinceps omnia dividemus, ab actionum læsione auspicati. Hæc ergo dividenda est primùm in duo genera, propterea nimirum quod actionũ ipsarum duæ sunt primæ differentiæ, alteræ animæ, alteræ naturæ. Itaq. etiã appellantur, illæ quidẽ animales, hæ naturales. Rursus igitur animales primùm dividentes, in sensibiles, motivas, & tertias hegemonicas, id est, rectrices (neque enim in commodum est, ita clarioris doctrinæ causa eas nominasse) iterum earum quanque in suas differentias diducamus. Sensibilis igitur animæ functio quinq. in totum habet differentias, visivas, olfactorias, gustatorias, auditorias, & tactorias. Motiva verò actio continuatum sibi instrumentũ unũ habet, motionisq. ejus rationem unã (demonstratum enim id est in libris de musculorum motu) variatur autem in particularib. instrumẽtis, ita ut varias habere species videatur. Reliqua animalis actio, quæ à rectrice parte procedit, in imaginatricem, ratiocinatricem, & recordatricem diducitur.

COMMENTARIVS.

Tripartitæ divisionis symptomatum morbi nobis memoriam refricat, hoc est, primarum differentiarum, quas capite superiori explicavit, affectus nimirũ corporis, actionis læsæ, atq. immoderationis excrementorũ, cumq. ab uno plura non æqualiter, sed ordine quodã deducãtur, primariũq. symptoma morbũ proximè consequens sit actio læsa; é qua deinde reliqua fluunt omnia, ideo in tradẽdis symptomatis, ferè semper ab actione læsa exorditur. Prout autẽ actiones secundũ naturã in corpore animalis diversæ sũt, ita quoq. diversimodè distinguntur actiones præter naturam. Quamobrẽ actionum in genere duas tradit primas differentias: alias quidem animæ, alias naturæ: priores animales, posteriores naturales dicuntur. Patet autem pro earum varietate, varia symptomata oriri posse, quæ rursus à se invicem pro læsionis modo distinguntur. Priores actiones animales dividit in sensibiles, motrices, atque tertias principes, ἡγεμονικάς, græci vocant, quoniam illis ἡγεμονικὸς princeps est, & qui principatum obtinet aliqua in re: à verbo ἡγεμονεύω, principatum teneo, ut vertit M. Tul. apud Platonem. Sed quamlibet earum, quæ dictæ sunt, in suas differentias partitur, à sensibilibus exorsus, quod hæ nobis magis pateant, & eorum symptomata faciliùs agnoscantur. Sensibilis igitur actionis quinq. in universum differentias tradit, visilem scilicet, odoratricem, gustatricem, auditoriam, & tangibilẽ. Sed motrix actio proximum instrumentum unum habet (immediatum vocant) nempe musculum, modumq. motus voluntarij, qui musculo proprius est, dumtaxat unum: sunt enim musculi instrumenta solius motus voluntarii, ut testatur Gal. primo libro de motu musculorũ. Nã hoc interest inter sensum & motũ, quod sensus plures habeat differentias, quia plura sunt illius instrumẽta, multiplexq. sensationis modus in omnib. corporis partib. singulorũ enim sẽsuũ singula sũt instrumẽta propria, oculi videndi, aures audiẽdi, lingua gustãdi, nares olfaciẽdi, tactus etiã suis utitur instrumentis: neq. idem est horũ sensationis modus, quoniam aliter percipit colores oculus, aliter lingua sapores;

Egemonicas. *Egemonicos.* *Egemoneo.*

Cap. 12.

sapores: at motus unus est, illiusq. unũ instrumentum musculus, & illi' ratio similiter una, qua scilicet omnes musculi originẽ suam versus cõtrahuntur retractis ipsorum fibris, quib. contractis eosdẽ subsequi necesse est. Ita, inquit, in libris de motu musculorũ citato nimirũ, demonstratũ est. Hic autẽ addit hunc musculorum motum in particularib. instrumentis, adeo variari, ut varias species habere videatur. Quod quidem propter linguæ decem musculos ossi hyoidi insertos potissimũ dixit. Nam linguæ abstrusus, & admirabilis motus omnem admirationẽ, & difficultatẽ superat. Sunt varij, & multiplices illius motus: siquidẽ ej' substantia facilé contrahit sese, producit, & dilatat, ad quas motiones musculos obtinuit proprios, eam sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, & ad latera moventes. Sursum movent duo, à styloide processu in mediã ferè linguã inserti. Deorsum totidem, ab inferiore maxilla enati, qua sunt molares, & in linguam feruntur. Antrorsum, aut extrorsum duo ab anteriore mento orti: retrorsum duo à basi ossis hyoidis prodeuntes: dextrorsum unus, sinistrorsum alter, à cornib. superiorib. ossis hyoidis ambo exorti, & in linguæ latera inserti. Hi omnes successivè agentes linguam ita in orbem movẽt, nõ musculorũ opera, sed substantia sua carnea anguillæ ac murenæ in modum moveri videatur. Tum alibi sunt in corpore variæ cujusdam ab alijs motionis musculi, ut videri diversa illorum, ac multiplex motus ratio possit: unica tamen est omniũ musculorũ motionis ratio. Neq. ob variũ fibrarũ situm, quæ in musculis inveniũtur, illorum varium esse motionis modũ animo fingat aliquis: fibrarũ enim aliæ sunt rectæ, aliæ trãsversæ, atq. obliquæ aliæ, rectæ motũ rectũ in musculo reddũt, obliquum obliquæ, sicut trãsversæ transversũ. Veruntamen una tantum est omniũ musculorum motus species, & unic' tantum motionis modus, nimirum retractio. Quandoquidem quacunque ratione moveantur fibræ, semper uno modo moventur musculi, quoniã perpetuò ad suum principium retrahuntur. Quib. sensibili, ac motrice differentiis enarratis, accedit ad actiones animales principes, quas in imaginationem, ratiocinationem, & memoriã dividit, de quib. nos commentario in textum decimum quintum cum eo copiosiùs dicemus.

11. de usu partiũ cap. 10.

Præoccupatio.

TEX. XIII.

ERGO etiam noxæ omnium sentiendi actionũ, communes quidẽ insensibilitas, & disæsthesia, id est, sensus vitiosus sunt: voco autẽ nunc sensum vitiosum omnẽ qui perpirã obitus est, sensum: in parte verò, quæ in quoque sunt sensu, in oculis quidẽ cæcitates, & visus obscuritates, & depravationes quasdã: in aurib. surditates, & auditus gravitates, & ob auditiones quasdam: simili modo in lingua, naso, & tactu, tametsi propria nomina sortita non sunt, tamen respondentia prædictis ad proportionem habẽtur: quãdo vel prorsus non sentiunt propria sensibilia, vel cum vitio sentiunt: eritq. illud cum vitio duplex, alterũ diminutè, alterũ depravatè. Porro tactus egregium, præter cæteros sensus, in actione sua symptoma possidet dolorem: qui etiã reliquis sensib. sed tamen ab externis proprijs sensibilib. incidit: huic verò non solũ ab externis, sed etiã multò magis ab affectib. qui intra corpus cõsistunt, isq. subinde tã vehemens, ut nonnulli cruciatu victi, sibi ipsis mortẽ cõscisçant. Ac sentiunt quidem, & oculi ex lucis splendorẽ dolorem quendam, aures ex magno quopiam;

piam, & aspero sono, sic in gustu quoq. & odoratu alij tales incidũt dolores, à proprio scilicet sensibili unoquoq. sensu malè affecto: maximi verò dolores tactus sensui cõtingũt. Quippe, qui ex auriũ phlegmone, aliove affectu vehementer nos angunt, ij proprij auditus dolores non sunt, sed tactus: est enim is sensus omniũ sensorioriũ communis, reliqui quatuor sui quisq. solius. Ad eundẽ modũ in oculis non rarò dolores immodici urgent, tãgẽdi scilicet in his sensu contristato. Non minùs etiam in dentibus, & crasso intestino. Iam pruritus quoque ex hoc genere symptomatum est. Non est igitur, quòd per quodq. membrum proprium nomen quæras, qualia sunt cephalalgia, id est, capitis dolor, & cardialgia, id est, cordis dolor, & otalgia, id est, aurium dolor, non enim invenies positum, sed oratione omnia talia explicasse contentus eris, vesicæ, & renum, & lienis dolores, item genui, & pedis, cæterorumq. ad similem modum dolores appellãt. Ac talia quidem, & tot numero sensibilium actionum sunt symptomata. Ad hæc etiam duo egregia, sopor, & pervigiliũ circa primum sensorium, quod omnium sensuum est commune, consistunt.

COMMENTARIVS.

Hactenus de actionib. secundum naturam dixit, nunc ad differentias actionum præter naturam, & læsas cõvertitur, quas docet, aut læsas esse, quod non fiãt, aut quod male fiãt: quæ non fiunt abolitæ dicuntur, quę malé fiunt in duas distribuit differẽtias: aut enim remissé, & languidé fiunt, aut depravatè, & corrupté. Quare uniuersé, ac generaliter actio læsa, vel est abolita, vel diminuta, vel depravata. Actio abolita est, quæ aut revera, aut quantum sensu dijudicare possumus, prorsus perijt. Diminuta, quæ vix, aut tardè perficitur. Depravata verò, quæ vel ratione temporis, ordinis, & modi nõ ritẽ peragitur. Iam à functionib. animalib. præter naturam, & à sensitivis externis, quæ nobis ante oculos obversantur initium facit, quem ordinem in actionib. secundum naturam servaverat. Ergo læsa visio triplex est, vel abolita, vel diminuta, vel depravata. Visio abolita est, quãdo oculus videre nõ potest amplius: diminuta verò, cum ex imbecilla facultate aliter fit, scilicet quando parum, & non rectè videt: sed depravata, vel cum aliter judicat de objectis, atq. sunt, ut si quod dextrum est, judicet esse sinistrum, vel cũ id, quod duplex est, judicat esse simplex, vel cũ judicat solidũ corpus perforatũ esse, quas omnes depravatas visiones primò de causis symptomatum perlustrabimus. Quod autem de visu dictũ est, de aliorum sensuum actionib. idem intelligendũ: tot enim, ac tales sunt illorũ differentiæ. Observat tamen Gal. ex his læsionib. quasdam obtinere proprias appellationes, quasdã non habere. Sic visio abolita dicitur cæcitas, quæ nihil est aliud, quam omnimoda visus privatio: diminuta appellatur hebetudo, quæ visus obscuritas est: at depravata vocatur hallucinatio, quę est à recta visione aberratio, licet translatione quadam hallucinatio dicatur etiam de falsa mentis cognitione. His in auditu respõdet surditas, quando aboletur auditio: gravis auditus, quãdo eadẽ diminuitur: & auriũ tinnitus, ubi depravatio hujus operationis adest. In olfactu, gustu, & tactu eadẽ est ratio licet nominib. proprijs hæc symptomata careãt. Quare lęsiones cũ adjectione tales dicũtur, ut in lingua privatio gustus, sive gustus abolitus, debilis, &

depravatus. Licet enim trium posteriorũ sensuum symptomata nominibus proprijs careant: tamen jam dictis, vt comprehensum est, proportione respondent.

Iam verò tactus, quo reliquis animãtib. excellit homo, inter omnes sensus externos origine, & necessitate primus est, quia peculiariter radicem habet in unitate partium, & temperamento, quæ duo, ut sunt vltimi termini mistionis, & hæc corporum alteratorum unio, sic dispositiones primariæ ad animã, primaque vitæ fundamenta, cõstituuntur, quib. dissolutis, & tactus, & animal perit. Hæc causa est, cur, quę in solo, tactu contingunt pathemata, aliorum sensuũ symptomatis magnitudine, & vehemẽtiã præstẽt. Quã cogitationem animo fixam tenens Gal. hæc subjungit ijs, quæ de externis sensib. locutus est. *Perrò tactus* *Idiou, ca ἴδιον, καὶ ἐξαίρετον. præter cæteros sensus,* *exçreton.* *in actione sua symptoma possidet dolorem,* quoniam tum ab extrinsecus occurrantibus, tum vel maxime ab affectibus interioribus, multo graviorem, quam reliqui sensus, dolorem sustinere solet. *Ἴδιον* dixit (quod omisit interpres) hoc est, *proprium*. Sed dolor quomodo propriũ est tactus symptoma, cum omnium etiam reliquorum sensuum communis sit? *Idiou.* *Obiectio.* Respõdet Gal. quamquam quilibet exteriorum sensuum à proprio sensili, vbi excellens, aut immodicum fuerit, dolore afficiatur: tamen sensoria illorũ, doloris vim nõ sentiũt, nisi quatenus sensu tactus prædita sunt. Dolor itaq. tactus est propriũ symptoma, non obstante, quod omnium sensuum organis sit cõmune. Nam quod dolorem ferant, id non patiuntur tanquã visionis, auditionis, odoratus, aut gustus instrumenta: sed dumtaxat quia tactum participant: licet enim in reliquis etiam sensib. ab externis proprijsq. sensibilib. dolor fiat, tamen in tactu nõ solum ab externis, sed etiam multo magis ab internis affectib. dolor accidit. Ostẽdit autem Gal. in reliquis sensib. á proprijs sensibilib. quæ externa sunt, fieri intensissimos dolores, tametsi neq. per se, neq. ratione sui, id cõtingat, sed ratione tact⁹, qui nocumentũ proprium patitur illis & communicat. Nam in oculis ob lucis splendorem sæpissimè fit dolorificũ pathema, vehementesq. in illis excitantur dolores, sed hoc ideo accidit, quia sensus tactus in illis angitur, & discrutiatur. Et auditũ ex magno quopiã, vel aspero sono dolores affligunt, qui plerumq. ob phlegmonẽ auriũ, aut aliũ quẽpiam in ipsis affectum nos vehemẽter vexant, vẽrũ illi nõ auditus, sed tactus proprij sunt dolores. Olfactum similiter propria sensibilia offendũt, ut intolerabilis fœtor, & gustum amaritudo magna: tamẽ hi dolores non sunt olfactus, vel gustus, sed tactus proprij, perinde ut dolores, qui excitantur in dẽtib. & in colo, quod est crassum intestinũ ordine à vẽtriculo quintum, mediũ inter cœcũ, & rectum, hinc dolor in eo vocatur κωλικὸς colica passio. Vt ergo illi dolores tactus proprij sunt, non dissimili ratione, qui cęteris quatuor sẽsib. contingunt. Quoniã tactus communis est omnium sẽsoriorũ, hoc est, omnia sensuum instrumenta ideo dolent, quia tactus ad organa reliquorum etiam se se extendit: at vero quatuor singulatim sui tantum sensorij proprij sunt, id est, non insunt nisi suis tantum instrumentis, ut visus, qui privatim oculis propri⁹ est, auditus auris, gustus linguæ, odoratus narium: solus ergo tactus dolore cruciatur & consumitur: atq. licet in reliquis etiam sensib. ab externis proprijs sensibilib. dolor fiat, hunc tamen perpetitur solus tactus, sed illum multo magis, qui ab internis affectib. accidit, quem sæpissimè tã vehementem patitur, ut nonnulli eius violentia victi, & ad desperationem compulsi, sibi ipsis mortem consciverint. Hinc Tibullus. *Colice.*

Non ego firmus in hoc: non hæc patientia nostro
Ingenio, frangit fortia corda dolor.

Propterea dixit Gal. dolorem esse symptoma sensus tactus, non modo proprium, sed etiam ἐξαίρετον exemptum enumero, selectum, à verbo ἐξαιρέω, secerno, seligo, tanquam eximium deligo, quod efficienti causæ multùm proportione respondeat, quoniam dolor non fit à qualibet *Exæreton.* *Exæro.*

causa

causa, ut idem docuit. sed ab excellente, vehemente, ac violenta, confertimq. irruente. Quamobrem dolores, quos tactus non impartit alijs sensib. neq. cum illorum sensorijs cõmunicat, dupliciter differũt ab illis, quorum cæteros sensus participes facit. Primò quod reliqui sensus tantum doleant à causis externis: tactus verò à causis externis, & internis. Nã instrumenta quatuor sensuum foris posita sunt, atq. illorum obiecta extrinsecus irrumpunt: attamen instrumenta sensus tactus, cum sint partes sentientes, quæ sunt vbiq. corporis, quacunq. possunt oppugnari, præsertim cũ illius obiecta sint qualitates, tum primæ, tum secundæ, quæ extrinsecus obrepere solẽt: intus verò acriter torquent, corpusq. semper omnib. cruciant modis. Præterea differunt, quoniam dolores, quos solet perferre sensus tactus, sine interuentu cæterorum, maximi, & acerrimi sunt: tolerabiles verò sensuum reliquorum. Quoniam passio, quæ omnium sensuum dolores præcedit, spiritalis est, vt secũdo de anima scribit Arist. hoc tamen tactus habet proprium, quod sua passio, licet spiritalis sit, tamen nunquam fit absq. mutatione physica, & reali inducta in medium ab obiecto tactili: cæteri verò sensus spiritali dumtaxat mutatione alterantur à suis obiectis absq medij reali mutatione: hinc solius sensus tactus dolores acerbissimi sunt.

Cap. 12.

In hoc genus symptomatum pruritum admittit, & reducit auctor, quoniã pruritus, vel prurigo dolor est, vt in controversijs explanabimus.

Et cum doloris colici, ac pruritus mentionem fecerit, quæ symptomatum propria nomina sunt, observat non esse quærendum proprium nomen circa quamlibet particulam, cuiusmodi sunt cephalalgia, quæ dolor capitis est, & otalgia, hoc est, auris dolor, & cardialgia oris ventriculi dolor, propterea quod os ventriculi veterib. cardia, id est, cor dici consuevit: neque enim singulis partium dolorib. à græcis sunt imposita propria nomina: sed satis est eos oratione aliqua interpretari sumpta potissimũ denominatione a subiecto & parte, cui insunt. Hinc vesicæ dolorem dice-

A mus, renum, lienis, genu, vel pedis, & aliorum similiter. Atq. his qualia, & quot sint particularium sensuum symptomata hucusq. explicavit.

Sed quæ in primo sensifico, nimirum cerebro, quod sit commune omnium sensuum, consistunt, duo adhuc restant insignia symptomata, nempe vigilia, & coma, cuius nomine omnia soporosa symptomata intelligit. Sõnus autem & vigilia plurimùm inter se distant, & verè opposita sunt. Vigilia vt actus est, somnus illius est privatio: quare in eodem subiecto recipiuntur, consistuntq. & unius, eiusdemq. facultatis erunt. Nam cuicunque sensus ipse, eidem & vigilia & somnus ineſt. De quib. libro sequenti cũ Galeno abundanter loquemur: hîc sufficiet definitiones tradidisse, vt lectorẽ satis commodè ad causas perducamus. Vigilia, vt scribit auctor definitionum, est expansio, seu extensio animæ à principio ad omnes corporis partes, vel, vt aliqui, est incitatio, & motio sensuum, sed, vt clariùs dicamus, est actio cerebri facultates sentiendi, & movendi omnibus partib. distribuentis. Coma verò est deficiens, & imbecillis motus imaginationis magnam somni cupiditatem inducens. De quo, cum in sequẽtibus Gal. apertiùs dicturus sit, nos eius definitionem præloquamur. Sõnus est cerebri quies, & transmissionis facultatis sentiendi, atq. movendi in partes intermissio, cessatioq. Nam in vigilia facultas animalis nõ princeps, quam nos in sensitricem atq. motricẽ distinximus, & sensuum instrumẽtis, & musculis impertitur, quo tempore cerebrum in illa transmissione vehementiùs laborat, contrahiturq. vt multa spirituum copia deorsum mittat potissimum ad principium spinalis medullæ, quo partes omnes, quæ sentiunt, & moventur, solita sua munera exequi possint, ac sustinere: postquam verò cerebrum eo exercitio defatigatum fuerit, ociatur facultas quasi coacta, & quiescit: vnde colligitur vigiliam & somnum ad cerebrum pertinere, quod propterea primum sensorium vocatur à Galeno, veluti oculus & auris sensoria secunda possunt appellari, quoniam cerebrum primum omniũ causis,

Somnus quid.

sis, quæ vigiliam inducunt, necessita te compulsum se vehementer exercet: somnifetis verò causis interpositis adstringitur, & impeditur, quò minùs possit secundis particularibusque sensorijs suam facultatem trade re, transmittereq. Hinc illius vinculum, & quasi carcer, qui somnus est.

TEX. XIIII.

AT motivarum actionum prima symptomata sunt immobilitas, & vitiosa mobilitas. Huius autem alias diminutus infirmusq. motus est, alius prauus. Pravi autem, alius tremulus, alius convulsivus, alius palpitans, alius vibrans. Horum symptomatum aliqua vbi in toto corpore constiterunt, diversam appellationē sunt sortita, veluti emprosthotonos, & opisthotonos, & tetanos. Quod si totius corporis non solùm convulsio sit, sed etiā rectricis partis actionum cohibitio, epilepsia dicitur: sicut apoplexia cum est totius corporis resolutio, vnà cum rectricis partis functionib. cohibitis. Atq. hæ quidem motivarum actionum sunt læsiones. Quarum si quæ proprium præter cetera nomen non habet, non est, quod quispiam eius occasione deceptus, aliquod symptoma præteritum à nobis putet, veluti nec vel apnoean, & dispnoean, vel ischurian & dysurian, vel aphoniā, & dysphonian. Sed ipsi medico omnia talia in quaq. animali actione sunt exploranda. Non minùs etiam cuiusq. eorum differentiæ, verbi gratia, cum dyspnoea unum sit animalis operis nempe respirationis symptoma, quot sint in universum eius differentiæ, quemadmodum in libris de dyspnoea est indicatum: aut cacophoniæ, quot item membratim habeantur differētiæ, veluti in ijs, quæ de voce scripsimus est traditū. Sanè non rarò dubitaverit quispiam, cuius generis symptoma sit, veluti de pandiculatione, & oscitatione, sternutationeq. & tussi accidit. Verum de eiusmodi omnib. proximo libro, qui de symptomatū causis aget, disseretur.

COMMENTARIVS.

Quemadmodum sensitricis actionis præternaturam tres differentias protulit, sic motricis, quæ ad arbitrium, & voluntariè fit, totidem esse hoc loco docet. Vel enim in totum aufertur motus, & dicitur actio motrix ablata, immobilitas, privatio motus, vel actio imbecilla, vel depravata existit: & licet motrix actio unica, & simplex sit, quia illius unicum tantum est instrumētum, motionisq. unicus modus (ut retrò diximus) solaq. generica divisio potuisset nobis cumulatissimè satisfacere: tamen ad particulares differentias investigandas se applicare voluit Gal. propter aliqua generis alterius adiuncta symptomata, quæ motus ipsos in varias differentias distinguere solent. Ablata ergo est movendi actio, ut in paralysi, hoc est, nervorum resolutione, quæ nihil aliud est, quam privatio motus voluntarij in toto corpore, vel in aliqua parte illius. Actio motrix imbecilla, vel diminuta est, ut in stupore, qua post apoplexiam aliquādo supereſt. Actio motrix depravata est, quæ aliorsum, quā pro naturæ modo, invitè fit: cuius explicandæ naturæ Gal. ex quatuor illius differētijs exempla petit, quæ sunt motus tremulus, palpitans, cōvulsivus, & cōcussivus. *Tremor* est motus depravatus facultatis animalis, partim à voluntate, partim ab onere partis editus: *Tremor.*

tus: motus est non simplex, sed gemi
nus, quoniam unus deorsum, alter ve
rò sursum tendit: facultas enim ani
malis, cui movendi munus natura de
mandavit, membrum sursum attolle
re nititur, quod tamen ea invita in
ferné labitur, & concidit gravitate.
Itaq. vicissim facultas nunc vincit,
nunc vincitur, fitq. contrariorum mo
tuum quędam perpetua successio.

Convulsio. Convulsio est musculi ad suũ prin
cipium invita contractio. Nam cum
motus voluntarius perierit, necesse
est per convulsionem in eum situm
musculos duci, in quem, si pro lege
naturæ se haberent, ab animali vir
tute ducerẽtur: id autem est in suum
principium, suamque originem, ad
quam omnia suapte natura feruntur,
nisi aliò vi, aut voluntate retrahan
tur. Ergo musculis ad sua ipsorum
capita, & principia præter naturam
retractis, similis motus fit naturali,
sed citra voluntatem: atq. in hoc sym
ptoma cõsistit. Nam quod musculus
tendatur, & convellatur ad suũ prin
cipium, & unà cum eo pars, cui inse
ritur, commune quidem est, & sanis,
& convulsis: quòd autem invitò id
contingat præter naturam affectis in
est, non sanis.

Palpitatio Palpitatio est dilatatio præter na
turam facta in aliqua parte à flatuo
sa qua piam, aereaq. substantia vi, &
impetu attollente spatium, in quo
continetur, usq. dum explosa sit. Per
tinet autem ad hoc genus sympto
matum, licet motus naturalis sit, non
voluntarius, quia pars affecta depra
vatè movetur.

Concussio. Tandem *concussio* motus est totius
corporis validus, sed depravatus ve
luti vibrans, qui in rigore per initia
tertianæ febris accessionum depre
henditur, manifestèq. in epilepsia ob
servatur: contractis enim musculis
necessariò etiam articuli ipsius anne
xi contrahuntur, fitq. totius corpo
ris vehemens & invitus concussus.
Ex quib. symptomatis ad motum per
tinentib. quædam sunt, quæ totum
corpus occupant: quædam verò, quæ
unam, aut alteram partem. Si verò nõ
solum totum corpus cõvellatur, sed
principes quoq. actiones detinean
tur, epilepsia hoc symptoma appella
tur. Nam in eo affectu neq. imagina
tio, neq. ratio, neque memoria pro
cedit, sed singularum harum actio
num, quo usq. malum desinat, fit de
tentio. Quemadmodum & apople
xia, quæ totius corporis est resolu
tio, unà cum principib. actionib. de
tentis.

Verum quia posset aliquis repre
sentare ac objicere aliquam noxam
& differentiam motricis actionis læ
sę, quæ proprium, & præcipuum no
men obtinet, cuius tamen hactenus
non meminit: prospiciens id Gal illi
præstò est, atq. observat non ob id,
quod hæc differentia producta non
sit, quispiam deceptus putare debet
illam hìc præteritam esse, quando
quidem sub prædicta divisione om
nes differẽtiæ vitiati motus compre
hensæ sunt: etenim non tenebatur
nominatim omnes exprimere diffe
rentias, ut pote quæ distinguantur so
la, quib. contingunt, partium varie
tate, quarum actiones animales inve
nire per facile est.

Quæ quamvis ita sint, tamen bene *Cap. 5. & 6.*
ficus vir, & erga nos officiosissimus
ad aliquas particulares differentias
descendit, ut nos deducat in viam,
qua secuta cæteras omnes assequi, &
percurrere possimus. Quamobrem
exemplo respirationis, vocis, & uri
næ redditionis, quatenus sunt motri
ces actiones præter naturã propria
nomina obtinentes, siquid præteri
re contigerit, multa dilucidè monst
rat. Nam respiratio actio animalis,
& voluntaria est, vt ex libro secundo
de motu musculorum constat, quæ, si
lædatur, tres hinc proprio nomine
signatæ præter naturam actiones, ac
symptomata oriri possunt. Prima
differentia respirationis læsæ illius
privatio est, quæ peculiari nomine
græcis apnoea dicitur: altera imbecil
la, & diminuta respiratio est: tertia
depravata: utraq. verò nacta commu
nem per indiferentiam, sed propriã
appellationem dispnoea difficultas
respirandi vocatur. Quas respiratio
nis læsę differentias, & plures alias
particulares ex libro primo de diffi
cultate respirationis, quem potissi
mùm consulendum, quisq. poterit
colligere. His subiungit ischuriam,
& dysuriam, aphonian, & disphoniã,
quæ similiter ut apnoea, & dispnoea

partis

partis cuiuspiam nervorum resolutiones sunt. Nam urinæ præter naturam redditio triplex est abolita, diminuta, depravata. Ischuria urinæ suppressio est: dysuria difficilis, & imbecilla mictio: stranguria mictio depravata, latinis urinæ stillicidium. Præterea vox actio motrix, & voluntaria est, cuius tria sunt symptomata. Privatio vocis omnimoda, aphonia dicitur: difficilis, & imbecilla disphonia, ut depravata cacophonia. Est autem medici officium symptomata cuncta per singulas animalis actiones disquirere, & cuiuslibet deinde horum differentias investigare, veluti, exempli gratia, difficultatis spirandi, quæ unum est respirationis symptoma, quot sint omnes eius differentiæ, quemadmodum Gal. primo de difficultate respirationis, aut quot vitiosæ vocis, ut libro de voce (qui non extat) demonstravit.

Similiter incertus erit quispiam sub quo symptomatum genere subijciantur pădiculatio, oscitatio, sternutatio, & tussis, utrũ scilicet actionis animalis, vel naturalis symptomata sint. Nam quum principium horum motuum sit à facultate expultrice causa præter naturam irritata, cõsentaneũ est, ut hoc nomine ad symptomata naturalis actionis referantur. Veruntamen, cum impulsiones huiusmodi fiant per musculos, qui sunt facultatis animalis instrumẽta, ea de causa ad animalem potiùs actionem atq. ad motum voluntarium hæc symptomata referenda vidẽtur: à voluntatis enim imperio hi motus prodeunt, tametsi naturalis facultas lacessita & provocata illos instituat. Pandiculatio est distentio coacta omnium membrorum ad vaporũ ex eis diffiationem. Oscitatio depravatus motus maxillæ inferioris ad discutiẽdum spiritus in ea flatuosos. Tussis vehementissima quædam efflatio ab instrumentis respirationis excrementa (vel si alia causa præter naturam facultatem expultricem ipsorum irritat) expellere connitens, attracto priùs aere copioso in asperas arterias, & violenter expulso, quum ipsæ utpote cartilaginosæ ac duræ contrahi nequeant circa id, quod in ipsis continetur. Tandem sternutamentum est efflatio vehemẽtior, quam tussis, nares, ossa ethmoidea instrumenta olfactus, potissimumq. ventriculos anteriores cerebri repurgans. Verũ de his omnibus secũdo de symptomatum causis disputabit. *Proximo*, inquit, *libro differetur*: secundum de causis symptomatum intelligit. Nam tres sequentes libros appellat proximum librum, quasi volumen unum de causis symptomatum, ut quarto de locis patientib. cum scribit. *Verum de ijs in libro de causis accidentium iam scriptũ est*: & paulò post: *causas autem, ut diximus, in libro de accidentium causis invenies*, quas quidem proximo libro exaravit.

TEX. XV.

PRoximum est, ut rectricis actionis offensas narremus, ac primum imaginatricis. Est igitur huius quoque alia veluti paralysis sivè resolutio quædam, quam græci caron, & catalepsin nominant: alia veluti pravus quidam errans q. motus, quod vtiq paraphrosinen seu delirium vocãt: alia veluti deficiens & imbecillus, qualis in comatis & lethargis cernitur. Quin etiam ratiocinatricis functionis, quæ veluti paralysis est, anoea sive amentia dicitur, quæ veluti deficiens motio est moria & morosis sive fatuitas, quæ veluti errans est, delirium appellatur: plerunq. enim in utrisq simul delirium consistit, tum parum probè imaginando, tum parum aptè ratiocinando: est autem aliquando in altero duntaxat. Quod genus Theophilo medico ægrotanti contigit, cui reliqua quidem prudentia super erat, & disputandi, & præsentes exactè noscendi: cæterum

tibi

tibicines quosdam angulum domus ubi decumbebat occupasse, assiduèq. sonare, tum pulsare putabat, atq. hos se intueri rebatur, partim illic stantes, partim sedentes, adeoq. sine intermissione sonātes, ut neq. nocte, neq. die usquam vel minimum tēpus quiescerent. Atq. hæc illi erat delirij ratio. Idem postquam planè convaluit, à morboq. evasit, tum reliqua omnia, quæ ingredientium quisq. dixisset, fecisset. Ve, narrabat, tum imaginationis de tibicinum tædio meminerat. Quibusdam verò nulla alienа imaginatio visitur, sed perperam ratiocinantur, ratiocinatrice animæ parte ijs affecta. Veluti phrenitico contigit, qui fores sibi intrinsecus occlusit, ac singula vasa per fenestram promens, accedentes rogabat, num proijcere iuberēt. Hic enim singula vasa rectissimè nominabat, in quo se manifestè declarabat, nec in imaginatione circa ea læsum esse, nec in nominum memoria. Quid igitur sibi vult, quod ab alto omnia proiecit, ac perfregit? Hoc scilicet intelligere non poterat, sed opere ipso delirare se declarabat. Quod autem & circa memoratricem animæ partem symptomata eveniant, non ægrotantibus modo, sed ijs etiam, qui ægrotare desierunt, id didicisse de Thucydide licet, qui non nullos, qui à magna illa Athenis peste convaluissent, eatenus omnium, quæ præcessissent oblitos prodit, ut non solùm propinquos,

A *sed etiam se ipsos ignorarent.*

COMMENTARIVS.

Actiones sensificas, & motrices subsequuntur principes, quas in tres diduxit Gal. imaginationem, ratiocinationem, & memoriam, atque harum quamlibet in abolitam, imbecillam, & depravatam, exorditurq. ab imaginatione abolita, cuius ceu quædam paralysis, & resolutio caros est, so-
B por & somnus profundus. Nam, ut in nervorū resolutione motus omnis, atq. interdum etiam sensus membris adimitur, sic profundo sopore omnis actio simulacra rerum apprehendi, & continendi (peculiare imaginationis munus) aufertur. Quod tunc fit, cum multus frigidus, & humidus humor, aut crassus vapor anteriores cerebri ventres eius facultatis sedem compleverit. Similiter catalepsis est imaginationis actio abolita, & corporis totius detentio cere-
C bri posteriora potius occupans. Debilis imaginatio, ut in Comate & Lethargo. Coma, id est, marcor, veternus, nihil aliud est, quam ad somnum proclivitas. Lethargus imbecilla imaginatio, quæ adiunctum habet coma, promptitudinemq. & facilitatē dormiendi. Demum errans, & depravata est imaginandi actio delirium, quo laborantes, quæ concipiunt singula depravatè corruptèq apprehen-
D dunt, atq. aliter habent, quam pro naturæ modo: putant enim, quæ visa non sunt, videre. Contingit etiam delirium rationi, utpote cui eadē, quæ patitur imaginatio, eveniunt symptomata. Siquidem, amentia, seu dementia, qui extremus est insaniæ, & stultitiæ, supremusque gradus, huius actionis, quasi abolitio quædam, ac resolutio est. Quod tunc fit, cum de his, quæ apprehenduntur, ne quid quam ratiocinari noverunt ægri, neque ex præcedentib. sequentia elicere, nihil formare, distinguere nihil, aut mala vitare, aut bona prosequi. Vnde qui tētātur hoc malo, tū amentes, tū demētes, ideſt, sine mēte, & ratione dicuntur. Altera est deficiēs, & infirma cogitandi actio stultitia, & fatuitas vocata: sic fatuos nūcupamus,

qui

qui parum de rebus propositis ratiocinari possunt. Iam errans ipsa ratiocinatio nomen commune cum depravata imaginatione scilicet delirium habet, quod contingere docet, vel sola imaginatione depravata, vel sola ratiocinatione, vel utraque simul, unde nos tres distinctas delirij differentias colligimus.

Primam ut declaret, narrat Theophilum quendam, quum alioqui ad interrogata probè responderet, imaginatum fuisse tibicines quosdam in angulo domus assiduè canere, qui interim exclamabat, ut foras ejicerentur. Vnde colligitur imaginandi vim hallucinatam in eo fuisse, dum audire se tibicines, & videre putaret, qui nusquam essent: iudicium verò incolume, tum quia appositè interrogabat & respondebat, tum quia tibicines, ut ejicerentur, iubebat, qui, si adessent, nocere ei possent.

Mox differêtiam alteram explicat exemplo cuiusdam phrenitici, qui Romæ cum puero domi continebatur. Is à cubili surgens obseratis intus ianuis, ad fenestram, per quam, & ipse videri, & prætereuntes contueri poterat, accessit. Indeq. ex vitreis vasis singula ostendens, sciscitatus est, imperarent ne, ut proijceret, qui ridentes, plaudentesq. ut ea proijceret, cum rogassent, ille omnia arripiens deiecit. Quod cum magnis acclamationib. risumque exceptum fuisset, subinde num puerum quoq. quem apud se habebat, deturbari iuberent, interrogavit, quod, cum illi, ut faceret iussissent, puerum quoq. é fenestra præcipitem dedit. In hoc ergo vis apprehendês integra manfit, quia & vasa, & puerum, & acclamantes ritè apprehendebat: ægrotabat tamen iudicatrix facultas, quia & vasa, & puerum deijciendum insanè æstimabat, nec comminuenda vasa, & interiturum puerum inferebat. Vtriusq. autem generis pathematis, qui acerbè afflictabantur, nonnullos vidimus ex sola imaginatione primùm offensos: deinceps verò, ita rationis expertes, ut nihil, quod eis esset consentaneum loquerentur.

Præterea memoratricem actionẽ ijsdem symptomatis magnopere cõturbari planè constat, quæ sunt memoria deperdita, hebes, & depravata: G. tamen semper proponit, quæ plerunq. contingũt: frequentissimè autẽ adimitur, aboleturq. vel debilitatur memoria. Quod igitur devastetur, ac deleatur, tum in ijs, qui adhuc ægrotant, tum in ijs, quorum iam finiti sunt morbi Thucydidis Historici Atheniensis testimonio non aspernando confirmat, qui libro secundo de bello Peloponnesiaci scribit nonnullos à pestilentia servatos, non solùm aliorum, quos priùs agnoverãt, fuisse oblitos, sed neq. se ipsos quidem postea cognovisse.

EPITOME.

Actio læsa duplex, naturalis, & animalis, quæ dividitur in sensificam, motricem, & principem: sensifica in visivam, olfactoriam, gustatoriam, auditoriam, & tactricem. Motrix una tãtum est, quia unicum habet instrumentum musculum: variatur tamen pro particularium musculorum diversitate. Princeps in imaginationem, ratiocinationem & memoriam diducitur. Sed omnium harum actionum quælibet vel abolita est, vel diminuta, vel depravata. Cæterum tactus, quam reliqui sensus, multò gravius symptoma perpeti solet, qui dolor est, cum ab extrinsecus occurrentib. tum vel maximè ab interiorib. alij verò sensus non ab internis, sed ab externis contristantur, ac ne id quidem per se, sed quod participent tactum, qui omnib. sensorijs communis est, reliqui verò quatuor suo quisq. tantum est proprius. At vigilia & somnus cerebri communis sensorij symptomata sunt.

Potrò motrix actio abolita est, dũ in toto corpore omninò perit, simulq. principes actiones cohibentur, quæ apoplexia dicitur: depravata verò cũ universũ convellitur corpus, actionesq. principes simul sunt impeditæ, quæ epilepsia vocatur: est etiam depravata motio tremor, convulsio, palpitatio, concussio.

Tandem imaginatio interdum tota corrumpitur, ut in catalepsi: debilitatur in lethargo: vitiatur in delirio. Sic etiam ratiocinatio, nunc exsolvitur penitus, quod symptoma est

est amentia, nunc deficit, diciturq. fatuitas, nunc depravatur, & vocatur delirium: atque id plerumq. in utrisque consistit, tum parum probè imaginando, tum parum aptè ratiocinando. Quod autem in memoria consistant quoque vitia, nullum hac de re dubium est.

CONTROVERSIÆ pathologicæ.

EXPENDVNTVR, quæ tertio capite docuit Gal.

QVÆSTIO. XVIII.

CAPVT hoc multis, & fulgentibus gemmis instructum est, artisque floribus confertum, multaque discutiendi præbet interpreti occasionem, quam attripere in animo est, Galenique secuta methodo tripartita uti oratione. Ergo primum de sensuum, ac tactus potissimùm symptomatis agemus. Præterea de his, quæ motui voluntario contingunt. Demum ad ea, quæ principes actiones obturbant, perveniemus. Sed dum ad hæc nos accingimus, interea, si quod in contextu aspretum, & inæquabile solum, complanemus.

1. Obiectio. Quæritur primùm, cur prætermisso simplici præter naturam affectu, de quo secundo capite priùs meminerat, in hoc fuerit auspicatus ab actione læsa. Huic objectioni à multis cumulatè fit satis; verum ita se res habet. Præterito capite ubi Gal. finem fecerat definiendi, rerumque essentias suo momento ponderandi, primas detulit affectui, qui gerens similitudinem morbi, essentiæ suæ permanentiam indicavit: hic verò, quum differentias symptomatum sit ostensurus, nostrisque sensibus demonstraturus, liquet actiones, tum sensitrices & motrices, tum principes, vulgatas, manifestas, & ante oculos positas esse: hæc causa est, cur ab his dicendi initium sumpserit.

2. Obiectio. At quid actionibus læsis, cum illis, quæ secundum naturam? Nam, ut primùm dixit ex ordiendum esse à læsione actionum, continuò poterat dividere actiones præter naturam, de his, quæ secundum naturam, nulla facta mentione.

Solutio. Sed maximo erant usui secundum naturam actiones: nam ex illarum numero actionum præter naturam summa cum ratione subduxit summam: etenim non semel à nobis cum Gal. indicatum est naturalem statum, ejus, quod præter naturam, restrictè præfinire substantiam, quantitatem, & qualitatem, notitiamque aperire. Appositè igitur dixit actionum læsarum constitui duo genera prima, propterea quod actionum secundum naturam duæ sunt primæ differentiæ.

3. Obiectio. Id, si ita est, discutiamus hunc numerum actionum, quæ naturaliter sunt, quò deinceps eas, quæ præter naturam, rectè numeremus. Gal. sexto libro de Hipp. & Plat. decretis monstrat tres in nostro corpore facultates inesse naturalem, vitalem, & animalem. De quo Cap. 10. loco recordatus nono medendi methodi libro: *gubernant*, inquit, *animal (ut in libris de Hippocratis & Platonis dogmatis est monstratum) tres diversi inter se generis facultates, quas Plato animas appellavit.* Idem scribit septimo methodi, lib. de sang. miss. & secundo de ratione victus. Cap. 13. Cap. 6. Ex quibus locis colligendum est, Com. 47. non duas tantum, sed tres esse actiones secundum naturam, naturalem, vitalem, & animalem, easque distinctas causâ efficiente, loco, & fine. Facultas naturalis in jecore potissimum residens membra, & partes omnes nutricatur, & continet: vitalis in corde calorem nativum præcipuum vitæ instrumentum conservat: animalis in cerebro principatum obtinens sensui, motui, & rationi præest.

Solutio. Sed, ut verum fatear, Galenus ad maiorem rei explicationem triplicem facultatem constituit: at, cum exquisitiùs loquitur, duplicem duntaxat naturalem, & animalem, quoniam vitalis in naturali continetur. Quod ex primo libro de motu musculorum præclare colligitur, cum scribit *musculum esse instrumentum animale propter sensum, & motum, quemadmodum arteriam & venam naturale, quoniam motus, qui ex arteria & vena procedunt, naturales sunt*: facultas igitur, qua moventur & agitantur cor & arteriæ, nimirum vitalis, naturalis est. Idem licet desumere ex secundo de locis patientibus, ubi duo tantum instrumentorum genera designat, animalia, & naturalia. Præterea ex secundo aphorismorum. *Quæ ad cerebrum*, inquit, *attinent, atque eius membranas, & spinalem medullam, nec non & septum transversum, & omninò partes nervosas, ac præsertim, quæ sunt iuxta cerebrum sana esse omnia significantur ex mentis constantia*, quæ quidem animalis facultatis est: *sicuti & quæ ad ventrem attinent, & hepar, & cor, ubi adest promptitudo ad cibos, qui offeruntur*, quæ ad naturalem facultatem pertinent. Vnde capite sequenti pulsus præter naturam in symptomatis naturalis actionis numerabimus. Et, ne lõgiùs prolabar, concludo cum Galeno, qui libro de cur. per sang. miss. apertè & planè dixit, *complures esse facultates, quæ animalia gubernant, quarum alias naturales, alias animales appellamus.*

Cap. 1. Cap. 7. Com. 33. Cap. 4. Cap. 3.

4 Obiectio. Solutio. Quod si quærat aliquis, cur hæfacultates ita vocentur. Occurrendum, animales dici, quod fiant à principio animalibus proprio, nimirum ab anima: naturales verò, quod fluant à natura principio & animalibus, & plantis communi. Quibus appellationibus primo de motu musculorum Gal. addidit *naturales voluntatis expertes esse*, sed *animales voluntarias*: vnde primo de difficultate respirationis dixit, *maximam esse differentiam inter omnia animalia opera, & vitalia: in illis voluntas potestatem habet generationis: in vitalibus verò operib. non ita habet.*

Cap. 1. Cap. 9.

5. Obiectio. Solutio. Iam intermissa naturali actione, cum primùm animalem dispertitus est? Facilé dictu: quoniam animales actiones à nostris sensibus facilè dignoscuntur: atque inter has faciliùs sensitivæ externæ quod clariùs appareant, deinceps motivæ, ac tandem rectrices, quem ordinem tenet Gal. in illis disponendis.

6. Obiectio. Præterea rectè dixit sensum tactus esse omnium sensoriorum communem: etenim cum sit extensus ad omne corpus, nihil mirandum, quod reliquorum sensuum organa comprehensa contineat. Quod tactus toto corpore dispergatur, valdé benè: sed quod etiam quatuor alia sensoria tueatur, hoc indagandum: nonne satis superque illorum erat circunspectio, ad quid ultra tactus?

Solutio. Veruntamen hæc est providentia naturæ, hæc ad pericula prospicienda sagacitas. Ad obiecta reliquorum sensum inter noscenda ipsa illorum sensoria sunt satis: atverò cum sensibile vehemens & corrumpens accidit, tactus patrocinium certamenque suscipit, & continuò apetitum ad fugam concitat. Ergo tactum ideo cum alijs sensibus natura conglutinavit, ut ipsi, quasi à Fisci præfecto excitati, res noxias probè, citòque sentirent, salutique fugâ cõsulere possent.

7. Obiectio. Sed quid noster auctor animo complectatur hic, & libro huic proximo nomine primi sensorii, vel sensus communis, investigãdum est.

Cap. 8.

Solutio. Vt ex eius doctrina colligitur, non intelligit aliquam sejunctã facultatem, quæ internoscat particularium sensuum obiecta, sed primum sensorium, vel sensum communem cerebrum vocat, quum sit principium alterationis, & facultatis emissæ ad quinque sensus particulares, sine qua propria obiecta percipere nõ possent. *Sensum*, inquit septimo de Hippo. & Pla. decretis, per

Cap. 8.

per alterationem fieri apertum est: alteratur quippe sensus ipsius instrumentum: alteratio verò ipsa ab una, eademq. facultate omnib. sensoriis communiter impertita à principio emanante dignoscitur: quod quidem principium, sive sensum communem, sive primum sensorium appelles, nihil refert. Hoc nos superiore oratione cerebrũ esse demonstravimus. Et paulo post. *Ex quib. omnib. rectè dictum esse cõstat cerebrũ, tum sensuũ omnium, tum incitatorii motus in animalib. originẽ esse.* Secũdo Com. 3. etiã apho. scribit, fieri somnum, de quo ibi sermo erat, refrigerato primo sensorio, id est, cerebro ipso. Atq. nõ multò post. *Sic & vigilia*, inquit, fiunt *propter calorem primæ partis sensoriorũ* (sic vertendũ) hoc est principij instrumentorũ sensuũ particulariũ. Quẽ locum, & difficultatẽ hanc, in quã incurrimus, interpretatur G. proximo libro de causis symptomatũ, cũ scribit, *cerebrũ sensoriũ organum à natura conditũ non est*, sed ἀγρόικως ἀκούσαντες *sensoriorũ sensoriũ.* Quoniã organa sensoria suscipiunt à cerebro facultatẽ, ut oculus, lingua: cerebrum verò ad illa continuò dimittit, veluti perennis fons, hinc *sensorium sensoriorum.*

Hic de cerebri sensu disceptatio cõtentio q. sit. Quæro ergo utrũ cerebrũ sentiat. Verũ ego, cũ hoc disputo rationẽ flocci non facio, sensũ verò plurimi. Nã, ut scribit Gal. *Inanitã sapientiam promittunt, immo, si verũ fateri licet, stuporem potiũs, si rerum sensibilium, aliũ quempiã habere se judicẽ meliorẽ putat, quam ipse sit tactus.* Quã ergo profert sententiam sensus?

Profectò cerebrum non sentiri experitur, & probat, quoniã, si quis animalis vivi cranion dissecaverit, cerebriq. substãtiã separaverit ab utraq. meninge, observabit cerebri substantiam insensilem esse. Nam tametsi eã acu fodicaverit, nihil sentiet animal, sed ut primũ mẽbranas pupugerit, vehementissimè clamabit. Quin immo in vulnerib. capitis curandis, si fortè partem aliquã cerebri substantiæ cyrurgi desecaverint, experiũtur prorsus nullo infirmos dolore præmi. Quod si alicui aliqua adversus hæc elapsa sunt ex ore Galeni animũ alibi habẽtis, suomet testimonio eundem aliquando sublevabimus.

A In cerebro sumus, non egrediamur ex eo, usque dũ de numero, sede, & cõditione facultatũ animaliũ principum deliberemus: Gal. enim cerebri penetralia, neq. perquisivit, neq. in illa perlustranda diligentiã contulit, cũ ad curationẽ tanta curiositas parum conferre judicaverit: hoc tẽpore vero hæc contẽplatio, consideratioq. naturæ medicos philosophos solicitare sũmè solet. Profectò id cum ratione cõjunctum est, cũmq in cõsuetudinẽ venerit, candẽ in controversiis servabimus. 9. Objectio. Solutio.

B Sed missa faciamus ea, quæ naturaliter insunt, atq. ad actiones præter naturã accedamus. Primũ occurrit actionis læsæ divisio tripartita in abolitã, diminutam, & depravatam, quam inimicus odiosus ac molestus conculcare voluit. Ejus facilis est, & prompta defensio ad controversias tamen proroganda, quemadmodũ, quæ rudis ille de dolore incondité verba fundit. 10. Objectio. Solutio.

C Iã quasi absolutis præter naturã actionib. sensuum, duo insignia symptomata supereſse docet Gal. quæ in sensu omnium primo consistunt, nẽpe vigilia & somnus. Vigilia fit laborante facultate propter impotentiam requiescendi ex siccitate cerebri, aut mordaci fuliginum qualitate. Somnus verò est diminutus motus facultatis animalis. Ergo vigilia, & somnus non sunt symptomata sensus, sed motus. 11. Objectio.

Respondendum tamẽ post symptomata sensuum particularium tradidisse Galenum hæc duo symptomata, quibus vexatur primum sensorium nempe cerebrum, quodquidem evigilat, cum mittit facultatem sentiendi, & somnum verò ab hoc exercicio cessat, capit somnum. Qui quidem & vigilia, ut suo loco patebit, non modo sunt symptomata actionis motricis, sed etiam sensitricis expeditæ, vel impeditæ in primo omnium sensu & communi. Solutio.

Post sensum ad motum veniamus: quod enim textus decimi quarti quædam verba in commentario perverterim, omnibus fortasse non ad gustum. Sed ecce me defendam excusatione contextus græci. 12. Objectio. Solutio.

Lib. 2. de temp. cap. 2

Solutio.

Præoccupatio.

Atque hæ quidem (Gal. inquit) *motivarum actionum sunt læsiones, ἢ κινητικῶν ἐνεργειῶν βλαβαί.* si verò quæpiam proprium, præcipuumq. nomen obtinet: sic interpres Germānus verbum pro verbo reddit, quem etiam Vallesius insecutus est. Tamen Guilielmus Copus ita convertit: quarum si quæpiam inveniatur, cui proprium, insigneq. nomen non fuerit inditum. Iulius Alexandrinus in suis ānotationib. sic de grecis hęc ad verbum exprimit: siqua verò propriū ac peculiare nomen obtinuit. Mox addit. Deesse videtur negatio, non obtinuit: hoc enim, ait, siqua actionis alicuius læsio, noxave privato ac proprio nomine suo nō notetur, non propterea omittendam esse symptomatis alicuius differentiam existimandum, neq. enim reb. omnib. impositā sunt vocabula &c. hæc Alexādrin⁹. Quasi dixisset Gal. putandum non esse aliquā differetiā esse omissam, si fortè fuerit aliqua, quæ propriū nomē non obtinuerit. Verum non meminit Gal. motivarum actionum, quæ proprio nomine carent. Nam, qui non instituit in his libris omnia symptomatum genera, licet nominata, particulatim persequi, multo minus tenetur recēsere innominata. Ergo hic est verborum Galeni sensus, citra negationem, ut diximus. Quod si quæpiam actio proprium, præcipuumq. nomen obtinet, ut apoplexia, epilepsia, convulsio, de quibus hactenus commemoravit, vel apnoea dispnoea, & aphonia, & id genus alię, quas deinceps protulit, & ea non fuerit à nobis nominatim expressa, non est, quòd ob id, hoc est, quòd mentionem illius non fecerimus, deceptus quis putet, hanc à nobis esse præteritam. Quamobrē, ut cōjicio, interpres noster Copi, & Alexādrini errore facilè ductus est.

In contro. lib. 4. c. 4.

Nunc dubitemus de motibus depravatis, quos textu decimo quarto adduxit Gal. ac primùm de tremore, qui quidem non videtur actio depravata. Nam quæ fit à facultate imbecilli ac debili, actio diminuta est, tremor verò à facultate fit, quæ parū firmamēti, ac viriū habet.

13. Obiect.

Respōdemus tremorē ratione solius facultatis actionē diminutā esse: Gal. tamen considerans mēbri descēsum, quo deorsum tendit, actionem depravatā esse arbitratus est. Dicet tamen aliquis, si tantum respicimus descensum, tremor non videtur actio præter naturā, quia motus ille, qui provenit à gravitate, quæ est principium naturale illius, secundū naturā est. Respondemus motum illū esse naturalem parti, quatenꝰ gravis est: sed quā est animata, animali facultati obsequitur atq. sic præter naturā. Objiciet igitur tremor quantū ad descensum partis, nō est symptoma facultatis motricis, quoniam invitā facultate pars tendit deorsū. Respondemus, & ascensum, & descēsum dici motū voluntariū: de ascensu non est dubitandū: descensus verò similiter motus est volūtarius ꝙsus, quia facultas non potest detinere partē eo in loco, inquē secum adduxit, nec resistere gravitati, unde statim conatum comprimit, relaxat, & remittit, & ita præter ejus intentum contingit descensus.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Præterea de motu convulsivo, & de convulsione differendum, nam utriusq. natura per obscura videtur. Si cōmuniter sumuntur, permixta & cōfusa judicāturi: at propriè de unoquoq. si loquamur, multū inter se distāt, longēq. diversa sunt: omnia igitur distinctè & explicatè dicamus.

14. Obiect.

Nonnunquam invitè distendūtur nostri corporis partes, præsertim nervosæ, ut in pandiculatione, ꝙ symptoma dicitur distentio: aliquādo verò à solo morbo violenter fit earum contractio versus originem suam, quæ convulsio est.

Solutio.

Inter hos motus medius & tertius est motus convulsivus, qui sine distētione, & convulsione contingit, definiturque violenta partium nervosarum concussio cum quadam vibratione à facultate naturali expultrice. Inter hujus motus differentias numerantur epilepsia & singultus, quæ non merentur nomen convulsionis, quoniam in vera convulsione adest contractio musculorum suam originem versus: in epilepsia verò & singultu, ea retractio non reperitur, sed sola concussio. Differt enim motus convulsivus à distē-

Quid sit motus convulsivus.

tione

tione, quod in eo non distentio, sed solus concussus adest: à convulsione verò, quoniam convulsio partium nervosarum ver. contractio est: at in ipso motu convulsivo membra quasi saliendo vibrantur, fitq. in ipsis agitatio palpitationi similis. Nascitur autem motus convulsivus ab humore crasso & viscido, aditum circiter præcludente, vel acri & pungenti nervorum in principia influxo, ut in ardentibus febribus observamus, tum ad os ventriculi, unde syncopes, & aliquando epilepsia tandemq. mors subsequuntur. Ad hoc alluſit Gal. libro primo prorrethici, cum scribit, *passionem, convulsivam* (sic vertendum) *in sui principio aut non multò post, quam fieri coeperit, convulsionem accersire*. Ac præterea, primo de præsag. expulſ. ubi appellat *convulsivam passionem* (interpres malè convertit affectum) *quæ ante mortem necessariò convulsionis aliquod periculum inducit*.

Com. 3. 69.

Cap. 4.

Sed quoniam de convulsione mētio facta est, illius definitionem excutiamus. Nam tot locis videtur definire Gal. convulsionem, atque in illis tam variè sentire, ut docti non unam, sed varias opiniones sequantur.

15. Obiect.

Tametsi aliquando delectet, vehementer tamen perturbat opinionum varietas: sensim verò & pedetentim progrediamur, & in controversiis spes nostras omnes collocemus.

Solutio.

Sed quoniam inter species motus convulsivi numeravimus epilepsiam: aliqui verò arbitrantur convulsionem esse, tradamus definitionem illius atque naturam ejus explanemus.

16. Obiect.

Id quidem fiet in controversijs, ubi etiam investigabimus definitionem apoplexiæ, quæ maximè similis est epilepsiæ, nam quemadmodum in epilepsia sunt abolitæ principes actiones, ita quoque in apoplexia: quomodo autem inter se distinguantur, & ab aliis symptomatis, de quibus meminit Gal. discernantur, ibidem præclarè constabit.

Solutio.

Post hæc de palpitatione dicendum. Nam cur affirmaverit Gal. esse motum volūtarium depravatum, sub difficilis existit quæstio, quæ similiter de convulsione constituenda est. Motus voluntarii à facultate animali concitantur, sed à causa præter naturam depravantur: at vero in convulsione nihil agit facultas animalis, immò tota musculorum contractio debetur causæ morbificæ, ut in palpitatione spiritui flatulento. Ergo palpitatio & convulsio non sunt motus animales, cum non fiant à facultate animali motrice.

17. Obiect.

A

Respondemus convulsionem & palpitationem non esse motus voluntarios, nihilominus tamen in motibus voluntariis depravatis numerari à Galeno propter similitudinem, quam illorum habent ac gerunt, quoniam in convulsione vera ita fit contractio, quemadmodum in motu voluntario retractis scilicet musculorum fibris principium versus. Præterea in convulsione contractio adest, & dilatatio veluti in motu voluntario, laxitis nimirum fibris, quæ antea fuerunt contractæ: atque etiam in palpitatione adest dilatatio & contractio. Discrimen est, quoniam motus voluntarius fit à facultate animali: convulsio verò & palpitatio à causa præter naturam, in musculis quidem cōvulsio, palpitatio in omnibus partib. mollib. quæ dilatari & contrahi possunt.

B

Solutio.

C

Sed hîc delabimur in magnam difficultatem, quoniam palpitationem definivimus per solam dilatationem ex Galenò fortasse, qui libro secundo de symptomatum causes non meminit compressionis. Verūtamen palpitatio partis cavæ dilatatio & compressio præter naturam est, ut scribit Gal. libello de tremore: secundo autem de causis symptomatū nullam fecit mentionem compressionis, quia necessario intelligi debet, quod sequitur necessariò. Nam pars cava repleta statim, ut exhauritur, stringitur & comprimitur, ne detur vacuum.

18. Obiect.

Cap. 2.

Solutio.

D

Cap. 4. & 5.

Cap. 2.

Quare dixit respirationem aliquā do aboleri, quæ apnoea est? Nam, si nulla prorsus animal respiratione potitur, continuò migrat è vita. Hoc quidē verum: at verò cū respi-

19. Obiect.

rationem aboleri prodit Gal. id nō re ipsa, sed quantùm ad sensum intelligendum est, ut ex definitione actionis abolitæ & ablatæ colligere possumus.

2. *Obiectio* Tandem utrum in symptomatis motus voluntarii rectè collocaverit Gal. urinæ præter naturam retentionem & expulsionem quæstio est. Quoniam utraq. actio videtur esse naturalis, nam utriusq. vesicæ & bilis & lotii eadem ratio est: at vesicula bilem retinet eamq. expellit solius naturæ vi, quod videtur confirmare fibrarū triplex genus in utraq. vesica. Galenus primo & sexto de locis patientib. respondet retentionē mistam actionem esse, quia musculi perficitur opera: nos verò addimus excretionem urinæ revera naturalē esse, juvari tamen à motu voluntario musculorum abdominis, atque ab sphincter, qui in cervice vesicæ collocatur. Atq. hæc sunt, quæ breviter, & summatim scribere nos decuit circum hoc caput: quæ verò productè, aggrediar promptiùs.

Solutio.

VTRVM FACVLTAS animalis princeps una, vel multiplex sit.

QVÆSTIO. XIX.

IN fine contextus decimi tertij G. sic locutus est. *Reliqua animalis actio, quæ à rectrice parte procedit, in imaginatricem, ratiocinatricem, & recordatricem diducitur.* Ex quib. verbis nascitur quæstio, an facultas & actio animalis princeps unica, vel multiplex sit.

Lib. 3. de anima c. 2. Dari hanc facultatem internam demonstrabat Arist. quoniam non solùm nos percipimus differentias obiectorum ad unumquemq. sensum externum pertinentes, ut album, & nigrum, amarum, & dulce: verumetiā de omnium obiectorum discriminibus iudicamus, quod iudicium sensu peragitur, cum sit de re sensibili, quę primò ad sensum pertinet: non potest autem uno aliquo externo sensu fieri, neq. etiam plurib. ergo alio sēsu ab his distincto perficitur. Nec est dicēdum naturam frustra tot sensus externos animalib. tribuisse, cum omnia illorum obiecta ab unico sensu interno percipiantur, quādoquidem absentib. externis sensib. omnia illorum obiecta internus cognoscit. atq. inter ea, quantumvis diversa, liberè discernit.

Variæ opiniones. Porrò magna est inter Doctores hac de re opinionum dissentio. Arbitrantur nonnulli sensus internos esse quinq. sensum communem, imaginationem, ratiocinationem, memoriam, & reminiscentiam. Permulti esse quatuor, sensum communem, imaginationem, ratiocinationem, & memoriam. Aliqui tres, imaginationem, ratiocinationem, & memoriam. Alii duos, sensum communem, & imaginationem. Quiquidem omnes ita copiosè, & abundanter locuti sunt, ut operæpretium me facturum existimavi, si relictis ambagib. multisq. & variis disputationib. quę passim occurrent, certa in aliqua sententia constitero.

Assertio. Hæc autem sit, revera tantum esse unicum sensum internum, unamq. facultatem animalem principem, quæ ob diversos modos operādi, variosque actus, quos exercet, sortitur varias denominationes. Quæ Hippocratis est firmata opinio primo libro de medica officina (Galeno interprete) esse potentias cognoscendi & iudicandi, *sensum in iis, quæ sensib. subiiciuntur, & mente in iis, quæ comprehenduntur intelligentia.*

Tex. 2. & 3 Com. 4.

Sensus communis & imaginatio idem. Cap. 1. Porrò (ut cum philosophis agam) sensus communis non distinguitur realiter (sic dicunt) à phantasia seu imaginatione. Quod videtur censere Arist. libro de memoria, & reminiscentia, ubi dixit imaginationem esse passionem, vel affectionem sensus communis, quasi actū imaginationis ad sensum communem reduxerit.

Ratio. Quoniam hoc uno differunt actio sensus communis, & actio imaginationis, quod dum sensus externi circa obiecta sua versantur, sensus communis in eadem percipienda incumbit, & tunc quidem non nisi singularia præsentia intuetur: imaginatio verò

verò hæc eadem percipit, & compo nit, non solùm præsentia, sed etiam deinde, cum absentia fuerint, ergo non est, quod statuatur sensus communis distincta facultas ab imaginatione, cum actio sensus communis reducatur ad imaginationem, quæ, ut docet experientia, absentia cognoscit, igitur multò faciliùs poterit cognoscere eadem sensibilia, quãdo præsentia fuerint, quia aspectus obiecti iuvat cognitionem.

Obiectio. Sed dicet aliquis, sensus communis tantum percipit præsentia, imaginatio & præsentia, & absentia, in hoc igitur est discrimen.

Solutio. Respondemus differentiam hanc essentialem non esse, ideo enim reipsa differũt sensus externi, quia visus v. g. nequit percipere obiecta alterius sensus, similiter de alijs dicendum. Cum igitur actio sensus communis competat etiam imaginationi, colligimus inde accidente differre.

Alt. ratio. Præterea (ut nostros doctores conveniam) Phantasia, quam imaginationem vocamus, non tantum rerum præsentium, sed etiam absentiũ species, & conservat, & componit. Quare munera quæcunq. philosophi partiũtur in sensum communem, & imaginationem, tribuit noster Gal. soli facultati imaginandi: cum verò meminit sensus communis, nullam animæ facultatem intelligit, sed tantum cerebrum ipsum, *quod quidem, ait, principium, sive sensum communem, sive primum sensorium appelles, nihil refert:* non quod cerebrum sentiat, sed quia origo est omnium sensuum externorũ, qui sentiunt beneficio facultatis fluẽtis, quã suscipiũt ab eo, ut explicavit *Lib. 7. de dec. Cap. 8.* G. libro primo de causis pulsuum. *Cap. vlti.*

Iam verò imaginatio reipsa non distinguitur à ratiocinatione (cogitativam etiam vocant, æstimativam inbrutis) quoniam ratiocinatio non modo sensata, sed etiam obiecta non sensata percipit, ut amicitiam, & odium, percipit igitur ea, quæ cognoscit imaginatio. Nam æstimativa, licet non cognoscat amicitiam, vel odium in abstracto, quoniam hæc sensibilia non sunt: tamen ea facultate ovis cognoscit lupum, ut sibi inimicum, ergo eadem facultas, quæ uti *Ima. & ratiocinat. idem.*

A tur specieb. non sensatis ad cognoscendam amicitiam in concreto, etiã utitur specieb. sensatis ad cognoscendum lupum, quamobrem æstimativa utroque utitur munere, & eo, quod adscripsimus imaginationi, & suo iam explicato, ergo actio imaginationis reduci debet ad ratiocinationem. Quoniam facultas, quæ percipit lupum ut inimicum, sine dubio cognoscit lupum absolutè: sed æstimativa percipit illam inimicitiam, cognoscit ergo lupum, ergo actus æstimativæ necessariò includit actum imaginationis.

B Ad hæc de memoria agendum, quã Arist. ab imaginatione & ratiocinatione nunquam distinxit: etenim libello de memoria, & reminiscentia scribit, memoriam, hoc est, memorandi actum in ea parte animæ esse, ideſt, in ea animæ facultate, in qua est imaginatio, seu imaginandi actus. Itemq. recolere, seu memorari nihil aliud esse, quam phantasmata, non ut phantasmata sunt, respicere. Quare nõ distinxit actum memoriæ ab actu phantasiæ seu imaginationis, quasi diversarum facultatum actus, ergo nec facultatem memorandi à facultate imaginandi. Quod si extremas C imaginationem, & memoriam unam facit facultatem, profecto neq. mediam ratiocinationem à duab. quasi diversam facultatem discernit. Quin etiam Gal. ipse libro secundo de motu musculorum manifestè facit unã eandemq. facultatem imaginationẽ, & memoriam, ut de ratiocinatione, quam mediam ponit, idem eundem existimasse necesse sit. *Pars enim, inquit, quæ imaginatur, quæcunq. ea sit, eadem recordari videtur.* Quem locum meliusculè poterat interpretari Valesius. D

Imag. ratiocina. & memoria idẽ.

Sed id rationib confirmemus. Sup *Ratio.* ponendum est autem memoriam nõ solùm esse receptaculum specierum, sed etiam facultatem activam, quia memorari nihil aliud est, quam rem absentem antea sensatam recognoscere. Iam, si memoriæ vis adest ad obiecta, in eorum absentia percipiẽda, eadem certè comprehendet in præsentia, cum obiectũ præsens auxilio potiùs cognitioni, quã impedimento sit.

Præterea

Altera ratio. Præterea argumentemur à simili. Memoria intellectiva opinione omnium est idem reipsa cum intellectu, idem ergo existimandum est de memoria sensitrice respectu imaginationis, & ratiocinationis.

3. Ratio. Vnde quemadmodum intelligendi facultas tunc dicitur intellectus, cum respicit obiectum præsens, memoria verò, cum intelligit rem prius cognitam, eadem ratione sensus internus tam ad præsentia, quam ad absentia ferri potest: tamen tunc tantũ denominatur memoria, cum fertur in rem prius sensatam.

Memor. & reminiscen. idem. Ratio. Tandem probandum est reminiscentiam revera nõ distingui à memoria. Nam hæc est simplex obiecti recordatio: reminiscentia verò est memoria prout successione, & connexione aut dependẽtia obiectorum, ex uno ad alterius recordationẽ pervenitur, ut, cum aliquis, ex eo, quod recordatur Petri, hinc redigit in memoriam Petrũ tali loco id, vel illud fecisse. Sed recordatio, quæ fit successione quadam, ex uno obiecto in aliud, necessariò reducitur ad eã potentiam, cuius absolutè est actio memorandi, etenim utraq. actio fertur in obiectum, quatenus priùs sensatũ, ergo reminiscentia realiter nihil est aliud, quam ipsa memoria.

Distinctio sensuum internorum. Planè igitur constat unicũ tantùm esse sensum internum, sed propter varios actus diversas sortiri denominationes. Nam quatenus percipit obiecta præsentia, ut actu sensata à sensu externo, dicitur sensus communis. Quantùm apprehendit obiecta præsentia & absentia abstrahendo ab his, vel illis temporis differentijs, vocatur imaginatio. Quà verò ex specieb. sensatis eruit obiecta non sensata sensu externo, appellatur ratiocinatio, cogitativa, vel æstimativa. Quoad novit obiecta, ut priùs sensata, simplici recordatione memoria est. Tandem, ut id præstat quadam actuum successione, reminiscentia nuncupatur.

Qui huiusmodi omnes differẽtias essentiales esse sunt arbitrati, sensus internos quinq. constituerunt: tamẽ non omnib. placuit harũ differentiarum ratio, & conditio. Multos offendit ea differentia, quam inter memoriam, & reminiscentiam posuimus; unde sensus internos tãtum quatuor admiserunt. His assentiũtur, qui tres dumtaxat concedunt, cum præter id sensum communem aboleant. Reliqui eam differentiam tantum essentialem esse volunt, quæ inter sensum communem, & imaginationem posita est.

Obiectio. Solutio. Nos tandem omnes funditùs repudiamus, sed tantum accidentarias esse censemus. Quamobrem, si quærat aliquis, an possimus asserere dari plures sensus internos saltem formaliter, ut dicunt, diversos, respondemus, si loquamur de distinctione formali essentiali, id nos asserere non posse, quoniam vera facultatum distinctio desumitur ex actionib. & obiectis adæquatis: actiones autem & obiecta adæquata sunt, quæ unam tantum respiciunt facultatem: ea verò ad alia non refertur: at, quas hactenus memoravimus, sensus interni actiones adæquatæ non sunt.

Dicendum igitur sensus internos plures dici posse formaliter accidentaliter, ut dicitur in scholis, scilicet diversis denominationib. quas habent respectu, & in ordine ad varios actus inadæquatos, quemadmodum facultas intellectiva, quæ, ut absolutè intelligit, dicitur intellectus, quatenus incumbit in res præteritas, vocatur memoria, quà verò intelligit ex cogitando, & discurrendo appellatur ratio, cũ tamen nullus concedat in homine plures facultates intellectivas essentialiter diversas.

Alt. assertio. Atq. ita asserimus tres tantum esse sensus internos formaliter accidẽtaliter distinctos, quos tres facultates animales rectrices ac principes appellavit Gal. quia nobiliores non noverat, imaginationem, ratiocinationem, & memoriam, quoniã Gal. facultatem, quæ sensus communis dicatur, omninò tollit, atq. sensum cõmunem cerebrum ipsum esse voluit: reminiscentiam verò memoriam esse constituimus, quia reminisci opus est memoriæ, cum se reflectit in se ipsam ulteriori quodam motu, non actione diversa, quia eiusdem facultatis actiones sunt recordari, & reminisci. Restat igitur tres tantum esse internas facultates sentiendi, non natura,

tura, & specie multiplices, sed ex officiorum foecunditate, & diversitate, ut dudum diximus, varia sortiũtur nomina.

Gal. interpretatus. Sic nos Galenum interpretamur, extriplici videlicet specie phrenitidis, non tres facultates essentialiter distinctas, sed triplicem eiusdem facultatis actionem, quæ triplici morbo phreneseos plerunq. læditur, intellexisse. His adstipulãtur, quę scripsit octavo libro de usupartium: *at nihil, inquit, ex ipsius alteratione assequeremur* (loquebatur de visu) *nisi imaginatio, ratiocinatio, & memoria, quæ sunt ἡγεμονικὸν, id est, princeps animæ facultas, eius alterationem sentiat.* Quib. verbis tres ad unam redegit: egemonicon enim unum est, ut interpretatur M. Tullius. *Principatum, ait, id dico, quod græci egemonicon vocant, quo nihil in quoq; genere, nec potest, nec debet esse præstantius.*

Cap. 6.

Egemonicon.

2. de nat. Deo.

DE NATVRA, ET sede facultatis animalis principis, eiusdemq. agendi modo.

QVÆSTIO. XX.

ANima intellectiva, & quæ illi inhærẽt facultates immateriales, ut intellectus, & voluntas, quas defert, cum ad corpus accedit, & secum adducit, cum ex eo egreditur, in illius quavis parte existunt: materiales tamen, quæ neq. inhærent animæ, sed organo corporeo, neq. ad corpus accedentem, vel è corpore abeuntem animã comitantur, non ita se habent, sed omnes reliquę, naturali excepta, quæ per totum corpus fusa est, sedib. discluſæ, ac distinctæ sunt. Itaq. facultas videndi in oculis, audiendi in aurib. olfaciendi in narium extremo, gustandi in lingua, movendi in musculis, imaginandi in cerebro insidet, atq. insita est. Hinc Hippo. & Plato docente auctore introductorij, animi principatum in cerebro constituunt. Gal. etiam in arte parva, & tertio de locis patientib. idem confirmavit. Septimo autẽ apho. *ostensum, inquit, est in cerebro esse animæ principatum.* De quo nulla est internos, & Galenum dissentio: summa tamen adetit, si naturam & sedem facultatis animalis studiosè inquiramus.

Cap. 11.

Cap. 12.

Cap. 5.

Vera de facultatibus opinio.

Arbitratur vera Philosophia animam nostram duplici uti facultate in instrumentis sentiendi, & movendi, naturalem, & animalem: naturalis præcurrens medio tẽperamento partes generat, & illis conveniente, idoneamq. figuram tribuit, quasdam solidas facit, alias verò cavas, exasperat aliquas, nonnullas cõtra læves creat, in quib. posita est instrumentorum formatio, qua deinceps utitur facultas animalis.

Oculi supponamus exemplum, cuius partes omnes generat, & conformat facultas naturalis, postmodum verò easdem usurpat facultas animalis ad videndum. Nam harum omniũ princeps est humor crystallinus, *qui, ut animal videat, alteratur à coloribus alterari verò non potuit, nisi purũ omninò perspicuumq. esset: at ita perlucidum esse non potest sine eo, quod nunc obtinet, temperamẽto,* quod cum perpetuò marcescat, quia calor nativus, tametsi iactura sui, semper absumit humiditatẽ, quæ ad sentiendum necessaria est, hinc à cerebro influxus quidam descendit ad oculos, quo reficitur eius humiditas, ut calor calore à corde misso.

Lib. 1. med. methо. Cap. 6.

Idem contingit in reliquis externis sensib. atq. etiam in instrumentis motus, ad quę descendit à cerebro eadem qualitas, scilicet humiditas, ne intendatur siccitas, quæ, ut moderata motum iuvat, ita immoderata retardat. Concurrunt igitur ad sentiendum, & movendum anima, insita facultas, instrumenti constitutio ex multis partib. quarum varia conformationem ministrat temperamẽtum, ac tandem qualitas è cerebro defluxa.

Sedes facultatis animalis principis.

Similiter in cerebro post animam rationis participem imperium tenet facultas animalis princeps, quæ suas actiones exercet imaginationẽ, ratiocinationem, & memoriem, ferẽtib. opem scilicet imaginationi humiditate, ratiocinationi calore, memoriæ siccitate, proximè interveniẽte cerebri constitutione, & conformatione ex multis partib. orta, quas etiam

etiam aluit insiti cerebro facultas naturalis. Est autem cerebri substantia frigida, & humida, sed calore cordis remittitur frigiditas, hinc temperamentum cerebri calidum, & humidum redditur, quod alteratione quadam per continuitatem inducta spirituum animalium interventu organis sensus & motus communicatur, quò restauratur caliditas, & humiditas, quæ continuò exolvuntur, aliter deficeret sensio, & præterea motio, quæ tametsi iuvetur siccitate, si non descenderet humiditas, augeretur siccitas, & motum impediret. Hæc est vera reductio in actum facultatis sensitricis, & motricis, ut facultatis naturalis cerebri calore cordis adiutæ. Partium verò cerebri primaria est substantia illius similaris, cui primò debentur actiones animales principes, reliquæ autem assiduum præstat usum, maximum verò ac necessarium spiritus & species à sensib. externis per nervos susceptæ.

7. de Hip. & Pla de cretis c. 8

Gal. opinio de facultatibus animali.

Verum Gal. qui consultò præterijt animam rationis participē, eiusque facultates, tū spiritales, quæ animæ intellectivæ inhærent, tum materiales, quæ necessariò recipiuntur in materia, ut est sub forma substantiali, & apparatu corporeo designata, necessariò debuit principatum tribuere temperamento, quoniam absente domino, vel nō cognito, solus Oeconomus lucet, cuius actiones primariæ iudicantur. Ergo illius opinione temperamentū absolutè sumptum est anima, & essentialis cerebri forma (adulari nescio) cumq. multa moliatur, ut respicit actiones, facultas dicitur: hoc enim est, quod aliquādo dixit, facultatem in relatione ad aliquid intelligi, quæ à nobis libro de differentia morborum enodatius sunt explicata. Quamobrem temperamētum, ut in cerebri nutritionem incumbit, facultas naturalis est, & causa, cur illius substātia sit alia mollior, alia durior, vel pluscul̄m coacta, alia rarior, & laxior: præterea ut spirituum alij tenuiores sint, crassiores alij, nonnulli clari, & perspicui, aliqui verò turbidi, & tenebricosi. Machinatur etiam, & molitur hæc facultas cerebri naturalem motum ad animalis spiritus nutritionem, temperationem, & expurgationem. Tantùm verò tribuit Gal. temperamento, ut cum in cerebro respicit principes actiones, princeps animæ facultas ab eo constituatur.

1. de nat. fac. c. 4. 1. de causis pul. cap. 2.

Concurrunt igitur hæc ad imaginationem, rationem, & memoriam. Primum temperamentum, deinceps instrumentalis cerebri constitutio ex multis partib. constans, sed præcipuè pars primaria, ipsa nempe similaris substantia cerebri, cui offeruntur obiectorum species expressæ in ventriculis illius cum spiritib. commistæ post ascensum à sensib. externis. Dixi primùm concurrere temperamentum, quod, ut absolutè sumitur, animam, & formam constituit Gal. sed ut refertur ad actiones, facultas est appellata, naturalis quidem, ad actiones cerebri naturales: animalis ad actiones animales principes.

Reprehenditur Segarra.

Hinc patet error Iacobi Segarræ, nam hoc capite probaturus principes animæ facultates sede non distinguí, sed invenirí in toto cerebro, id confirmat, quoniam facultates principes sunt facultates naturales quòd sint insitæ, cum tamen paulò antea observaverit naturales actiones fieri à natura citra rationis imperium, atq. ex illis rectè colligi numerum facultatum naturalium: at verò actiones animales neq. fieri à natura, sed ab anima, neq. facultatum numerum præscribere, rationi tamen, & voluntati morem gerere. Ex quib. constat facultates animales principes facultates naturales non esse. Ad demonstrandum verò quod in toto cerebro penitùs insideant, satis erat probasse insitas esse, quod quidem à natura factum est, quoniam cerebrum non poterat aliundè recipere facultetē, sibiq. adscíscere, sed, cum sit primum sensorium, cām impartire debebat, & communicare cū externis sensib. è quib. nullus subvehitur qualitatis influxus, quo cerebri temperamentū foveatur, nam præter species obiectorum nihil recipit cerebrū ex ijs, quæ subsunt, nullusq. sensus externus illi opem, auxiliumq. fert, quādo quidem illud omnis sensus & motus est principium.

Exemplum

Vnde quemadmodum rivuli à fonte deducuntur, & fluunt, atq. omnia, quæ

quæ habent, illi accepta referūt: fons verò illorum nulli est devinctus: sic

Lib. 1. de animalib. instrumentis à principio, id est, à lo. pat. cap. vlt. cerebro, *veluti lumen à sole, facultas defluit.* Qua vi è cerebro delapsa sensuum externorum adiuta instrumenta recipiunt speciem ab obiectis impressam, qua tanquam instrumento cōcurrente à sensitrice facultate profertur species expressa obiecti simulacrum & formalis imago. Atq. hac specie sursum delata mediante, oblaque cerebro, & impressa, facultas princeps sensile obiectum cognoscit, atq. speciem expressam producit, quæ deinde, vel spiritib. involuta, & conservata, quorum in cerebri ventriculis magna copia est, vel ad illius substantiam affixa stabilis permanet, interim facultate præclarè agente, nonnunquam verò variè fabricante.

Quæ cōcurrant ad actiones animales principes.

Nunc eorum, quæ concurrunt ad actiones animales principes introducamus seriem, ea lege, ut, quæ deficiunt doctrinæ Galeni, addamus ex philosophis, quos, si quid præterierit, ex Gal. subiungemus. Conveniūt igitur ad actiones animales principes celebrandas, remotè quidem, & foris tota oculi constitutio, obiectum, species ab eo impressa, insita facultas sensitrix, ut visiva, qualitas, quæ à cerebro quadam alteratione descendit, nervi, per quos fit descensus: at intus, ac etiam remotè species impressa, ab expressa sensus externi producta, quæ obiectum representat interno sensui, & qua mediante fit expressa in ipso sensu interno, à qua ponitur facultas in actu secundo, cerebri substantia, cui primò debetur actio, eiusdem partes variæ usum præstantes, atq. spiritus, sine quib. non fit actio, temperamentum substantiæ medullaris, & spirituum, atq. anima, eiusq. facultas sensitiva: intus tandem, sed proximè & compositio organica scilicet conformatio, cerebri ventriculorum amplitudo, numerus, positus & connexus, quem cerebri partes habent inter sese.

A

VTRVM ACTIONES principes pendeant à cerebri temperie, vel à conformatione, id est, an similares sint, vel organicæ.

QVÆSTIO. XXI.

B ACtionum omniū, quæ in nostro corpore ad exitum perveniūt, causa principalis est anima intelligens, & consilij particeps, cuius insita facultas, ut phantasmata speculetur, ratiocineturq. duplici utitur corporeo instrumento, cerebri temperamento, & mirabili eiusdem structura, & quamvis temperamentum causa principalis sit, organica verò structura comes, & ministra: tamen quæ harum sit principum actionum causa proxima quæstio est, neq. hoc parum interest. Nam si temperamentū con-
C stituitur causa immediata, actiones principes similares sunt: si sola structura proxima causa est, organicæ sunt, ac dissimilares: si verò ambo unà simul, mixtę iudicandę. Hinc tres opiniones ortæ sunt.

1. Opinio. Prima actionum principum proximam & immediatā causam agnoscit temperiem substantiæ medullaris, & spirituum cerebri.

Auct. Hip. Sent. 16. Quod probatur auctoritatib. Hippocratis, Platonis, Aristotelis, & Galeni. Libro de morbo sacro. *Cerebro,* inquit Hipp. *intelligimus, deliramus, insanimus, cum aut calidius fuerit, aut siccius, aut frigidius.* Primo libro de diæ-
D *sent. 31.* ta. *Quod humidissimum est in igne, & siccissimum in aqua* (Laurentius invertit) *si in corpore temperamentum acceperint, prudentissima sunt.* Libro sexto Epid. *Lib. 6. Epi. sect. 7. ad libri finem.* *Melancholici magna ex parte fiunt epileptici, & epileptici fiunt melancholici, prout in hanc, vel illam partem repit humor, fit utriusq. affectus transmutatio, & humoris metastasis. Nam si in corpus & ventres cerebri effundatur humor, fiunt epileptici: si in mentem, melancholici.* Per mentem autem intelligit temperiem cerebri, ut ex Gal. dicemus.

Aut. Plat. Magister Plato in Theæteto sic locutus

cutus est. *Non recte anima se habet in den* E *so, aut lutulento, molli nimis, aut duro cerebro: malè enim celeres quidem ad percipiẽdum efficit, sed eosdem obliviosos: diu rum diu memores, sed inepros ad percipiẽdum, densum simulacra obscura continet.*

Au. Arist. Prob. Ad hoc alluſit Ariſtoteles trigeſimo problematum, cum dixit, *ingenioſiſſimos, & ſapientiſſimos eſſe melancholicos*, ex allorum ſcilicet temperamẽto perfectiſsimas colligens actiones.

Auto Gal. Cap. 13. Noſter Gal. octavo libro de uſu partium. *Aliùs fuiſſet exiſtimare intellectum ſequi, non compoſitionis varietatem: ſed corporis, quod cogitat, atq intelligit, quodcunque id ſit, bonam temperiem: neq. enim bonitas ac perfectio intellectus multitudini ſpiritus animalis potiùs videtur attribuenda, quam qualitati*, quod temperamentum eſt. In arte parva. *Ingenium ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicat. Tarditas verò intellectus craſſum.* *Cap. 12.* *At diſcendi facilitas, formarum facilè* G *ſuſceptivam. Obliviò fluidam. Mobilitas in opinionib. calidam, at ſtabilitas frigidã.* Libello, *quod animi mores corporis temperiem ſequantur*, animæ ſubſtantiam *Ca. 3. & 4.* temperiem vocat, idq. probat, *quoniã vehementer refrigerato cerebro aut calefacto, aut madefacto, aut ſiccato, anima migrat è corpore.* Tandem libro tertio *Cap. 7.* de locis patientib. explanans Hippocratis ſententiam ſcriptam ſexto Epid. quam dudum citavimus, docet animam eſſe, aut temperamentum activarum qualitatum, aut ab ipſarũ temperamento alterari.

Quib. auctoritatib. hæc additur ratio Communis opinio eſt cerebrum pati varias intemperies, tũ nudas, tũ *Ratio.* fluxione humoris comitatas ſine aliqua læſione conformationis: ſed hæ intemperies ſæpiſsimè lædunt actiones animales principes, ergo actiones huiuſmodi proximam, & immediatam cauſam agnoſcunt temperamentum ſubſtantiæ medullaris cerebri. Propoſitionem monſtrat experientia quę nihilominus confirmate poteſt aſſumptionem, quoniam phrenitis, & melancholia, quę ſunt intemperies cum fluxione, delirium inducunt.

Alterius opinionis fautores à ſo- *Opinio.* la cerebri ſtructura principes actiones proximè pendere arbitrantur, quod auctoritatib. & rationib. confirmant.

Galenus in arte parva ſcribit ca- *Auto. Gal. Cap. 11.* pitis naturalem figuram talem eſſe debere, qualem ceræ globulus modicé utrinq. repreſſus conſtituit. *Propria*, inquit, *capitis figura eſt, velut ſi excogitares ſphæram exquiſitè rotundam ex cera conſtructam paulatim utrinque de* F *preſſam.* Et in ſextũ Epid. *Optima capitis figura oblongo orbi utrinq. compreſſo ſimilis eſt.* Nam, cum à cerebro in par- *Lib. 6. Epi. par. 1. Com. 3.* tem anteriorem proceſſus quidam teretes, odoratus gratia ferantur, atq. nervi ad oculos, fit, ut caput oblongum, & in laterib. depreſſum ſit: at in parte poſteriori, cum cerebrũ, & cerebellum, tum etiam ſpinalis medullæ exortus poſita ſint, factum eſt, ut ea pars eminentior extiterit. Atq. hæc eſt naturalis figura capitis, quod ſi ex materiæ ubertate, facultatiſq. formatricis robore, magnum G fuerit, optimum eſt. *Quali capite Pericles Athenienſis vir prudentiſsimus fuiſſe traditur*, ut Gal. habet. Quæ vero capita ab hac figura deflectunt naturali carent, ideoq. omnia faſtigiata, vel acuminata Galeno dicuntur. Si enim *Ibidem* posterior eminentia pereat, parte *9. de uſu* anteriori caput faſtigiatum apparet: *Cap. 17.* ſi anterior, poſtica: ſi utraq. in medio apparet acumen. Quanquam Homerus caput illud acuminatũ eſſe vult, *Li. 2. Ili.* quod utraq. parte eminentia caret, cuius figuræ Therſites erat omnium græcorũ turpiſsimus, & rudiſsimus, quem Achilles ſibi procaciter convitiantem pugni ictu interfecit. Ecce apud Hipp. & Gal. cauſam prudenH tiæ, vel temeritatis in homine eſſe varietatem conformationis cerebri, & magnitudinem, vel parvitatem illius.

Quibus demonſtratio ſubiũgitur. *Ratio.* Vitiata cerebri ventriculorum conformatione ſtatim intercipiuntur actiones animales principes ergo ab ſtructura, & conformatione ſola huiuſmodi actiones eduntur. Antecedens patet. Nam in apoplexia, epilepſia, & vulnerib. capitis, oppletis, & compreſsis cerebri ventriculis, atq. ſola conformatione læſa ſtatim pereunt principes actiones, temperamento nondum vitiato. Quoniam

ante

ante apoplexiam, vel epilepsiam, intemperies substantiæ cerebri, si quæ aderat, non lædebat illas actiones: similiter ante craniũ effractũ, nulla intemperies, quamobrem solius cõformationis læsio tanti mali causa est: ne quit enim momento cerebri substantia intemperari.

3. Opinio. Tertia, & ultima opinio functionum omnium principum causam efficiẽtẽ proximam, nec solã tẽperiem, nec solam cerebri structuram, sed ambas causam proximam esse constituit, conformationem scilicet ventriculorum, atque temperiem substantiæ medullaris, & spirituum.

1. Ratio. Cõtendit autẽ Laurentius actionem animalẽ principem, neq. absolutẽ esse organicã actionẽ, neq. purè similarẽ. Non esse organicã demonstrat, quoniã læditur à melancholia, & phrenitide, qui morbi sunt in intemperie substantiæ cerebri similaris, illæsa remanente structura.

2. Ratio. Nõ esse purẽ similarem docet, quia vitiatur collisis, vel cõpressis ventriculis, omninò temperie illæsa.

3. Ratio. Quamobrẽ mixtã esse actionẽ ex organica, & similari tuetur, atq. defẽdit, quandoquidem, neq. à sola temperie inchoatur, neq. à sola structura perficitur, sed ambarum una actio est, ut chylosis, & hæmatosis.

In contro. q. 30. Hujus quæstionis decidendæ semina sparsimus nos libro de differ. morborum, quamobrem inde capiamus fundamenta, & quæ convenerint, huc transferamus.

1. Fundamentum auctoris. Actio triplex. Primũ, quoniam de actionib. & earum principiis quæstio est, illustremꝰ hæc, & distinguamus. Actio triplex est, similaris organica, & utriusq. particeps, quã mistã actionẽm appellamus. Quæ tripartita divisio sine dubio apud omnes erit gratiosa, cum in hac disceptatione magno sit usui & necessario.

Actio similaris. Similaris actio ea dicitur, quæ à sola partis tẽperie inchoatur, ab eadem perficitur, & à qualibet partis portiũcula integra, & perfecta editur. Nutritionẽ ejusmodi esse clarius est, quã ut demonstratione ulla egeat: quælibet enim carnis portiuncula alimentũ trahit, retinet, coquit, & reliquias expellit, quia quælibet carnis pars caro est, totiusq. formam & naturam obtinet, quæ quidem forma temperies dicitur,

A à sola igitur temperie, & inchoatur, & perficitur nutritio. *Quoniã unaquæq. animalis particula propriam actionem edit, quæ tantũ ab aliarum actionib. differt, quantum ipsa particula ab alijs, quæ illas edunt, est diversa: differt verò ab alijs particula quæq. eo, quod calidior, vel frigidior, vel siccior, vel humidior sit, aut quod binis horum quibuslibet sit affecta, ergo qui tuerì actionem vult, hic temperamentũ earum custodiat oportet.* Huic actioni multũ proportione reddunt actiones primarum qualitatũ, quæ à similari elementi substantia proveniunt, ut ignis generatio. *Lib. 7. method. cap. 3.* *Exemplum*

Actio organica. Actio organica ea dicitur, quæ à tẽ-
B perie, nec inchoatur, nec absolvitur, nec nisi à toto instrumento integra & perfecta editur, sic visio, quæ propria est oculi actio, non à crystallino tantũ, nec ab optico, nec à tunicis perficitur, sed ab omnib. simùl. Actionis hujus organicæ causa non est temperies, sed laudabilis conformatio, non videt oculus, non apprehendit manus, non progreditur pes, non movet musculus per temperiem, sed quia hoc, vel illo modo sunt organa conformata.

Actio mixta. Mixta demum actio est, quæ à partis temperie inchoatur, á qua quidem
C nec perficitur, nec absolvitur, sed á toto instrumento editur integra & perfecta.

2. Fundam. Porrò duo sunt genera instrumentorum, alia naturalia sunt, alia verò animalia, hæc ita sibi propriam habent organicam structuram, ut ea solùm utantur, fruantur, & exornentur. Quamobrem illorum actio perpetuò organica est. Sed instrumenta naturalia ambiguas utrinq. notas habent, ut tum similarem, tum organicam actionem exercere videantur, propterea mistam illorum actionẽ appellamus. At, ut hæc proferantur in lucem, instrumenta quæq. celeriter percurramus à naturalibus exorsi.
D

Actio ventriculi. Chylosis propria est ventriculi actio, quæ ab ejus temperamento inchoatur, sed ab eodem una cum formatione, & cavitate, magnitudine q. ventriculi, perficitur. Sic hæmatosis hepatis actio propria est, quæ *Actio hepatis.* non á temperie jecoris tantum, nec á venis, sed ab omnib. simul perficitur, quoniam parenchyma suo temperamento exorditur sanguinis generatio

nem, veruntamen venę chylosã substantiam, quam è ventriculo suxerunt, continent, ac minutissimis partib. distribuunt, quò jecoris temperamentũ, & calor nativus undiq. liquorem attingat, commutet, perficiat. Similiter cor viscus nobilissimum eiusdem generis instrumentum est, siquidem spirituum generatio, quam perenni suo motu perficit, coctionis quædam est species, movetur vero, & pulsat insita vi, propriaq. temperie, sed non contraheretur, nec distêderetur, nisi esset sinibus excavatum. Inter hæc cerebrũ numeratur, in cuius arteriarũ plexib. labyrinthæis animalium spirituum fit præparatio, coctio in sinib. Distributio tãdẽ in nervos omnes, ad quos motus contulit naturalis, & proprius, quo dũ sese explicat cerebrũ, ex narib. aerẽ attrahit, & ex arteriolarũ plexib. spiritus, quos in quiete permiscet aeri, dũ verò se secontrahit, animalẽ spiritum è superiorib. ventriculis in posteriores effundit. Ecce concoquit & generat cerebrũ, quæ similaris actio est: sed cum dilatatur, & contrahitur, sua cõformatione præclaré fungitur, quæ actio est organica. Quare instrumentorũ naturalium actio coctionis est species, verèq. similaris actio dici potest: attamen quia formatione utuntur, & quadã organica structura, ex eo millionẽ admittit illorũ actio.

Actio cordis.

Actio cerebri ut instrumenti.

Hujus exẽplo sit aqua, quæ ex vino distillato habetur, ardorẽ & flãmam citò cõcipiens, aquã vitæ nominant. Hęc fit vase quodã cupreo, aut æneo, in ꝙ aliud immititur, quod cucurbita seu boccia vocari solet, cui aliud vas super imponitur rostratũ, vulgus alẽbicũ, seu capitellũ nominat, cujus rostrũ prominet lõgissimũ, & rectum, sed aliquando tortuosum, ut aqua prolectata magis cõtêperetur. Quæ distillationis actio, in quo liquor ruber cõvertitur in albũ, ut in hepate alb. in rubrũ, actio mixta est, quia neq. ignitantum, neq. solũ organicę formationi, sed utrique debetur, quãvis potissimũ igni, ut substantiæ similari instrumẽtorum naturalium materiæ generatio.

Exemplum

Sed progrediamur ad reliqua instrumenta, quæ animalia dicũtur à notiorib. auspicati. Musculus est instrumẽtũ animale, cujus actiones sunt sensus, & motus. Sẽsus omniũ partiũ nostri corporis cõmunis actio est, non musculi propria, ꝓpterea sensus actiones multiplices sunt. Verum motus actio simplex, & ꝓpria musculi est, nẽpe retractio. Multa verò requirũtur ad musculi cõtractionẽ, conformatio, numerus, magnitudo, situs, cõnexus, potissimũ tũ forma, figura, & magnitudo. Adhæc omnia mirificè cõvenit têperamentũ, sed illi' cõcurl' ab actione musculi aliquantulũ remotus, nõ est motus illius ꝓxima causa. Adhoc alluſit G. cũ dixit, motũ principaliter ab anima proficisci (têperamentũ intelligit) à musculo autẽ proximé, quemadmodũ cãtus ab artifice interjectione tibiæ. *Quoniã omnis facultas*, inquit, *quæ alicui' causa agit, instrumẽta quærit ad opus apposita. Et quem admodũ artifex agere non potest absq. organis, ita & una qualibet anima facultates quasdam à sua ipsius substãtia obtinet, efficere autem ea, quæ natæ sit efficere, sine organis nequaquam potest.*

3. Fundam. Musculi actio.

Lib. de tre more pulc. cou. & reg. cap. 5.

Lib. 1. de can. pulſ. cap. 4.

Lib. 1. c. 3. usup. c. 3.

Objiciet tñ aliquis, musculũ nõ modo instrumentũ animale, sed etiã instrumentũ naturale dici. Respõdemus Galenũ scripsisse *musculũ esse instrumentum animali propter sensum & motũ, quemadmodũ propter arteriã, & venã naturale.* Cõsiderabat eo loco id omne, quod observamus in musculo sensum, motũ, & naturales actiones, quod etiam in aliis instrumẽtis animalib. observare possumus. Atverò, cum loquimur proprie, musculus tantum est motus voluntarij instrumentum.

Objectio.

Solutio.

Lib. 1. de motu mus. culo. cap. 2.

Oculus præterea instrumẽtũ est animale, tametsi priùs gubernetur ope & opera têperamẽti, ꝙ omnia suppeditat, quæ illi ad sensum fuerint necessaria, & præsertim humori crystallino diaphanẽã, id est, perluciditatẽ, quam quidẽ obtinere non potuit sine certo têperamẽto. Nã oculus videdi actione præditus est, ad quã exercendã in omnib. partib. illius requirũtur cõformatio, numerus, magnitudo, positus, ac prẽter hæc ꝓspicuitas in humore crystallino, cujus exquisita nutritio, quã necessariò sequitur splendor, sine dubio est opus têperamẽti: verũ nitor, & fulgor, qui ab objectis colorib. alteratur, inter organicas dispositiones numeratur à Gal. Vnde têperamẽtũ humoris crystallini perspicuitatis, sed hæc alterationis, & visionis proxima causa est. Id ipsum de auditionis partibus, & membrana tympanum dicta, cui debetur auditus, dicendum arbitror,

Oculorum actio.

Lib. 1. usup c. 9.

arbitror ut de partib. cæterorum sensuum, tum principib. tum deserviētib.

Actio cerebri ut instr. animale.

Tandē naturæ miraculū, fataleq. portentū cerebrū est, utpote ꝙ instrumentis naturalib. propriè, vereq. dictis adnumeravimus: hic verò ultimò in numero instrumentorū animaliū reponimus, quod actiones animales principes mādet, ac apetitui leges imponat, utaturq. tunc organica natura.

Exemplum

Ad quā instrumētorū animaliū actionē proportionē, & cōparationē habēt arte facta multa, ut serra, dolabra, mola, lyra, horgana musica, horologium, quorū actiones procedunt à sola structura organica, formatione, numero, magnitudine, situ & connexione, tum partis, cui primò debetur actio, quæ in horologio cymbalum est, tum reliquarum, quæ præstant usum.

4 Fundamentum.

Aliud præterea discrimen inter hæc instrumenta cōstituimus, quādoquidē actiones instrumentorū naturalium in quib. cerebrum numeravimus volūtatis expertes sunt: animaliū verò ad arbitrium conferuntur. Hujus generis quoq. cerebrū est, quod primo pror. á Galeno dicitur *principiū functionum, quæ ex volūtate oriūtur.* Secundò verò prog. *ex voluntarijs*, inquit, *functionib. agnosci vim unam, quo pacto, & robore, & imbecillitate prædita sit, quā superioris originis esse dixi, quam alio loco in cerebro domicilium ac sedem habere indicari.*

part. 2. com. 5, com. 26.

1 Assertio.

Quib. fundamentis constitutis propositæ controuersiæ trib. assertionib. faciemus satis. Prima sit. Actiones animales principes proximè non pendēt à solo cerebri temperamento, id est, actiones similares non sunt.

1. Ratio.

Nā in nostro corpore duo sunt actionū genera: aliæ naturales, aliæ animales, quæ sensificæ, vel motrices, vel principes sunt: naturales vero ab animalib. longè diversæ, atq. sejunctę septem, tres principes generatio, auctio, nutritio, quatuor ministræ attractio, retentio, cōcoctio, expulsio, quæ quidē omnes proximè pendent à solo tēperamento, similares q. sunt: sed nulla ex animalib. principib. est naturalis, ergò nulla ex illis dependet proximè à tēperamento, seu nulla similaris est. Propositio necessariò concedenda est. Assumptio patebit, si naturales singulas persequamur: cōstabit enim nullam ex actionib. animalib. principib. esse naturalem.

A Præterea si cerebri propriā dumtaxat carnē contēplemur, *sensibile elemen tū est similare simplexq. ac cōpositionis expers*, qua ratione tantū edit actiones naturales, quæ proximè inchoantur ab ejus tēperaméto, & perficiuntur, atq. à qualibet illius particula cōpletæ, ac absolutæ proferuntur. Veruntamen, si omnibus suis partib. formatum, & exornatum consideretur insigne, & præclarum instrumentum est, atque in actiones organicas graviùs incumbit, quæ quidem proximè non pendent ab ejus temperamento, atq. propterea actiones similares non sunt.

2. Ratio. Lib. 3. de nat. fac. ca pit. 6.

Evasio.

B Respondebit fortasse aliquis nihil impedire, quo minùs cerebri solum temperamentum possit proferre actiones animales, cum disponatur, & dirigatur ab anima.

Refutatur.

Veruntamen instabo, vt temperamenti potestas examinetur. Quoniā cerebri temperamentum est agens naturale, quod non potest egredi fines ac terminos illi à natura constitutos. Vnde neq. anima solo temperamento usa potest edere actiones animales, ad quas alio, & diverso indiget, ac utitur instrumento.

Exemplum

C Nam quemadmodum musicus fistulā non potest edere sonum citharæ, neq. buccinā sonitum lyræ, sic anima nequit audire oculis, nec auribus videre, nec solius temperamenti interjectione animales actiones proferre. Verū quidem est animam utroq. instrumento uti, & temperamento, & cerebri conformatione, ut actiones animales edat: sic tamen se res habet. Temperamentum, quatenus instrumentum naturale sine mente & ratione ad cerebri nutritionem tantum incūbit, prǽmunit, ac prǽparat illius substantiā, & spirituū, cæterarūq. partiū lineamenta, formationē, magnitudinē, numerū cavitatum, situ, & cōnexio nē delineat, erigit, atq. confirmat: tamen, quæ inde sequitur conformatio actionum organicarum scilicet animalium principum proxima causa est.

D Sic temperamentum humoris crystallini nō est proxima visionis causa, cū non alteretur à colorib. neque humor crystallinus, ꝙ calidus, vel frigidus videat, sed quod sit purus, & perspicuus.

Sic musculus, vel illius caro, non ꝙ sit hoc, vel illo modo calida, vel frigi-

da retrahitur, sed quod tali formatione prædita. Sic tympanũ auditus pars princeps, nõ quia hoc, vel illo modo tẽperatũ audit, sed quia certa conformatione decoratũ est, quãtumvis ob certum temperamentum illam formationẽ sit natũ. Similiter substantia cerebri pars illius princeps ab specieb. quæ spiritib. convolutæ in ventriculis cerebri conservantur, alteratur, nõ calore, non frigore, humiditate, aut siccitate, quantũvis hujusmodi qualitates antea se præbuerint adjutrices, sed ꝙ tali formatione, & structura organica prædita sit. Quæ cum ita sint, benè colligitur temperamenti vim non proximam, & immediatam, sed ab actionib. animalib. principib. remotam esse.

3. Ratio. Tandẽ addamus rationẽ, qua usi fuimus libro de differ. morb. Nam voluntatis expertes sunt, nõ tantũ actiones, quæ proximè pendent à solo tẽperamẽto, cujus modi sunt purè similares: sed etiã, quæ proximè pendent à tẽperamento organica structura comitato: partes enim omninò similares, ac præterea vẽtriculus, hepar, cor, cerebrum, quatenus sunt instrumẽta naturalia, invitis nobis nutriuntur, chylum cõcoquunt, sanguinẽ, & spiritus gignunt: sed actiones animales principes arbitrariæ sunt, etenim secundũ naturã nos habentes imaginamur, ratiocinamur, recordamur hoc, vel illud, cum volumus, & quandiu volumus, ergo animales actiones principes proximè non pendent à solo temperamento.

2. Assertio. Secunda assertio sit. Actiones animales principes non sunt mixtæ actiones ex organica & similari.

1. Ratio. Nã ad actiones mixtas ex actione organica, & similari, proximè & unà concurrunt, tũ partis tẽperamẽtum, tũ organica structura: sed ad actiones animales principes nõ cõcurrunt ꝓximè tẽperies, & organica structura, ergo actiones animales principes nõ sũt mixtæ. Propositionẽ ꝓbat secundũ fundamentũ, in quo memoravim⁹ actiones instrumentorũ naturaliũ, quæ utramq. naturã & organicã, & similarẽ redolent. Assumptio cõfirmatur ex tertio fundamento, ubi asseveranter affirmavimus per temperiem non agi proximè actiones animales principes.

Alt. ratio. Sub his militat etiã ratio, qua primã assertionẽ cõfirmavimus. Quoniã omnes actiones mistæ ex organica, & similari, voluntatis expertes sunt: sed actiones animales principes sunt arbitrariæ, igitur actiones animales principes non sunt actiones ex organica, & similari mistæ.

3. Assertio. Tertia, & ultima assertio est. Actiones animales principes à sola cerebri conformatione proximè pendent, atque organicæ actiones sunt.

1. Ratio. Nã actiones instrumẽtorũ animaliũ, quatenus proprié, vereq. animalia instrumẽta sunt, à sola cõformatione illorum proximè pendent, atq. actiones purè organicę sunt: sed actiones animales principes sunt actiones cerebri dumtaxat, quatenus ꝓprié, veréq. animale instrumentũ est, ergo actiones animales principes à sola cõformatione cerebri proximè pendent, simpliciterq. organicæ sunt. Vera est propositio. Assumptionẽ quis negabit? Quandoquidem imaginatio, ratiocinatio, & memoria ita procedunt ex cerebro, quatenus est instrumẽtum animale, ut nihil cum eo rationis habeant, quã naturale instrumentum est.

2. Ratio. Præterea actiones animales principes, nec à tẽperamento inchoãtur, nec ab eo absolvuntur, nec nisi à tota cerebri structura eduntur integræ ac perfectę, igitur à sola cerebri conformatione proximè pendent, atq. purè actiones organicæ sunt.

3. Ratio. Quod si ad statum præter naturã orationis cursum dirigamus, plures affectus inveniemus, qui officiunt actionib. animalib. principib. sine tẽperamenti interventu: nõnunquã enim observamus in vigore alicujus accessionis tertianæ intermittentis ob ascensũ vaporum, subitò cõtingere deliriũ, frictione tũ lævi, aut cucurbitulis affixis repentinò cessare, ubi suspicari non possumus in cerebro productam fuisse intemperiem, repenteq. vanuisse, quia durare deberet aliquandiu.

4. Ratio. 5. aphor. Rursus Cari, qui, ut G. habet, *propriè nominatur totius corporis insensibilitas, atq. immobilitas repentina*, sola causa est obstructio anteriorũ potissimũ ventriculorũ cerebri ex crassis pituitosisq. humorib. nõ aliqua intemperies. In quo affectu aboletur imaginatio, quæ in anteriori parte cerebri, quæ humidior est, potiùs perficitur. Quinimo tam necessaria est cerebri ventriculorum cavitas ad actiones animales principes celebrandas, *ut ij, quibus*

manus

De instrumēto odora tus cap. 6.

manu medici calvaria perforatur, sæpe in affectib quosdā caro similes incidūt, si contingat, ut, qui operanti medico ministrant, cerebri vētriculos immoderatē cōprimāt.

Tandē Epilepsia, sicut & Apoplexia, cū subitò fiat, & subitò solvatur, docente Galeno, solius obstructionis est soboles. Nā licet Epilepsia, & obstructione soluta, cum idiopatica est, remaneat in cerebro mala dispositio, atq. alter morb. nēpe intemperies frigida, & humida, quæ potest humorē crassū iterū coagmētare: tamē læsio facultatis animalis principis morbi solius in cavitate, vel meatu effectus est.

5. Ratio. 2. de caus. symp. c. vlt. & 3. de lo. pat. cap. 7.

Nūc satisfaciamus objectis, præoccupātes Hipp. & Gal. semper temperamentū magnifeciſſe, nec sanè sine causa, quoniā, quæ habemus, omnia illi accepta publicē retulerunt: nos verò à principio tēperamētū animæ instrumentum principale constituimus.

Solvitur 1. auctō.

Quāobrē Hipp. lib. de sacro morbo, ut primę opinioni respōsa dem', cor nihil sapere affirmavit, sed omnia vult esse in potestate cerebri, cujus tēperamento multū tribuit, merito igitur cerebro nos intelligere, delirare, & insanire dixit, quarū actionū tēperamentū causa est, sed remota, quoniā intēperies proximā causam mutat, cū cerebri, & spirituum, substantiā alterat, & sæpissimē privat qualitatib. organicis tenuitate, vel crassitie, moderata duritie, vel mollitie, splēdore, vel opacitate, quibus ad principes actiones edendas propriē naturæ ductu fruebatur. Sic intēperies carnis musculi formationē perdere ac destruere solet, à qua motus difficilis, ut intemperies humoris crystallini splendorem, unde visio perturbata.

Solvitur 2. auctō.

Primò autē libro de dieta naturalē mixtionē meminit, in qua elementa, cū uniuntur, alterantur, ac tandē fortasse corrūpūtur. Cū alterantur, ignis in aquā suas qualitates mittit, ut aqua in ignē, adeo ut frigescat, & humescat ignis: aqua verò calescat, & ficcescat, lōgiusq. procedit, cū illorū imminet corruptio. Contēplabatur Hipp. quod humidissimū est in igne, quodq. in aqua ficcissimū, quæ, cum æqualiter attēperantur, prudentissimū quid nascitur, quoniā caliditas præcipitationis est causa, frigiditas cunctationis: illarū verò æqualis attēperatio prudentiā parit, quæ ad rationē pertinet, ac inter hæc vitia media est. reliquarūq. virtutū moderatrix. Nā licet virtutes omnes in homine tēperato splendeāt, prudentia tamē in eo potissimū elusceſcit, quę optimā cerebri tēperiē indicat. Quę Hippocratis auctoritas nobis non adversatur, cū verba faciat de habitu prudentiæ, quæ originē ducit ab optima temperie: nos verò loquimur de actionib. quarum proximā causam inquirimus.

Solvitur 3. auctō.

Sexto Epid. melancholicorū deliria imputavit intemperiei cerebri. Nā, cū vergit humor ad cerebri substantiā similarē, quā incubat temperamentū, melancholiā fieri scribit, quoniā melancholicus humor intēperat substātiam cerebri, cujus etiā qualitates organicas mutat: ea verò animales spiritus sibi similes producit. Alterata igitur parte principe, cui primo debentur actiones, ac similiter parte, sine qua non fiunt, scilicet spiritib. necessarium est, ut idola spectraq. nequiter concipiantur. Quare necessariò consequitur principalem actionum causam esse tēperiē, formationem verò immediatā, & proximā, de qua litigamus. Hoc in omnib. instrumentis animalib. possumus cōfirmare, nam cum pars cui primò debetur auditus, ut hoc ponamus exēplum, intemperatur, vel aliqua usum necessariū præstans, auditio læditur, quod intemperie mutata sit tenuitas, vel crassities, densitas, vel connexio.

Solvitur 4. auctō.

Plato nostras fortasse partes sequitur, quoniam tacitus tempetamē tū prætērijt, & missum fecit: animam verò benē, vel malē se habere qualitatib. secundis, quæ sunt organicæ, planē dixit, quæ nostra est opinio. Nā, si cui ex intēperie densior fieret substantia cerebri, certē dēfitas ipsa morb. esset, quia per se læderet instrumentarias cerebri actiones: de aliis qualitatib. similiter dicendum.

Solvitur 5. auctō.

Aristoteles ingeniū transfert in tēperamētū cerebri, loquitur verò nō de his, qui à natura sunt melancholici, quòniā hi fiunt ingeniosi studio,

& laboris tolerantia, fortitudineq. imaginationis, qua maximè omniũ præditi sunt: sed verba facit de natura ingeniosis, qui studio literarũ facti sunt melãcholici, ustis scilicet in cerebro sanguine, & bile, prænimia, & lõga mentis intentione. Qui quidem cerebri & spirituum substantiã habent tenuem, perlucidam, & moderatè humidam, accommodatamq. imaginationi, rationi, atq. memoriæ passiuæ, quæ in facilitate, tũ recipiendi, tũ retinendi cõsistit. Quæ qui dẽ cerebri, & spirituũ substantia, licet illas qualitates organicas obtinere non possit sine temperamẽto: alterari tamen nequit à sensilibus specieb. nisi tenuis, pura, & perspicua, taliq. formatione sit prædita. Ecce temperamentum remota, formatio verò actionum animaliũ principium immediata causa est.

Octavo de usup. conquerebatur Gal. quod Erasistratus mentem, & rationẽ addixerit soli conformationi, subjungitq. meliùs fuisse cõstituere, quod intellectæ sequatur temperiẽ, cum ejus perfectio non sit attribuẽda potiùs multitudini spirituũ animalium, quam qualitati. Quæ verbà Galenicam, & nostrã explanant opinionẽ, scilicet quod tẽperamento, & conformationi actiones animales principes acceptas referamus, sed temperamento potiùs.

Solvitur 6. auctо.

Ex quib. & his, quæ ad auctoritatem Platonis respõdimus nemo nõ intelligit Galeni verba in arte parva exarata significare duplicem cerebri actionũ animalium principum causam, primã scilicet, & præcipuã effectricem alterius, quæ actionum proxima causa est, atq. cerebrum ad hujusmodi actiones, non tantum amare temperamentum, sed etiam conformationem, idq. per se.

Solvitur 7. auctо.

Animam verò in tẽperamento cerebri Galenũ collocasse, nõ solũ ex tertio de lo. pat. & ex lib. quod animi mores &c. verum etiã ex multis aliis locis colligere possumus, sed nos temperamentũ animæ instrumẽtũ cõstituimus juxta doctrinã Arist.

Solvitur 8. auctо.

Vnde, cum vehementer refrigerato cerebro, aut calefacto, migrat è corpore anima, ideo est, quoniã instrumentũ, ut primum fuerit intemperatum, quam ocyssimè ab artifice deseritur.

Solvitur 9. auctо.

Ratio, quam Achilleam reputarũt auctores illius veram defert propositionem, quoniam cerebrum exiguas, & parvas intemperies patitur, quinimo & solutiones cõtinui, quarum occasione desecatur non rarò aliqua cerebri portio absq. læsione manifesta cõformationis. Verum assumptio falsissima est, nequit enim lędi facultas animalis princeps, quin offẽdatur peræqua proportione cõformatio. Nã exiguæ intẽperies naturales actiones lædunt, quo tempore patitur cerebrũ quatenus instrumentũ naturale, & pars similaris est: atverò magna intẽperies, sive nuda, sive cũ humoris affluxu, insuper vitiat cõformationẽ, quia cerebri substantia continuò alteratur, & mutatur, ac præcipuè substantia spirituũ, qui in cerebri sinib. producti, quatenus actionib. principib. ministrant, sunt tenues, lucidi, subtiles, puri, mobiles, intemperie autẽ variè trãsmutantur, & quasi trãsformãtur, ex quo spectra, & species substantiæ cerebri affixæ ac spiritib. in vẽtriculis involutæ vitiosè percipiuntur, magis tamẽ si humorũ fluxione intemperies fuerit comitata, sed multò magis, cũ aderit inflãmatio, ex qua calidi vapores intra cerebri ventriculos perpetuòse cõjiciunt, & spiritus volutant, evolvunt, & conturbant, cavitatesq. spirituũ, & specierũ plenas confundunt, hinc delirium, tũ in phrenitide, tum in melancholia, quod perpetuò pẽdet à vitiata conformatione.

Solvitur ratio.

Hoc clariùs apparet, cum tantum per cõsensum patitur cerebrũ, ac delirij causa est solius vaporis ex toto corpore ascensus vẽtriculos cerebri refercientis, sicut cõtingit in paraphrenitide, quę in vigore potissimũ febriũ accidere solet. Nã quemadmodũ in aqua quiescẽte, res nativo suo colore, propriaq. formã, & figura resplẽdent: permota verò apparent effigies variæ flexuosæ, ac tortuosę, ita in febricitantib. dũ vapores ad cerebrũ errabunda motione concẽdunt, turbulenta quædã, & molesta, atque prodigiosa visa exhibent similia quidẽ nubib. in aere pendẽtib. quæ nũc in hanc, nunc in illam figurã trãseũt.

Hæc

Hæc igitur causa est, cur nihil tã præposteré, tã incondité, tã monstruosé cogitari queat, quod cerebrũ sit affectum, fingere non possit, & si nullæ imagines interno sensui de novo accedant.

Quamobrem primæ rationi tertiæ opinionis patet solutio, quia licet melancholia, & phrenitis sint morbi similares, atque intemperies, tamen non possunt lædere actiones animales principes sine detrimento conformationis, ut intemperies humoris crystallini visionem, sine damno conformationis, magnitudinis, positus, cõnexionis, vel luciditatis. Altera ratio nobis auxilium fert. Tamen ultima hoc peccat, quod actionum animalium principum duas causas constituat, æquales interse, & pares, ambasq. proximas, cum tamé admodum inæquales sint, & ordine, & dignitate. Nam temperamentum principalis causa est, tamen remota: conformatio verò ministra, sed proxima, ut quodlibet instrumentum.

1. *Solutio.*

2. *Solutio.*

3. *Solutio.*

VTRVM DIVISIO actionis læsæ in abolitam, diminutam & depravatã sufficienter distributa sit.

QVÆSTIO. XXII.

OMnium actionum læsarum differẽtias traditurus Gal. orditur à duab. communiorib. nimirum privatione & difficultate, per difficultatem autem omnem à naturali recedentem actionem intelligit, imbecillam scilicet ac depravatam, ut inde partib. nostri corporis contingant tres actionis læsæ differentiæ: actio enim læditur, cum vel non fit, vel cũ malè fit: malé autem dupliciter, vel cum diminutè, vel cũ depravatè fit. Est igitur actio læsa triplex apud Galenũ abolita, diminuta, & dpravata.

Observatio Observandum est tamen nullam esse actionem in nostro corpore, quæ verè dicatur ablata, quæq. nullo modo exerceatur, quia contradictionem includit, actionem esse, & eandem ablatam esse. Nã si aliqua actio est ablata, ea sanè non est, & per consequens non est actio. Omnes ergo huiusmodi propositiones propter breviloquẽtiam à Galeno dictæ, simpliciter falsæ sunt, nimirum, triplex est actio læsa, abolita, diminuta, depravata: vel tripliciter læditur actiõ ablatè, diminutè, depravatè, quia constat actionem ablatam nullam dari: conceduntur tamen istæ propositiones ad hunc sensum: quælibet nostri corporis pars in sua actione læditur tripliciter vel ablatè, vel diminutè, vel depravatè: ablatè, quia illius actio nullo modo fit: diminutè, quia imbecillius: depravatè, quia cũ aliquo vitio. Iuxta quam intelligentiã admittuntur illæ propositiones, nempe triplex est actio læsa, aliqua actio est ablata.

Quo iacto fundamento, has tres actiones definiamus. Actio ablata dicitur, quæ vel nullo modo fit, aut fieri potest, ut post coecitatem visio, vel certé quãtum sensus iudicare potest, perijt, ut sensus & motus in utéri suffocatione. Imminuta verò est actio debilis, quæ nũquam perfectionem suam assequitur, aut longiore indiget tempore, quo perficiatur, ut patet incruditate ventriculi. Sub actione diminuta cõprehenditur actio confusa, quã scilicet videmus, vel audimus permistè ac turbulenter: tum etiam actio toties repetita, & quæ plurib. vicib. perficitur. Depravatæ autem actionis nomen plura significare videtur apud Galenum, quoniã autem investigare rationem substantiæ secundum eius nomen plurimum habet difficultatis; propterea rem hanc insubsequentem quæstionem reijcere constituimus: nunc verò actionis læsæ diuisionem exagitemus. Quam homo hebes ac rudis oppugnat, nonnullisque levib. ratiunculis, quas à Iacobo Forliviẽsi furatus est, omnes conatus in eam infundit, ut inde plures differentias actionis læsæ posit statuere.

Quid sit actio ablatã.

Prima ratio probat, vel probare conatur non sufficere tres differentias actionem abolitam, diminutam, & depravatam adimplendam totam actionis præter naturam latitudinẽ, quoniam actio aucta, ut appetentia immodicã

1. Obiectio.

immodica dicta canina actio præter naturã est, quia excedit moderationẽ, quam postulat natura rei: verũtamen nullo in huius divisionis membro comprehendi potest: nam actio abolita non est, cum hæc non fiat: illa verò maximé, non diminuta, quod hæc defectum: illa uero excessum includat, neq. tandem est depravata, quandoquidem in ea non est error, cum non feratur in res alienas, sed solum augmentum adsit. Quod si hoc non obstante, aliquis depravatã esse mordicùs tenuerit, profectò concedere debet diminutam actionem etiã sub depravata contineri: opposita enim, cuiusmodi sunt actio aucta & diminuta sub eodem genere subijciuntur.

Similiter procedit secunda ratio. 2. Obiectio Nam sopor & pervigilium symptomata sunt actionis læsæ, sub nulla tamen ex trib. differentijs continẽtur. Probatur assumptio, quia hæc solùm differunt à naturali b. temporis longitudine: sopor enim tantum differt à naturali somno, & vigilia præter naturam à naturali vigilia, quod plus durent, quam oporteat.

Tertia ratione delirus & mente 3 Objectio captus homo in magnum se immisit pelagus, &, qui aliàs subere supposito in litore nare vix audebat, nunc sine cortice natare nõ timuit in gurgite vasto: tandem admisit dolorem esse actionem læsam, quod antea negaverat (eius tricas prætereo) mox verò probat non esse actionem ablatam, quia dolor in cognitione consistit: intenditur autem illa cognitio & sensio, adeo ut nequeat esse diminuta. Præterea sic demonstrare conatur non esse actionem depravatam. Actio depravata fit aliter, quam pro naturæ modo, aut patiens pars labitur per magnum errorem: sed dolor semper fit iuxta naturæ ordinem, sci licet parte rectè cognoscente, atque sentiente objectum quale est, nam si non ita sentiret, revera esset error in cognoscente, quare dolor non est actio depravata. Propositio constabit, si omnes investigaverimus actiones depravatas. Nam depravata est actio, quæ fertur in res alienas, ut appetẽtia carbonis, gypsi, & similium. Depravatus est etiã immodicus omnis facultatis motus, ut retentio, vel expulsio nimia. Assũptio probatur, quia sive pars afficiatur à calore, sive à frigore, sive à duritie, vel asperitate, semper eadem pars idem subiectum attendit, nunquam res alias agit. Quamobrem statuit ipse octo differentias actionis p. n. actionem ablatam, diminutam, auctam, depravatam, tristem, voluptuosam, præterea somnum & vigiliam, quę ipsi nõ videntur contineri posse sub Galeni diuisione, sed esse symptomata in tempore, quia plus temporis, quã pro naturæ modo vigilant, aut dormiunt ægrotantes.

Quarta & ultima ratione Galeno 4. Objecti. vitio vertit, quod nullibi explicaverit in communi quid esset actio depravata, nam quid sit ablata vel abolita & diminuta liquido cõstat, quid verò sit actio depravata, nun quam docuit. Lib. tertio de caus. symptodefinit concoctionem depravatam esse alterationem in alteram qualitatem, quam sit ea, quæ secundum naturam est. Quæ definitio non convenit omni depravatæ actioni, quoniam in actionib animalib. etiam reperitur depravatio: nulla tamen illarum est alteratio in contrariam qualitatem. Ergo vel definitio communis tradenda erat, vel docere qualis esset uniuscuiusq. actionis depravatæ natura. Cap. 3.

His rationib. audaciss imus homo evertere conatus est singularem Galeni doctrinam: sed ad illarum solutiones accedamus nullis integumentis involutas, sed sole ipso clariores. Vt primam dissolvamus statim tollenda est homonymia, qua levis autor distinetur. Actio aucta duplex est, una secundum naturam, quæ propria facultatis vi naturaliq. potentia multum firmamenti & roboris habet, cui opponitur actio diminuta. Altera actio aucta præter naturã est, quæ licet nullo ducatur errore, ut appetentia immodica: sola tamen extensione, ac duratione moderationem naturalem excedit propter obiectum, quod vehementer excitat facultatem. Ergo respondemus actionem præter naturam auctam cuiusmodi est appetentia canina, actionem depravatã esse, quoniam 1. Solutio

auctæ

auctæ cum depravata ratio quædam conjuncta est, & communis, cuius causa sub unico membro comprehẽduntur, quemadmodum nos quæstione subsequenti explicabimus. Si verò replicaverit dicẽdo eadem ratione diminutam sub depravata comprehendendam, atq. sic duo tantum fore actionis vitia, nempe abolitionem & depravationem, negamus consequentiam. Primum quia immi nuta non est contraria functioni prę ter naturam auctæ, sed auctæ secundum naturam. Si quidem actio immi nuta peculiariter fit à debili seu imbecilla facultate: actio verò aucta secũdum naturam à valida & robusta, unde oritur contrarietas: sed actio aucta præter naturam fit à facultate excitata, sive debili, sive robusta. Præterea, quoniam imminutæ actioni cum depravata nulla est ratio communis, qualem auctam præter naturam & depravatam unà participare *Observatio* diximus. Collige hinc nullam esse solutionem Segarræ, cum respondet appetẽtiam auctam, quam vocamus caninam, actionem depravatam esse ratione temporis, quia facultas appetendi non excitatur tempore debito, sed citiùs, quam oporteret. Nam si ita seres haberet, actio diminuta esset depravata, cum facultas tardiùs agit, atq. in hoc errore convenirent actio aucta & diminuta. Verum appetentia aucta ob adiunctum aliquod agendi principio depravata est, quo non est implicata diminuta, ut dicemus protinùs.

2. Solutio. Rursus ex his, quæ docuimus commentario decimo tertio, quilibet colligere poterit secundæ obiectionis solutionem: observavimus enim vigiliam præter naturam actionem cerebri esse depravatam, quia cerebrum quo tempore quiescere debuisset, nimis agit, spiritumq. animalem ad partes inferiores per nervos transmittit: somnus autem actio non est, sed potiùs illius actionis privatio & à vigilia cessatio. Vnde, cum præter naturam contingit, ad actionem depravatam reducitur.

3. Solutiõ. Obiectio tertia postulat transactionem & decisionem de proximo genere doloris, quæ pendet ex alia, in qua de tota doloris essentia decer A nitur, sed cum hoc multum ponderis ac momenti habeat, atq. in eo cardo rei vertatur, universam hanc disputationem in posterum differre constituimus, advertentes, quod tradere actionem lędi, quia depravatur, augetur, contristatur corporis pars, vel voluptate fruitur, ut in pruritu, excremẽtorum deiectione, ubi adest ulcus, nihil aliud esse, quam depravationis modos minutiùs proponere. *Quæst. 24. & 26.*

Ad ultimam ut respõdeamus, pro Galeno dicimus eundem duabus de causis reticuisse generalem & propriam actionis depravatę definitionem. Primùm quia tam disjunctæ B sunt, ac diversæ facultas naturalis, vitalis & animalis, atq. illarum actiones, ut non videatur una ratio communis ad omnes actiones depravatas convenire, propterea generatim, atq. universẽ locutus fuit, solumque actionem depravatam appellavit actionem vitiosam. Prętereà, quoniam ad rei cognitionem parum conducebat, ideo depravatam actionem definire despexit. Verum ego statui actionis depravatæ naturam breviter illustrare, omniumq. differentiarum illius, ut officio satisfaciam, & bellẽ curiosis valeam oblectare. *3. Solutio.*

C

QVID SIT ACTIO depravata.

QVÆSTIO. XXIII.

TEmpus in gerendis reb. quasi ducem sequi prudentia est, quoniã alia dies alios mores postulat. De quęstionib. logicis omnib. curis laxatus noster Gal. tempori cedens in sola morborum curatione adhibenda omne suum studium collocavit, contempta inter alia in hoc libro definitione actionis depravatæ, quæ profectò ad curationem nullo usui est. Sed ecce contemptus & abiectus homo, cuius eò prorupit audacia, ut adversus magistrum & summum doctorem, quod definitionem actionis depravatæ prætermerit, aciem struere ausus sit, cum tamen eam, quam, ut gloriam,

gloriam, sitiebat definitionem, vel leviter attingere nesciverit nescius. Ne igitur ita nobis contingat, ut de plebeia fece haustus quispiam negligentiâ hos nostros commentarios arguat, ideo ad temporis rationem cõsilia nostra moderemur, ac dicamus quid sit actio depravata, omnesque differentias illius persequamur.

Nomen. Depravatę autem actionis nomen apud Galenum plura videtur significare. Aliquando pro corrupta sumitur, quæ scilicet in alienam qualitatem propositum sibi obiectum trãsmutat, ut quando ventriculus convertit alimenta in nidorosos succos, aut bilem porraceam. Aliquando depravatam actionem esse vult, quæ non percipit obiectum tale, quale est, ut in mania, melancholia, & alijs delirij specieb. Aliquando etiam depravata illi dicitur, quæ errore quodam agit, ut in rigore, palpitatione, horrore, singultu, & similib. in quib. videntur perperam agitari partes, aut certè quod violenter excitentur ab obiecto præter naturam, ut indysenteria, vomitu, sternutatione. Ex quib. facilè est colligere Galeno actionem depravatam esse omnem læsam actionem præter abolitam, & imminutam. Quando quidem depravatio apud Galenum non tantum dicitur ratione facultatis, sed etiam constitutionis partium, vel objecti irritãtis, sub quib. dicta symptomata continentur. Sed hæc definitio, si forté quis hanc voluerit introducere, apertiùs declarat quid non sit actio depravata, quam quid sit, quod nos hoc loco investigamus diligentiùs.

Definitio aliquorum *Reijcitur.*

Porrò tametsi homo improbus adversus Galenum audacter dixerit: in sua tamen confosa, & permixta disputatione multos inopinatè docuit quandam actionis depravatę definitionem. Siquidem confundendo & permiscendo varias cogitationes, ut ex illis definitionem aucuparetur, non consultò, sed casu in hæc verba insidit. Damnamus siquidem omnem actionem, quæ aliud opus facit, quã oporteat: veluti si ventriculus pro nutrimẽto venenosam aliquam substantiam gignat. Hæc ille. Quæ profectò ventriculi actio depravata est.

Alia definitio.

Quidã Santorellus unus ex his, quos ille nihil sapere docuit, cum toto animo de huius actionis definitione cogitasset, eandem peroptatò illi datã vehemẽter amplexus est, ilaritatisq. simulatione rapinam texit, & auctori culpam adscripsit, quod difficultatem definiendi subterfugisset, cumq. fures earum rerum, quas ceperunt signa commutent, proinde actionem depravatam definiri scribit, quæ aliter fit, ac fieri deberet, prosalute animalis. Quod fiat, differt ab actione abolita, quæ aut nullo modo fit, aut non fit sensus iuditio: sed quatenus fit aliter, ac fieri deberet, differt ab ea, quæ secundum naturã est, ut apertè constat: ac præterea ab imminuta, quæ nunquam fit aliter ac fieri deberet. Quod autẽ diminuta non fiat aliter, probat duab. rationib.

Santorelli definitio.

Prima est, actio, quæ non est contra vota naturæ, licet non sit pro voto illius, non fit aliter, ac fieri deberet: sed actio præter naturam diminuta non est contra vota naturę, quãtumvis non sit pro voto illius, ergo actio diminuta non fit aliter, ac fieri deberet. Assumptionem monstravit exemplo. Votum est naturę, ut ventriculus fruatur septem caloris gradib. quos quidem valdé exoptat, sed ad eos, ut perveniat, quatuor etiam desiderat, quod desiderium naturam contravenire dicendum non est, ergo actio præter naturam diminuta non est contra vota naturæ.

1. Ratio. Santorelli.

Altera ratio, quam ad aliud institutum adduxerat superiùs, nunc ad hoc desumatur. Actio, quæ tantum ob defectionem virium nequit pervenire ad illum terminum, ad quem progrediebatur secundum naturam se habens, aliter non fit, ac fieri deberet, quoniam actio secundum naturam pariter suum cũsum aggreditur, & progreditur: sed actio imminuta solum ob virium defectum desinit eò pervenire, quo progrediebatur in naturali statu, igitur, licet aliquid defecti ferat, usq eò tamen non perducitur, ut aliter fiat, ac fieri deberet. Propositionem probat exemplo visionis imminutæ, qua, licet penitùs non videamus omnia, quæ in objecto insunt, tamen non videmus illud aliter, ac est: atverò ubi eadem est

Altèrario.

est depravata, obiectum videtur aliter, ac existit.

Corrigitur definitio Sanctorelli. Verum hæc depravatæ actionis prava definitio non est admittenda, sed gravius refutanda & reijcienda, cum propter eius auctorem & impulsorem, tum propter nonnullos, horum hominum sequaces, qui & docere nesciunt, & à doctis doceri recusant, cum tamen non tam præclarum sit optimè scire, quam turpe nescire.

1. Ratio. Primò falsum est ex eo differre actionem depravatã à diminuta, quod depravata aliter fiat, ac saluti animalis expediat: diminuta verò aliter nõ fiat. Nam adverbium aliter, græcè ἄλλως, interpretatur alio modo, alio pacto, alia ratione, secùs, non eodem modo, non perinde: sed actio diminuta secùs fit, non eodem modo, immò alia ratione, quam saluti animalis conveniat, ergo actio diminuta etiam aliter fit, ac opus est. Verissima est assumptio, nam actio, per quã importatur animali detrimentum, secus, atq. alia ratione fit, quam illius saluti conveniat: sed actio diminuta, & debilitata saluti animalis magnum adfert incommodum, & detrimentum, secus igitur fit, ac fieri deberet.

2. Ratio. Præterea, quæ actio malè ac vitiosè fit, sanè fit aliter, quam constare deberet: sed actio diminuta malè ac vitiosè fit, ergo actio diminuta aliter fit, ac constare conveniebat. Assumptionem hæc verba Galeni probant. *Malè autem bifariam dicitur, vel idem, quod debiliter, vel idem quod depravatè.* ut convertunt Copus, & Germanus interpres: sed ut noster Linacrus. *Tex. 13.* *Eritq. illud cum vitio duplex, alterũ diminutè, alterum depravatè.*

Evasio. Sed dicet aliquis, verum esse diminutam actionem aliter fieri, quam decet: attamen in definitione actionis depravatę adverbium *aliter*, non tantùm modum quomodocunq. altum, vel rationem utcunq. aliam significare, quemadmodum in diminuta actione, sed longè aliud dissimile designare. Nam actio diminuta in suo exortu naturæ votum, & optatum exequitur: statim verò tarda & languida sistit ob defectionem facultatis, qui quidem præter naturam status tantum per defectum est: atvero actio depravata in origine sua manifestum concipit vitium, in quo perseverat, atque nonnunquam ingenti excessu, vel pernicioso errore terminatur, quæ actio aliter tota facta est, atq. à natura admodum diversa. Ergo, *aliter*, in hac definitione sumitur, non longè, latèq. patenti significatione, ut quamlibet actionem læsam cõplectatur, sed compressiùs, & strictim de prompta, qua tantũ vitium, excessum, vel maximum errorem includit.

Refutatur. Veruntamen hæc huius vocis duplex significatio absq. alicuius auctoris assensu, & approbatione nimis licencioſa est: admissa verò ea particula, quæ, ut maximè propria differentia in definitione simpliciter est necessaria, & ex qua dependet tota depravatæ actionis cognitio, profectò ambigua differentia est, quod indefiniendo est valdè vitiosum, aut erat necessarium aliam differẽtiam particularem & propriam subiunxisse, quæ patentiorem coarctaret, illiusq. multiplicem potestatem constringeret. Nam communis differentia nequit æquare se naturæ actionis depravatæ, adeo ut mentione facta huius definitionis, continuò cuiuslibet se mentẽ offert actio diminuta, quæ fit etiam aliter, quam expediat. Hinc Petrus Garcia quærens ad quod genus actionis læsæ referatur Midriasis, qua percipitur obiectum minoris extensionis, quam revera sit, respondet esse actionem diminutam, non depravatam, quoniam illa conditio, aliter fieri, quam pro naturæ modo, non est tantùm actionis depravatæ, quandoquidem etiam convenit diminutæ. Vnde constat Doctores Complutenses adverbium, *aliter*, simpliciter prolatum, quid proprie significet intellexisse, nec aliam significationem prælicenter finxisse.

3. Ratio. Itaq. nos arbitramur actionem diminutam aliter fieri, ac deberet, ita verò, ut nunquam obtineat aliquid, quod secundum naturam sit, neq. dicatur inchoari, & aliquantulum progredi iuxta vota naturæ, quamvis ferè semper minus damnum inferat, quam depravata Nam actionum, & motuum omnium distinctio & perfectio

fectio formaliter desumitur à termino, ad quem tendunt, non autem à termino, à quo proficiscuntur. Quæ propositio non solùm est Aristotelis quinto libro phys. sed ut commune axioma in Philosophorum scholis celebratur. Terminus autem, ad quem duplex est, alter omninò postremus, ad quē actiones diriguntur, tandemque tendunt (ultimatum vocant) alter dicitur immediatus, in quo nonnunquam subsistit actio, & à quo absolvitur, & perficitur. Pro exemplo sit calefactio ut quatuor, quæ non sumit speciem, & perfectionem à calore ut septem, ad quem ad extremum nitebatur pervenire, sed à calore ut quatuor, cum ad illum tantum terminum devenerit calefactio. Itidem ventriculi concoctio hujus conditionis actio est, quæ dirigitur ad perfectam ciborum elaborationem, quos si semicoctos desererit, diminuta coctio, & cruditas est, specificata (ut ita dicam) à termino immediato, qui finis illius actionis est. Ergo actio diminuta nullo modo respicit naturæ votum, & optatum, ut inde non aliter, quam decet, fieri dicatur, sed omni ex parte præter naturam est, cum tota describatur, designetur, & definiatur ab illo termino & effectu insueto, & extraneo, qui ab ea naturæ omne præsumptum optatum extrudit. His assentitur noster Antonius Sala in suis doctissimis in Aristotelis Physicam commentarijs, qui tametsi arbitretur actiones sumere specificationem ab agente radicaliter & inchoativè, quatenus virtute continet effectum: tamen concludit easdem ultimatè completè & formaliter unitatem & distinctionem specificam sumere ab effectib. ad quos tendunt. Sanè tædet has margaritas disperdere: sed mihi satis, ꝙ ex his degustent aliqua docti.

Cap. 4.

4. Ratio.

Demum terminemus castigationē hāc ratione quodam exemplo munita, quod elinguem, & mutum reddet adversarium. Adeamus Galenum, qui libro primo huius operis docet morborum in magnitudine duplicem esse differentiam: vel enim est morbus in aucta magnitudine, vel in magnitudine imminuta. Vitium erit in aucta magnitudine, si cui lingua tam magna facta sit, ut propter immoderatam magnitudinem lædatur propria linguæ actio, nempe orationis prolatio. Vitium similiter erit in magnitudine imminuta, si tam parva in aliquo homine lingua fuerit, ut eius rei occasione prolatio sermonis impediatur, quippe parva lingua omnes oris particulas pertingere non potest, unde necessarium est sermonem lædi. Iam nobis licitum est utramq. linguam æqualiter culpare, quod aliter, quam expediat, orationem proferant: verum, si quis audacter, & liberè voluerit linguam imminutam excusare, quod egredi coeperit juxta vota naturę, licet rem ad exitum non produxerit, atq. ideo dicendum non esse, quod aliter suum officium exequatur, ac præstare debebat, profectò is ab omnib. irridebitur, & contemnetur.

Li. de diff. morb. c. 9.

1. Solutio

Nunc rationib. adversarij satisfaciamus. Primæ rationis propositio commentitia est, quoniam actio, quę non fit pro voto naturæ, vel etiam, quæ exorditur juxta vota illius, attamen tardiùs, & imperfectè, licet non sit naturæ omninò contraria, sine dubio præter naturam est, atque aliter fit, ac fieri deberet, quia non attingit ultimum ac debitum terminum sibi à natura prefinitum. Assumptio similiter & eius probatio inanis. Nā qui septem gradus qualitatis exoptat, etiam quatuor desiderat, sed non tantum quatuor: hoc enim est prętер votum & optatum naturę. Cedo quę so, quis est, qui nō unicè diligat quatuor digitos? Profectò nullus. Sed quis tantùm quatuor? Certè nemo. Si ab eo, qui duorum oculorum munere quambellissimè oblectatur, efflagitaverimus, an desideret alterius conservationem, deridebit nos, quia non solùm alterius, sed amborum custodiam ardenter appetit.

Alt. solut.

Altera ratio altero claudicat crure. Propositio & eius confirmatio mendax est. Si visione diminuta videmus obiectum attenuatum, atque imminutum, profectò illud videmus aliter, atq. est, nullum hac de re dubium.

Investigatur veritas.

Mittamus hæc, & quæ in posterum tenenda fuerint, seriò decernamus. Postulat autem methodus similium *similio.* & dis-

& dissimilium, ut ea primùm, quæ communia sunt, doceamus, quò postea intelligatur faciliùs, quid cuiq. proprium & peculiare sit. Conveniunt actio diminuta & depravata, quod utraq. malè fiat, & aliter, quã in pristino statu se habuerit: discrimen est, quod actio diminuta oriatur ex defectu & remissione: depravata verò, ex errore, vel excessu, & intensione, non facultatis, sed intensione extensionis & durationis, quoniam actio diminuta semper fit à debili facultate: at verò aucta præter naturam non ab eadem robusta, sed ab objecto irritante facultatem, sive debilem, sive robustam. Ex quo duplex nascitur actio depravata, erronea, vel aucta. Erronea versatur circa objectum, aliud, ac revera sit, aucta verò, cum naturali contigerit aliquid de novo, unde mutetur, crescat, & ingravescat. Quæ vero sit harum actionum differentia investigari, & perscrutari expedit, ad quã nos quasi manu ducet, eadem actio diminuta, quam, licet depravatæ non esse contrariam retrò dixerimus, eandem tamen aliqua oppositione à depravata differre constabit, quæ hic nobis ex usu erit. Nam actio diminuta, ut ex sola nascitur defectione, ita expedita, & soluta, nullaque re implicata conspicitur, ut aspectus hebetudo, in qua nullus in humore crystallino affectus inest, nullaque adest impeditio, sed solus per nervos opticos quam minimus facultatis descensus. Veruntamen ad depravatæ actionis principium aliquid perpetuò adhæresceit, quod illi moram, & impedimentum infert, processusque illius intervertit, & vehementer commutat. Quare

Quid sit actio depravata.

actio depravata est actio læsa propter aliquod additamentum inhærens principio agendi, quod immutat ejus actionis terminum, vel modum agendi.

Quam definitionem insinuatione quadam notavit Lud. Mercatus, & mihi magnopere commendavit Petrus Garcia, quando cum eo Madriti familiariter agerem. Mutatur autem in depravatis actionibus naturalibus terminus, ad quem tempus & ordo referuntur: in vitalibus verò, & animalibus agendi modus. Nam sensio præter naturam, quæ dolorifica dicitur in actionibus depravatis comprehenditur, obest verò illi quippiam additum principio sentiendi modum agendi mutans. Præterea quando divulsa, nec sibi conjuncta corpora crassa in humore tenui fluitant, ijs, qui sic habent, perinde ac si culices, & muscæ circumferantur, & extrinsecus obvolitent, imaginationem præbent, quæ visio depravata est, propter opacum vaporem interpositum chrystalloidi & corneæ. Quam obrem quod tremoris, palpitationis, horroris, convulsionis, & singultus, harum, in quam, actionum principio aliquid adjunctum sit, quod effectum & agendi modum immutet, nemo est, qui dubitet. His addamus symptomata interiorum facultatum sentiendi, quæ similiter contingunt, ut melancholia, hydrophobia. Vitalis etiã actionis depravationẽ in cacosphyxia, hoc est, vitiosa pulsatione observare licet, cum in corde, vel arterijs adhæret aliquid, quod pulsationis modum permutat. Postremò naturales actiones itidẽ suas patiuntur noxas: depravatur attractio in bulimo: retentio, quando vẽtriculus alimentũ cõprehendit non sine palpitatione, singultu & tremore: cõcoctio dyspepsiã quando alimẽta corrumpuntur, & naturam alienam assumunt: expulsio, cum non rejiciuntur debito tempore, vel naturali ordine, quæ dejicienda sunt, quemadmodum in dysenteria, vomitu & aliis apparet. Quare quælibet actio depravata id ex se habet, ut ad principiũ & instrumentum ejus perpetuò adsit aliquid adjunctũ, à quo ipsa immutetur, sive substantia corporea sit, ut convulsio ex replotione, sive solùm accidens, ut ea, cujus inanitio causa est.

Obiectio.

Verum dicet aliquis, in stupore adhæret nervis aliqua substantia, quæ illius symptomatis est causa, & tñ stupor non est actio depravata, sed diminuta, ergo hæc actionis depravatæ definitio plura comprehendit, quam definitum, contemnenda igitur, non minus, quam retro repudiata.

Solutio.

Respondeo in stupore additum, qui-

quidem esse quippiam agendi principio: illud tamen licet in statum præter naturam mutaverit actionem, tamen non mutavit actionis modum: etenim brachium stupidum eodem movetur modo, quò secundum naturam movebatur, verum remissè ac languidè. Idem de aspectus hebetudine dicendum: sunt enim actiones animales diminutæ, quæ licet in agendi organo, vel parte aliqua usum præstante, adhærēs habeant aliquod impedimentū, cum tamen nō immutetur ab eo agendi modus, actiones depravatæ non sunt. Similiter arbitror de ventriculi concoctione, quæ si propter aliquem humorem à capite, vel é jecore defluxum fiat imbecillius, non mutato termino, infirma & diminuta censetur, nunquam depravata, donec in eo concocta fuerint alienata. Sed quæ hîc summatim, in libris de causis particulatim narrabimus, ubi de termino, & modo permutatis copiosè, & abundanter loquemur.

E

F

DE PROXIMO GENERE doloris.

QVÆSTIO. XXIV.

MVLTA retrò notavimus, & designavimus de dolore, quæ in hac, & aliis, quæ sequuntur, quæstionibus decernenda sunt. Primùm se offert doloris remotum genus, quo tādem ad proximū deveniamus. Statim autem dubitandum est, an dolor sit symptoma. Nam passiones, quas M. Tullius vocat perturbationes, turbidosq. animi motus, cujusmodi est dolor, ad res non naturales referuntur, ergo dolor præter naturam non est. Dicendum verò dolorem, quantùm ad immutationem objecti naturam corrumpentis, præter naturam esse: tamen permutatio, quam patitur corpus cōjuncta cum passione & spirituum retractione, aliquando nō naturalis est, sicut mœstitia, quæ licet præter naturam sit, tamē ob mutationem corporis, quā adjunctam habet, res non naturalis constituitur, ita ut liceat medico ad salutem conservandam magna lætitiā & præter modum exultantes, tristitiā & mœrore afficere: ita cum aliquis nimiam voluptatem capit, non est præter rationem ea consulere, quæ ad permutationem corporis commoveant aliquem dolorem, qui non naturalis erit. Sed cum natura alteratur & corrumpitur dolor fit, qui præter naturam & symptoma est.

G

An dolor sit symptoma.

H

4. Tusc.

Solutio.

An dolor sit corporis affectus.

Tamen plurimùm illud habet difficultatis, ad quod genus symptomatum dolor referatur. Dixerunt aliqui reduci ad corporis affectum simplicem scilicet qualitatem mutatam. Quoniam Aristoteles decimo ethicorum scribit voluptatem non in motu, sed inquiete consistere. Hinc Donatus septimo ejus dē operis voluptatem describit qualitatem quandam annexam actioni prodeunti ab habitu, qui est secundum naturā sine impedimento. Quare dolor voluptati contrarium simi liter qualitas erit non actio, quæ motum inducit. Attamen, ut capite quinto constabit, corporis affectus ad quatuor sensus externos spectare Galeni doctrina est: siquis enim diligentissimè perpenderit horum sensuum objecta, dolorem ad nullū pertinere constituet, nam, quòd à tactu nō sentiatur, patebit inferius. Aristoteles autem in catego. cap. de actione & passione, ut probet actionem susc ipere contrarium, & magis & minus, ponit pro exemplo dolorem, actio igitur est. Vnde, cum dixit voluptatem cōsistere in quiete, præ meditabatur objecti consecutionē, quæ versatur circa illud jam consecutum, quo tempore conquiescit agēs. Quod etiam respexit Donatus, qualitatem scilicet ab actione obtentam & consecutam.

cap. 4.

Cap. 12.

An dolor sit actio, vel passio.

Lib. 6. top. cap. 3.

Sed insurget nobis aliquis dicens voluptatē & dolorē potiùs dici passiones ab Aristotele. Respondemus actiones esse procedentes ab appetitu tāquā à causa efficiēte: rectè verò dici ab Aristotele passiones, cū habeant cōjunctā transmutationē corporalem, quoniam appetitus, cum agit,

agit, trahitur ad naturam objecti, quod quidem quodammodo pati est, qua de causa passiones appetitus etiam dici possunt, tametsi revera sint actiones.

Objectio. Veruntamen non desunt, qui hac de re incertum Galenum fuisse putant, quoniam hoc capite postquam numeraverit læsiones, quæ sensibus omnibus contingunt, scilicet actionem ablatam, diminutam, & depravatam, ut jam aliam disputationem prætergressurum esse videatur, seorsum doloris meminit, actionis læsæ sensus tactus, quod quidem non casu, & fortuitò, sed data opera fecit. *Cap. 75.* Nam in libro artis medicæ divisit ac separavit dolorem ab actione læsa, quod non præstitisset, si dolor esset actio læsa. Idem potest colligi ex *Cap. 11.* lib. de pul. ad tyrones. His subjungunt rationem, quia nulla actio videtur læsa ubi sensus deprehendit *Ratio.* proprium objectum tale quale est: at qui, cum pars dolet, ita sit, judicat enim tactus calidum, frigidum, durum ac molle uti sunt, ergo nulla in dolore actionis læsio.

Solutio. Respondendum est tamen, nos Galenum plurimi facere debere, quod de dolore separatim cognoverit, siquidem id de industria præstitit, ut nos animis attentis, diligenter perciperemus, quæ docuit de insito in natura tam intolerabili symptomate, cujus ita conficiunt nostra corpora morsus acerrimi, ut plerunque faces admovere videantur. Vrget enim sæpissimè dolor, atque nihil remittit, adeo ut morbum augeat, atque docente Galeno brevissimè vires exolvat. Quamobrem ex tribus symptomatum generibus, ut idem scribit, *actionum quidem offensa si contristant* (dolorem potissimum intelligit) *solicitudinem medici ad se convertunt, affectumque deserere cogunt*, quò tanto malo medeatur, *quod veluti causa curationem immutat*. Siquidem tam sævos cruciatus observavit aliquando Galen. in doloribus colicis, qui nullis mitescerent remediis communibus, ut ad illorum sedationem, posteritati consulens descripserit quasdam confectiones, quas nominavit colicas, ut quæ symptomatis hujus se-

1. prog. com. 34. 3. de ratio. vict. com. 33. 1. metho. cap. 2.

A ritatem lenirent, humoris motum cõpescerent, & sensus stupidos redderent. Hinc opiatæ dicuntur narcoticæ, quod velut necrosim quãdam seu mortificationem adferant. Vocantur & anodynæ, quæ dolorem ad tempus mitigant.

Sol. rationis Rationi autem respondemus in dolore tactum percipere objectum quale est: attamen, quod sit vehemẽs, & corrumpat organum, propterea sensio præter naturam fit. Dolor ergo actio læsa est: constat verò non esse abolitam, quia dolor in cognitione consistit & nulla est actio præter naturam, quæ magis eandem cruciet, quam dolor.

B

An dolor sit actio diminuta. Ratio. Aliquibus placuit dolorem esse actionem diminutam, quod probarunt, quoniam in omni partium corruptione diminutio est, sed in omni dolore corrumpitur natura, colligitur ergo dolorem esse actionem diminutam. Veruntamen in actione diminuta remissior est in agendo pars, quam esset antea: in dolore verò nihil reperitur, quod minus se habeat, quam in naturali statu, quin etiam omnia videntur multò intensiùs amplificata, ergo dolor nullo modo potest dici actio diminuta.

C Quod verò in dolore requiratur aliqua partis corruptio verum est: attamen non ex quavis partis corruptione sequitur imminutio. Quando putrescit pars minuitur quidem, sed cum distenditur, vel dividitur, unde naturæ corruptio, ex qua dolor, nulla diminutio. *Sol. rationis*

An dolor sit actio depravata. Ratio. Modo controversemur, an dolor sit actio depravata. Quæ quidem contingit, cum pars in actione sua, vel in opere omninò errat, sed dolor semper sit juxta naturæ D ordinem, ac præterea parte rectè cognoscente, nullo quo modo errante, dolor igitur non est actio depravata.

Sol. Vallesij cap. 4. Franciscus Vallesius libro quarto controversiarum existimat dolorem esse actionem depravatam, atq. huic argumento respondet plures esse depravationis modos: etenim non solùm depravatur actio, quod eâ producatur aliud, quam pro naturæ modo, vel quod unum objectũ sumatur, & pro alio judicetur, quia

depravata etiam est actio, qua sentiendi potentia contristatur. Quare dolorem, ex eo actionem depravatam esse arbitratur, quod tristitiam habeat adjunctam.

Refutatur. Verum hæc responsio nodum objectionis non dissolvit, quia ulteriùs progreditur argumentum, & urget angustiùs. Nam plurimùm difficultatis habet explicare, cur sensio ex eo, quod tristis sit, dicatur depravata: hoc erat á Vallesio explanandum.

Solutio auctoris. Dicamus ergo nos dolorem esse actionem depravatam, non quidem erroneam, quando scilicet facultas judicat unum pro alio, ut cum febricitãs existimat dulcia esse amara, vel cum facultas generat unam substantiam pro alia, ut cum ventriculus humorem putidum: sed esse actionem depravatam auctam, cujusmodi est appetentia immodica dicta canina, cum sine aliquo errore intenditur actio, quod hac ratione liquidò confirmatur. Actio illa est aucta, quæ intensivè excedit naturalem & debitam mediocritatem: sed ita se habet dolor, actio igitur est cumulatiùs aucta. Propositio non indiget probatione, quoniam non aliter dicitur aucta quælibet actio, quam quod emineat & excellat intensione. Probatur assumptio: actio, quæ versatur circa excellens objectum, quod propter excessum ad facultatem & instrumentum nullam proportionem habet (improportionatum vocant) sine dubio excedit intensione debitam & naturalem mediocritatem: sed doloris objectum est hujusmodi, ergo dolor intensivé excedit naturalem & debitam mediocritatem.

Prox. genus doloris. Quamobrem dolor est actio depravata & aucta, quoniam, cum objectum est vehemens & excellẽs, pars sentiens impensé acerbitatem sentit. Habemus ergo proximum genus doloris, præterea cujus agentis sit actio deliberandum, quò ultima, & essentiali differentia, quantùm potuerimus, parata, possimus illius definitionem constituere.

VTRVM DOLOR SIT actio sensus tactus, an appetitus sensitivi.

QVÆSTIO. XXV.

DE sensu tactus primo de causis symptomatum dicemus latiùs, *Cap. 5.* nunc de appetitu sensitivo differendum, quò lemma præfixum intelligatur, tametsi præterito libro hac de re nõnihil dixerimus. Appetitus triplex est, naturalis, sensitivus, & intellectivus. Naturalis tam animatis, quam inanimatis communis, nihil est aliud, quam inclinatio, qua unũquodque nulla præcedente cognitione fertur in id, quod sibi conveniens est, ut propensio materiæ in propriam formam. Quiquidem appetitus non est actus alicujus facultatis, sed est ipsamet natura rei ex se propẽsa in aliquod bonum. Appetitus sensitivus est facultas quædam corporea, quæ in singulari, ac materiale bonum tãtum fertur, præcedente interni sensus cognitione. Appetitus verò intellectivus, qui dicitur voluntas, est vis immaterialis, quæ fertur in bonum tam universale, quam singulare, tam materia concretum, quam expers materiæ. Vnde hi duo appetitus conveniunt, quia uterque cognitionem sequitur: differunt verò tripliciter. Primùm quia voluntas rationis ductum sequitur, appetitus sensitivus imaginationem, seu cogitationem. Præterea quoniam actiones voluntatis sunt simpliciter liberæ: appetitus autem sensitivus non nisi adumbrata quadam, & imperfecta utitur libertate, aliunde communicata, videlicet ob conjunctionem cum voluntate, in homine tamẽ solo, non in brutis animantibus, quæ non sponte, sed naturæ impetu operantur. Tandem voluntas per se ac naturali ordine movet appetitũ sensitivum, qui non semper volũtati obtẽperat, sed interdum renititur. Causa est, vt primo poli-

Appetitus triplex. *Naturalis.* *Sensitivus.* *Intellectivus.*

politicorum docuit Arist. quoniam voluntas non dominatur appetitui herili dominatu, sed politico, quia imperium tenet in appetitum, non ut in servos, qui domini mandata non detractant, sed ut in cives, qui nonnunquam renuunt.

Communis opinio. Hoc posito cõmunis opinio est, voluptatem, & dolorem esse actiones sensus tactus, quæ probatur & *Auctoritates.* auctoritatibus & rationib. Aristot. primo, septimo, & decimo ethicorum voluptatem & dolorem ad sensum spectare scripsit. *Cap. 4. & 5.* Primo autem *Cap. 12.* libro rhetoricorum ad Theodecten *cap. 4.* sensuum inductione facta, probat *Cap. 11.* in omnib. reperiri delectationem naturalem circa proprium objectũ. Galenus capite tertio hujus libri. *Tex. 13.* *Tactus*, inquit, *egregium, præter cæteros sensus, in actione sua symptoma possidet dolorem.* Atque libro primo de *Cap. 6.* causis sympto. voluptate & dolore omnes sensus affici posse scribit. Secundo verò de locis patientibus. *Cap. 2.* *Quippe*, inquit, *dolor tristis sensus est, sicuti voluptas blandus sensus.* Et septi- *Cap. 7.* mo libro de Hippocratis & Platonis decretis, *nullum nos doloris sensus habituros fuisse, nisi in membris aliqua sentiendi facultas inesset.* Demum libello de pulsib. ad tyrones, postquam *Cap. 11.* egit de mutatione pulsuum ex animi passionib. seorsim disputat de varietate pulsus ex dolore, quasi dolor non spectet ad passiones animi, sed sensuum. Argumenta sic se habent.

1. Ratio. Externi sensus non solùm objecta propria cognoscunt, scilicet quatenus sensilia sunt: sed etiam quæ jucunda, vel molesta, quod ex fine facilè demonstrari potest. Nam animalibus tributi sunt, ac præsertim sensus tactus in quo animalis natura cõsistit, ut ab his, quæ sibi noxam, vel interitum inferre possunt, se se tueri queant, ut tertio libro de anima *Cap. 12.* docuit Aristo. Iam verò si sensus non perciperent noxia, omnes frustraretur finis, quoniam quælibet indifferenter cognoscerent, & ad omnia indiscriminatim inclinarent.

2. Ratio Quamobrem voluptas contingit ex comprehensione objecti grati & suavis, quemadmodum dolor ex perceptione objecti odiosi, & mo-

A lesti: sed quilibet sensus aliàs objecti jucunditate perfunditur, plerunque in aliud odium habet, ergo voluptas, & dolor ad ipsum sensum tantum spectant non ad appetitum.

3. Ratio. Nam si dolor esset actio appetitus, profectò quando vellet, posset lenire dolorem, & aliquando abstergere ac prorsus abjicere, positis nihilominus omnibus alijs ad dolorem requisitis: sed hoc non admittit experientia, quia dolor ex ijs est, B quæ nolentibus accidunt, ergo dolor non est actio appetitus. Valet propositio, quoniam actus appetitus sensitivi, ut diximus, in nobis liber est, posita ergo naturæ corruptione à vehementi sensibili, cæterisque omnib. ad dolorem necessariis, cum appetitus voluerit dolori resistet.

4. Ratio. Iam cogitemus hoc ita esse, ut ad sensum non pertineat: appetitus verò dolorem sustineat, vel obdormiscat, profectò poterit sensationem molestam impedire ipsa voluntas exporrecta & erecta, quæ alias C facultates ad agendum excitare & compellere solet.

Auctoris. Fundamenta. Ego verò aliter judico. Sed antequam animi sensa patefaciam, tanquam fundamenta constituo voluptatem, & dolorem esse actiones, & accidentia simplicia, quæ non admittunt aliquam compositionem: verum quia sensio aliqua origine anteit appetitus molestiam, sicut materia formam, propterea sensio materia quædam dicitur, forma verò appetitus molestia & angor. Observo tamen in hac quæstione D nihil nos constituere de causa doloris, attamen cum omnia, quæ necessariò præcedunt, videantur habere rationem causæ, similiter sensionem tanquam materiam & causam antecedentem doloris usurpamus, necessariam quidem, ut iræ fervorem sanguinis circa cor, & eclypsis terræ interpositionem, per quã causam solent autores aliquos effectus definire. Quibus positis nostra conclusio sit. Dolor est actio appe- *Auctoris & assertio.* titus sensitivi. Quæ auctoritatibus & rationibus fulciatur.

Aristoteles libro decimo ethico-

Auctoritates.

rum. *Perficit*, inquit, *operationem voluntas, non ut habitus, sed ut pullulans quidam finis, periade atq. pulchritudo in his, qui vigent aetate*, hoc est, voluntas perficit actionem, non vt forma quædam essentialis, sed ut accidentalis resultans ex actione, & ipsam perficiens, ut pulchritudo, quæ non est forma essentialis, sed accidentaria ætatis florentis: perficit autem actionem extrinsecus, tanquam id, quod expectat ad aliam actionē: sed clarius deinceps: *non tamen ipsa voluptas mentis esse videtur operatio, neq. sensus: est enim absurdum, sed quia non separantur, idem quibusdam videtur*. Et tertio de anima. *Atq. voluptate affici, aut dolere est operari ipsa medietate sensus ad bonum, aut malum, ut talia sunt, & fuga & apetitus.* Quib. verbis docet quid sit iucunda, molestaq. actio, circa quid versetur, & cuius sit facultatis propria. Ait voluptatem, aut dolorem, atq. versari circa bonum aut malum, quà talia sunt, pertinere ad appetitum sensitivum, quem appellat medietatem, seu mediocritatem, quia vtriusq. susceptor est, tū suavis, tum insuavis: sivè quia ex se est quasi medium non magis ad voluptatē, quā ad molestiam recipiēdam aptū. Tandem monet fugam & appetitū in actu, id est, actum aversandi & actum prosequendi obiectum idem esse, quod dolor & voluptas. Præclarè igitur constat ex Arist. voluptatem & dolorem ad appetitum sensitivum pertinere. Subjungamus argumenta.

Cap. 4.

Cap. 5.

Cap. 7.

1. Ratio.

Primum est desumptum ex eodem Aristotele lib. secundo de anima, ubi ex eo infert inesse appetitū, ubi sensus est, quia ubi est sensus ibidem etiam est voluptas & dolor. Quæ ratio magnam habet vim, quia procedit ex actione facultatis ad ipsam facultatem: probaturus enim Arist facultatem appetendi semper esse cōiunctam cum facultate sentiendi, sic argumentatur. In omni animāte reperitur saltem sensus tactus, ubi autem tactus, ibi & voluptas, & dolor insunt: sed hæc sūt actus appetitus sensitivi, quia voluptas est boni, dolor mali: bonum verò & malum ad appetitum pertinent, ergo in quovis animante facultas appetendi est conjuncta cum facultate sentiendi. Ecce voluptas & dolor, non sensus tactus, sed appetitus sensitivi actiones sunt, quoniam exillis concluditur societas, quam habet cum tactu appetitus sensitivus, cuius voluptas & dolor pedisequi sunt.

Immò, quod argumentū est ad in commodum, si voluptas & dolor sunt actiones sensus tactus, non est necessarius appetitus particularis facultatis in animalibus. Nam, ut hæc incursus externos refugerent, quadam facultate munivit natura, quæ molestiam caperet, atq. aversionem & fugam pararet: si hæc sensitrix est, ipsa sufficit, appetitu opus non est. *2. Ratio.*

Veruntamen facultates suam distinctionem capiunt in ordine ad actiones, quas edunt, & ad objecta, in quæ tendunt, ita ut quanta in his est distinctio, tanta in facultatibus reperiatur, ut scribit Arist. secundo de anima: sed voluptas est actio circa bonum, & jucundum, dolor verò circa malum & molestum, ergo bonum & malum, jucundum & molestum sunt objecta circa quæ versantur, & consequenter voluptas, & dolor pertinent ad facultatem, ad quam pertinent bonum & malum, jucundum & molestum, quoniam illius facultatis est visio, cujus est objectum visile: sed bonum & malum, jucundum & molestum sunt appetitus objecta, ergo voluptas, quæ est circa bonum & jucundum, atq. dolor, qui circa malum & molestum, erunt actiones appetitus. *3. Ratio.* *Cap. 4.*

In hoc vehementer erravit inimicus odiosus, qui imperitè dixit voluptatem & dolorem ita pertinere ad sensum, ut non solùm in exterio reperiantur, sed etiam seorsim in interno, quia in eo conservātur species objecti absentis. Ignoravit discrimē à Platone in libro de pulchro positum inter voluptatē & dolorē, atq. gaudium & tristitiam. Verum est sensū internū affici gaudio & tristitia, falsum tamen, quod eidem accidere possint voluptas & dolor, quādoquidē dolori perpetuo præit naturæ corruptio, quæ interno sensui non contingit. *Observatio*

Nihil

4. Ratio. Cap. 7. Nihilominus tamen inter sensum & intellectum cognatio quædam est tertio de anima docente Aristotele. Primùm deducitur sensus ad actum ab objecto sensibili, ut intellectus ad simplicé cognitionē objecti, quę dicitur simplicium apprehensio, & intellectio. Alia sensus actio est perceptio rei sensibilis sub ratione convenientis, aut non convenientis, iucundi aut molesti, quæ interim sensus actio est, cujus ratione sensum similem esse vult Arist. intellectui practico, qui rem amplectendam, fugiendamve proponit voluntati. Tādem, dum res, ut commoda, vel noxia representatur, appetitus sensitivus à sensu interno irritatus, ab intellectu verò lacessita voluntas ad prosecutionem, aut fugam se confe runt. Iam gaudium, vel tristitia non est simplex intellectus veri, vel falsi apprehensio, nec boni, vel mali representatio: sed tantum repentinæ voluntatis inclinatio & concitata conversio in prosequendum, vel fugiendum, similiter ergo in illa sensitivi appetitus prosecutione & fuga consistunt voluptas & dolor, qui propterea non sensus tactus, sed appetitus sensitivi actio est.

Intepretatur Arist. Ergo Aristoteles non loquitur de voluptate & dolore, quem nos insectamur, sed tantum de voluptate & dolore naturali, qui naturalem inclinationem sequuntur, nō aliquam cognitionem: Gal. verò materialiter & causaliter, ut dicunt, locutus est, cum scribit voluptatem & dolorem ad facultatem cognoscentem, nimirum sensitricem pertinere, quando quidem ad dolorē formaliter sumptum objecti cognitio tanquam antecedens causa necessariò requiritur. Nam aliter in actionib. vel passionib. apetitus debet collocari. Cūr verò separaverit dolorem ab alijs, lib. de puls. ad tyrones, dixi præterita quæstione.

Interpretatur Gal.

1. Solutio. Primæ rationi respondemus sensum tactus ex se tantum percipere tactilia, quatenus talia sunt: utilitatem verò hæc opem, vel detrimentum sint allatura, alterius facultatis iudicium est. Itaq. exper ceptione sensitiva iucundi & molesti non concluditur, dolorem sensus actionem esse, sed tantum colligitur facultas, ad quam spectat, in eodem supposito esse, in quo fit illa perceptio. Ad secundam respondemus, verum esse voluptatem & dolorem contingere ex comprehensione objectorum: attamen sensus externus illa percipit tā tum ut sensibilia: internus verò ut grata vel ingrata sunt; externi ergo sensus exultant, cum appetitus iucunda gustat, & amplectitur: moerent, cum molesta reijcit & aspernatur. Tertiæ dicimus falsum esse appetitum posse evitare dolorem, nam quamtumvis sua sponte agat, quæ actio est quodammodo voluntaria, aliquas tamen habet actiones ritu naturali procedentes, in brutis quidem simpliciter necessarias, in nobis verò ex suppositione, præsuppositā scilicet alia actione: contingit enim sæpissimé tantam esse connexionem, ac necessitudinem, ut una posita continuò debeat alia poni, ut posito, quod appetitus velit aliquod objectum conveniens, statim ponitur necessariò, quod nolit objectum contrarium nō conveniens, ita posita intensione respectu finis, ponitur necessariò actio circa medium sine quo finis consequi non potest, quæ sunt actiones necessariæ ex suppositione. Similiter posita cognitione objecti, quod naturam corrumpat, necessariò ponitur ex suppositione dolor. Vltimæ respondemus voluntatem movere facultates sensitrices: tamen cohibere nō posse illarum actiones, nisi vel objectum removendo, vel aliquam conditionē ad agendum necessariam, ut si visionem impediat excitādo facultatem motricem ad claudēdum palpebras, veruntamen positis omnib. requisitis ad agendum, nequit cohibere sensuum actiones. Et quia in cognitione objecti dolorem inducentis, non semper potest, vel objectum arcere, vel aliquam eripere conditionem, hinc nequit cohibere actionem dolorificam, quantùm est in cognitione sensitiva.

2. Solutio.

3. Solutio.

4. Solutio.

QVID

QVID SIT ET QVOmodo fiat dolor.

QVÆSTIO. XXVI.

DOlorem probé definire res laborioſa eſt, plurimùmq. difficultatis habet: perturbat enim mentem opinionum varietas. Divus Auguſtinus dolorem definit offenſionem animæ ex carne, quandamq. ab eius paſsione diſſenſionem. Angelicus Doctor dolorem vocat paſsionem in appetitu ſenſitivo, vel intellectivo. Ciceroni dolor eſt ægritudo crucians, vel motus aſper in corpore à
6. top. c. 3. ſenſib. alienus. Alexandro Aphrod. eſt paſsio animalis per diſtantiã partium connaturalium cum violentia. Galenus, ad quem directò ſpectabat doloris definitionem accuratiùs explicare, ac breviter expedire, viſus
Cap. 6. eſt difficultatem auxiſſe. Nam libro primo de cauſis ſymptomatum varijs nominib. dolorem appellat, pluresque illius deſcriptiones maxima largitate fondere videtur, ut vix, aut omninò non poſsimus ſtabilem habere & firmam de doloris definitione ſententiam. *Neq. enim refert*, inquit, *an moleſtum* ſenſum, *an triſtem, an doloriſicum, an doloroſum, an laborioſum appelles: ſicuti nec ſi paſsionem ipſam moleſtiam dicas, an triſtitiam, an dolorem, an dolentiam, an laborem.* Ex Hippocratis autem & Platonis auctoritatib. quas eodem loco adduxit, non poſſumus colligere quid ſit dolor, ad quem ne ceſſarias eſſe aſſeruerunt paſsionem violẽtam, & naturæ corruptionem, ſed in quo doloris natura conſiſtat, nullus planè dixit. Iam verò per ea,
Cap. 2. quæ docuit libro ſecundo de locis patientib. ubi magno conatu, ſtudioq. rem hanc eſt aggreſſus, tantum aſſequimur ſenſum, & triſtitiam ad dolorem convenire, ſed an in ſenſu poſitus ſit dolor, an in ipſa triſtitia non explicavit. Verũtamen cum pateat & omnib. notum ſit, rem hãc, quam inveſtigamus, noſtrum Galenum non præteriiſſe, ſulcum altiùs imprimamus, nam ubi ad intimos illius ſenſus pervenerimus ex latebris, atq. ex tenebris quamprimùm erumpet veritas.

Porrò voluptatis, & doloris talis eſt nexus, Magiſtro Platone docente, ut qui perſequitur alterum, & apprehendit, ferè ſemper cogitur etiã alterum apprehendere, ut quæ duo ſint uno genere comprehenſa & velut ex apice connexa. Cũ igitur hoc loco inveſtiganda ſit natura doloris, dicamus etiam de voluptate, quoniã ut Ariſto. docuit, & Gal. confirmavit, contrariorum una & eadem ſciẽtia eſt. Quod ἡδονὴ eſt apud græcos, ſecundo de finib. docente Cicerone, latinis eſt voluptas, cui opponitur ὀδύνη dolor, à verbo ὀδύω, doleo. Latinis autem dolor dicitur à dolãdo: eſt enim dolare vel edolare, minuere, quia ſicut voluptate augẽtur corpora, ita dolore minuuntur. Senſus autem, ut ſcribit Gal. primo de elementis, voluptatis eſt quaſi radix & fons, propterea lib. quarto de ſim. med. fac. docebat grata & iucunda eſſe, quæ temperata ſunt, quia voluptatem & ſenſum vaporoſum noſtris corporibus inferunt. Nam à calore moderato partes, quæ ante ſibi conſtiterant, quaſi laxantur & moderatẽ funduntur, unde iucunditas & voluptas, quæ ideo primo de locis patientibus definitur ab eodem ἡσυχὴν ἀνάπαυσιν blandus ſenſus, iucundus, ſuavis, mãſuetus. Quod ſi voluptas hoc eſt, profectò eius cõtrarium dolor erit, ut ibidem legimus ἀνάπαυσιν ἐναντίαν ſenſus moleſtus. Ex quo Galeni loco deſumitur medica doloris definitio, quæ ſic explicata, eſt actio moleſta ſẽſus tactus præter naturam aucta. Actio depravata & aucta eſt, nó ea ſanè, ad quam ſimul cõcurrunt natura & morb. vel quæ tãtum ſequitur morbum, nihil conferente natura, ſed ea, quæ fit à natura coacta & à vehementi objecto irritata. Porrò Gal. frequentiſsimè dolorem vocat non ὀδύνην, ſed πόνον laborem, quaſi nullus ſit ſine dolore labor. Sic Ariſto. frequentiùs corporis dolorem πόνον dicere conſuevit: & ſeptimo de hyſto. animalium dolorem, quem mulieres in pariendo experiuntur appellat πόνον laborem. Sic laboris nomẽ ſumitur primo apho. ac ſi diciſſet Hipp. cum peracutus

Proſenb. aſſbeſis.
Definitio voluptatis Aeſthesis aniarà.
Definitio doloris.
Algos. Algea.
Cap. 3.
Cap. 2.
Algos. Pònos.
Pònos. Ca. 4. & 5.
Pònos. Aph. 7.

morb.

Digitized by Google

morb. est, statim habet extremos dolores. Quarto etiam libro. *Quibuscumque*, inquit, *resurgentib. ex morbis siquid laboraverit, hic fiunt abscessus.* Gal. in commentario. *Siquidem πόνος*, ideſt, *labor & vehementem significat motum, & dolorem, & læsionem.* At cum in omni dolore duo adesse oporteat, affectum præter naturam, qui doloris est causa & ipsius sensionis vitium, Hippo. utrumq. *πόνον* vocat. Siquidē secundo aphoris. solam affectionem dolorificam *πόνον* appellat: ibi enim *πονέοντας* intelligit eos, qui aliqua in parte tam vehementer offensi sunt, ut omninò, nisi delirēt, dolituri sint. Cum verò dixit in libro de locis in homine, referente Galeno, *dolor fit propter calidum, propter frigidum, propter plus, propter minus: in refrigeratis quidem corporis partib. ex calore: in calefactis ex frigore: corruptam item naturam habentib. dolores fiunt*, ipsam molestiam sensus sine dubio intelligit, ut etiam primo de natura humana, & primo de caus. sympto. Quare dolor *sensus molestus* dicitur, non tristis, ut convertit Copus. Nam *ἀνιαρά*, quo verbo utitur Gal. molestia est: *λύπη* vero tristitia, quæ est opinio mali præsentis, in quo demittitur, contrahiturq. animus. Hinc D. Thomas scribit voluptatem & dolorem, & in animo & in sensu reperiri: at solam animi voluptatem gaudium: solum verò animi dolorem tristitiam dici, & quemadmodum in sensu dumtaxat dicitur voluptas, non gaudium, sic etiam dolor in ipso sensu nunquam tristitia vocatur. Ex quib. apertè constat dolorem esse sensionem molestam, non tristem, nisi iam analogiam, quā cum mente sensus habet, contemplemur, vel *καταχρηστικῶς*, ideſt abusivè, loqui velimus.

Porrò qualitates tactiles, tam primæ, quam secundæ, tanquam sensibile proprium percipiuntur à tactu, cuius actum terminat, hic verò actus neq. voluptas est, neque dolor, qui quidem ad solum appetitum sensitivum spectant sub ratione boni & mali præsentis secundum actum proprium voluptatis & doloris: sicut enim appetitui sensitivo proprié convenit ferri in bonum, vel malum sensibile, ita & eidem convenit illud prosequi, & in eo delectari, vel illud abhorrere ac dolere, quod non competit sensui, cujus non est tendere in bonum, vel malum, quā talia sunt. Itaque cum gustus, qui est sensus ex omnib. maximé voluptarius, dulcedinem percipit, ut est objectum gustabile, simul appetitus concupiscibilis, prout quoddam naturę bonum & iucundum est, magnopere delectatur: si verò fuerit amarum illud objectum atq. gustatu peracerbum, de læsione illa, & quatenus est naturæ malum, appetitus conqueritur, horret ac dolet. Quamobrem cognitio sensitiva terminatur & claditur ap prehensione objecti sensibilis, quatenus sensibile est, neq. longiùs progreditur, in quo actu, nec voluptas, nec dolor: sed exin appetitus sensitivus, tametsi non cognoscat, quippe alicundé venit eius instigatio, illud objectum prosequitur, vel fugit, non ut sensibile, sed quā bonum, vel malum, iucundum, vel molestum est, in quo quidem actu consistunt voluptas & dolor. Ergo voluptas est actio bona, iucunda, & suavis appetitus sensitivi, & contrarium dolor eiusdem appetitus est actio mala, odiosa, & molesta: sic enim res geritur.

Percipit tactus objectum suave ac iucundum, quā tactile solùm: hinc accendit objecti species ad cerebrum, in quo de objectis sensuum externorum fit iudicium. Agedum ibi decernatur bonum esse, sub hac ratione appetitus sensitivus excitatur, prosequitur, admittit, iucunditatis fructu potitur, ecce voluptas, quæ *appetitus sensitivi complacentia est.* Percipit autem non ratò tactus objectum molestum, vehemens, nullam ad sensus temperiem proportionem habens, iam verò etiam illius organum corrumpens, sed quā tactile solùm, quæ sensio præter naturā depravata est. Sed quam primùm species sursum conscendit continuò accusatur, & condemnatur, ac simul appetitus sensitivus, cui proponitur illud objectum, prout odiosum naturæ malū, illud declinat, consultò fugit, dolenter, atque acerbè fert: in hujusmodi actu consistit dolor, qui est *displicentia appetitus sensitivi.*

Aph. 32. *Pònos.* *Ponon.* *Aph. 6.* *Ponon.* *Ponentes.* *Versus finē Lib. 7. de loc. Cap. 6.* *com. 6. Cap. 6.* *Antara. Lype.* *1.2. q. 31. artic. 1.* *Catachrefticos.* *Inquirūtur alia def. vol. & doloris.* *Quo modo fiant voluptas & dolorum.* *Alt. voluptatis desin.* *Alt. doloris desin.*

Sed

Sed hãc definitionem voluptatis, E
Obiectio. & doloris meritò mirabitur aliquis, quod plurimùm distet à definitione Galeni, qui de solo sensu externo mentionem fecit, nos de sola facultate interna. Galenus voluptatem, & dolorem actiones ac sensiones cõstituit, nos potiùs passiones. Demùm ille blanditiam, vel molestiam subtiliter expressit: nos vix attigimus. En duæ voluptatis & doloris definitiones, quarum vel utraq. admittenda est, vel altera potiùs fauenda.

Docti profecto utramq. amplectũ
Gravis Doctorum. Solutio. tur definitionem: interjecta tamen F
distinctione. Galenus, cum sensum, vel sensionem dixit, causaliter, & materialiter voluptatem & dolorẽ definit: sed cum voluptas *appetitus complacentia* & dolor *displicentia* dicitur, voluptatis & doloris natura formaliter exprimitur, quoniam sensio ipsius tactus voluptatis & doloris materialis causa est: tactus verò appetitus sensitivi ipsamet voluptas & ipse dolor: quemadmodum ergo eclypsis dicitur interpositio, cum tamen formaliter obtenebratio sit, propter interpositionem, ita voluptas & G
dolor est *complacentia*, vel *displicentia* obsensationem jucundam, vel molestam. Quam doctrinam ego semper ore pleno laudavi, & publicé docui.

Sed, cũ altiùs rem perspicio, atq.
Auctoris opinio. ad intimos Galeni sensus pervenio,
Cap. 2. illius definitionem libro secũdo de locis patientib. adductam vehementiùs amplexor, utpote in qua non solùm altera voluptatis, & doloris essentiæ pars exprimitur, sed etiam partes ambæ subtiliter effinguntur. Nam, cum sensio dicitur voluptas, H
vel dolor, materiam illius planiùs exprimi, omnium doctorum consensu approbatum est: cumq. illa sensio jucunda, vel molesta constituatur, nõ est dubium, quod alicui jucunda, vel molesta sit: nulli verò suavis, vel odiosa esse potest, quam apetitui sensitivo, ob judicium interpositum à facultate superiori, ergo in ea definitione non fit tantum mẽtio de materia, sed etiam de forma voluptatis & doloris. Quamobrẽ Galenus philosophus acutissimus, & medicus prudentissimus, quum certò sciret, atq. in Hippocrate advertisset in voluptatem, & dolorem, non tantum sensum externum, sed etiam internum convenire, tametsi libro secundo de locis patientibus ad Physiologiam, vel Pathologicam incubuerit, nihilominus tamen cum Therapeutica definitionem voluptatis & doloris conjũxisse gloriatur, atq. simul duas facultates nobis indicasse, quæ harum actionum quodammodo dicuntur efficientes causæ, sensum externum remotam, proximam verò appetitum sensitivum: apertiùs tamen innuere voluit sensionem externam, quippe cui, si adeo vehemẽs fuerit, ut vires dejiciat, ijs occurrimus, quæ aut ipsam omninò prohibent, ut sunt narcotica, aut leniunt, & mitigant, ut anodyna: licet enim in definiendi præceptis sit districtus & occupatus Gal. animum tamen curationi semper attendit: atque licet verissimum sit dolorem formaliter esse appetitus sensitivi *displicentiam*, sibiqne ex Hippocrate manifestum, *Ibidem.* maluit tamẽ in eo potiùs adhærere, in quo dolor materialiter consistit, quoniam commutata & sedata molesta sensatione, appetitus sensitivi *displicentia* continuò restinguitur, dolorq. nulla interposita mora mitigatur. Perhonorificé igitur tractemus Galeni definitionem, cum sit totius essentiæ doloris brevis & circunscripta quædam explicatio.

Lib. 2. apũ Apho. 6.

Cap. 2.

VTRVM AD DOLOrem concurrat sensitrix facultas interna.

QVÆSTIO. XXVII.

EX ijs, quæ diximus duabus præteritis quæstionib. possumus concludere facultatem sensitricem internam in dolorem convenire. Verumtamen, quoniam Archangelus Mercenarius, qui in Patavino Gymnasio Philosophiam profitebatur, in suis dilucinationibus contendere voluit

hac

hac de re adversus Horatium Eugenium Academiæ Taurinensis primarium Medicinæ professorem, deliberatum est mihi eandem incudem tundere, ut huic disputationi de dolore nihil deesse videatur.

Opinio Mercenary. Mercenarius cõtra solennem coetum philosophorum audacter dixit dolorem tantum pertinere ad sensum exteriorem scilicet tactum, neq. aliquam vim internam ad dolorem convenire. Primò, quoniam Aristo. *1. Ratio. Cap. 12.* tertio libro de anima scripsit omnia animalia tactu, & gustu, qui tactus quidam est, prædita esse. Hoc probat, quia in natura nihil temere accidit, sed omnia ad aliquem finem tendunt. Quare animalia, quæ loco moventur, necessariò progrediendi facultatem ob aliquem finem obtinẽt, utiq. ad salutaria consectanda, & declinãda noxia. Si sensu prædita sunt, ut jucunda consectentur, & noxia declinent, illa necessariò agnoscere debẽt, solus ergo tactus dolori opus *2. Ratio. Ca. 2. & 3.* est. Secundò idem Aristo. docet lib. secundo citati operis ibi adesse appetitum, ubi sensus fuerit, nam, cui sensus inest, ei voluptas etiam & dolor: quib. autem hæc insunt, ea quoq. appetitum habent, igitur, ubi sensus est, ibidem etiam adest appetitus. Nunc aut Arist. intelligit appetitum sensus interioris, aut appetitum ex- *Cap. 7.* ternum, qui est idem cum tactu ipso. Aristotele docente libro tertio de anima. Non potest intelligere appetitum internum, quia falsa esset hæc sequela, ubi est sensus tactus, ibi est appetitus interior, quoniam facultates hoc ordine distributæ sunt, ut imperfectæ sint absq. perfectioribus. *Cap. 2.* non contra, ut secundo de anima scriptum est, ergo intelligit appetitum externum, qui in sensu exteriori est, ac si dixisset. Vbi sensus tactus, ibi voluptas, & dolor, ubi autem hęc ibi appetitus externus, qui sensum tactus insequitur, ergo voluptas, & dolor ad sensum, & appetitum exter- *3. Ratio. Zoophyta.* num attinent. Tertio animalia imperfecta, quæ Ζωόφυτα plantanimalia dicuntur, saxis marinis adnata, & affixa, voluptate fruũtur, & dolorem suscipiunt, nam, si jucunda illis obviam fiant, dilatantur, si molesta, refugiunt, & contrahuntur: sed his nul-

A lus adest sensus interior, sed tantum externus, nempe tactus, igitur hic sensus non solum objectum, quà sensibile, ut calidum, vel frigidum cognoscit: sed etiam ut jucundum, vel molestum. Assumptio est Aristotelis, *Cap. 11.* qui tertio de anima scribit animalib. imperfectis inesse tantummodo tactum. Quod si in imperfectis tantum potest tactus, multò magis poterit in animalib. perfectis. Adhæc, *4. Ratio. Lib. 2. de anima.*
B *cum inciduatur animalia, quæ insecta vocamus, utraq. pars & sensum habet, & motu cietur*, ut cauda lacertæ desectæ: *Cap. 2.* verum in ea sensus interior non reperitur, ut imaginatio, vel æstimativa: sed tantum sensus tactus. Objectũ ergo molestum, à quo dolor, solo tactu percipitur: facultate interna opus non est.

Fundamentum auctoris. Veruntamen nobis aliter ac Eugenio videtur: longè tamen secus atq. Mercenario. Quamobrem antequam fiat decretum, aliqua firmiter stabiliamus. Primum sit, sensus omnes tãtum percipere sua propria, & adæquata objecta, visum spectabile, seu
C visile: auditum sonum: olfactum odorem: gustum saporem: & tactum ipsum tactile, quod duntaxat unum est, petita unitate ab uno modo, quo immutat organũ quoad primas qualitates, unde tactus dicitur sensus tẽperamẽti. Ita verò propria objecta per- *Dicitur objecta.* cipiunt sensus, ut in alia dilatari non possint: & quamvis contingat calidum, vel frigidum esse jucundum, vel molestum (succedit enim sæpissimè) profectò calidi, vel frigidi, quà talia sunt, solus tactus est iudex: jucundi verò & molesti, quatenus talia sunt, cognitio, ad superiorem facultatem
D pertinet. Quippe nulla facultas excurrit extra limites sui objecti: sed amicitia & odium non sunt objecta ipsius sensus, ut pulchritudo, & deformitas non sunt objecta visus, sed color, igitur jucũdum & molestum, quà talia sunt, non percipiuntur à sensib. sed tantum objecta illorum propria & adæquata.

Præterea, ut hæc succedant ex sen- *2. Fundamentum.* tentia, explicandum est, tum munus sensitricis facultatis internę, tum munus sensitivi appetitus. Imaginatio, ut suo loco dicemus, percipit, non tantum objecta sensibilia externorum

rum sensuum, sed etiam capit sensio E nes illorum, atq. rerum, quæ sensatæ sunt à sensib. externis, tum præsentium, tum absentium species inter se conjungit, componit, & conservat, tandemq. inter objecta diversorum sensuum discrimina ponit, ut inter dulce & album, calidum & nigrum,
Cap. 2. Aristotele docente lib. tertio de anima & libello de somno & vigilia. Cogitatio (æstimativa in brutis) non modo hæc eadem assequitur, sed etiã insuper ex sensatis à sensib. externis colligit objecta non sensata, ut amicitiam & odium, qua ratione canis, viso cibo, ad illum maturissimè accedit, atque ovis viso lupo, quam primùm fugit, cum tamen non fugiat viso alio animali. Vnde concludere possumus ovem aliquam inimicitiã concipere contra lupum à sensib. externis non sensatam. Appetitus autem sensitivus est quædam facultas, quæ sequitur sensus interni cognitionem & deliberationem, quæq. ut G
Cap. 21. rectè dixit Alex. lib. primo suæ paraphrasis non cognoscit, neq. illi cognoscere necesse est, sed objectũ proponente sibi cogitativa sub ratione boni, vel mali, continuò excitatur ad prosequendum bonum, vel fugiẽdum malum, quia omnis prosecutio & fuga ad appetitum pertinet.

Postremò notandum non modo
3. Fundamẽ perfectis animalib. sed etiam imperfectis appetitum in esse, quoniam voluptate ac dolore afficiuntur, unde etiam liquet competere eisdem imaginationem, quia omnis appetitio sequitur cognitionem: tamen non habent omnia perfectam imaginationem, sed indefinitam, cum vel se H
de stabili degant, vel appulsu jucundi & molesti non ad certum aliquem locum, sed indefinitè moveantur, ut plantanimantes.

Quibus positis prima assertio sit.
1. Assertio. Solus sensus tactus satis non est ad objectum dolorificum percipiendũ.
Ratio. Nam objectum hoc duplici potitur natura. Primùm sensibile est, deinceps vel salutare, vel noxium: tactus verò nequit percipere utramq. naturam, sed tantum sensibile objectum, ut sensibile est, igitur solus sensus tactus satis non est ad objectum dolorificum percipiendum. Probatur

assumptio, nam Aristo. lib. tertio de *Cap. 7.* anima, cum inter sensum & intellectum aliqua sit cognatio, ex ijs, quæ sensui conveniunt, intellectus vim explicare contendit. Prima sensus actio est simplex cognitio objecti sensibilis: ita prima functio intellectus speculativi dicitur simpliciũ apprehẽsio. Secũda sensus actio est perF ceptio rei sensibilis subratione conveniẽtis, aut nõ cõvenientis, jucundi aut molesti, quę sẽsus interni functio est, cui similem esse vult Aristo. operationem intellectus practici, cujus est proponere voluntati rem amplectendam, vel fugiendam. Tertia & ultima actio est appetitus sensitivi, cujus actus prosequendi objectum est voluptas, & actus aversandi dolor, ut voluntatis ad prosecutionem, aut fugam provocatæ. Ecce tactus tactile, ut sensile percipit, mox sensus internus, quã salutare, vel noxium, tandem appetitus sensitivus cogitatricis ductum sequitur.

Sed dicet aliquis, appetitus sensi- *Objectio.* tivus nõ distinguitur à facultate sensitricæ, ut loco citato scribit Aristo. igitur eadem facultas cognoscit & amplectitur vel fugit. Respondendũ *Solutio.* non distingui subjecto, quando quidem, ut ab eadem anima oriuntur, ita in eodem insunt animali, verum diversam habent rationem, immò & realitatem, ut ita dicam.

Altera assertio est. In dolorem ne- *2. Assertio.* cessariò concurrit sensitrix facultas interna Hæc conclusio probatur pri- *Auctoritates.* mùm auctoritate Hippocratis & Platonis, qui non in instrumentis sentiendi, sed in mente, quod sentitur collocarunt.

Præterea, ut Aristo. habet, omnia *1. Ratio.* animalia, licet imperfecta & ea, quæ *2. de ani.* insecta vocamus, cum inciduntur, *Cap. 2.* utraque pars sensum habet. Si sic se res geritur, & imaginationem, & appetitum habent: ubi namque sensus est, ibi dolor etiam existit, atq. voluptas. At ubi hæc adsunt, ibi necessariò cupiditas etiam inest. Quare doloris primordium tactus est: necessarium verò complementum sensitrix facultas interna. Cum his concordat D. Thomas dilucidé docens bonum *1. 2. q. 35.* & malum, quatenus talia sunt, esse *a. 1.* appetitus objecta, & per consequens,

quens, voluptatem & dolorem ad appetitum pertinere.

2. Ratio. Quippe, ut indicavimus, quæ dolorem afferunt duplicé actũ cõcitãt, unus est cognitio objecti sensilis, qua sensile est, ut calidi vel frigidi, alter est objecti sensilis cognitio, ut est salutare, vel noxium. Iam verò dolor non consistit in cognitione objecti, ut sensile est, quoniã esset cognitio objecti sensibilis ex omni gradu, quo sensibile est, atq. tunc esset cognitio calidi vel frigidi moderati, quã sensibilia sunt, quod est absurdum. Consistit ergo dolor in objecti cognitione, ut quid noxium est, propterea dolor non est sensio, sed B molesta sensio, quæ quidẽ est cognitio sensitricis facultatis internæ, igitur hæc facultas necessariò concurrit in dolorem.

Nunc idem experientia confirmemus. Hippocrates summus medendi artifex, qui tam fallere, quã falli nescivit lib. secundo aphorismorũ scribit, *his mens ægrotare, quibuscunq. parte aliqua corporis dolent, & dolorem omnino non sentiunt. Dolentes nominat eos*, inquit Gal. *qui aliqua in parte offensi sunt, ita vehementer, ut nisi delirio præmerentur, dolerent.* Celsus causam doloris intelligit, cum ait. *Quib. causa doloris, C neque sensus ejus est, his mens labat.* Ergo quibuscunque pars aliqua corporis causam habet, quæ dolorem inferre solet, nimirum dispositionem aliquam dolorificam jam diu insitam, eamq. nõ apprehẽdunt, nec discernunt, nec agnoscunt, ut phrenitici, mens ægrotat, id est, corrupta, vel aliò vehementer occupata, vel ad extremũ debilitata est: delirantes enim non sentiũt objectum dolorificum, quòd eorum judicium corruptum sit.

1. Experientia. Apho. 6. Lib. 7. de Hippocr. & Pla. dec. cap. 5. Lib. 7. c. 7.

Secunda trp. Præterea, qui vulnerantur in certamine, nequaquam sentiũt causam doloris ex vulnerib. sibi illatis, q eorum mens occupetur in vulnerando inimicum, & se defendẽdo, adeo ut simul nequeant advertere, quæ interim patiuntur. D

Tertia trp. Hæc eadem est causa, cur, cum in aliqua re curam defigimus, & cogitamus, aliquando ea, quæ ob oculos sunt, non percipimus, cujus rationem reddit Gal. secundo de motu musculorum, & libro primo de difficultate respirationis, scilicet quia mens variis imaginationibus est occupata & detenta, distractaq. ab exterioribus sensationib. adeo ut ea, quæ noxam inferunt, non perci piat.

Cap. 6.

Cap. 5.

Quarta exper. Hinc, qui dolorib. cruciantur, interdiu leviter afficiuntur, nocte plurimùm vexantur, quoniam in die humana mens circa plura versatur, & cum amicis & familiaribus confabulatur æger: nocte verò animus ad alia non distrahitur, sed intentus, infixusque odiosam sensionem fovet.

Assertio. Tertia & ultima assertio sit. Facultas, quæ in dolorem concurrit cogitativa est, quæ in brutis dicitur æstimativa. Quandoquidem per mẽtem, quæ Hippocrati γνώμη dicitur, intelligere debemus Galeno auctore in commentario *Φρονεῖν*, hoc est, ratiocinatricem, vel cogitatricem vim, quæ res judicat ac decernit: hæc enim dolorificas passiones apprehendit.

Authoritas Gnome. 2. apho. 6. Dianoian.

Ratio. Nam illa facultas interna est ad dolorem ntcessaria, quæ sola ex rebus sensatis educit species earum rerum, quæ non fuerunt sensatæ à sensibus externis, ut amicitiæ, vel inimicitiæ, convenientiæ, vel alienationis, ac judicio cujus movetur appetitus sensitivus, atq. in odium, & fugam conjicitur: sed hæc est facultas cogitatiiva dicta, ergo hæc facultas interna dolori opus est, planèque necessaria.

1. Solutio. Nunc rationibus Mercenarij satisfaciendum, quarum primæ jam respondimus quæstione vigesima secunda in solutione primæ rationis adversariorum, nunc dicimus omnia salutaria, vel noxia cognosci à sensibus externis, tantũ quæ sensibilia sunt: verum quatenus salutaria vel noxia, tantum ab internis: sed cum sensuum externorum cognitio semper anteeat, colligitur necessarios esse sensus externos, ut salutaria, vel noxia cognoscantur, atque hoc Aristo. docere voluit.

2. Solutio. Secundæ rationi respondemus ibi adesse appetitum, ubi sensus est, cumq. dixit Aristo. hunc appetitum,

ad quem spectant voluptas & dolor, qui quidem externus appetitus est, non distingui á sensu externo, intelligit non distingui subjecto, quãquam illorum ratio eadem non sit, sed diversa, ut dudum diximus.

3. Solutio. Ad tertiam dicẽdum, quod in tertio fundamento præfati sumus, nempe his imperfectam inesse imaginationem.

4. Solutio. Quarta & ultima ratio multos vehementer compressit, cum tñ nullã habeat vim. Lacerta namq. in duas partes divisa, adhuc movetur & sentit: motus verò illius, & sensus imaginationem & appetitum sequũtur, quoniam hæc per lacertæ membra & artus sunt expansa: alioqui si definitis sedib. contineretur imaginatio, in ijs tantum sedib. remanere posset, si quando remaneret. Nec dicat aliquis in illis animalib. incisis tactum & imaginationem idem esse, nam cũ diversos actus edant, utpote ad diversa tẽdẽtes objecta, necessarium est, ut ratione & definitione distinguantur.

Præoccupatio.

E omnium sensuum verisimile est. Nã Aristo. lib. primo rhetoricorum ad Theodectẽ probat in omnib. sensib. inesse voluptatẽ, cumq. voluptas & dolor contraria sint, colligitur dolorem sensationis omnium sensuũ effectum esse. Idem concluditur ex Galeno, qui textu decimo tertio hujus capitis: *Porrò*, ait, *tactus egregium præter cæteros sensus, in actione sua symptoma possidet dolorem, qui etiam & reliquis sensibus ab externis tamen propriis sensibilib. incidit.* Quib. verbis manifestè docet æquè omnib. sensib. externis à propriis objectis dolorẽ cõtingere. Idẽ accuratiùs explicavit primo de symptomatũ causis, cũ scribit *Delectatio autẽ, & dolor omnib. sensib. contingunt, nõ tamen pari evidẽtia, sed in visu minùs, quã in cæteris evidenter, in tactu autem & gustu maximè luculenter ab his deinceps in odore post hunc etiam in auditu.*

Quod dolor subsequatur omnes sensus. Cap. 4.

F

Cap. 6.

Præterea omnes quinq. sensus externi dolorẽ capiũt ex propriis objectis, ergo dolor sequitur omnium sensuũ sensiones. De tactu probandũ non est, mõstremus antecedens in cæteris. Qui duplici ratione afficiuntur, uno ratione tactus per totũ corpus dispersi, altero prout diversi sunt à tactu, ex propriis objectis, omnes ergo sensus externi corripiũtur dolore, qui sensiones illorum subsequitur. Docuit autẽ Gal. quatuor reliquos sensus à tactu dolore duplici laborare, cum scribit libro primo de caus. sympto. *Divellitur autem & gustus instrumentum, quatenus utique tactus est particeps, à jam dictis* (tactus objecta intelligit) *quatenus verò gustus est proprium ab acidis, amaris, acerbis, & acrib. succis.* Quod deinceps de aliis trib. sensib. etiam asseruit.

1. Ratio.

Cap. 6.

G

H

Itẽ Aristo. libro secundo & tertio de anima docet excellens sensibile sensus lædere & interdũ omninò labefactare, quib. decimo de usu partiũ subscripsit Gal. sed cujuscunq. sensus externi objectum potest esse excedẽs ac propriam sensus mediocritatem corrumpere, unde dolor, ergo quilibet sensus potest capere dolorem ex proprio objecto dummodo excellens accedat, & sensui parum proportione reddat.

2. Ratio.

VTRVM DOLOR SVBsequatur sensionem solius tactus.

QVÆSTIO. XXVIII.

COnstitutum est quæstione vigesima quinta dolorẽ non sensus tactus, sed appetitus sensitivi actionem esse, propterea quærendum nõ est, quod nonnulli quærunt, utrum dolor ita propriũ symptoma sit sensus tactus, ut aliis sensib. nequeat cõvenire, an potiùs & tactui, & aliis sensib. accidat: sed, ut indicat lẽma, quod quærimus est, utrũ sensio, quã in origine sua subsequitur dolor, sit sola sensio tactus, an etiam aliorum sensuum.

Quod dolor subsequatur sensionẽ

Porrò

Porrò solutio cõtinui est perpetua & necessaria doloris causa, sive remota, sive proxima, sive præcedẽs passio sit: sed solutio continui est sensile cõmune, quod percipitur ab omnib. sensib. ergo sensus omnes dolore pariter urgeri possunt. *3. Ratio.*

Tandem, si solus tactus esset illa sensio, quã subsequitur dolor, tactũ solũ propria, sed etiã cæterorũ sensuum perciperet objecta: verum hoc repugnat experientiæ: nã color, sonus, odor, sapor, non percipiuntur á tactu: essent enim objecta communia ab omnib. sensib. percepta, nõ propria, ergo illa sensio, quã subsequitur dolor, nõ est sola tactio, sed omnium sensuum sensio esse potest. *4. Ratio.*

Sed opposita sentẽtia verior est. Antequam tamen hac de re sanciamus, de dolore distinguendum est. Nã voluptas & dolor dupliciter dicuntur. Primùm latè & impropriè, qua ratione voluptas & dolor dicuntur naturales, quia sequuntur inclinationem naturalem: quilibet enim sensus naturaliter capit incredibilẽ voluptatẽ ex proprio objecto, graviusq. nonnunquã afflictatur. Præterea dolor sumitur propriè scilicet pro actione appetitus sensitivi, quæ sẽsionẽ externã subsequitur, de quo á nobis retrò non pauca dicta sunt. *1. Fundamẽtum actio.*

Est etiam observandũ ad actionẽ sensus, quæ dolori proprié dicto anteit, necessariã esse naturæ corruptionem, quæ quidẽ fit, non solùm ab objecto & specie, quæ non habent proportionẽ ad organũ (improportionata vocant) sed opus est, ut naturæ unitas corrũpatur: hæc autẽ corrumpi nõ potest, nisi á dividente, q̃ absq. dubio debet esse corpus, aut quid simile, quod inducat loci mutationẽ, aut saltem aliã partiũ locationem, ut cũ calor rarefacit, vel frigus cõdensat, corporis particnlæ rarefactæ, vel densatæ loci mutationẽ faciunt. Hinc Aristo. lib. tertio de anima tactu destructo animal statim interire scribit, quia nihil magis animalib. est necessariũ, quam hujusmodi sensus, cum reliqui eis dati fuerint á natura, ut meliùs, & commodiùs vivere possint. Atq. ex tactus prædicta necessitate fit, ut exuperantia objecti tangibilis per se corrumpat animal, quatenus dissolvit corporis temperiẽ & unitatem: exuperantia verò reliquorum sensibilium non nisi ex accidenti, cum videlicet tactiles qualitates pariter invehit, quarum excessus non solùm ejusmodi sensuum instrumenta, sed ipsum quoq. tangendi organum penitùs labefactat. *Et propterea fit* (inquit Aristo.) *ut cætera quidem sensibilia non corrumpant suis exuperationib. animal, calor, inquam, sonus, & odor, sed ipsa tantùm sensuum instrumẽta, nisi per accidens.* Explicãs verò quomodo per accidens corrumpant, subjungit, *ut si simul cum sono pulso ictusq. fiat:* sonus enim, tametsi auditus instrumento nihil proportione reddat, sua exuperantia non corrũpit, at ubi simul cum sono percussio & ictus infigitur, corrumpitur instrumentũ. Quare læsio, quam inferunt quatuor sensib. objecta propria á sua vi donata est: corruptio verò á tactus objectis commodata.

Quib. positis, cõstituimus solam tactionem esse illam sensionem, quã subsequitur dolor. Probatur hęc cõclusio Divi Thomæ opinione, qui scribit sensibilia tactus dolorosa esse, non solùm, quá sunt improportionata facultati apprehensivæ, sed etiam quatenus sunt contraria naturæ: sensibilia verò aliorum sensuũ dolorosa esse, quantum ad sensibilia tactus reducuntur. Si ergo sensibilia quatuor sensuum sunt tantùm dolorosa, quatenus reducuntur ad sensibilia tactus, sequitur evidenter, quòd dolor ad solum tactum pertineat. *Auctoris assertio.* *1. 2. q. 35. ar. 1. ad 3.*

Nam solutio continui est unica doloris causa, sivé proxima, sivè remota sit: sed objecta aliorum sensuum á tacta dolorem inducunt solvendo continuum, & non alia ratione: continui autem solutio ad solum tactum spectat, ergo dolor aut perceptio causæ, quæ dolorem infert, sola tactio est. Quod verò aliorum sensuum objecta dolorem inferant continuitatem solvendo, constabit libro primo de causis symptomatum, ac præterea quod solutio continui doloris causa, vel concausa sit. *1. Ratio.* *Cap. 6.*

Porrò si etiam sensuum aliorum á

2. Ratio. tactu sẽsiones subsequeretur dolor, sensus ille acriùs doleret, qui perfectior esset, quippe expeditè perciperet, & graviùs sentiret: unde visus omnium sensuũ maximè afflictaretur, acerrimisq. doloribus corriperetur: tactus verò mitioribus, & tolerabilib. cũ visus omnib. perfectior sit, tactus verò imperfectior: hoc tamẽ & experientiæ, ut patet, & Gal. repugnat, qui scribit *maximos dolores tactui contingere, sed visui minùs.*

De diff. symp. c. 3. & 1. de causis cap. 6.

3. Ratio. Quamobrẽ, ut Hippocratica sentẽtia terminemus: dolor tunc fit, cũ natura alteratur & corrũpitur: sed objecta quatuor sensuũ, quantumvis alterare possint, nunquã corrũpunt absq. tactibilib. quæ sola celeritatẽ simul & magnitudinem mutationis inducunt, ergo sola tactio est sensio illa, quam dolor necessariò & confestim subsequitur.

Vnde ex his, quæ dicta sunt respõdem⁹ Aristotelẽ verba fecisse de voluptate & dolore naturali, quẽ ipse irrationalẽ vocat, cũ naturalem appetitum & inclinationem sequatur.

Solvitur an ctoritas Arist.

Solvuntur auctor. Gal. Ad Galeni autẽ auctoritates dicendum omnitũ sensuum instrumẽta dolorem pati, nõ tamen quà talia sunt, & distincta ratione formali, sed quatenus tactũ admixtum habent: oculus enim non patitur doloré à colore primò & p se, sed quatenus sensus tactus objectis utitur. Hoc illud est, quod dicebat Arist. ut si simùl cũ sono pulsio ictusq. fiat, quia tanta est imbecillitas objectorum aliorũ sensuũ, ut sine objecto tactus ne tantillum doloris afferre possint.

1. Solutio. Primæ rationis negamus antecedens, probationi respondemus, non colligi ex Galeni verbis quemlibet aliorũ sensuũ ex propria natura, & proprio objecto, dolore vexari: sed ideo dixit duplici dolore angi posse, quia non solum ab objecto tactus seorsum, ut in qualibet inflammatione, sed à proprio objecto ratione tamen adjunctæ qualitatis tactilis dolet: hinc docuit tactum unico tantũ dolore affici, alios verò sensus duplici affici posse.

2. Solutio. Secundæ rationi respondemus vehemens sensibile sensum lædere ac dissolvere, sed non posse, ut tale est, & respectu propriæ facultatis organum illius corrũpere, nisi quatenus tactum conjunctum infestat.

3. Solutio. Tertia ratio petit solutionem illius quæstionis, qua quæritur an solutio continui numeretur in causis doloris, & per consequens, utrũ sit sensibile propriũ vel commune, sed hoc primo de causis symptomatum determinabimus: hìc verò dicẽdum nunquam dolorem cõmoveri absq. proprio objecto sensus tactus. *Cap. 6.*

4. Solutio. Tandẽ respondemus aliorum sensuum objecta nõ posse percipi à tactu ea formali ratione, qua proprios sensus immutant, verũtamẽ quatenus in propria organa quandã inferunt realẽ alterationem, quæ nõ ad propriã facultatẽ, sed ad tactũ illi adjunctũ, quẽ percutit, spectat. Quãobrẽ licet tactus non percipiat splendorẽ: sentit tamen proprium objectum quodcunq. fuerit, inductũ ab splendore in organũ visus, quia tactus ita sparsus est in omnia sensus instrumenta, ut reales immutationes & corruptiones à propriis objectis illatas, continuò percipiat.

Epilogus. Peroratio fit, qua colligimus cum Aristotele, ac Divo Thoma illius anima latina objecta quatuor sensuum dolorem non inferre, nisi quatenùs illis qualitates tactiles auxilio sunt: licet enim objecta sensuum aliorum à tactu, quà proprias facultates immutant, nequeãt tactũ cõmovere, neq. ab illo percipi: tamen quatenus alterationẽ quandam realẽ in tactũ proprijs facultatibus adjunctum, imprimere possunt, ad sensibilia tactus reducuntur, ita quidem, ut dolor ipsius tactus sensionẽ solam perpetuò subsequatur.

VTRVM DOLOR SENTIATUR.

QVÆSTIO XXIX.

NON rarò, ut rectè animadvertit Vallesi⁹, falsa dogmata nasci solẽt ex malis auctorũ versionib. Nã barbarorũ multi decepti aphorismo sexto secundæ sectionis, statuerunt dolorem esse accidens sensibile, alij commune, alii tangibile. Arbitrantur

tur ergo nonnulli dolorem non esse actionem, sed objectum facultatis sensitricis.

1. Ratio. Id probant, quoniam dolor, vel est actio sensus, vel objectum illius, sed non est actio, ergo est objectum illius, patet assumptio, quia sensus non potest sentire suam sensionem, sed juxta cõmunem loquendi usum dicimus dolorem à sensu externo sentiri, ergo dolor sensus externi objectum est, & ab eo sentitur. Assumptio cõstat ex citato Hippocratis aphorismo, ubi legimus. *Quicunq. dolentes parte aliqua corporis, omninò dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Quo loco apertè dixit Hipp. dolorem sentiri. Præterea sexto Epid. ita scribit. *In cranone veteres dolores frigidi, recentes verò calidi:* ubi etiam dolores sentiri manifestò compertum habet.

Auctoritates. Sectio. 2. aph. 6. Par. 1. tex. 8.

Alt. ratio Lib. 2. de lo. aff. Alteram rationem subjungunt. Omnia signa, quæ affectuum naturam ostendunt, palàm sentiuntur: sed dolor numeratur inter hujusmodi signa, ergo dolor apertissimè sentitur.

Auct. opin. Verum aphorismus ille sextus sectionis secundæ negligenter à multis conversus est. Nam definitè dixisset pugnantia Hipp. si dolentes, dolorem non sentire scripsisset, quandoquidẽ, qui dolet, sine dubio sẽtit.

1. Solutio. Ergo sic intelligendum esse arbitratur Gal. in commentario. Qui habent parte aliqua affectiones dolorificas, tamen non dolent, hi mente laborant, delirantq. Producit etiam

Cõ 1. tex. 8 adductum locũ Hippocratis ex sexto Epidem. quo probat doloris nomẽ de causa doloris dici solere. Cel-

Lib. 2. c. 7. sus etiam de causa doloris interpretatur Hippocratis mentem. Hæc abundè satisfaciunt oppositis auctoritatibus. Nihilominus tamen ulteriùs adjicimus Hippocratẽ in aphorismo non uti nomine ὀδύνη, quo utitur Gal. lib. sexto. Epid. quodq. dolorem significat: sed hoc nomine πόνος, quod significat non tam dolorem, quam laborem. Quare, ut lectio clarior evadat, sic aphorismus transferendus est. *Quicunq. laborãtes parte aliqua corporis, plurimos laborũ non sentiũt, iis mens ægrotat.* Sexto autẽ Epidem. ubi expressè proferuntur ὀδύναι *dolores*, attributa illa calidi aut frigidi,

Odine. Pogos. Odine.

A non dolorib. sed causæ conveniunt: sæpe enim per figurã attributa causarum effectis tribuũtur, ita ut actio sumat denominationem á subjecto. Vnde, cũ dixit, *in cranone veteres dolores frigidi, recentes verò calidi*, idẽ est, ac si dixisset, in Cranone dolores antiqui nascebantur à frigore, recentes à calore.

Alt. solutio Atq. hoc sufficit, ut dolor contineatur & numeretur inter signa sensibilia, nẽpe quod objectum ipsius doloris causa sensibile sit.

Obiectio. B Sciscitabitur à me aliquis, si dolor non sentitur, sed objectũ solum doloris causa, cur qui aliquo dolore corripiuntur, nequeunt exprimere, verbisq. expromere cujus naturæ illius doloris causa sit?

Solutio. Respondeo ignorari quandoq. naturam causę doloris, quia nõ semper excitatur à qualitate propria tactili, cujusmodi est caliditas, vel frigiditas, quæ manifestæ qualitates sunt, sed ab aliis, quarum nomina vulgares homines ignorant.

C

VTRVM PRVRITVS sit dolor.

QVÆSTIO. XXX.

CVM á dolore disputabat G. cui sensus omnes succũbere scripsit, hæc apertissimè verba fecit. *Iam pruritus quoq. ex hoc genere symptomatum est.* Ex quibus nactus occasionẽ, de pruritu, vel prurigine aliqua dicere in animo est, ut omnib. quæ ad differentiam & divisionem doloris

Tex. 13. D spectant, ultimam manum, & quasi fastigium imponamus.

Xysmos. Porrò antiquis temporibus vox ξυσμὸς *pruritus* in usu erat, nunc autem non ampliùs est, propterea sola Hippocratis lingua dicitur à Galeno, id est, obsoleta, & quæ ab usu recedit. Vtitur ea Hippo. lib. de natura muliebri, libro de locis in homine, secundo de morbis, quinto & Epid. tertio aphorismorum, & tertio de dieta.

Senten. 61. Sentent. 27 Sent. 56. apho. 25. & 31. Senten. 8.

Knesmos. Sed multis aliis in locis pruritus κνησμὸς ab eodem, atque etiam à Galeno appellatur, ut libro de veteri

Sent. 29. Sent. 45. Sent. 1. Sent. 2. Sent. 6. Sent. 36. Sent. 8. Sent. 48. Medicina, libro de genitura, libro visu, libro de humoribus, libro de sterilibus, libro de affectionibus, libro de internis affectionibus, libro secundo de morbis, primo Epidem. libro de fracturis & secundo prædictionum. Quæquidem vox in hunc usq. diem usitata est.

Sēt. 3. tex. 1. *Quod pruritus nō sit dolor.* 1. *Ratio.* Illud verò aliqui sibi persuadere non possunt, quod pruritus sit dolor. Nam, ut dicebat magister Plato in Philebo pruritus invehit voluptatem. Vnde in Phædone Socrates, dum scalperet crura, quæ fuerant occupata compedib. dixit se nunquam percepisse maiorem voluptatem. Quamobrem prurigo potiùs voluptas, quam dolor judicanda est.

Alt. ratio. Præterea tantum abest, ut prurigo dolor sit, ut potiùs eandem subsequatur. Nam Gal. parte prima in Hippocratis librum de fracturis sic locutus est. *Excitatur prurigo á vaporibus, qui ab eo, quod supereſt, profusi, leviter mordent: at ubi acriùs mordeant, prurigini iam dolor jungitur.* Ergo prurigo dolor non est, cum dolorem antecedat.

Com. 41. *Auto. Gal.* *Ratio.* Veruntamen Gal. hoc capite, ubi ex instituto investigabat differentias doloris, pruritum in illis adnumeravit. Quinimmò pruritus sensus tactus actio molesta dicitur, vel tædium & displicentia appetitus sensitivi, dolor ergo est.

1. *Solutio.* *Lib. 1. quæstio. nat. ca.* 12. Quare Platoni satisfaciendum, cum Alexandro Aphro. Nam licet ex pruritu capiat corpus non mediocrem voluptatem, id tū non prurigini, sed scalpellationi attribuendum, cui quidem dolor præit, quia humor acris infra cutem detentus partes à natura copulatas distrahit ac divellit, unde dolor: atverò scalpendo voluptate capimur, quoniam subitò evacuato humore, continuò & repentè compelluntur partes & jūguntur, ex quo voluptas, quæ causa est, cur in omnibus evacuationibus præsertim subitò factis, voluptate prefundamur: voluptas igitur ad est ob scalpellationem, non ratione pruriginis.

Obiectio. *Solutio.* Dices, immò scalpellatio dolorem commovet, ut docet experientia. Respondemus, id quidem verum esse: sic tamē se res habet. Cum perfricamus in voluptate sumꝰ, sed postquā scalpserimus dupliciter afflictamur. Primò, quod novos humores trahamus ad partes, ex quo maior distentio, unde dolor. Præterea quod detrahamus cutem parti, quam denudatam acris humor excruciat vehementiùs. Ecce pruritus dolor est, quem acris humoris evacuatione, & partium restituta unione, exhaurit scalpellatio, quæ tamen eundem commovet, cum partem cute nudat.

Alt. solut. Ad Galeni auctoritatem dicendum, pruritum, cum nascitur à vaporib. qui læviter mordent, leniter afficere, ac remissè, dolorem que mitem, & levem esse, cujusmodi sunt illi, quos in latitudine sanitatis constituit Gal. libro primo sanitatis tuē dæ: veruntamen cum acriùs mordent humores, tunc pruritus symptoma reputatur, non quod prurigini iungatur dolor, sed quod tunc apertus, & manifestus evadat, acerb. quidem & intolerabilis, adeo, ut lenitudinem per Anodina, hoc est, dolorem sedantia postulet.

Quid sit pruritus. Quamobrē pruritus est dolor ob excrementum acre sub cute detentū sine asperitate & exulceratione, ad scalpendum nos impellens. Nam excrementum mordax immotum in cute, vel subdita illi parte impactus, talem sensum invehit, ut appetitus sensitivus illud vehementer asperne tur, atq. abhorreat. Acre autem sit id excrementum necesse est, inquo genere nitrosum, salsum, amarumq. continetur. Quod si uratur & melancholicus fiat, ex pruritu psoram, & ex hac leprā excitabit. Sic enim gradib. quibusdam tria hæc vitia gignū tur, sed in psora, lepraq. vel asperitas cutis est, vel exulceratio, atq. excea, vel furfures, vel squamæ etiam decidunt: in pruritu verò cuti lævitas adest. Atq. de symptomatis actionū, quæ ad sensum pertinent dicta sint satis: nunc ad læsiones actionum, quib. motus excitatur, veniamus, ac primùm de convulsione dicendum.

QVID

QVID SIT CONvulsio.

QVÆSTIO. XXXI.

GAL. contextu decimo quarto motricum actionũ prima symptomata docuit esse immobilitatem & difficultatem motus: hãc verò motum imbecillum & depravatum. Libro autem secundo de causis symptomatum duodecim percenset præcipua symptomata, quæ sub depravato motu veluti communi quodam genere complectuntur, quæ sunt cõvulsio, tremor, palpitatio, rigor, horror, singultus, tussis, ructus, sternutatio, pandiculatio, oscitatio, & stridor, quæ quamvis in eo conveniant, quod omnia sint motus depravati: differunt tamen inter se, quod alia corũ sint opera naturæ à causa morbosa violenter moveri coactę, ut sternutatio, tussis, oscitatio, pandiculatio & singultus: alia solius morbi sunt opera, ut palpitatio & convulsio, quæ solos morbos comitantur, natura ad ipsorum generationem nihil conferente: alia horum fiunt, ubi morb. & natura simul operãtur, qualia sunt tremor, rigor, horror, ructus & stridor. Hoc loco de convulsione agere instituimus, ergo in initio sciẽdum est, quod græcum verbum σπάω apud latinos est contraho, unde nomen græcum σπασμὸς latinè dicitur cõtractio: omnes tamen ferè medici hodie convulsionem interpretantur: convelli enim dicitur de partib. quę in longitudinem & latitudinem distendi possunt, idq. violenter, adeo ut aliquando rumpi periclitentur.

Tex. 1. *Spao.* *Spasmos.*

Habemus ergo quid nomine convulsio sit, ac præterea quod sub animali motu depravato contineatur, cujus occasione de animali motu secundum naturam edito aliqua dicenda sunt. Motus hic est actio facultatis animalis motricis, in quo præter facultatem concurrunt voluntas, nervus, & musculus. Facultas in cerebro residet, ac per nervos mittitur ad musculos, qui motus instrumenta sunt, voluntatique optemperantes partes confestim movent. *Voluntas equidem*, ait Gal. *similis est equiti, qui habenarum motu equos impellit, habenis autem similes sunt nervi, quemadmodũ equis musculi:* ut enim eques habenarum motu equum impellit & detinet, sic voluntas facultate motrice per nervos immissa musculos movet, laxat, cõtrahit, retinet. Naturaliter autem, ac libenter moventur musculi, quando proprio naturæ impetu contrahuntur versus suum principium & caput, quod est illa pars, qua nervus illi inseritur, & unà cum ligamento coit, à qua duplici substantia fit tendo, in quem musculus desinit. Porrò voluntarius hic motus tripliciter lædit: quando q. aboletur omninoq. tollitur, aliquando imminuitur, interdum verò depravatur, quo tempore genus est convulsionis, scilicet cum illa contractio fit ob aliquam causam morbificam, quæ musculum infarcit, vel inanit & consumit.

Lib. de causis respirationis.

Convulsio quid.

Iam convulsionem definit Gal. secũdo de symptomatum causis, libro de tremore, tertio de locis patientib. sexto aphorismorum, & tertio de fracturis, ex quib. locis colligunt non pauci definitionem hanc. Convulsio est contractio musculi versus suam originem præter voluntatem. Aliqui sic definiunt, convulsio est passio non voluntaria ad similem venientib. nervosis partib. affectionem ei, quam etiam in motib. factis secũdum appetitum assumebant. Nos in commentario decimo quarto sic definivimus: est invita retractio musculi versus suum principium. Quæ quidem definitiones tanquam Galenicę omnes æquè sunt observandæ.

Cap. 2. *Cap. 6.* *Cap. 6.* *Aph. 39.* *Com. 42.*

Cum ego dicco sic expedio. Convulsio est actio depravata partiũ nervosarum, qua versus suum principiũ retrahuntur. Prima definitionis parte, quod genus est, convenit convulsio cum alijs actionib. & motib. depravatis tremore, palpitatione, concussione: reliqua parte ab illis distinguitur. Nervosas autem partes quinto aphorismorum appellat Gal. nervos, ligamenta, fibras musculorum, & tendones, ex quib. constat musculus. Quarum partium principium varium est: nervi enim origo est cerebrum,

brum, aut spinalis medulla, quemad E modum ligamenti ipsum os: tendonis initium est finis musculi, ut eius fibrarum, illius caput. Ergo harum partium omnium, aut aliquarum, aut unius retractio convulsio est.

Obiectio. Postulabit tamen aliquis ut nominatim decernamus de parte, quæ patitur potissimùm in convulsione: G. enim varius fuit. Aliquando partes nervosas in convulsione retrahi docet, nonnunquam solum musculum, aliquando tantum nervum, plerunq. verò partes, quæ musculo carent, ut ventriculum, & uteri vasa, nervosis partib. coagmentavit.

Solutio. Cap. 2. Respondent aliqui juxta mentē Galeni explicatam lib. de tremore in convulsione, & nervos, & musculos pati, verūtamen si speciatim rem disignare volumus, in hoc symptomate duo spectabimus, motum, & causam motus, si tantum motum, solus musculus debet dici pars affecta, quia solus musculus est instrumentū motus voluntarij: sed si causam morbificam, & nervus, & musculus, primò nervus, quia prius apprehenditur, & consequenter musculus, quæ causa est fortassis, cur Gal. vocaverit convulsionem retractionem partium nervosarum, cum pathos exordiatur à nervis.

Sol. Auct. Attamen, cum cōvulsio purus motus sit, musculum tantum respicere debemus, quia instrumentum motus voluntarij solus musculus est: illius verò caro simplex & fibrosa pars princeps, cui primò debetur hic motus. reliquæ partes, quæ musculi compositionem ingrediuntur, præstant usum. Vnde in convulsione propriè dicta solus musculus patitur, & convellitur, aliquando primò & per se, aliquando per consensum aliarum partium, vel alicujus ex componentib. quod ex Galeno colligitur, qui nonnunquam omnium partium meminit, plerunq. unius, musculi verò nunquam obliviscitur. Iam, quum ventriculi partes retrahuntur, vera convulsio non est, quia quadam similitudine singultus convulsio dicitur, idem de uteri vasis est dicendum.

Convulsionis differentiæ. Itaq. si ad musculos propriè pertinet cōvulsio, pro musculorū differētijs, variæ oriūtur cōvulsioū differentię nō modo universales, sed etiā particulares. Ac particulares quidē sunt ex particularium musculorum differentijs, quarum aliquæ proprijs etiā donatæ sunt nominib. Strabismos in oculo, Trismos in mandibula, Cynicos spasmos in ore, Satyriasis in pene. Vniversales verò, cum vel corpus totum in priora curvatur. Emprosthotonos græcis dicta: vel in posteriora Opisthotonos: vel in utranq. partem æqualiter Tetanos. Quæ omnes fiunt revulsis ad propria capita musculis. Sed utrum omnis convulsio actio depravata sit, inquiramus.

Obiectio. F Verum, cum duplex sit status hujusmodi revulsionis & contractionis, primò, cum fit, quo tempore solùm motus est, præterea cum facta, & conquiescit, hic urget occasio inquirendi, cujus sit definitio explicata, nimirum convulsionis, dum fit, an convulsionis, quæ omninò facta est. Sed hæc petitio sejunctum postulat responsum, quod subsequenti quæstione reddam cumulatè. *Solutio.*

G VTRVM CONVVLsio, quæ omnino facta est, sit actio abolita, an depravata.

QVÆSTIO XXXII.

QVæstione decima octava, objectione decimaquinta nobis in dubium venit, utrum convulsio, quæ omninò facta est, & cōquiescit, actio depravata sit, an abolita & ablata. Quod quidem licet leve sit, ac breve responsu tamē ibi subsistere decuit, H quoniam summa est hac de re inter Doctores dissentio.

Galeno solius morbi opus est convulsio, quæ nervorum, & musculorū principium versus contractio definita est. Nam ea concluſa & terminata facultas agere desistit: instrumentum verò scilicet musculus cogitur & cōpellitur à morbo in locum facultatis suffecto & surrogato. Cumq. vehemens hæc & violenta contractio sit motus & actio, tandem vero in fine

ne & termino consistat, deficiente facultate à solo morbo conservatur, quo coeperat, cursu eodem semper procedente.

Hinc duplicem convulsionem assequimur, alteram in via, & cùm adhuc fit, alteram verò, cum omninò facta est. De convulsione fiente nulla est controversia, siquidem sine aliqua dubitatione actio depravata est: de omninò facta, & ad ultimum perducta, utrum depravata sit, an abolita, divortium & magnum dissidium est.

Duplex cõ vulsio.

Petrus Garcia in disputationib. de locis patientib. inquirens cui generi proximo subjiciatur convulsio, statuit omnem convulsionem absolutè, & simpliciter esse actionem depravatam. Hoc, ut confirmet, primùm subjicit doctrinam exaratam libro de tremore, palpitatione, convulsione, & rigore, ubi scribit Galenus plurimùm differre motum propriè dictũ, nempe loci mutationem, ab actione, quoniam in animalib. cum quiescũt à motu, actio vera reperitur. *Siquidem aves non modo sursum & deorsum tendentes sed etiamsi locum unum in aere occupent, tunc in motu quoq esse censebuntur*: motrix enim facultas nunquam cessat in actione, quamvis in uno & eodem loco quiescant. *Nam, si in eo loco situm fuerit mortuum avis corpus, facilè ad terram decidet, pondere suo inclinans.* Vnde constat, quod avis corpus permaneos in una parte aeris, non potest in uno, & eodem loco permanere, cum sit naturaliter grave, nisi sustentetur, & virtute aliqua in illa permanentia cõfirmetur. Præterea, cum aliquis, aut manum, aut crus tollit in altum, non est arbitrandum manum, aut crus immota manere, tametsi unum eundemq. semper occupent locum, quoniam facultas animalis motrix semper operatur, & partes illas in eo situ, & positione tuetur, & conservat. His subjungere poterat Garcia locum secundi libri de cau. symp. ubi docuit Gal. convulsionem & motum voluntarium nullo modo ad immobilitatem attinere. Scribit præterea undecimo methodi, nõ modo manum extendere, aut flectere ex his esse, quæ fiunt: verum etiam ipsius immobilitatem, quoniam conquiescente manu facultas motrix nunquam cessat in actione.

Opinio Garcia.

Fundamentum. Cap. 4.

Cap. 2.

Cap. 12.

Similiter convulsionis causa non solùm operatur, cum fit convulsio, sed etiam quando jam facta est, detinet musculum in eo statu, in quo detinebat facultas, quando voluntariò contrahebatur. Quod autem conquiescẽte corpore, aliquid sit, quod ægẽdo sublevet, ipsumq. attollat, docuit Hip. lib. de ulcerib. *Stare*, inquit, *ulceri minimè conducit, præsertim si crura infestet: neq. sedere, neq ambulare, sed conquiescere, & otio vacare confert: stare autem, & sedere minimè prosunt*: etenim tunc musculi, qui gestant corpus, & à terra attollunt, & erigunt, intonsi sunt. Vnde citra motum non fit, quãdo quis decũbit, & caput sublimiùs habet: pedes autem humiliores: *sublabitur enim facilè ad pedes*, inquit Galenus, *nisi motu contrario renitatur*. Quod in prognosticis judicavit etiam Hip. *Si verò præceps agitur, & à lecto ad pedes delabitur, graviùs periculum minatur. Nã ad pedes sublabi decumbentem*, Gal. ait, *virtutis extrema imbecillis nota est firmissima*. Quamobrem licet quiescat musculus, & eò collectus, quò naturaliter, & voluntariè contrahi solebat, nihilominus tamen convulsionis causa constanter agere poterit, atq. interim convulsio dici actio depravata.

Objectio.

Quod si objiciat aliquis ex Aristotele idem esse motum, actionem, & passionem, atq. impossibile, quod adsit actio sine motu, sed in illa quiete nullus est motus, nulla igitur actio. Respondet Garcia falsam esse propositionem, nam Aristoteles arbitratus est, idem esse motum, actionem, & passionem secundum rem: at secundũ formam, & ex natura rei, admodum distingui. Vnde nusquam datur motus sine actione & passione, verum actio & passio sine motu propriè dicto frequentissimè: conservatio enim est actio, immò in convulsione jam facta, postquam quieverit musculus, nova actio omninò sine motu reperitur.

Solutio.

Assertio Garcia.

Quo facto fundamento hujus opinionis assertio est, convulsionem omninò factam esse actionem depravatam, quæ hac ratione potest confirmari. Actio depravata procedit ab agente,

Ratio.

agente, quod acerrimè agit, quodq. adhuc non desijt agere: sed omninò facta convulsio pendet à morbo valido, qui etiam nunc agit, & constanter conservat musculi contractionè, igitur omninò facta convulsio est actio depravata. Propositio est verissima, quoniam actio ablata non fit, diminuta imbecillius quidem, depravata verò acriùs. Assumptio patet, nam cõservatio tetracti musculi actio quædam est.

Mihi tamen opposita sententia valdè placet. Sed antequam id clariùs dicam, tanquam fundamentum ponam, quid sit actio, tum depravata, tũ ablata, in quo defecit Garcias: sic enim facilius processisset. Actio ablata est, quæ, aut revera, aut quantùm sensu judicare possumus, prorsus perijt. Hujus duplex differentia est, ut indicat definitio, altera, cum instrumentum illius omninò deest, ut cum alicui manus est abscisa, altera, cum actio est ablata, sed eius causa & morb. unde nascitur, curari potest, ut deperditus sensus, & motus in apoplexia & paralysi, atq. respiratio abolita in uteri suffocatione.

Opinio Authoris. Fundamentum.

Quid sit actio abolita.

Actio depravata definita fuit à nobis in superiorib. actio læsa, quæ ita fit, ut illius agendi principio aliquid sit annexum, quod eius mutet terminum, vel modum agendi: ita verò immutet, ut in alium terminum, vel modum commutet, ut in horrore, palpitatione, rigore, singultu.

Quid sit actio depravata.

Quib. jactis asserimus convulsionem, quæ omninò facta est, actionem abolitam esse. Quam opinionẽ multis ab hinc annis invexit Iacob. Segarra ab optimo magistro Lodovico Collado confirmatam, cui assensus est P. Paulus Pereda in Michaelem Ioannem Paschalium capite de convulsione. Quam assertionem, ut demonstremus, speculemur, & penitus perscruremur, quæ harum definitionum omninò factę convulsioni conveniat.

Nam definitio actionis depravatę ad convulsionem hanc minimè quadrat. Imprimis actio depravata fit: hoc enim distinguitur ab ea, quæ ablata est, quãdoquidem ablata & abolita nullatenus fit. Iam omninò facta convulsio minimè fit, igitur omninò facta cõvulsio nõ est actio ꝺpravata. Propositio explicanda est, atq. difficultas, inquam incurrit, explananda. Sumitur hìc fieri pro illo impulsu quo morb. membrum patiens manifestò agitat, longiùsq. movet, cujus, vel terminum agẽdi, vel modum mutat, ut apparet in singultu, quando ventriculi modus agendi mutatur in agitatione illa violenta, vexationeq. in qua consistit illa actio. Probemus assumptionem, nam, cum animalis motus invitè pervenerit ad terminum, ad quem ultimò accedit, cum voluntatiè fit, & corporis pars morbificis causis devicta quiescit, eo tẽpore, neq. agitatur motus, neq. partis actio fit, sed omninò facta convulsio tandem devenit in extremum terminum collectionis musculi, qui morbo devictus retractus quiescit, ergò omninò facta convulsio minimè fit. Cõstat igitur primam partem definitionis actionis depravatæ non convenire omninò factæ convulsioni.

1. *Ratio.*

Exagitemus alteram partem, qua diximus illius terminum, vel modum commutari. Profectò cõvulsio, cum est in via perturbat, cõcitat, partem flectit: sed quando in termino (si motum in termino considerare licet) iners & ignava quiescit, ergo cum omnino facta est, nec membri motum invertit, nec modum, quo musculus antea movebatur, ad alium commutat.

2. *Ratio.*

Præterea exquiramus, an definitio actionis abolitæ congruat omninò factæ convulsioni. Actio abolita definitur, quæ revera, aut quantum judicat sensus, eversa, & deperdita est: sed omninò facta convulsio sic se habet, ergo omnino facta convulsio actio abolita est. Probatur assumptio, nam quemadmodum actio dicitur diminuta, vel depravata, cum instrumentum illius est vitiatum, ita revera est eversa, & deperdita, cum illius instrumentum actione solita omninò est privatum: sed omninò factæ convulsionis instrumentum, scilicet musculus, orbatur omninò contractione, quam exercebat antea, igitur omninò facta convulsio, revera eversa & deperdita est.

3. *Ratio.*

Præsentio aliquem responsurum falsam *Evasio.*

Biblioteca Universitaria

falsam esse assumptionem, quoniam licet musculus contrahi cessaverit: tamen in illa quiete illi simili, quam capiunt aves, agens præter naturam adhuc agere non cessavit, immò nititur, & contendit, ut cõtractionem servet, & conservet, quę quidem conservatio quædam actio est.

Refutatur. Cui responsioni sic insurgo. Ad constituendam naturam actionis depravatæ non est attendenda cujuslibet causæ præter naturã actio (quod etiam multos decepit ante Garciã) sed illius tantum, quæ in statu naturali proxima causa est. Iã verò musculus est functionis motricis proxima causa, igitur apertè constat eam actionem eversam, & deperditam

Obiectio. esse. Sed objiciet aliquis, in convulsione facta morbum cõstitutum esse, quasi vicarium in facultatis loco, & quod facultas in naturali statu præclarè faciebat, utcunq. morbum exequi præter naturam, quamobrem agit musculus à morbo compressus, graviter patitur, nunquam quiescit. Respondeo morbum conservare & quodãmodo agere ministrante musculo, sed animalem actionem usque quaq. periisse judicio sensus, quod sufficit ad constituendam actionem abolitam: sensus enim magna firmitate dirigitur ad hujusmodi motus distinguendos, aliàs plures actiones præter naturam, quæ omnium consensu abolitæ sunt, dicerentur depravatæ.

1. Exemplũ Exemplo sit respirationis, quoad sensum, privatio in uteri suffocatione. Nam, qui adscripserit symptoma hoc solis vaporib. elevatis, qui in septo, & gutturis musculis molestiam, & suffocationem fovent, atq. propterea respirationem ipsam depravatam actionem appellaverit, lõgè falletur opinione.

2. Exemplũ Paralysis præterea sensus & motus abolitus est, ob nervorum resolutionem. Siquis verò ex crassi humoris nervis impacti perseverantiã, voluerit depravationẽ probare, profectò conclusio in cursu cadet.

3. Exemplum. Similiter Ἀμάυρωσις absolutum visus impedimentum repentè, unoq. impetu incidens exoptici nervi obstructione à crasso & viscoso humore subitò illapso, sine controversia visio abolita est: guttam serenam võcant barbari. Siquis tamen ex solã humoris crassi, & viscidi pertinatia deceptus, colligere voluerit depravatam esse visionem, per errorem turpem rapietur: visionis enim secundũ naturam instrumentum est oculus, qui, cum sit proprio munere orbatus, ex eo visionem omninò ablatam esse manifestum est.

Idem in pterygio dicẽdũ: etenim visionis & actionis genus non est colligendum ex nervosa excrescentia, quæ conservat læsionem: sed ex oculo obcæcato quasi lucerna inter extincta, instrumentoq. visus, prorsus aboliti & ablati. *4. Exemplum.*

Quamobrem, ut hanc confirmationem terminemus, deserviat nobis firmissima ratio, cui adversarius se cumulatè respondisse putat. Actio depravata duplex est, aucta, ut appetentia canina, vel erronea, ut palpitatio: sed omninò facta convulsio nulla est harum actionum, ergo non est actio depravata. Quod non sit aucta præclarè constat: quod non sit erronea, profectò hinc, quoniam pervenit jam ad naturalem terminum, atq. sensus judicio nullo modo fit, quamvis sumatur ex parte principij efficientis, cum errare sit, de via recta ad deterrimã deflectere, atq actio erronea citra facultatis jussum, & voluntatem agendi modum commutet in alienum: at omninò facta convulsio non labitur per errorem, sed jam lapsa est, & conquiescit. Cum pterygiũ exoritur, & ad pupillæ medium pervenit, visio erronea est, quod ex dimidio percipiãtur objecta: sed cum omninò pupillam obtenebrat, nullus est error in visione, ut in talpa, ita convulsio, cum fit, malè fit, cum omninò facta est, neq. fit, neq. musculus cõtrahitur, neq. movetur, neq. aliquam molitur animalem actionẽ, quam advertat sensus. *4. Ratio.*

Idem nos docent reliquæ actiones animales, atq. omnes naturales, in quib. cum abolitæ sunt, nullam sensus percipit commotionem: cum verò depravatæ, ac præsertim erroneę, de quib. nunc agimus, sensus manifestò deprehendit, non modo agitationem, sed etiam magnam, tum ratione agentis, tum ratione termini

in alium modum commutationem, E
Lib. de pul. ad tyro. c. 7 & 2. de præsag. pul. cap. 8. ut in pulsu dicroto, id est, bis pulsante, cum arteria dilatatur, ut refrigeretur cor, sed fuliginis expellendi gratia retrahitur, antequam implea tur dilatatio, quam iterum excitat necessitas refrigerandi, & cogit inceptam distentionem complere. Similiter in Apepsia concoctione abolita, absolutaque eruditate, cum ventriculus extremè imbecillus est, planèq. illius facultas victa, nullam nos manifestam agnoscimus commotionem. Attamen in dispepsia concoctione alimenti depravata, sive alimẽti corruptela, ejusq. in qualitatem à natura alienam alterationem, pluribus ructib. vel multi vaporis repletione ciborum corruptiones deprehendimus.

Tandem dicamus aliqua de fundamento amici Garciæ, atq. illius ratio ni satisfaciamus. Fundamẽtum est fe
Excutitur fundamentũ Garciæ. ré totum caput quartum libri de tremore, & palpitatione, in quo instituit docere Galenus, quod tremor differat à palpitatione: statim verò, ut natura tremoris innotescat, in disceptationem, quæstionemq. vocat, utrum moveantur, quæ citra motum esse videntur, atq. avium exemplo, quæ locum unum in aere occupant, & tunc in motu quoq. esse censentur, concludit illos moveri, qui aut crus, aut manum tollũt in altum, atq. deinde ita in eodem loco servant, quib. si non conceditur motus, saltem actio illis omninò concedenda est, ut in illa cessatione agere concedamus. Hæc multis Galenus monstravit, ad tremorem quidem opportuna, sed nequaquam ad convulsionem, quam deinde capite ultimo definit, *motum naturali similem, sed citra voluntatem*: de actione verò aliqua nõ meminit: unde actionum ista collatio Garciam nihil juvat: distat enim multùm facultatis & musculorum actio, quam motum tonicum primo de motu musculorum, & secundo de causis symptomatum appellat Galenus, ab actione, qua præter naturam agens contractum musculum conservat in omninò facta convulsione.

Cap. 8. Cap. 2.

Verum, cum libri secundi de cau-
Observatio sis symptomatum meminerim, oblivisci non possum, Galenum ibi distinxisse motum tonicum à convulsione, eo quod convulsio, quemadmodum & motus voluntarius, nulla ratione potest revocari ad quietem & immobilitatem: cum in illis nulla prorsus sit quies: verum motus tonicus & ad motum, & ad quietem reducitur, quoniam alio modo motus, alio immobilitas dici potest. Quib. diruitur F Garciæ fundamentum, nam si plurimùm interest inter motum tonicum & convulsionem, profectò convulsio motui tonico nihil, vel parum proportione reddit. Sed dices Galenum locutum fuisse de convulsione, cum fit, cum verò facta est, reduci potest, tum ad motum, tum ad quietum. Id quidẽ ego assentior. Verum Garcia non admittit hanc philosophiam, quam tamen admittit curatio, quæ non perinde procedit, cum lenimus & placamus convulsionem fientem, atque cum factam appositè curamus.

Obiectio. *Solutio.*

Sol. rationis. G Quæ quidem apertè indicant contrariæ rationis assumptionem falsam esse, quoniam ad actionem depravatam constituendam non sufficit illa tacita agentis conservatio, quam in plurib. actionib. ablatis adesse constat, sed musculi, & causæ præter naturam vehementiùs cõtrahentis manifestus motus necessarius est. Atq. hæc est causa, cur dixerit Gal. citato libro de causis symptomatum, convulsionem nullo modo pertinere ad immobilitatem, quoniam est manifestus motus depravatus: loquebatur enim de convulsione fiente, ut dudum diximus, & ibi explanabimus.

Interpretatur Galen. Hinc patet contextus Galeni unde- H cimi libri medendi methodi, nam quemadmodum facultas motrix operatur, dum extenditur, vel clauditur manus, ita constanter agit in immobilitate, qui motus tonicus est. Verumtamen noster sensus, cui ars constricta & addicta est, aliam fert de convulsione facta sententiam.

? ✠ ?

QVID

QVID SIT EPILEPSIA.

QVÆSTIO. XXXIII.

Epilepsia. Epilepsis. Epilemba-nesthai. Epi. Lepsis.

Ἐπιλῆψις, vel ἐπίληψις apprehensio est à verbo ἐπιλαμβάνεσθαι apprehendere: ἐπί enim est supra, λῆψις captio, inde supracaptio, quòd in ea capiãtur, & intercipiantur, vinciantur que sensuum omnium actiones. Comitialis morb. dicitur à Romanorum comitiis: interrumpebantur enim quoties aliquis eo morbo concidisset, unde à cadendo morb. caducus. Hippocrates sexto Epidem. fulgorem vocat, quo loco & libro eidem dicato sacrum morbum appellavit ex aliquorum opinione (lues enim Deifica, vel sacra dicitur ab Aurelia no) quam falsam esse putat, quoniã *si propter admirationem divinus censetur* (vel propterea quod in capite animæ sacrato loco fiat, ut ego addo) *multi morbi sacri erunt, & nõ unus*, quod etiam assentitur Gal. Verum epilepsia sacer morb. dicitur, quia magnus est: sic vocatur ab Hippocrate citato libro sexto Epidem. & à Galeno alicubi: à Celso verò maior, qua ratione os sacrum græci dicunt, non quod sacri & arcani quidpiam in se contineat, sed ob magnitudinem: est enim omnium totius spinæ ossium maximum, ideo ab Hippocrate magna vertebra vocatur. Sic ab Homero piscis magnus appellatur sacer, & à Vergilio auri sacra fames, id est, magna. Hoc respexerunt *nonnulli, qui Herculeum vocarunt, non quod Hercules eo vexaretur, sed videntur isti effinxisse nomen hoc magnitudinem*, & inexpugnabilem vim, *significans sicut voluerunt alij etiam nomin. ejus sævitiam exprimere*, ut Plinius, qui sonticum morbum dixit: ita enim epilepsiam è Dioscoride reddit.

Cõ 1. tex. 5. *Tex. 7.* *Lib. de morbo sacro.* *6. Epidem. Cõ. 6. tex. 7* *Ibidem.* *Lib. de puer. epilepticõ.* *2. Epidem. sect. 4.* *Lib. 36. ca. 19.* *Lib. 5. cap. 103.*

Nam sonticus morb. à nocendo dicitur, auctore Festo & Cassio, q sontes significet nocentes. Vnde in lege duodecima Tabul. vetebatur, nequis in jus vocatus excusaret morbum ullum præter sonticum, nã qui leviter ægrotabant, hi omnes vocari necesse erat, ut adessent, sed qui decumbebant ob gravem morbum, sanè citra legem erant excusati, præterea & laborantes morbo comitiali, quod & in foro, & in comitiis infaustum haberetur, si quando Epilepticus in morbũ incidisset. Quamobrem, cum in controversia versaretur, quis esset apud veteres morbus, qui insputaretur, à Plauto in captivis omnium primo sic appellatus, hanc Plinii composuit auctoritas, qui libro decimo & vigesimo octavo disertissimis verbis mõstrat Epilepsiam fuisse morbum, qui insputabatur. Sed incertum erat, quis fuerit insputandi modus. Doctissimus autem Mercurialis lib. quinto variarũ lectionum ejus est sententiæ, id fecisse priscos in Epilepsia, quod faciunt hodie in plerisq. regionib. ut ubi epilepticꝰ vel occurrit, vel morb. nominatur (quemadmodũ in Hispania cancer) sputũ emittatur, tanquam hujuscemodi conspuitio ad avertendam à se se morbi perniciem conferat.

Cap. 23. *Cap. 3.* *Cap. 11.*

Præterea Hipp. libro de aere, aquis & locis morbum puerilem appellavit, quoniam pueritiæ tempore abundat, ut sexto Epidem. scribit Gal. Aristoteles extasin puerilem. Arabes barbaro sermone matrem puerorum: at non quia mater, sed quod injusta puerorum noverca sit morb. hic, matrem ironicè appellatum existimo. Vnde Lucretio primus morbus dicitur, quod primam ætatem sæpius oppugnet. Tandem in sacrosancto Evangelio morb. lunaticus vocatus est. Nam humanæ salutis auctori oblatus fuit puer lunaticus, qui, ut ex verbis paternis colligi potest, epilepticus erat. *Filius meus*, pater inquit, *videt, clamat, in ignem cadit, spumam emittit ex ore, sine sensu est.* Quæ signa sunt Epilepsiç, nec alia doctores proposuere, quãvis potuerit à Demone induci morbus ille. Lunaticum autem dici scribit Rhodiginus, & fortasis ex Severeno medico transcripsit, quòd interlunio æditos eo ferè corripi adnoratum sit. Quemadmodum nominetur Epilepsia dictum est, quid sit penitùs perscrutemur.

Sent. 4. *Cõ. 6. tex. 7.* *3. sect. prob. 1.* *Matth. 17. Luca & Iehan. cap. 9.* *Origenes.* *Lib. 6. c. 8.*

Epilepsia est convulsio totius corporis *Epilep. def.*

non perpetua, sed quæ ex temporum accidit intervallis, cum mentis & sensuum ob læsione. Hæc Gal. lib. tertio de locis

Cap. 7. Lib. 3. c. 13 patientib. unde Paulus eandé ad verbũ definitionẽ transcripsit: cõvulsio generis locum habet, reliqua differentiæ sunt. Nam species veræ convulsionis ab Epilepsia differunt perpetuitate & continuatione, cũ Epilepsia non permaneat, & longiùs nõ provehatur, sed quodam spatio, & intervallo, deinde verò cõquiescat, tũ etiã quia sola Epilepsia cũ mẽtis & sensuũ læsione cõtingit affecto cerebro, quod aliis convulsionib. non adest. Porrò Epilepsia duob. modis fit: primò cerebri proprio affectu, secũdò per cõsensum, & quidẽ dupliciter, uno modo, per cõsensũ oris vẽtriculi, altero, cũ ex parte aliqua, malũ incipit, & deinde sẽsibiliter ægroti ad caput ascendit, veluti Gal. citato loco scribit, quem Paulus, Alexãder & Ætius sectati sunt.

Epilepsiæ divisio.

Ibidem.

Sed illud potest habere dubitationẽ, an Galenus convulsionis nomine verã convulsionẽ, an motũ cõvulsivum intelligat. Arbitrabitur aliquis veram convulsionem esse. Nam Gal. loco citato *Epilepticorũ convulsionem similiter fieri ait, ijs convulsionibus, quæ à spinali medulla principium habent, irrigato singulorum nervorum exortu.* Si epilepticorũ convulsio similiter fit, velut veræ convulsiones, sine dubio Epilepsia vera convulsio est.

An Epilepsia sit vera convulsio an motus convulsivus.

Aliquorum opinio.

Ibidem.

Quandoquidem vera cõvulsio est contractio musculi suam originem versus præter voluntatem: sed ita se habet Epilepsia, ergo vera convulsio est.

Ratio.

Nos tamen, cum Galenus Epilepsiam appellat convulsionem existimamus nomine convulsionis motum convulsivum intellexisse.

Act. opin.

Quoniam vera convulsio, postquã invaserit, rursus affligit, perpetua est, ut in illius differentiis universalib. videre est, scilicet, cum vel corpus totum in priora curvatur, vel in posteriora, vel in utramque partem æquãliter: atverò Epilepsia perpetua passio non est, sed ex temporũ accidit intervallis, ergo vera convulsio non est.

1. Ratio.

Præterea Epilepsia cõvulsio defi-

Alt. ratio.

nitur, quæ accidit cũ mentis & sensuũ ob læsione: sed in vera cõvulsione nõ contingit hæc læsio, ergo Epilepsia vera cõvulsio non est. Appositẽ autẽ dixit Gal. Epilepticũ motum similẽ esse veræ convulsioni, quia motus ille cõvulsivus in modo contractionis, cũ vera cõvulsione fiente videtur posse cõparari, ex eo tñ non sequitur verã convulsionẽ esse, quoniam in convulsione retractio nervorum est versus suã originẽ: in Epilepsia verò talis retractio non reperitur, sed tantum totius corporis cõcussio.

Interpretatur Gal.

Colligamus hinc rationis assumptionẽ falsã, quia vera cõvulsio à solo morbo fit. Epilepsia verò, ut omnis motus convulsivus, à facultate irritata.

Solvitur ratio.

Iã inquirere, quæ sit hæc facultas, cũ re, de qua agitur, mirificè coheret. Vallesius lib. quinto contro. scribit facultatẽ hanc esse animalẽ motricem, quod poterat ex Galeno mõstrare, qui dudũ explanato capite sic locutus est. *Quod si totius corporis non solũ convulsio sit sed etiã rectricis partis actionum cohibitio, Epilepsia dicitur: sicut Apoplexia cũ est totius corporis resolutio, nuã cum rectricis partis functionib. cohibitis Atq. hæ quidem motivarum actionum sunt læsiones.*

Motus convulsivus à qua facultate oriatur. Cap. 3.

Tex. 14.

Præterea ratione, quoniam motus ille convulsivus fit à musculis, qui sunt instrumenta motus animalis, procedit ergo Epilepsia & totius corporis illa concussio ab animali facultate motrice.

Ratio.

Quod si quis objiciat motus omnes facultatis animalis nostræ morẽ gerere voluntati, quæ aliquando urget, nonnunquã eosdem remoratur: veruntamen talis non est illa cõcussio, nam qui Epilepsia vexantur movẽt quidem nervos, cæterum non libere: non enim videntur movere quando volunt, sed velint nolint, ergo motus epileptici non exoriuntur à facultate animali motrice, quę voluntaria est.

Obiectio.

Respondet Vallesius facultatem animalem motricem, natura sua, voluntati servire, atq. liberam esse, cũ animali valetudo est: at cũ Epilepsia viget, ab officio suo declinat impedita, quodq. debet, præstare nequit, quia cũ cerebrũ præter naturã affectum

Solutio.

ctum est, partium animalis facultas motrix facilè subsequitur actiones illius, quemadmodum & sensitrix.

Auctoris opinio. Vera tamen opinio est, facultatē hāc, unde procedit Epilepsia & motus convulsivus, naturalem expultricem esse. Docet hoc noster Gal. libro primo de causis symptomatum de Epilesia & Apoplexia disputans. *Cap. ultim.* *Ambo enim hæc*, inquit, *vitiosi motus cerebri sunt, ideoq. & partium omnium:* quemadmodum enim in apoplexia propter affectum cerebri totum corpus privatur sensu & motu, ita in Epilepsia crebro cerebri concussu, dum sua facultate expultrice conatur foras expellere infestantem humorem, qui ejus vētriculos obstruere conatur, nervosæ partes corporis omnes ad motum cerebri, quod earum veluti ramorum truncus est, vehementer concutiuntur & agitantur. *Ibidem.* Præterea libro tertio de locis pat. *Quoniam verò & velociter cessat* (Epilepsiam intelligit) *in ventriculis cerebri potiùs consentaneum est à crassò humore vias spiritus obstruente tunc affectum procreari, nervorum principioſe ipsum quatiente, quo excutiat ea, quæ noxia sunt.* Et in fine capitis de Epilepsia per cōsensum verba faciens. *Quominus*, inquit, *mirandū est, si nervorū principiū*, id est, cerebri, *huiusce modi motu cōcutiatur, ut à se expellat, quidquid fuerit id, quod à parte primò affecta ad ipsum effertur.* Cum igitur nervi omnes cerebro juncti & continuati sint, cum ipsum naturali facultate humorem noxium concutit & detrudit, partes nervosas ad commune bonum eadem vi concurrere verum sincerumque est.

Lib. 6. c. 13. Opinionem hanc tenet Aetius ex Posidonio, quæ his rationib. cōfirmatur. *Ratio.* Maior vis requiritur ad motum, quā ad sensum: sed qui laborat Epilepsia neq. videt, neq. audit, neq. ullo sensu quidquā percipit, impediente humore facultatis animalis descensum ad instrumenta sentiēdi, ergo partes nervosæ ac musculi facultate animali motrice omninò sūt privati, & per cōsequens in Epilepsia actio facultatis animalis nō principis, hoc est, motricis & sensitricis ablata est: naturalis verò expultrix depravata.

Altera ratio. Probabile est, quod nervi compatiantur affecto cerebro, ac inde contrahantur, convellanturq. ac si proprio affectu tenerentur: hoc enim in similib. docet experientia, ut in tussi ex hepatis inflatione, quando pulmo nihil per se lædituɾ, rigore totius corporis ex cauterio, aut frigidæ subita perfusione, cum internæ partes nihil patiantur, ac tandem in nausea, inaniq. vomitu in dysenteria.

Obiectio. Sed, ut rem hanc ad exitum perducamus, enixè postulo, vt à quadā difficultate, in quā delabimur, citò dissolvamus. Si Epilepsia est universi corporis cōcussio, quā edit cerebri prorritati cōtractio, mox inde spinalis medullæ, & inde nervorū omniū, non quidē ita nervorum, ut habeant cōcussificam causam intra se: sed quod unius tantū principii depravato accidat motu, quare aliqui epileptici convelluntur, vel concutiuntur secundum alterum latus, aut secundū partes quasdā, non autē toto corpore? Nam Apellæus in Larissa apud Hipp. lib. sexto Epid. con- *Sent.* ?? vellebatur circa dextras partes primùm, & faciem, & reliquum corpus, deinde in sinistris.

Solutio. Respondeo nō dici Epilepsiā motum corporis totius convulsivum, ut actu ita sit: sed quia quātum in morbo est, ita possit fieri. Cerebrum autem non semper irritatur juxta partes omnes, sed secundum aliquas, *3. de lo. aff. cap. 10.* atq. inde nervi & musculi, qui partibus illis directò respondent.

Alt. Solut. Vel dicendum aliquando, & potissimū in Epilepsia per consensum, vapores acres cruciare ac pungere capita aliquorū nervorum, quemadmodum observamus in febribus ardentibus, vnde sequitur aliquas partes convelli, vel concutere primùm, deinde alias, ut Apellæo accidit.

DE APOPLEXIA

QVÆSTIO. XXXIII.

Apoplexia. Apoplexia græcis, latinis percussio est, à verbo græco πλήσσω, quod est percutio: propterea enim

apoplexia est, atq. inde nomen inditum, quia velut ictu gravi percussi concidant subitò apoplectici: cum enim animalia, quæ ante aras cæderentur uno ictu viderent universim corruere, ab hac similitudine, affectos hoc morbo veteres percussos nominarunt. Quamobrē apoplectici à veterib. syderati, quasi percussi fulmine, vocati sunt, quod ipsi sidus esse crediderunt: unde Apoplexia sideratio Scribonio dicta est. Latini autē medici voce græca servata apoplexiā dicunt, & aliqui morbum attonitū, quia vivunt quidē qui eō detenti sunt: sed ita vivunt, ut neq. sensu, neq. motu fruantur, qui vitæ sunt inditia. Porrò capitis cerebriq. repleti & prorritati omninò symptomatū quatuor sunt genera: *cephalalgia*, mitis capitis dolor: *cataphora*, magna & gravis somnolentia: *paraphora*, parvum delirium: & *catarrhus* descēsus humoris ē capite in os. Per

Ton apoplecticon. 1

tinet autē genus omne τῶν ἐγκεφάλων ad catarrhū, cum apoplectica enascantur à cerebro. Nā Apoplexia, propriè dicta resolutio est universi corporis: paralysis dimidiati: paraplegia verò quorumlibet artuū. Atque

Ton apoplecticon.

hæc tria symptomata nomine τῶν ἐγκεφάλων continentur, quæ quidem nascuntur, alia quidē in cerebro, alia verò à cerebro. Sanè Apoplexia in cerebro nascitur per catarrhum, quo cerebrū ipsum valdē oppressū fatiscit, & vim animalitatis nullam edit, cū amissione sensus & motus in universo corpore. Paralysis verò & paraplegia per catarrhū, qui à cerebro foras trāsmittitur in cerebri ipsius propagines, videlicet ad spinalem medullam & nervos. Ergo in Apoplexia propriè dicta repentè cernitur collapsa animalitas ipsa in amissione sensus & motus, idq. principatu ejus constricto, & spiritu animali concluso. Causa verò facultatis animalis collapsæ potissimū agnoscitur cōstrictio cerebri, qua spiritus animalis facultati morem nō gerit, nec illū jā edit officiū. Talis in prōptu & Apoplexia, de qua Hippoc. hunc posuit aphorismū. *Quib. cerebrū aliqua occasione concussū fuerit, necesse est statim mutos fieri.* Vbi Gal. auctor est, per aphoniā hoc est, vocis privatio-

7. aphor. 58

E nē, intelligi motus & sensus amissionem, quæ cernitur maximè in iis, qui voce capti sunt. Huc spectat & illud, quod etiā Hipp. sic annotavit. *Quicunq. sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiūt, & stertunt, in septē dieb. pereunt, nisi febris apprehenderit.* Ibi Gal. *Mutos solet Hipp. nominare non eos tantū quib. lāditur vox, verū per exuperantiā quandā unā cū ejus lasione dat nobis intelligēdas omnes, quæ secundū naturā, operationes. Nonnunquā illis oblæsis, nō inicrynt sensus. Quos igitur ipse mutos appellat, contingit esse sentiētes: sed sapius utraq. patiuntur: & talē affectum vocat Apoplexiā.* Ergo ex ijs, quæ intra sūt, & intus latent, nascitur Apoplexia, corruitq. animalitas ipsa cū amissione sensus & motus, quia spiritus animalis exitu prohibetur, cū cerebri sinus repleti sunt nimia abundantia humoris crassi. Ac dū replentur, nec dum repleti sunt, judicatur symptoma cōvulsionis epilepticæ, quam ex

G cipit resolutio apoplectica, ut ipsi vidimus in magnifico Iohanne Castellò regente Cathaloniæ regiā Cancellariā, & in reuerendo Laurentio Iunyent Aedituo Dertusano, quib. vita defunctis invēta est repletio sinuum à sanguine crasso & pituitoso illuc prorupto. Iam verò motus & sensus amissio in toto corpore tripliciter contingere potest. Primùm, cū quis ita vulneratur, ut repente cōcidat sine sensu & motu, quod accidit ex dissipatione spirituum animalium, qualis illa est, cujus meminit Gal. lib. septimo de Hippoc. & Plat. decretis, quæ sequitur ipsum cerebri vulnus ad ventriculos usq.

H penetrans. Præterea cum spiritus vitalis aditu prohibetur ad cerebrū, ut in his, qui naturā sunt crassi & colli brevioris, repletis nimirum, obstructis & compressis, quæ illac feruntur ad caput, arteriis atq. venis, aut potius cum obstructis cerebri venis & arteriis non possunt spiritus vitales ex arteriis ad cerebri ventriculos descendere, unde spiritus animalis exausti nulla est instauratio. Quo fit, ut ānimal corruat, cum illi nō suppetant ea, quæ ad motum & sensum necessaria sunt. Tandē contingit sensus & motus in toto corpore privatio, cū impeditur cōtinuus

6. aph. 51.

Triplicitèr deperditur sensus & motus.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

tinuus transitus spirituum animaliū ad spinalem medullam, in qua quidem omissione consistit Apoplexia proprié dicta, nā duæ superiores ab hoc symptomate remotissimæ sunt.

Quid sit Apoplexia Quamobrē *Apoplexia est repentina totius corporis sensus & motus privatio ob impeditum transitum spirituum animaliū cum facultatis animalis principis & respirationis læsione.* Vulgatæ definitioni læsam respirationem cū Petro Garcia consultò subjungere volui, quādoquidem *in Apoplexijs* (ut Gal. inquit) *totum corpus repentè sensu privatur ac motu, sola restat respiratio* (sic vertendum) ex cujus quadruplici læsione quatuor Apoplexiæ differentias colligit, quoniam sola respiratio interactiones animales ad vitā maximè necessaria est. Nā respiratio in debili Apoplexia aliquem servat ordinem. In forti est inæqualis. In fortiori fit cum magnavi. In fortissima respiratio deficiens est: sicq. *Apoplexiæ magnitudo discernitur ex vehementia noxæ, quam infert respirationi.* Iam fortissima Apoplexia intra momentū nedum paucas hōras interficit, nam qui ea detinentur, neq. stertūt, neq. curantur: illius verò, quam fortioré & secundam cōstituimus, in qua magna cum vi respirant ægri, indicium tradidit Gal. noster stertorem, qui fortissimæ Apoplexiæ præcursor est: dicitur verò stertor sonus nasi, stertendo editus: est enim stertere rhonchissare Plauto, & rhonchos emittere Martiali, cujusmodi *profundè dormientib. accidit*, ob debilitatem actionis, quæ per nervos fit: stertor enim & magna respirationis difficultas suboritur ad affluentis humoris copiam ob oppressos gutturis musculos non potentes præ imbecillitate tantam pituitæ copiam excludere: non enim, ubi subitò spiritus eliditur, talem sonum edit, sed cum faucib. diutius moratur, nec citra magnum musculorum in faucibus conatum excluditur. Vnde cum sorbitio stertori conferatur rectè Plautus in Milite. Sorbet dormiens. PA. Quid sorbet? Lu. Illud stertit volui dicere, sed quia consimile est, quod stertas, quasi sorbeas. Quamobrem hujusmodi pathema Apoplexia sorbilis dicta est.

2. apho. com. 42.

3. de lo. aff. cap. 10.

6. apho. com. 51.

4. de lo. aff. cap. 2.

A Ecce de symptomatis, quæ vexant facultates animales sensitricem & motricem verba fecimus, nunc Galeni methodum secuti ad ea, quæ patiuntur animales principes accedamus.

DE CARO.

QVÆSTIO. XXXV.

CARVS, id est, sopor duplex à Galeno statuitur secūdo prorenalter non morbosus, qui sine ulla cerebri offēsione firmiter fixa fit, sed tāctū leviter impressa, ut in ebrietate, vel certe nulla, ut in somno critico nō turbulento cum spe salutis, qui quidē fugat deliriū, non rarò cephalalgiam exolvit, & in pueris febrim, deniq. nō turbulentus firmam crisim ostendit. Alter carus morbosus est, de quo hic est agendū. Porrò inter symptomata capitis repleti præterito capite cataphorica numeravimus, in quib. cernitur inclinatio quædā somnolēta, & veternosa, ut neq. oculis, neq. cerebro lucē accipiat, sed cōtra semper oculis noctē cōmissis palpebris, ac semper videantur solvi in somnos, vigilentve aut dormiant. Sed inter ea symptomata principatum obtinet κάρη, quē veteres ἀπὸ τοῦ καρεῖν, hoc est, à capite nominaverūt, ex animadversione cerebri occupati, quoties amissionē aut exolutionē imaginationis exprimere voluerunt vulgò subet appellaturi: est enim Caros symptoma, & signū imaginationis exolutæ: exolutionis autē causa est prægrādis frigida intēperies, quam pituita invexit, quoniā Cari natura & essentia versātur in resolutione: at non existit resolutio, quin nervi madescant, unde exoluitur *tonus*, & robur eorū. Atque in Caro cernitur animalitatis interceptio in sensu & motu, quemadmodū in Apoplexia, si tantū libertatē spirandi exceperis, quæ in Apoplexia nunquam est, manet autem in Caro. Vnde *Carus* definitur *profundus sopor & quedam resolutio imaginatricis facultatis, sensum motumq. excepta respiratione, adimēs.* Dicitur profun

B *Lib. 3. de temp. c. 2.*

C *Caros. Apo. tes ea res.*

D *Tonos. Cari definitio.*

dus somnus Galeno decimotertio medendi methodi, ubi apoplexiam & earum altos sopores vocat. Est ve-
Tex. 15. luti resolutio imaginatricis, ut habet capite, quod adhuc in manibus habemus. Præterea contingit cũ sen-
Com. 5. sus & motus læsione quinto Aphorismorum, quoniam Caros nervorum principium, nempe cerebrum, ejusq. partem anteriorem apprehẽdit, propterea nunquam respirationem opprimit. Quæ omnia conjun-
Cap. 2. git Gal. quarto libro de locis patientib. his verbis. *Quod si aliquando sola anterior cerebri pars afficitur, supremum ipsius ventrem ei conferitur necesse est, atq. cogitandi quoque actiones vitiari. Et qui ita affectus est, neq sensus, neq. motionis munere fungitur: spirandi tamen facultas haud quaquam læditur, vocaturq. hic affectus coma, id est, sopor.* Hoc ergo primũ ab Apoplexia differt, in qua respiratio semper læditur. Præterea quia in Caro, quemadmodum in Epilepsia *ventres magis, e-*
Ibidem. *rebri corpus minus: in Apoplexia verò corpus magis affici solet.* Vbi non fit obstructionum collatio, quia certũ est in Apoplexia maiorem esse obstructionem ventriculorum cerebri, quam in Epilepsia: sed comparatio fit inter ventriculos & substantiam, ita ut in caro & Epilepsia vẽtres magis, quam substantia, in Apoplexia substantia magis, quam ventres afficiantur. Tandem caro, ab eisdẽ Apoplexia & Epilepsia differt *quod in Ca-*
Ibidem. *ro anterior pars magis, in illis verò utraq. afficitur.* A Lethargo etiam differt Ca-
Cap. 5. rus, quoniam, ut scribit Aetius libro sexto, lethargici interrogati respondent, sed qui caro laborãt, omninò sine voce decumbunt. Quoniam tãtam profunditatem somni habent, ut si stimulentur, 2. pror. Galeno docente, sentiunt quidem, sed nihil dicunt, neq. oculos aperiunt: humor enim crassus priores cerebri ventriculos obsidet, qui musculos palpebras moventes præmens, efficit ut
Cap. 6. oculi clausi sint. Præterea Carũ præcedit febris, auctore Paulo tertio libro, eaq. vehementior: Lethargum verò febris subsequitur, sed ignavior. Item Caros nonnullos sequitur affectus, Lethargus autem peculiarẽ causam obtinet, ut putredinem humoris pituitosi, sed Caros, ut pituitosus humor putrescat, non requirit. Quod autem Caros sequatur aliquos affectus, á quib. Lethargus nequeat gigni, ex eo constat, quod musculis temporum affectis quibusdam morbis acutis, statim Carus nascitur, ut secundo lib. de articulis docet Hippocrates. Præterea cum medius vẽtriculus fuerit cõtusus, propter aliquod os terebra perforatum, Carus hominem occupat, quarto de
Cap. 2. locis patientib. teste Galeno: supervenire etiam consuevit febrium accessionib. ac morbis comitialib. Ex quib. omnib. constat cerebrum ipsum, non uno modo semper affici, sed diversimodè pro varietate causarũ, e quib. hoc symptoma nascitur.

Verum licet caro concesserimus facilem respirationem, adhuc res in
Quæstio. dubium vocari potest. Nam Gal. li-
Cap. 1. bro quinto de locis patientib. *Quẽ admodum* inquit, *in Apoplexia minore, catalepsi, sopore morbo comitali, lethargo si diligenter consideraverimus, videbimus & violentã & difficilem spirationem, perindè ac si vinculo quodã cõstricto thorax attolli prohiberetur.* Quib. triplex
1. Ratio. subjungitur ratio. Primùm læsio respirationis colligitur ex stertore: sed in aliquo Caro stertunt ægrotãtes, ergo difficulter respirãt. Valet assũptio, quoniã in lethargo, si profũdus admodum fuerit, stertunt ægrotãtes: sed carus est profundior ipso lethargo, in Caro igitur etiam stertor adest. Præterea multi ex naturali
2. Ratio. somno profundo stertunt, idem igitur contingere potest in Caro, qui naturalis somni similitudinẽ refert. Tandẽ Carus ortum habet Apoplexię similem, ex obstructione scilicet
3. Ratio. cerebri à crassis humoribus ergo Carus respirationem lædet, quemadmodum Apoplexia.

Cõmunis tamen opinio est, Carũ
Decisio. accidere magna ex parte absq. læsione respirationis, quãdo posteriores cerebri partes aut non, aut minimũ offenduntur, satisq. spiritus in movendi nervos illabitur, quo motus thoracis conservatur, unde facilis spiratio: attamẽ quũ cerebri utraq. pars onere prẽmitur, altior tunc sõnus ægrum complectitur, difficiliq. succedit respiratio, quod quidem evenit

evenit insolenter & rarò, ut in magno & forti caro, ideſt, ſopore, de quo libro quinto de locis patientib. loquebatur Gal. Quare primæ rationi dicamus Lethargicos, deliranteſque non noſcere, quando ſit inſpirãdum, expirandumq. quum oblivioſi ſint. Itaque magnum & rarum ſpirant, ut longitudine reſpirationis id natura compenſet, quod brevitate debet & frequentia fieri, ut habet Gal. Qua re non ſtertunt Lethargici, eo quod difficulter reſpirent, ſed cum reſpirationis obliviſcantur, multam aeris copiam inſpirare coguntur, atq. ita ſtertunt, quemadmodum qui naturali, ſed profundo ſomno decumbunt, in quib. *ſtertor propter hæc fieri aſſolet, relaxata quidem inferiore maxilla, ſupino autem facente homine. Itaq. & ſupinum facere, & hiare cum ſtertore, aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignaviæ ſunt ſigna.* diverſo igitur modo & ex diverſa cauſa ſtertunt, qui profundo & natu ralt ſomno decumbunt, licet *ambob. commune ſit debilitas illius operationis, quæ per nervos fit.* Similiter ſolvenda eſt ſecunda ratio, ſiquidem diverſo modo & ex alia cauſa profundé dor mientibus ſtertere contingit, quam Apoplecticis, qui reſpirãt quidem, ſed magna cum vi, propter reſpirationis læſionem. Tertia ratio licet Apoplexiam & Carum ex obſtructio ne cerebri à craſſis humorib. oriri exponat: veruntamen in errore verſatur, cum non diſiungat cerebri partes hæc ſymptomata patientes. Apoplexia & cerebri corpus, & cerebri omnes vẽtriculos occupat, licet corpus magis, quam ventres, unde lædi tur reſpiratio: attamen Caros tantum anteriores ventriculos afficit, ac inde ſenſum & motum perdit, ſed non ſpirationem.

Ibidem.
1. ſolutio.
Lib. 2. de diff. reſp. c. 5.
Lib. 2. de motu muſc. cap. 3.
6. aph. Com. 51.
2. Solutio.
3. Solutio.

Alt quæſt. Adhæc altera quæſtio exoritur ex plananda, num ipſum Carum commitetur febris. Aetius lib. ſexto ſcribit Carum ſuccedere cum debili febre: Paulus verò Ægineta libro tertio docet Carum ex eadem materie atq. Lethargum oriri: ſed ab eo differre, quod Carum præcedat febris eaq. vehementior: Lethargum verò ſubſequitur.

Cap. 5.
Cap. 9.

Deciſio. Verum Caros ſine febre fit ex obſtructione, vel compreſsione anteriorum cerebri ventriculorum. Aetius autem ex Poſidonij non ex propria ſententia locutus eſt: Paulus verò non de omni Caro, ſed de eo, qui ſequitur febres ardẽtes verba fecit, qui potiùs Cataphora, ideſt, gravis animi in ſomnum delatio, dicitur, auctore Iacchino.

DE CATALEPSI.

QVÆSTIO. XXXVI.

TExtu decimoquinto hæc locutus eſt Gal. *Proximum eſt, ut rectricis actionis offenſas narremus, ac primùm imaginatricis. Eſt igitur hujus quoq. alia veluti paralyſis ſive reſolutio quædam, quam græci Caron & Catalepſin nominant.* De Caro diximus modo, nunc de Catalepſi, & Catoche memoremus, in qua rum nominib. multi hęrent, explanatione igitur opus eſt. Κατάληψις comprehẽſio interpretatur. Thucidides, *quum*, inquit, *non amplius in comprehenſione (ἐν καταλήψει) videretur eſſe claſsis*, hoc eſt, quum jam non poſſet claſſem hoſtium comprehẽdere, aut aſſequi. Sed multò frequentiùs eſt in metaphorica ſignificatione, cum ſcilicet dicitur de reb. quæ ſenſib. vel potiùs mente comprehenduntur. Hinc M. Tul. *Mens hominis amplectitur maximè cognitionem & κατάληψιν, quam, verbum è verbo exprimentes comprehenſionem dicemus.* Quod fortaſsis ex Diodoro philoſopho Stoico, quem in Dialectica præceptorem habuit, ſuſcepit Cicero, quoniam hæc vocabula *Catalepſia, Catalepſis, Catalepton, Catalambanein* ex Stoicorum ſchola profecta ſunt, nec Attica, ut ſcribit Gal. initio libelli de optimo docendi genere ſignificat enim *Catalepton* idem quod γνωτὸν, id eſt, notum. Ejuſdem ſignificationis eſt κατοχὴ, detentio, retentio. Alex. Aphrodiſæus in problematis: *ſingultum ſolvit ſpiritus κατοχὴ retentio.* Præterea dicitur poſſeſsio, qua ſcilicet id, quod poſsidemus, tenemus, ſeu obtinemus, & in noſtra poteſtate habemus, quod vocabulum juriſconſultorum eſt. Accipitur etiã pro inſtinctu, afflatuque divino, ut

Catalepſis.
Ex Catalepſi.
Catalepſin.
Goſton.
Catoche.

apud

Catochos Effhengene Catochos. apud Plutarchum κάτοχος ἔσθ' ὑπὸ τινὸς δαίμονος correpta mulier: & apud eundem in Romulo, *musarum studio,* κατοχὴ, *captus.* Ecce Catalepsis & Catoches eadem significatio est, quoniam, qui comprehendit, retinet: & quod detinetur comprehenditur, comprehensioq. detentio judicatur. Docet hoc Gal. libro quarto de causis pulsuum de Catochorum pulsu disputare instituens. Κάτοχοι, inquit, & Κατοχεῖς veteres graci appellabant: humores ipsum affectum κατοχὴν & κατάληψιν vocant.

Cap. 16. Catochus. Catechomenos.

Catochen & Catalepsin Cap. 11. Cap. 10. Libro de pulsib. ad tyrones eadem refert. Ex quib. locis Paulus Aeg. hęc ipsa verba in librum tertium transcripsit. *Quam ob causam,* ait, *antiquiores graci hoc pressos morbo Catochos, vel Catachomenos, quasi dicas occupatos detentosq. nominaverunt: recentiores affectum Catochen & Catalepsin, veluti detentionem, & deprehensionem:* tametsi paulo ante Catochon confunderit, cum vigili Comate contra Galeni opinionem, qui tertio de locis patientib. oblata occasione de quibusdam capitis aff. ctib. disputandi, inter illos enumerat affectionem *quam,* inquit, *recentiores medici Catochen & Catalepsin nominarunt.* Nam quod subjunxit Copus significans Catochon esse vigilantem soporem, multos decipiens, ut Iohannem Manardum, profectò coticuisset certior factus de his, quę idem Gal. docuit tertio Epidem. par. secunda, cum scribit *profundum Coma habere aliquod consortium cum Catocha, sed non Coma vigilans.* Quamobrem re ctè dixit Bralavolus secundo apho. in Galeni commentarium idem esse apud græcos auctores Catochen & Catalepsin, dicique à verbo græco κατέχειν, quod est occupare & detinere. Ergo duplex hoc nomen Catalepsis & Catochē in unum commodè cadit comprehensionem scilicet, qua hujus symptomatis naturam interpretamur, & hac definitione perspicuam facimus.

Lib. 7. Epistolarum Epist. 3. Com. 8.

Com. 3.

Catechesitha.

Quid sit Catalepsis. *Catalepsis seu Catoche totius corporis comprehensio & detentio, imaginationis quædam paralysis est, subitaq. sensus & motus amissio, qua rigidi & tensi ægrotantes eodem statu manent, quo fuerunt oppressi, ut videre videantur, nec videant, sint febri & difficultate respirandi.* Paralysis sive resolutio quædam imaginationis est, ut dixit Gal. procedens à simplici causa frigido scilicet & sicco humore posteriorem cerebri ventriculum obstruente, quo detenti & immoti ægrotantes in illo repentè permanent habitu, quo correpti sunt, sive stantes, sive sedentes, oculis etiam apertis ac tēsis propter humoris melancholici siccitatem oculorum musculos tendentem. Febris autem abest, propter ingentem frigiditatem, ac etiam difficultas respirandi, quoniam motus abolitus est in toto corpore, præter quam in thorace, ut docuit Gal. libro quarto de locis patientib. Quare omnes facultates animales tam principes, quam non principes judicio sensus abolitæ sunt.

Tex. 15.

1. Prorrh. par. 2. com. 56.

Cap. 2.

Obiectio. par. 1. com. 56.

Sed adversus hæc apertissimè pugnat Hippocratis & Galeni sententia in libro primo Prorrh. scripta, quo loco Hipp. capite dolentes meminit cum catoche delirantes: Galenus verò Κάτοχον ipsum exemplo scitè depingit. *Quidam enim ex suis condiscipulis, cùm assiduo disciplinarum studio se fatigaret, malo hoc correptus est: jacebat,* inquit, *veluti lignum prorsus inflexus rigidusq. atq. extensus, videbaturq. oculis apertis nos ita intueri, ut ne conniveret quidem, nihil tamen loquebatur. Is quoq. tempore eodem quæ loquerentur se audivisse dicebat, quamquam non evidenter clarèq. nonnulla item & memoria tenens referebat præsentesq. omnes sese conspexisse, ita ut quorundam actiones recordatus exponeret, sed neq. loqui tunc potuisse, neq membrum ullum movere.* Iam si catoches imaginatio abolita est, atq. inde ratiocinatio & memoria, profectò catoche laborantes pati non poterūt delirium, quæ non abolita, sed depravata imaginatio, vel ratiocinatio est. Præterea si catoches definitur privatio sensus & motus, quomodo scribit Gal. condiscipulum illum, audivisse quæ loquerentur, nonnullaq. retulisse, atq. præsentes omnes conspexisse, ita ut quorundā actiones recordaretur. Ecce Catoches non est imaginationis resolutio, neq. sensus motusq. amissio.

Catochen.

Veruntamen, ut scorpio tritus & impositus suæ plagæ remedium est, ita ille Galeni commentarius comminutus huic difficultati allevamentum

Solutio. Dioscor. li. 2. cap. 13.

tum erit. Primùm quæstionem constituit Gal. an Catoches & mentis vacillatio simul esse possint, respondet autem tripliciter. Primò sic fortasse visam fuisse speciem Catoches, ut immotum quidem & concretum corpus totum esset: verba tamen homo nõ satis exprimeret, ut inde aliquid colligeretur delirij. Secundò reperiri quidem cum Catoche delirium, ità ut ipsum præcedat, subsequatur verò Catoche. Tertiò & ultimo, quæ doctior solutio est, duplicem contemplatur Gal. Catochen, vel in prima eius constitutione (*στάσιν* vocat) cum incipit generari, quo tempore aliqua locutione utuntur, qui ea detinentur, & manifestè potest apparere delirium, vel in secunda constitutione quando Catoche cõpleta existit, quum nihil loquuntur ægri, neq. patet aliquid delirij. In prima constitutione catoche omnis facultatis animalis sensitricis diminutio est, quam vis sit motricis abolitio: in secunda verò constitutione, qua est absoluta & completa Catoche, omnium facultatum animalium est abolitio. Ecce locorum manifestè pugnantium conciliatio, cum dixit Hippo. & cum eo Gal. simul reperiri Catochen & delirium, quod est imaginationis depravatio, loquebatur de ortu Catoches & prima illius constitutione; cum Gal. dixit hoc loco Catochen esse paralysim & quandam resolutionem imaginationis, sumit Catochen completam & in secunda eius constitutione.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Στάσιν.

Sed cum pars cerebri posterior afficiatur in Catoche, cur memoria, quæ in ea parte magis eluceseit, diminuta est in prima cõstitutione Catoches, non abolita? Respondemus tunc partem posteriorem cerebri laborare ficca intemperie, qua potius memoria juvatur: at cum illa intemperies juncta sit frigiditati, quæ reddit torpidas omnes actiones, indè evadit memoria imminuta in prima Catoches constitutione, non abolita.

Obiectiõ.

Solutio.

Porrò, quæ retrò dixi contra Paulum, qui aliquando undecunq. transcribit sine delectu, me invitant, ut discrimina tradam inter soporosa pathemata, quanquam illorum distinctio valdè confusa sit apud auctores. Ergo monstremus quo differat Catalepsis ab Apoplexia, Epilepsia, Tetano, Caro & Comate vel sopore vigilante. Differt ab Epilepsia, quod in ea utraque pars cerebri afficitur, in Catalepsi tantum posterior: Epilepsia est totius corporis motus convulsivus, in Catalepsi talis motus non apparet, immò tensas habet æger partes omnes ac veluti lignum jacet tabulæ ritu: in Epilepsia tandē omnes actiones animales abolitæ sunt: non tamen semper omnes in Catalepsi. Distinguitur ab Apoplexia, in qua utraq. cerebri pars est oppressa, in Catalepsi posterior: in Apoplexia est resolutio omnium partiũ, in Catalepsi earundē tensio: in Apoplexia semper est læsa respiratio, in Catalepsi manet illæsa. Demum in Apoplexia semper sunt abolitæ omnes actiones animales, in Catalepsi non semper. Differt à Tetano, cum quo majorem habet affinitatem, quod in eo non sunt læsæ omnes actiones animales principes, in Catalepsi omnes apparẽt læsæ, unde colligimus in ea affectum esse cerebrũ, non autem in Tetano, sed principiũ spinalis medullæ. A Caro distinguitur, quoniam in Caro tantum afficitur pars anterior, in Catalepsi posterior, secundo quia in Caro oculi sunt clausi ab humiditate, quæ palpebras laxat, in Catalepsi verò sunt aperti à siccitate tendente. Tandem à vigilante Comate separatur Catalepsis, quod auctoritate Galeni & ratione confirmatur. Gal. libro tertio Epidemiorum, ut diximus, docuit profundum Coma convenire cum Catocho, non tamen vigilans, cujus dicti possumus reddere rationem, quoniam, ut idem Gal. alibi scribit, Catoches una differentia est, ex his, quæ sub Comate, ideſt, in somnum delatione cõtinentur, distincta quidem ab illa differentia, *quæ fit cum vigilantiæ Coma junctum fuerit, succi mordentis permistione.* Ratio autem in promptu est, nam Catalepsis seu Catoches comprehensio & detentio est, corporisq. totius congelatio ab humore melancholico ad partem cerebri posteriorem defluxo: at Coma vigilans est mixtum quoddam symptomã

4. de lo. pã. Cap. 2.

Par. 2. com. 8.

3. Prorr. com. 1.

Ratiõ.

toma ex vigilia & somno à permistione bilis & pituitæ, quæ quidem omnia plurimùm distare manifestum est.

Sed, ut præclaro exitu concludamus, minutas aliquas quæstiunculas volutemus. Vtrum intemperies, unde Catalepsis, nuda sit, an humoris fluxione comitata. Vtrum Catalepsis proveniat à vapore, an ab humore. Vtrum morb. à quo Catoche, in cerebro sit. Cur cerebrum non irritetur ad expellendum humorem, qui parit Catalepsin, ut in Epilepsia. Attamen facilè à recta methodo distractus, limites Pathologices præter grediar: respondebo, cum Aetiologicè incumbam, atq. de symptomatũ causis disceptabimus.

Obiectio.

Solutio.

DE PHRENITIDE.

QVÆSTIO. XXXVII.

HActenus de symptomatis, quæ imaginationem perimũt, actum est, cujusmodi sunt Carus & Catalepsis, post hæc de illis, quæ ipsam debilitant & imminuunt, differendum, cujus generis sunt Coma & Lethargus, quò ab his deveniamus ad ea, quæ eandem vitiare ac depravare solẽt, quales sunt omnes delirij differentiæ, in quorum numero reponitur phrenitis, quæ cum Lethargo sit contraria, & inter duo media quædam Comatis differentia, propterea facilioris doctrinæ gratia, ordine ali quantulum mutato, primùm de phrenitide & Lethargo, deinceps de Comate disputabimus.

Paraphrosyne. Παραφροσύνη. Delirium symptoma est & actio depravata imaginationis, aut ratiocinationis, aut utriusq. Sub hac continetur Phrenitis, de qua, cũ hoc loco agere instituerimus, ab eo principio exordiri debemus, *quod optimum omnium dicẽdorum principium sit, id verò est rei, quæ inquiritur, notio*, ut in libris de demonstratione se ostẽdisse scribit Gal. *Ergo Phrenitim mortales omnes eam appellant affectionem, in qua ἔργων, ideſt, mẽtem læsam esse vident*, cum autem cerebri naturaliter habentis actiones sint non semel dictæ animales principes, concludendum est Phrenitidem propriam esse nobilis illius partis læsam actionem. In quo consistat Phrenitidis essentia docuit Hipp. tertio Epidemiorum referente Galeno primo prorrhetici. *Est*, inquit, *delirium continuum cum febre acuta. Delirium* genus est, quo Phrenitis cũ alijs delirijs communicat: illa dictione, *continuum*, differt à Paraphrenitide, hoc est, à delirio, quod in accessionib. febrium contingit, pleuritide, peripneumonia & ex vaporib. calidis à ventriculo ad cerebrum ascẽdentib. Vltima definitionis parte distinguitur à mania & melancholia, quæ sunt deliria sine febre. Aliter definit Phrenitidem Gal. libro secundo de causis sympto. sed quia illa definitio respicit causam scilicet morbũ & inflammationem, unde phrenitis ortum habet, propterea illius interpretationem in aliud tempus differimus.

1. prorr. Com. 4. 1. ad Glau. Cap. 2. Phrenas.

3. Epi. 3. tex. 43. 44. 45. 46.

1. Com. 1. Definitio phrenitidis.

Cap. vltim.

Illud tamen hìc investigare decet, cur definitionem hanc tantum in cerebro, vel tenui meninge (parum enim hæc differunt) coangustatam, voluerit Gal. quarto de caus. pul. & quinto fortasse de locis pat. etiam in Diaphagmatis, hoc est, septi transversi inflammationem dilatare, ut Phrenitidem non solùm in illa parte principe, sed etiam in septo generari scribat.

Objectio.

cap. 14. Cap. 14.

Hujus petitionis responsum, nullum aliud esse potest, quam quod Gal. lib. quarto de causis puls. scripserit non, quæ rarò, sed quæ frequentissimè contingunt, propterea Lethargum in cerebro generari: at verã Phrenitidem precipuè in tenui meninge: septum verò transversum ex communi opinione addidisse, quatenus Phrenitis comprehendit etiam Paraphrenitidem, vel id præstitisse opinione veterum, qui *putarunt hac parte inflammatione affecta homines Phreniticos evadere*, ut ex quinto de lo. pa. colligitur.

Solutio.

Li. 5. de loc. pat. Cap. 4.

Iam cur magis accedat ad perpetuum delirium, quod nascitur ex septi inflammatione, quam quod ex vẽtriculi, aut pulmonis, per difficilis quæstio est. Vallesius libro quinto de

Objectio.

Sol. Vall. Cap. 3.

de locis pat. propter analogiam quã dam, quæ in natura cerebri & septi consistit, id contingere censet: libro verò quarto contro. ad propriam aliquam naturam refert, quam nos ignoramus. Quæ profectò nullius mométi interpretatio est: nihil enim docent, inquit Gal. *qui ad proprietatẽ, quæ exprimi nequeat, confugiunt.*

Refutatur.

Petrus Paulus Pereda in scholio ad caput de Phrenitide respondet inflammato septo transverso cerebrũ statim inflammari, cum enim inflammatio septi respirationẽ impediat, calor augetur in thorace & corde, sanguis attenuatur, & bilescit, sursumq. in cerebrum rapitur, unde erysipelas & Phrenitis: atque hoc lib. quinto de lo. pat. considerasse Galenum, cum dicebat delirium factum à septo, pulmone, pleura, & orificio ventriculi plurimum distare, quòd à septo factum sit cõtinuum, sed quod ad ab alijs partib. intermittat. Hinc concludit septi Phrenitidem differre à Phrenitide, quę primo in cerebro fit, quod in hac statim apparet delirium: in illa verò, quæ ex septo pendet, primò febris ex inflammatione, ac deinde delirium sequatur. Hæc causa, inquit, est, cur Gal. delirium ex septo parum à continuò distare affirmaverit.

Sol. Peredę

Verum Pereda non est complexus mentem Galeni, quando quidem cum discrimen adduxit inter deliria aliarum partium & delirium vitio septi excitatum, dixit delirium à septo factum esse continuum, quod tamen non asseruit Gal. sed non multum distare à Phrenitide, veram intelligens ex inflammatione cerebri.

Confutatur 1. Ratio.

Præterea cum addit septi Phrenitidem differre ab ea, quæ primò in cerebro fit, aperte loquitur extra mentem Galeni, qui toto illo capite non Phrenitidem, sed Paraphrenitidem, quæ ex inflammatione septi ortum habet, distinguere docet à Phrenitide cerebri propria. Comparat enim deliria per consensum tam septi, quam aliarum partium, cum delirio proprio cerebri, observatq. aliarum partium deliria intermissionẽ habere: delirium verò à septo perpetuitate multum habere similitudinis cum cerebri proprio.

2. Ratio.

A Quæ causa est, cur Gal. discrimina referat, quib. distinguamus delirium cerebri proprium, à delirio inflammati septi: distinguntur enim hæc deliria respiratione, voce, & hypochõdriorum contractione, quib. quidem non esset opus, si Peredæ cogitatio ratione procederet.

3. Ratio.

Quid? Quod accensis pulmonib. delirium fieret perpetuum, & difficili spiratione, & bilioſi tenuissimiq. sanguinis, quo alitur pulmo, ad cerebrum ascensu.

4. Ratio.

Solutio. Auctoris.

Sed quoniam displicent hæc, nos hujus perpetuitatis causam in conB spectum, lucemq. proferamus. Sanè ego duplicem agnoscõ: septi transversi cõtinuum motum, & illius cum cerebro affinitatem & naturę consensum. Ex inflammato septo profectò magna vaporum copia elevatur, atq. ad cerebrum ascendit: sed cum perpetuò moveatur, hinc major copia foliginum conscendit, quemadmodũ ex moto sterquilinio major foetor consurgit, quam ex quieto. Præterea consensus & cognatio, qua septum transversum cum cerebro est conjunctum, altera causa est, propter quam septo inflammatione obsesso sympaC thicum illud delirium, scilicet ex cõsensu, sit quasi continuum, quandoquidem nervi insignes utrinq. duo à spinali medulla, quarta scilicet, & quinta vertebra ad circulum nervẽ, chordarum instar feruntur.

Obiectio.

Sed dicet aliquis inflammato pulmone deberet etiam æger delirare, quoniam habet reliqua omnia, viciniam, inquam, rectitudinem, & amplitudinem viæ, & insuper movetur semper, plus etiam, quam septum. Præterea superius ventriculi orificiũ majorem habet consensum & affinitatem cum cerebro, quam septum, D quoniam habet plures ac majores nervos à sexto pari exortos: at pulmone atq. ventriculi orificio inflammatis fugax est, quod subsequitur delirium, non quasi perpetuum.

Solutio.

Respondemus pulmonem nullam habere cum cerebro societatẽ, quod exiguos habeat nervos, qui substantiam illius non ingrediuntur, sed tantum per tunicam illius exteriorem disseminantur: superius autem ventriculi orificium cõtinuo motu destituitur,

tuitur, propterea pulmo, & ventriculi superius orificium, cum inflammantur, non inducunt delirium qua si continuum. Sola inflammatio septi excitat delirium, quod idiopathicam, ideſt, propriam cerebri Phrenitidem mentitur, imitaturq. ad quod nō altera ex enarratis cauſis, ſed ambæ concurrunt, connexio & mira ſocietas ſepti & cerebri, ſimulq. ejuſdem ſepti perpetuus motus, ex quibus duab. cauſis pariter adjuvantib. tantum exoritur malum.

De differ. phrenit. Dicamus nunc de phrenitidis differentijs, de quib. Gal. hoc capite paucis locutus eſt. *Plerunque*, ait, *in utriſq; ſimul delirium conſiſtit, tum parum probè imaginando, tum parum aptè ratiocinando: eſt autem aliquando in altero dūtaxat.* Tres differentias phrenitidis conſtituit, imaginationem tantùm depravatam, ratiocinationem ſolùm depravatam, quæ ſimplices: poſt modum ambas depravatas, quæ compoſita differentia eſt. Quarto de locis patientib. eaſdem adduxit, atque duob. exemplis illuſtrat.

Cap. 2.

Obſervatio Obſervandum eſt tamen eo loco promiſcuè de phrenitide locutum fuiſſe, quatenus ſcilicet comprehendit etiam paraphrenitidem. Nam poſtquam tradidit exemplum phrenitici, qui Romæ cum puero domi continebatur, hæc ſcripſit. *At contrariam affectionem (τὴν ἐναντίαν, contrarium autem, ſic vertendum) non ſolùm in alijs, verum in me ipſo, quum adoleſcens adhuc eſſem expertus ſum.* Contrarium autem pathema intelligit, nempe depravatam ſolūmodo imaginationem, quæ quidem non fuit vera phrenitis, ſed paraphrenitis, ut declarant hæc verba, quæ ſubjungit. *Ne phrenitis me arripiat auxilio eſtote.*

Obiectio. Sed quare Galenus non adduxit exemplum differentiæ compoſitæ, nempe ſimul depravatæ imaginationis, & rationis. Fortaſſe quia nunquā tale delirium vidit, aut quia admodum rarò contingit.

Solutio.

Obiectio. Verum de læſa memoria quis poterit ambigere, num poſſit depravari, nam Galenus diminui, vel aboleri tantum ſignificavit. Reſpondendum memoriam objecta cognoſcere, non modo conſervare, præterea depravare, verumq. delirium pati poſſe; tamen non ſeorſum, ſed unà cum alijs, nam cum ſit particeps intentioris frigiditatis, & ſiccitatis, requiritur major calor ad depravationem illis, quam ad depravationem imaginationis, vel rationis, unde, cum incipit vitiari à calore memoria, imaginatio, vel cogitatio jā depravatæ ſunt. Quare, cum memoria ſola nequeat depravari: adjuncta verò cum imaginatione, vel ratione læſis, vix advertatur, hæc cauſa eſt, cur Gal. vel ſolius memoriæ depravatæ, vel cū imaginatione ratione ve conſociatæ nūquam meminerit.

Solutio.

Obiectio. Sed objiciet aliquis, ergo non poteſt depravari ratio, quin vitietur imaginatio; quoniam ratio poſtulat majorem calorem, quamobrem depravata ratiocinatio ſemper includit depravatam imaginationem. Dicēdum id quidem eſſe verum, ſi abſq. ſiccitate intendatur calor: at verò, ſi cum calore adjungatur ſiccitas, minori calore depravatur ratio, abſq. læſione imaginationis, quæ majori potitur humiditate, à qua juvatur, veluti contigit, ut exiſtimo, in phrenitico, qui Romæ cum puero domi continebatur.

Solutio.

DE LETHARGO.

QVÆSTIO. XXXVIII.

INter repleti capitis ſymptomata cataphorica, ideſt, ſoporoſa, numerātur Lethargus, quem Phrenitidi contrarium conſtituimus. *Λήθαργος* dicitur græcis, latinis veternus, ſed græco nomine ſervato etiam lethargus appellatur à nomine græco λήθη, obli vio, & ἀργὸς, captura, quaſi hoc vitio correpti oblivione capti ſint, vel potiùs à nomine ἀργία, otium, proinde Lethargus oblivio iners & otioſa dicitur, utpote qui, quemadmodum Paulus & Celſus dixerūt, marcorem & inexpugnabilem dormiendi neceſſitatem inducat. Propterea *Lethargus* definitur in Introductorio *pro funda in ſomnum delatio & inexpugnabilis*: ſed à Ludovico Dureto in Coacis Hipp.

Lethargus. *Lethe.* *Argos.* *Argia.* *Lib. 3.* *Cap. 9.* *Lib. 3.* *Cap. 20.* *Cap. 13.*

Hipp. deliriũ intermissionis expers cũ febre cõtinua, sopore & sita oblivione conjunctũ. Deliriũ cõtinuum genus est, quo lethargus cũ Phreniti de contraria cõmunicat, distingũtur tamen, quia febris Lethargi lenta est, , &, ut scribit Galenus tepida, quandoquidẽ exoritur ab intemperie cerebri humida, & simul calida fortasse, quod secundo de causis symptomatum enodabitur. Præterea sopore atq. somno, qui cernitur in veterno & exolutione, imbecilliq. motu facultatis imaginatricis propter pituitam cerebrum imbuentem. Tandem à Phrenitide distinguitur cita & celeri oblivione, quæ rerum gestarum abolita recordatio est ab intemperie humida cerebri orta. Hinc omnes lethargici oblivioſi sunt, stupidi, mente capti, crebrò oscitant & hiant, ac sæpe hiante ore persistunt, velut os claudere obliti, ac sæpe in manus sumpta matula, eam se tenere non meminerunt.

An Lethargus sit deliriũ continuum.

Aliquorum opinio.

1. Auct. G.

Porrò utrum lethargus sit deliriũ expers intermissionis & cõtinuum in controversia versatur. Dixerunt nonnulli Lethargum non esse delirium continuum, quod imaginationis actiõ depravata est, ut Phrenitis, quoniam Gal. hoc libro textu decimo quinto Coma & Lethargum deficiẽtem & imbecillam actionem imaginatricis constituit, non depravatam. Secundo etiam libro de causis symptomatum dixit, *sola illa deliria, quæ melancholica vocantur, frigidum succum pro causa habere*, cumq. constet Lethargum produci à frigida pituita probabile non est, quod delirium inducat. Rationibus idem confirmatur. Phrenitis est delirium continuum cum febre continua, jam si Lethargus similiter est delirium continuum, quod fine dubio affectatur febris, profectò nihil erit discriminis inter hæc duo symptomata. Dicendum ergo Lethargum non esse delirium continuum. Præterea & fortiùs, in Lethargo adest sopor & somnus profundo, cujus tempore (neq. durante naturali) nulla facultas interna operatur, ergo dicẽdum non est Lethargum esse delirium cõtinuum. Quod si aliquando delirant

2. Auct. G.

1. Ratio.

2. Ratio.

A Lethargici illud per accidens contingere asseverandum.

Nos tamen existimamus delirium continuum esse commune genus Phrenitidi & Lethargo. Nam Hippocra. libro primo de morbis docet sanguinem, ubi ex bile & pituita corruptus fuerit, dementiam inducere: *tanto autem*, inquit, *minor insania, ipsamque delirium fit, quanto paucior ac debilior est bilis, quam pituita.* Et libro secundo tradens signa Lethargi, *Tussis*, inquit, *oboritur, &* B *salivam spuit multam ac liquidam, & nugas garrit, & ubi nugari desierit, dormit.* Præterea in Coacis prænotionibus tradens quædam signa Lethargi. *Porrò*, ait, *nec bibere, nec aliud quippiam sibi dari contendunt.* Quoniã nulla sitiferæ causæ sentio excitatur in ijs, qui non sunt apud se, nec suæ sunt mentis: unde sui negligentes existunt, ac tam immemores, ut si quid forté popoſcerint, cum in manib. sumpserint, id se manib. tenere amplius nõ recordẽtur. Mox subjungit. *Sed cum resipuerint.* Scilicet explicato cerebro per materiæ decubitum, & restitutum in pristinam temperiem, *Cervicis dolore angi quæruntur.* Propter transitum materiæ à cerebro insobolem ejus medullam, susceptamque objecti molesti speciem à superiori facultate soluta jam & tanta oppressione liberata, nam cum mens ægrotat, nullus dolor. Tandem Hipp. lib. septimo Epidem. narrans historiam Pythodori: *Vigesima quarta*, inquit, *cum multos jã dies cibos gustasset, post prandium magna denuò febris rediit, & ad vesperam delirium accedente simul etiam somno. Ortinebat itaque jam continua & vehemens febris hominem, nunc unam, nunc duas noctes sine somno transigebat. Reliquo autem tempore somnus nimius, ut difficilè excitaretur, & in somno delirium.*

Auct. opin. Sent. 28.

Sentẽ. 36.

Sent. 13.

Sent. 2.

Sed quo pacto erat in somno delirium? Nam, qui dormit nõ videtur posse delirare. Profectò in somno delirium adesse dixit, quia, cum ex somno excitaretur, vix erat apud se ipsum, hoc est, ex pergiscebatur delirans, aut fortasse deinde longiùs producebatur delirium.

Obiectio.

Hinc sumamus rationẽ: si aliquid

Solutio.

Ratio. prohibet Lethargum à delirio, saue somnus est: at in somno est deliriū, ut scribit Hipp. ergo in Lethargo aderit delirium, quandiu lethargus permanebit.

Obiectio. Solutio. Sed dicet quis, impossibile est, quod graviter dormiens deliret. Respondebit fortasse aliquis in somno etiā profundo nō omninò supprimi facultates principes, immò credēdū est versari posse in aliqua cogitatione, tametsi depravata, quod illi ego *Auct. Sol.* assentior. Verūtamē nos omnib. vinculis devinctos & constrictos tenet actio manifestò læsa. Dicamus ergo, cū Lethargicus dormit, interi⁹ adest dispositio, ex qua oritur deliriū, ꝙ non profertur in lucē, quia impeditur à validiori causa, quæ somnū inducit: sed cū Lethargicus excitatur, delirium necessariò prodit. Semper igitur adest delirium, vel potestate proxima, vel actu.

DE COMATE.

QVÆSTIO. XXXIX.

NVNC genus alterū symptomatis cataphorici est explicandū, quot veterib. κῶμα seu κάρηνον dicitur, *Coma. Cataphora.* latinis marcor, aut veternus. Definitur *deficiens & imbecillis actio facultatis imaginatricis magnā somni cupiditatē inducens.* Hujus Gal. libro de Comate duas facit differentias, ut probatissimos medicorum scriptū reliquisse asserit. Vnū somnolentū vocat lethargicis propriū, alterū non somnolentū & vigil, quod phreniticis est peculiare. Quare Coma, vel Cataphora commune symptoma est ambob. quia quandoq. adest in vigilijs, quādoq. in somno teste Galeno. *Ibidem.* Vtrūq. verò tā somnolētū, quam vigil, id habet cōjūctū, quod ægri oculos attollere nequeunt, summa gravedine detentos, & quasi ad ineundū somnū cōparatos. Cæterū differunt hæ duæ differētiæ, quod Comate oppressi plures eorū dormiunt: pauci verò insōnes permanēt, quia licet Coma sit amborū passio, tamē somno est magis familiaris. Vnde fic loquitur Gal. *Quando vult* (Hippocratem intelligit) *somnolētā significare Cataphoram, simplices dicit Comatosos: quādo verò vigilē, non simpliciter, sed conjunctim ait comatosos vigiles.* Præterea differunt, quia in Comate somnolento æger profundo & diuturno somno præmitur: sed in comate vigili, ægrotantes vigiles manent, cum ipsis diversæ variæq. imagines rerū semper succedāt, quæ illorū mentē movent somnūq. interrūpunt. Quāobrem in somnes quidē extant ut plurimū, in somnū tñ adeo sunt propēsi, ut credere possis eos facilè dormire posse, verū non solū non dormiunt, sed etiā spē dormiendi nullā habent. Ex quo vigil Coma nō modo actio diminuta est, sed aliquo modo depravata, quia deliriū cōjunctū habet, ꝙ facultatis animalis motus depravatus est, quē producit mixta cacochymia bilis & pituitæ pariter inter se cōcertantiū, tertio de lo. pat. docēte *Cap. 12.* Gal. bilis quidē ad somni excussionē: pituitæ verò ad soporiferam impressionē, quorū humorū mistione monstrum nascitur biceps Phrenitidis & Lethargi, quod *τυφομανίαν* veteres nominarunt. *Typhomania*

Ibidem.

DE AMENTIA STVLtitia & fatuitate.

QVÆSTIO. XL.

QVemadmodum imaginatricis facultatis actio aboletur Caro & Catalepsi: diminuitur Comate & Lethargo: depravatur verò delirio, vel Phrenitide, ita ratiocinatricis actio obliteratur & aboletur Amentia seu Demētia: minuitur stultitia & fatuitate: atq. depravatur etiā delirio, vel Phrenitide. Vnde *Ἄνοια*, Amentia definitur ratiocinatricis actionis privatio & veluti paralysis. Porrò *μωρὸς* dicitur, cujus gustus est fatuus sive insipidus. Dioscorides libro quarto, radices gustu *μωρὰς*, vbi quidam interpretantur gustu fatuo quidam insipido. Sic *μωρία* stultitia est, & *μώρωσις* fatuitas, sed medicorū potiùs, quā aliorū est hoc vocabulū *μώρωσις* scilicet

Anoea. *Moros.* *Mora.* *Moria. Morosis.* *Morosis.*

cet de imbecillitate mẽtis & memoriæ. Nã, ut quidam annotarunt, si mẽtis solius jactura fit, παραφρὸνη dicitur: si memoriæ solum λήθαργος, si utriusq. μώρωσις. Quæ definitur actio deficiens seu infirma facultatis ratiocinatricis: ad hanc enim facultatẽ propriè pertinet stultitia & fatuitas. Sic rem se habere declarat Paulus Ægineta libro tertio, ubi scribit dici μώρωσιν, cũ & ratio, & memoria malè fuerint affectæ. Similiter & Aetius opinione Rufi & Galeni ex tertio de loc. pat. fortasse, observat Morosin esse, cum ratio & memoria patiuntur: licet enim stultitia & fatuitas directò spectẽt ad ratiocinatricẽ, quã debilitant, & imminuunt, tamen reliquæ principis facultatis actiones integræ permanere non possunt, his vigentib. symptomatis, sed pariter imperfectæ sunt, nam & parũ aptè imaginantur, nec probè solent meminisse fatui, quippequi cerebrũ non habere vulgò dicuntur, naturalibus fatuis similes.

Typhonia. Lethargice. Morosis.

Cap. 11. Morosis.

Cap. 5.

ARG. CAP. IIII.

Tradit omnia symptomata, quæ pertinẽt ad actiones naturales, cũq. sint quatuor attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, atque una quæque triplex abolita, imminuta, depravata, in quolibet instrumento naturali duodecim colligit symptomata prima: ad instrumẽta verò sensus adjungit tria, totidemq. ad instrumẽta motus, quæ similiter prædita sunt actionib. naturalib. unde ad decẽ & octo numerũ symptomatum auget. Præterea vẽtriculi exẽplo, & ut instrumentum est, & ut corpus similare, quomodo symptomatũ numerus in aliis naturalib. instrumẽtis, aliisq. partib. similaribus inveniri possit, per singulas ejusdẽ ventriculi actiones monstrat. Postremò symptomata sæpissimè alia symptomata, & potissimũ actionẽ læsam aliam actionẽ, tandemq. morbũ sequi cõcludit.

CAP. IIII. Tex. 16.

QVoniam autem quæ rectrici animæ parti symptomata incidunt, dicta jã sunt, tẽpestivum est, ut ad alterũ actionum genus, A *quas naturales vocãt, trãseamus. Fuerint igitur, & in harũ singulis, vel non obitis, vel malè obitis, symptomata. In appetitu quidẽ, tũ inappetentia, tũ difficilis appetẽtia, tũ immodica cibi appetẽtia. In concoctione, cruditas, & cõcoquẽdi tarditas, & ejusdẽ operis pravitas. Pari modo in digestione, & sanguinis generatione, vel non peracta, vel non ritè peracta, symptomata incidunt:* B *cuius generis symptomatũ, & hydropum vitia sunt. Iã in nutriendi actione atrophiæ quædã & tabes, frustrationes ejus sunt, Leucæ vero & ophiasis, & alopecia, & quicquid ejusmodi symptomatũ genus habetur, à vitiosa nutritione provenit. At asphixiæ, id est, pulsuũ privationes, & cacosphixiæ, id est pulsus vitiosi, circa pul* C *suũ actionũ sunt symptomata. In excrementorũ quoq. separatione, vel omninò nõ peracta, vel non ritè peracta, symptomata fiũt, aliqua nomine proprio vacantia, velut quæ circa nigram bilem eveniunt: alia vulgò nominata, velut icteros, sive regius morbus.*

COMMENTARIVS.

D PRÆTERITO capite omnia symptomata quæ in animalib. actionib. contingunt, expositi auctor: in hoc verò de symptomatum differentiis, quæ naturalib. actionibus accidunt disceptabit. Sed, cũ de more habeat auspicari ab his, quæ patẽt & notissima sunt, propterea disputationem aggreditur ab actionib. quæ commune usum toti corpori præbẽt, ac ideo manifestissimæ sunt, scilicet appetentia cibi & potus, alimenti concoctio propria ventriculi actio, ali-

mẽti distributio, quæ fit primùm ex ventriculo ad jecur per venas meseraicas, deinde ex jecore per secũdas venas ad universum corpus, sanguinis generatio jecori propria, nutritio, quæ omnib. partib. inest, pulsus actio, propria cordis & arteriarũ, atq. tandẽ excrementorũ expulsio, perfecturus deinde actiones proprias cujusq. partis attractionẽ, retentionẽ, concoctionẽ, & expulsionẽ, quæ quasi latent in occulto. Inquib. omnib. totidem, quot in animalib. eveniunt symptomatũ genera, hoc est, duo vel tria: duo quidem, cũ, vel in totum abolentur & auferuntur actiones, vel malè fiũt: tria vero, quia, cum malè, vel debiliter, vel depravatè, ut actio quælibet præter naturam sit, triplex vel abolita, vel debilis, vel deprauata. Quod primum declarat in ciborum, vel potus appetentia, græcis ὄρεξις dicta, quæ aut abolita est, ἀνορεξία dicitur, inappetentia, ciborumq. aversio, aut imminuta, quæ δυσορεξία, vel depravata, cui græci peculiare nomen non indiderunt, cujusmodi appetentia immodica est. In cõcoctione similiter tria accidunt symptomata. Primum dicitur eruditas, secundũ concoctionis tarditas, tertium pravitas & vitium vocatur. In distributione, sanguinisq. generatione itidem tria symptomata fiunt, abolita, scilicet tum distributio, tum sanguinis generatio, diminuta, & depravata. Sub hac hydrops continetur, id est, aqua intercutem, cujus tres sunt species, Tympanites, Ascites, & Anasarca, sive Leucophlegmatia. Idem Gal. docet in nutritione præter naturam, quia, vel est abolita, vel imminuta, vel depravata. Abolita, ut in Atrophia & Tabe, id est, absũptione partium: imminuta, ut in plerisq. morbis contingit, in quib. diminutè nutriũtur corporis partes: depravata, ut in Vitiligine, præterea in Ophiasi, & Alopecia, capillorum defluvio. Iam verò cum pulsus fiat à facultate pulsatili, quæ ut diximus, naturalis est, inter actiones naturæ meritò recenseretur. Quare pulsus aut abolitus est, aut imminutus, aut depravatus. Abolitus, cum non fit, scilicet judicio sensus: imminutus, cum lãguidè fit, ut pulsus debilis: depravatus, cũ vitiosè, ut pulsus dicrotus, vel caprizans. Tandem excrementorum expulsio triplex est, vel abolita, quando non fit, ut videre est in Ileo, Volvulo scilicet, & cõvolvulo, in quo nihil per sedem excernitur, sed stercus vomitu rejicitur: & in morbo regio, in quo bilis retinetur. Sunt autẽ aliqua symptomata, quæ proprio nomine carent: alia nomen habent consuetũ. Nam bilis flavæ ἴκτερος nomen obtinuit proprium: alius verò in quo discretio melãcholici humoris non satis rectè fit, ut à liene, sicuti deberet, trahatur, peculiare ac proprium nomen non habet, sed alterius sibi de sumpsit cum additione atq. ἴκτερος μέλας icterus niger dicitur, vel debilis expulsio dicitur, vel depravata, quod statim explicabimus.

Orexis.
Anorexia.
Dysorexia.

TEX. XVII.

METhodus verò hic quoq. omnium inventionis est, naturaliũ facultatũ cognitio. Eas in libris, quos de ijs prodidimus, quatuor esse in quaq. corporis particula indicavimus, Attractricem, Retentricẽ, Alteratricẽ, & excretricẽ. Erit igitur in hac ũ una quaq. duplex symptoma: alterũ nõ ritè obitæ actionis, alterũ prorsus non obitæ. Quare in quoq. naturali instrumẽto, octo incidẽt in universum symptomata. Ergo si cui ex dissectionib. exploratus est particularum animalis numerus, hic brevi, immo verò facilè ex se se omnẽ symptomatũ multitudinem inveniet. Quippe quæ naturæ tãtũ sunt instrumẽta, octo solũ symptomatis laborabũt: quæ verò sunt animæ, tum istis, tum his amplius aliis duobus. Monstratum enim paulò supra est, cujusque animalium actionum duplex esse symptomatũ genus, vel

prorsus

prorſus non peractarum, vel parum ritè actarum. Dictum præterea eſt hoc, non ritè duplex eſſe, aliud veluti ex defectu proveniens, aliud (ut ſic dicã) ex vitio, ſivè errore. Ita utiq. ut ſi nõ duo tantũ in quaq. actione & facultate ſymptomata eſſe dicas, ſed tria, alterũ, ſcilicet priorũ duorũ iu duo ſecans, duodecim quidem in quoq. naturali inſtrumento ſymptomata invenienda ſunt: quindecim verò in ijs, quæ animæ ſubſerviunt. Porrò prior diviſio, quæ in duas facta eſt differẽtias, octo quidem naturalium, decẽ animalium actionum efficit. Si quod verò inſtrumentum, duplici ratione animale ſit, ut tum ſenſus ſimul particeps ſit, tum motivum, huic ex ſecunda diviſione decem & octo ſymptomata incident, ex priore duodecim.

COMMENTARIVS.

Quod docuit exemplo nãturaliũ actionum, de quib. apertiſsime conſtat, idem in illis, quæ minus patent, quæq. in una tantũ parte fiunt, monſtrare ſtudet, ſed cum longum eſſet, omnes corporis particulas recenſere, illarumq. actiones perſequi, methodum tradit, qua poſsit quilibet perfacilé omnes ſymptomatum, quæ ad actiones naturales pertinent, aſſequi differentias.

Conſequitur autem ex trib. hæc methodus, ex Anatome, ex differentijs facultatum & actionum, quæ in unaquaq. parte fiũt, & ex vario ſtatu & modo, quo naturales actiones præter naturam reddũtur, & vitiantur. Anatomes ſingulas corporis partes edocet. In libris de naturalib. facultatib. demonſtratum eſt, quatuor eſſe in ſingulis partibus facultates A naturales, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem: dudum verò dictum, ſingulas actiones tribus modis lædi, vel quia nulla ratione, vel quia imminutè, vel quod depravatè fiant. Qua methodo omnes ſymptomatum differentias in ſingulis inſtrumentis invenie mus.

Sunt autem inſtrumenta in duplici differentia, quædam ſunt animæ, quædam verò naturæ. Inſtrumenta naturalia inſitas habent facultates à quib. emanant quatuor actiones: inſtrumenta verò animalia, duplicia ſunt, vel inſtrumẽta ſenſus cujuſmodi eſt oculus, vel inſtrumenta motus B voluntarii, ut muſculus: utraq. autem, cum revera vivant, prædita quoq. ſunt quatuor, tum facultatib. tum actionib. naturalib.

Ergo juxta præſcriptam methõdũ in inſtrumentis naturalib. duodecim contingere poſſunt ſymptomata, quia quatuor ſunt illorum actiones attractio, retentio, concoctio & expulſio, quæ ſymptomata ſunt, vel, cum non fiunt, vel, cum imminutè, vel, cum depravatè fiũt. At in inſtrumentis animalib. plura ſymptomata C poſſunt evenire. Nam in inſtrumẽtis ſenſus, ſi tres ſtatuamus ſẽſionis læſæ differẽtias, quindecim erunt ſymptomata, duodecim naturalib. inſtrumentis communia, & præter hæc alia tria, nimirũ ſenſio, quæ non fit, quæ diminutè, & quæ depravatè fit. Sed in inſtrumentis ſenſus & motus decẽ & octo fient ſymptomata, duodecim cõmunia inſtrumentis naturalib. tria inſtrumentorum ſenſus, & alia tria inſtrumentorum motus, nẽpe ſenſus abolitus, imminutus, & depravatus, ut etiam motus abolitus, imminutus, & depravatus. Ecce D partium noſtri corporis omniũ ſymptomatũ, quæ ad actiones naturales pertinent, patens ac legitimus nũmerus.

TEX. XVIII.

MONSTRATO igitur, quod dicimus in una, altera ve particula, quod nos in ijs, id

in omnibus facere censemus eum, qui numerare symptomata studebit, minimè quidem nominibus attentum (neq. enim ubiq usitatas appellationes inveniet) sed ipsam rerum naturam spectãtem. Est igitur ventriculus concoctionis instrumentum, quod trahit in se, uti ostendimus, conveniens nutrimentum: excernit autem quicquid est alienum: præterea quod attraxit, id retinet, & quod retinet, alterat. Cum igitur vel omnino non trahere, vel vitiosè trahere illi contingit, duo mihi symptomata circa tractricem potentiam intellige. Scindeq. alterum rursum in duo, nempe. Quod vitiosè, oratione saltem quatenus utiq licet (tametsi nominib. clarè non possis, quod scilicet his nullum impositum nomen est) interpretari conatus. Verbi gratia, quod etiam illud, non rite aliud veluti imbecillum est, aliud veluti vitiosum: imbecillum quidẽ, quod vix & ægrè & longo tempore fit. Vitiosum, quod veluti cũ palpitando, tremendo, vel convellendo, vel vibrando agitur. In alteratrice verò ventriculi facultate, aliud est, ubi omninò alteratio non fit, cum scilicet quales assumpti cibi sunt, tales in omni qualitate manent: aliud ubi imbecilliter, quod proprium nomẽ græce Bradypepsian habet: aliud ubi vitiosa est alteratio, cum in alienam qualitatem cibi mutantur. Quarè tria in totum symptomata circa unam actionem frustratam habẽtur. Vocatur autem ipsa actio concoctio: ea est ciborum inconvenientem animali qualitatem alteratio. Bradypepsia verò sive concoctionis tarditas, mutatio in eam qualitatẽ est, sed ægre & spatio longiore. Alterationem autem in alteram qualitatem, non tamen in eam, qua secundum naturam est, apepsian nominant. Privatio quoque ejus actionis æquivocè cum ea nominatur: quanquam utique clarius fuerat, hanc solam apepsian nominasse: illam verò vitiosè factam dyspepsian, sicut imbecillam alterationem bradypepsian. Cæterum, ut Plato testatus est, veteres, cum plurimas rerum ignorarent, alias omninò non nominarunt, alias non rectè. Non est igitur quod nomina nobis imponãt, sed inspicienda nobis est ipsa rerũ substantia. Quod si fiat, inveniemus retentricis quoque facultatis actionem secundũ naturam se habere, cum tempus complectendi cibi cum tempore concoquendi exæquat, ac cibos undiq. prorsus constringit. Privationem verò omnimodam ejus actionis, cum prorsus non complectitur: accidit autem id in lienosis, sive in intestinorum levitate. Imbecillitatẽ verò, cum vel non probè undiq. amplectitur, vel non usque ad eõ summatam concoctionem, vel cũ ambo hæc simul incidunt. Cum enim retentricis & complectentis facultatis agendi probitas in

his

his duobus consistat, ut tum nullũ locum relinqueret inter vẽtrem & cibos vacuum, tum complectendi tempus cum concoquendi tempore exæquaret, vel altero tantum non probè actionem obibit, vel utroque symptomataq consequentur, imbecillo quidem complexui, fluctuationes cum sonitu, quas græci clydonas vocant, & flatulentiæ: injusto autem complectendi tempori, excretio celeris & ciborum in inferiore ventre corruptela. Hoc loco illud advertendum censeo, quod alteri symptomati alterum nonnunquam succedit. Quippe imbecillum complexum, modo clydones excipiunt, modo flatulentiæ: injustum verò complectendi tempus, omninò diminuta concoctio: deinceps verò vel celer ciborum exitus, vel eorũ in ventre corruptelá. *At celeris quidẽ exitus inseparabilia symptomata sunt dejectionis humiditas, & digestio in corpus diminuta. Corruptelæ autem in alvi quidem dejectionib. grave olentia necessariò, non necessariò autem mordicationes, aut inflationes: sed interim neutrum eorum, interim alterum, interim utrumq. Cur autem tum in istis, tum in ijs, quæ priùs sunt dicta, quædam necessariò sequantur, quædam non necessariò proximo libro, in quo de symptomatum causis agemus, docebitur: in præsentia vero ad reliquam retentricis facultatis symptomatum differentiam est transeundum. Cum igitur circum cibos vẽter se constringit, cæterum

A cum palpitatione quadam, vel tanquam convulsione & tremore & vibratu, ejusmodi constrictionis opus vitiosum fuerit. Ac palpitationem quidem ventris clarè sentimus, itemq. convulsionem (singulum enim hoc symptoma nominant) noxam verò eius, quæ velut tremor sit, non clarè. Cæterum si

B ijs, quæ dicemus, animo eris attentus, id quoq. non magno negotio deprehendes. Ergo ubi à comedendo, nec clydon aliquis, sive fluctuatio cum sonitu te infestat, nec inflatio, nec palpitatio ulla, nec singultus, sed difficultas aliàs insueta in vẽtre sentitur, & veluti gravatur is, ac laborat, † ac magis desiderat gravitatem infra deponi, quam

C sursum ferri: (accedit præterea ructus quispiam, tum displicientia quædam aliena † nec facilè interpretabilis) in anhelitu adsequitur: existimabis ventriculũ circa cibos constringi quidem, cæterum id veluti cum tremore fieri. Atqui velut vibrans motus est, in concutientibus rigoribus maximè est conspicuus, omnes animalis particulas occupãs. Ac de his quidem fusius in libris,

D qui hunc sequuntur agemus. In præsens ad quartam ventris facultatẽ excretricem propulsricemq. veniendum, cujus quod quidem veluti privatio est, in Ilei quibusdam generib. cernitur. Imbecillitas verò subinde in tardis excrementorum dejectionib. incidit. Qui autem ejus veluti vitiosus motus est, tum incidit, cum vel prius quam absoluta

concoctio

† Copusita hunc locũ vertit. cupiq. celeriter onus, vel per infernas partes abÿcere, quem sensum etiã Leonicenus habet. Linacrus videtur loco ipsi ἀστόν, legisse μᾶλλον.

† Aldinus sic pegas 1. nec facilè tolerabilis.

concoctio est, ad actionem prorsus: vel absoluta ea cessat ac tardat, vel una cum aliquo jam dictorũ symptomatum fit, aliterve quovis modo inæqualiter, vel tanquã impos sui venter in cibos irruit, minimè temperato moderatove motu utens, exemplo eorum, qui in declivi currunt, nec sistere valent. Ac ventris quidem, ut instrumentum concoctionis est, dicta symptomata sunt.

COMMENTARIVS.

Quoniam non solum methodum ipsam noviſſe oportet, sed etiã multifariam in particularib. exercitari, quod facere omnib. in promptu nõ est, ideo Gal. hoc loco juxta præscriptam methodum, ventriculi exemplo, qui concoctionis est instrumentum, dilucidé docet, quomodo percurrentes per singulas illorum actiones, possimus invenire symptomatũ numerum in alijs instrumentis naturalib. minimè attenti nominib. sed ad ipsam rerum naturam respicientes, cum nomina usitata non ubiq. inveniantur.

Ergo ventriculum, quã naturale, & concoctionis instrumentum est, duodecim symptomata vexare possunt: attractio enim, retentio, concoctio, & expulsio tripliciter possunt vitiari. Vnde attractio præter naturam triplex est, abolita, quando ventriculus nihil omninò appetit, nec attrahit, gula resoluta. Debilis, quando vix & multo tempore ventriculus attrahit. Depravata, quando inter trahendum velut palpitat, ut cum patitur palpitationem, tremit propter illius motum tremulũ, concutitur, ob motum concussivũ, quemadmodum in rigore, aut convellitur motu dicto convulsivo, ut in singultu, qui quasi convulsio ventriculi est.

Attractio.

Similiter retensio, & comprehensio, qualis, cum nullum spatium inter ventrem & cibos relinquitur, do nec facta fuerit concoctio & assimilatio, tripartitò potest in statu præter naturam constitui. Abolita est, cum cibos non comprehendit ventriculus, ut in lienteria, de qua libro sexto de lo. pat. Imminuta & debilis, cum ventriculus debiliter cibos amplectitur, ex quo fluctuationes, si medium, quod est inter cibos & ventriculum, sit humidum, quale potus est, vel inflationes, si medium fuerit flatuosum. Quod si ventriculus amplectitur alimenta, sed non retinet, usque dum cõcoctio perficiatur, aut non amplectitur, nec retinet, hinc sequuntur imperfecta concoctio, & celeris dejectio excrementorum, atque ciborum in ventre inferiori corruptio. Concoctio imperfecta cognoscitur excrementorum humiditate: celeris dejectio humiditate excrementorum, & cibi per corpus deficiente distributione, quæ duo illius signa inseparabilia sunt. Corruptio autem ciborum necessariò cognoscitur fœtore: mordicatione verò & inflatione non necessariò, de quib. tertio de causis symptomatũ agemus.

Cap. 2.

Retentio.

Observat autẽ noster auctor, quod sæpe numero alterum symptoma sequitur alterum, nam imbecillum ventriculi complexum, modo fluctuationes, modo inflationes consequũtur: ita enim succedunt symptomata ex symptomatis, ut actio præter naturam alterius actionis vitiosæ causa interdum judicetur. Postremò depravata retentio alimentorum fit, vel propter ventriculi palpitationem, vel cõvulsionem, vel tremorem, vel concussionem. Ac palpitatio & convulsio, quæ ventriculi singultus est facilimè cognoscuntur: sed ventriculi tremor difficulter, verum symptomatum absentia statim innotescit, ut notavit Gal. Nam, si assumpto cibo nec fluctuatio aliqua infestat, nec inflatio, nec palpitatio, nec singultus, sed præter consuetudinem ventriculus perplexam & dubiam molestiam sentit, & veluti gravatur & patitur, cupiens, vel per superna, vel per inferna projicere alimentum, atq. præterea ructus emittit cum difficili respiratione propter compressionem septi transversi, tum existimandum est ventriculum affici tremore.

Observatio.

Eadem

Eadem ratione alteratio, ideſt, ventriculi concoctio, ſeu cibi in qualitatem animali familiarem mutatio, trifariam læditur. Abolita concoctio vocatur ἀπεψία, quæ abſoluta cruditas eſt, alimento nulla ſui parte in chylũ mutato. Imminuta concoctio dicitur βραδυπεψία imbecillis, tarda, & imperfecta concoctio. Depravata verò δυσπεψία vocatur, hoc eſt, alimenti corruptela, quæ impropriè ἀπεψία etiam nonnullis græcis dicitur, ſed major perſpicuitas foret, ſi ſola concoctionis privatio, abolitio q. apepſia vocaretur: diſpepſia verò ea, quæ depravata eſt. Verum, ut Plato ait in Cratylo, ubi de recta nominum impoſitione agitur, multi res ipſas non cognoſcentes, alijs nullum omninò nomen impoſuerunt, alijs verò inepta nomina indiderunt.

Concoctio. *Apepſia.* *Bradypepſia* *Dyſpepſia.*

Tandem quartam ventriculi functionem aggreditur Gal. & quod aſſeruit de trib. actionib. idem docet de excrementorum expulſione, quæ ſimiliter aut abolita eſt, aut diminuta, aut depravata. Abolita eſt in ea Ilei ſpecie, quam Volvulum appellamus, in qua propter validam inteſtinorum obſtructionem, nihil omninò per inferna excernitur. Imbecilla expulſio ſeu excretio in tardis quibuſdam excremẽtorum dejectionib. evenire ſolet: depravata verò, cum facultas ad excretionẽ properat, antequã ſit abſoluta concoctio, aut, ubi jam perfecta concoctio eſt, expellere tardat, demoratur, aut fit cum aliquo dictorum jam ſymptomatum, videlicet palpitatione, convulſione, tremore, conturbatione, ſive concuſsione, vel inæqualiter, vel quando ventriculus immoderatè irruit in cibos, adeo ut propriam impulſum moderari nequeat eorum exemplo, qui currentes per declivẽ locum motum ſuum inhibere non poſſunt. Atque hucuſq. ventriculi, ut concoctionis inſtrumentum eſt, Gal. ſymptomata recenſuit.

TEX. XIX.

VT autem, tum nutriri poſtulat, tum quod nutriat, non ſolùm trahit, ſed etiam eatenus retineat, quouſque alteraverit, & ſupervacaneum excreverit, alium parem ſymptomatũ numerum, ceu ſimilare corpus ſortietur. Fortaſſe igitur præſtiterit omnia, quæ circà nutritoriam actionem ſymptomata incidunt percurrere, & quæ ventris corpori, & quæ cæteris particulis omnib. inſunt communia quippe clarior ita legentibus diſputatio fiet, illuſtriuſq. docebit, quod paulò ſupra eſt dictum, ſymptoma ſymptomatis cauſam eſſe. Atrophiam enim, cum unũ ſymptoma ſit, ſive in ea in toto fiat animali, ſive in una ejus particula, multa præcedũt ſymptomata. Cum enim, quod probè nutriendum eſt, & trahere ad ſe conveniens nutrimentũ debeat: & id, quood tum alteraverit, tum aſſimilaverit, retinere: præterea, quod ſupervacuum eſt pellere, eſt autem id duplex genere, aut enim quantitate ſupervacaneum eſt, aut qualitate: neceſſe omninò eſt, particulam, quæ atrophia laborat, vel unius prædictorum alicujus occaſione id pati, vel plurium. Nam ſive diminutè trahat, quod nutriat, ſive non trahat, ſive perperam trahat, atrophia particulam conſumet: ſive id quidem quod nutriat, & quantum, & quale eſſe oportet ſuppeditatur, cæterũ ſymptoma aliquod in retentrice facultate incidet ſimilè ijs, quæ in ventre ſunt dicta, attrophia tentabitur ſic quoq. Quod ſi hæ facultates legitima fungantur actione, excretrix autẽ vis erret, plus ſcilicet quam opus eſt vacuans,

A B C D

cuans, sic quoque gracilis nutrimentoq. parum fruens, particula redditur. Iã alteratricis virtutis symptoma, quod veluti privatio est (eã autem apepsian, sive cruditatem vocari diximus) liquido patet, quod particulam gracilem efficiet. Quod verò ejus veluti imbecillitas quædam est, quam bradypepsian vocamus, spacio quidem longiore, sed tamen luculenter ipsam quoque aliquando gracilitatẽ inducet. Tertium verò symptoma, quod dyspepsiæ est simile, non gracilem modo nutritionis desiderio, sed etiam aliena specie particulam reddet, veluti in vocatis leucis, & elephantiasi cernitur. Sané advertere hoc in loco, ac discernere conveniet, utrum ne succo aliquo affluente, an solidis ipsis ita affectis, mutatus color sit. Quippe si ex affluente est mutatus succo, alteri⁹ generis symptoma est, nec alteratricis facultatis error. Si autem tota particula per totam, qualem esse oporteat, talis non sit, alteratricis in eo virtutis id vitiũ est. Fit enim & in arquatis naturalis coloris mutatio, sed ea, nisi alteratricis venarum virtutis vitium aliquando est, separatricis actionis est symptoma. Vitiosus autem in singulis privatim particulis color, si modo ex succo aliquo extrinsecus affluente non proveniat, ex alteratricis & concoctricis virtutis, quã in se habent, vitiosa functione oritur. Ergo hanc atrophian, cum cacotrophia quædam, idest, vitiosa nutritio dicenda potiùs sit, à præsenti

Hæ duæ voces modo & etiam non sunt ingræcis codicib. nec in ullo alio interprete.

disputatione eximamus: ad eam verò, quæ nutritionis omninò est privatio reversi, illud admoneamus, tum ipsam symptoma esse, tum symptomatis aliàs aliys, quæ vel in attractrice, vel retentrice, vel segregatrice, vel alteratrice facultate incidunt, supervenire. Omnium verò horum symptomatum, morbi sunt causæ. Finge enim dimitte in aliquam particulam trahi alimentum, ideoq. eam non nutriri: omninò morb. aliquis diminutum hunc tractum præcedit. Sive enim particula ipsa imbecillius ad se ipsam nutrimentum trahat, omninò sanè intemperata exiſtit, morb. autem est intemperies: sive bene temperata quidem sit particula, obstructio autem aliqua indigestionis instrumentis digestionem impediat, obstructio ipsa morb. est: digestionis impedimentũ ejus symptoma. Nõ solùm autem singula symptomata percurrens, qua scilicet læsæ alicujus actionis culpa proveniunt, intelliges quod ea omninò morbus præcedit, sed etiam id ex ipsa rerũ essentia licet; citra inductionem colligas. Quippe sanitatem actionis causam posuimus: morbum autem læsionis, quæ in actione est, causam: at verò symptoma, de quibus nunc proposita nobis disputatio est, actionũ esse læsiones diximus.

Quare ex his propositis constat hujus generis symptomatum morbos esse causas.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

Hactenus persecutus fuit omnia symptomata ventriculi, quatenus concoctionis est instrumẽtum: nunc ejusdem ut nutriri postulat, quemadmodum quælibet similaris & simplex particula, symptomata commemorat. Suadebat hoc præscripta methodus, ut postquam investigaverit, quæ symptomata patitur vẽtriculus, quà instrumentũ naturale, atq. illius exẽplo condisceremus, quæ patiantur alia instrumenta naturalia, deinde inquireret ejusdem ventriculi symptomata, quatenus est pars similaris, quo similiter certus nobis esset numerus symptomatum, quæ partib. omnib. similarib. contingere possunt, quatenus similares sunt.

Adhibet autem ventriculus ad sui nutritionem, ut quælibet pars similaris, quatuor actiones: attrahit enim alimentum, retinet, concoquit, & excrementa pellit, quarum ratione patitur æqualem symptomatum numerum, nempe tractionem vitiatam, retentionem, concoctionem, & expulsionem. Privatim verò quælibet harum actionum, cum læsa fuerit, triplex symptoma est: attractrix quidé abolita, imbecilla & depravata. De retentrice, concoctrice, atq. expultrice idem est dicendum, ut duodecim possimus symptomata numerare.

Quib. positis observat, ex symptomatis alia sæpissimé symptomata nasci, quod monstrat in atrophia, quæ deficiens in partib. nutritio est, quam sequitur tabes, vel absumptio. Quod exemplũ facile & pervulgatũ est: nã atrophia est symptoma actionis naturalis alimentũ malé trahẽtis, vel retinẽtis, vel cõcoquentis, vel superflua malé expellentis, unde sequitur nutritio debilis, & à perfecta assimilatione deficiens. Atrophiã igitur præcedunt plura symptomata, nam, cum nutrici quatuor illæ facultates ministrent, si uni harum actioni contigerit aliquod vitium, necesse est lædi partis nutritionem, unde atrophia. Quare, cum attractio abolita & diminuta est, nunquam nutritur ventriculus, vel quælibet pars alia, sed atrophia laborat: si verò depravata fuerit & vitiosum alimentũ ventriculus trahat, potiùs cacotrophia, quam atrophia symptoma illud appellabitur. Atq. hæc quidem symptomata contingunt attractrici facultati. Retentrici etiam tria, privatio retinendi, debilitas, & depravatio, quę, vel singula hęc atrophiam inducunt. Nam si omninò non retinetur alimentum, aut imbecillius, malé concoquitur. Quod si attractrix, & retentrix probé sua fungantur actione, erraverit autem expultrix, plus quam oportet excernens, ne quaquã nutrietur ventriculus. Quin etiam alteratricis culpa solet etiam contingere atrophia, nam si attractum alimentum, alteratum & coctum nõ fuerit, quædam concoctionis privatio est, quam retrò cruditatem appellavimus: si verò concoctrix fuerit imminuta, solet tandem atrophiam parere, quamvis longiori indigeat tempore, unde tarda concoctio est, ipsaque pars paulatim contabescit. Verum depravata concoctio atrophiam non inducit, quoniam licet adsit alimẽtum, cum tamen pravum, & vitiosum sit, potiùs partium ideã & formam transmutat, coloremq. illius mutat, ut in vitiligine alba, & nigra atq. elephantiasi observamus.

Sed ubi partium color immutatur diligenter considerandum, & distinguendum est, an ab humore aliquo ad partem affluente, & illum suo colore tingente, an quia tota partis substãtia solida sic affecta est, ut illius color sit immutatus. Si enim ex humore defluxo fuerit ortus color, atq. non tota partis natura transmutata, alterius generis symptoma est, & nõ concoctricis facultatis error: sed vel ad excretionem depravatam, vel ad venarum alterationem læsam reducẽdũ: si verò tota pars per totã, nõ solum decolorata fuerit, sed etiã propriã naturã amiserit, existimãdũ est, vitium hujusmodi ex depravata concoctione ortum trahere, facultatisq. alteratricis errore, nutrimentum vitiosum nativæ partis substantiæ assimilari non posse, ut contingit in elephantiasi & vitiligine. Excretionis culpa fit coloris vitium in morbo regio: alteratione venarum læsa vitiatur color in his hominib. quos hepaticos

Cap. 7. ticos vocat Gal. libro quinto de locis patientib. qui ob multam jecoris caliditatem, multam gignunt copiam bilis flavæ, quæ universum illorum corpus suo colore tingit.

In extremo capite probat Gal. harum omnium læsarum actionum causas esse morbos, quod primùm confirmat inductione, subinde verò necessaria demonstratione. Porrò alimenti attractio imbecilla vitiosa & præter naturam est, atq. adeo symptoma. Quam, ut sequatur morbum à quo procedit, necesse est: is verò intemperies esse debet. Item, cum particula temperata est, sed impedita distributione alimenti ob aliquam obstructionem, sanè obstructio ipsa morb. est, distribuendi verò præter naturam actio symptoma. Idem de alijs actionib. præter naturam est dicendum. Non solùm autem, Gal. inquit, singula symptomata percurrentes discere poterimus, quod omninò morb ipsa præcedit, verum etiam citrà inductionem, ex ipsa rerum natura, id ipsum colligemus. Demonstratio sic se habet. Sanitas est nostri corporis constitutio secundum naturam: morb. autem illius contrarium ejusdem corporis cõstitutio præter naturam: consistunt enim in ijsdem, ut fusè latèq. diximus libro de differentia morborum, discrimen tantum est, quod sanitas secundum, morbus verò præter naturam sit: attamè sanitas est principium & causa omnium actionum secundum naturam, ergo morb. est principium & causa omnium actionum præter naturam, quæ quidē omnes insequuntur morbos, quemadmodum effectus omnes suas proprias causas.

EPITOME.

Methodum inveniendi symptomata naturalium actionum ab illarum cognitione exordiatur, cumque sint quatuor, in qualibet illarum triplex symptoma repetitur, actio abolita, diminuta, & depravata. Exemplum ponit in coctione ventriculi, quæ interdum tota aboletur, & cruditas est: interdum debilitatur, & dicitur tarditas, sæpe vitiatur, & vocatur pravitas, ex qua nonnunquam partium mutatus color. Sic appetendi actionis symptomata sunt appetentia abolita, debilis & immodica. Quare singulis naturalib. instrumentis duodecim possunt accidere symptomata: animalib. verò quindecim, quod si & moveantur, & sentiant ad decem & octo perveniunt. Ventriculus igitur duodecim sortitur symptomata, ut est concoctionis instrumentum totidem quot est pars similaris. Si quidem instrumenta, partesq. omnes, aut nihil trahunt, & sequitur atrophia, aut languidè aut depravatè, quando potiùs cacorrophia est. Quod verò retinent, aut omninò crudum relinquitur, aut diminutè coctum, aut in alienam qualitatem conversum. Quod autem expellere nequeunt, aut languidè, aut perperam, hoc est, citius aut tardius, quam animali expediat, depellunt, ex quibus accidit partes non nutriri, aut imbecillitet, aut vitiosè. Advertendum verò alteri symptomati, alterum aliquando succedere. Siquidem injustum complectēdi tempus continuò sequitur diminuta concoctio. Præterea celeris dejectionis ciborum insequabilia symptomata sunt excrementorum humiditas, alimentique per corpus diminuta digestio: cibi autem corruptelam sequitur necessariò excrementorum fœtor, non necessario mordicatio, & inflatio. Atq. harum omnium præter naturam actionum, sciendum est morbos causas existere.

CONTROVERSIÆ pathologicæ.

EXPLICANTVR & excutiuntur, quæ docuit Gal. capite quarto.

QVÆSTIO. XLI.

MVltum curæ, atq. industriæ posuit noster auctor in symptomatis, quæ naturalib. tum instrumentis, tum partib. simplicib. accidunt, inve-

investigandis: nihilominus tamen, ut persuadere possimus, eundem ad veritatem locutum fuisse, quæ docuit diligenter examinemus.

1. Obiectio. Primùm nonnullam in dubitationem videtur adducere, quod Gal. appetentiâ ciborũ inter actiones naturales enumeraverit, atq. symptomata, quæ ad appetentiam pertinent, ad actiones naturales læsas reduxerit. Nam hæc appetentia censenda est actio animalis ventriculi propria, & potissimũ illius orificii, animalis quidem, quia cũ sensu & cognitione procedit.

Solutio. Respondemus revera appetentiam animalem esse: hoc verò loco, ubi de symptomatis facultatis naturalis sermo est, de animali appetentia egit Gal. propter magnã connexionẽ, quam hæc appetendi facultas habet cum attractrice ventriculi respectu cibi & potus.

2. Obiectio. Illud etiam plurimum difficultatis habet, quod Galenus in suo cõtextu (græcum Aldinum codicem intelligo) de duobus tantum læsi appetitus differentiis meminerit, abolita scilicet appetẽtia, & immodica, mediæ verò nempe diminutæ sic oblitus, ut interpretes appulerit ad ea adiungendam.

Solutio. Ego in impressores culpam confero, quibus de proposito aberrare, atque difficilem appetentiam negligere facilè fuit.

Alt. Solut. Tamen, si quis voluerit difficilem & imminutam sub immodica subjicere, ut immodica cõplectatur etiã imminutam, non repugnabo. Quandoquidem appetentia immodica ea dicitur, quæ sine moderatione fit, qua ratione communis est supra modum auctæ, atq. infra modum diminutæ. Sic dixit aliquando *sanguinem ex mediocri calore fieri, reliquos verò*
2. de nat. fac. cap. 8. *succos ex eodẽ immodico*, propter ametriam, & illius immoderationem: cum tamen pituita fiat à calore imbecillo, qui quidem immodicus, id est, extra naturalem modum existit, quòd diminutus, & deficiens sit. Quæ citato loco Segarra hubertiùs explicavit.

3. Obiectio. Sed adhuc ambigitur hac de re, quoniã appetentiã depravatã prætermisit Gal. utpote vitiosam & corruptam, nam qui appetit carbones, neq. inappetentiã patitur, neq. immodica cibi appetẽtia laborat, omisit ergo alteram differentiam appetentiæ depravatæ, cum solùm adduxerit immodicam, vel mutilum esse contextum dicendum est.

Solutio. Verum, ut ego arbitror, si culpa cõtextui nõ ascribitur, hoc loco nomine appetentiæ immodicæ, depravatã appetentiã Galenus intelligit, neq. hanc solũ, sed etiam, ut prædiximus, difficilẽ & diminutam, omnes profectò, quæ præter modum fiunt, & utrinq. excedunt ex naturali moderatione, quæq. opponuntur abolitæ, ut dudum significavi.

4. Obiect. Sed abeamus ulterius, nam quod Galenus retulerit differẽtias hydropis ad symptomata, quæ sanguinis generationi contingũt, in difficultatem incurrit, cum non explicet, quæ differentia, ad quam læsionem sanguificationis reducatur.

Hydrops. Porrò ὑδρωψ collocatur in genere tumorum præter naturam, si magnitudine lædat actionẽ: si verò contentam substantiã consideremus jecoris vehementer refrigerati symptoma est in tertio genere, scilicet in retentis. Hujus tres sunt differentiæ. Alia dicitur ἀναρκα, ὑποσαρκίδιον, σαρκίτης, & λευκοφλεγμαντία, in qua humor serosus, & aquosus, in hepate genitus effusus est per totum corpus, cujus caro apparet madida, mollis, laxa, & velutis spongia lenis. Alia ἀσκίτης, in qua humor aquosus hepate productus repler spatium inter peritoneum, & intestina. Nam ἀσκὸς est uter, pellis, qua vinum aut oleum deferri solet, hinc ascites sortitur appellationem, quia abdomen in hac hydropis differentia in modum pleni utris distentum est. Alia tandem τυμπανίτης, sive τυμπανίτις appellatur, in qua flatulentus spiritus ex humore pituitoso, quem genuit hepar, elevatus replet quoque spatium inter peritonæum & intestina. Sic hydrops nominatur is affectus, quoniam ὕδωρ aqua est, atque differentia, quæ frequentiùs contingit, nempe ascites, ex aqua ducit originem, præterquamquod ad tympanitem semper aliquid aquæ admiscetur: pituita verò, quæ

Anasarca. Hyposarcidios. Sarcites. Leucophlegmatias. Ascites. Ascos. Tympanias. Tympanites. Ydor.

anasarcam producit, aqueam naturam habet.

Solutio aliquorum. Aliqui liberè dixerunt tres hydropis differentias referri ad malam sanguificationem, ut asseruit Galenus, quæ tamen, cum duplex sit, diminuta, & depravata, hydropé ascité, & tympanité reducunt ad depravatam: at vero anasarcam ad diminutam, utpote in qua sanguis generatur, sed quoniã à debili calore, hinc sanguis aquosus evadit, atq. propterea sanguificatio imminuta est.

Sol. Auct. Veruntamen in omnib. hydropis differentiis generatio sanguinis est perpetuò depravata, materiæq. in alienã qualitatem mutatio. Atque in anasarca, non solum adest jecoris frigida intemperies, unde sanguinis depravata generatio, verum etiã læsa nutritio partium externarum, sine tamen morbo illarum necessario, sed propter materiæ vitiosæ ineptitudinem.

5. Objectio. Nunc symptomata, quæ patitur ventriculus persequamur. Primùm illud excutiendum est, quod ventriculo duplex munus detulerit Gal. alterum quatenus instrumẽtum est, alterum verò, quatenus pars similaris. Ergo geminatas illi tribuere debebat naturales facultates, cum ejus officia conduplicata fiat. Quamobrẽ rationi consentanea videtur illorũ opinio, qui octo facultates naturales ventriculo inesse concludunt, quatuor, quà instrumentum concoctionis est, & alias quatuor, quà pars similaris nutritionem exposcens. Sed hujus rei expediendæ difficillima ratio est, progrediamur ulterius, ne perturbemur, quoniam quæstione subsequenti responsum dabo, & cumulatissimè satisfaciam.

6. Objectio. Vide ex. 18. Dixit præterea Galenus, dum ageret de ventriculi facultate attractrice, ventriculum depravatè moveri palpitando, tremendo, vel convellẽdo, vel vibrando: attamen ventriculus, atq. aliæ nostri corporis partes, cum naturali attractione trahant, non debent loco moveri, quemadmodum magnes, qui ferrum etiam quiescendo trahit.

Solutio. Respondemus necessarium nõ esse, quod moveantur partes, quæ naturã trahunt: quæ tamen habent fibras, quibus faciliùs fit attractio, illis utuntur, atque tunc è loco moventur, quo tempore depravatè agere possunt.

7. Objectio. Actionem præterea facultatis retentricis, cum ad concoctionem sit necessaria, tunc secundum naturam fieri docuit, cum tanto tempore cõplectitur cibum, quantum concoctio est consumptura, quia dum retinetur cibus concoquitur, non amplius. Iam, si statim post injectum cibum retentio suum officium exequitur, unde provenit aliquando alimenti projectio & exclusio, absque facultatis imbecillitate, vel alimenti repugnantia, & resistentia? Profectò, si sic se res habet, nunquam contingit, quod retineat minus, quam conveniat.

Solutio. Respondemus, vel facultatem in actione retinendi debilitari ob resolutionem spirituum vitalium, qui omnibus actionibus naturalibus auxiliantur, vel fibras defatigari alimenti pondere, cujus impulsus non fit simul, sed paulatim, & quadã successione.

8. Obiect. Addit autem Galenus retẽtricem debere undique cibum amplecti, ne interfit vacuum inter ventriculum, & alimenta: verum hoc ad probè retinẽdum nõ est necessarium: retinet enim magnes vehementer sine cõplexu. Sanè complexus necessarius non est ad simpliciter retinendum: attamen cũ in ventriculo sint fibræ, quarum munere probè cõplectitur alimentum, cum hoc deficit, culpam transferimus in retentricem.

Solutio.

9. Obiect. Subjungit verò hujusmodi symptomatum, quæ retentrici accidunt, nempe non retinere tempore debito, atque non probè complecti, alterum sine altero contingere posse: quod tamen videtur impossibile. Nam si uterq. provenit ex languida facultate, profectò simul succedere necesse est, aut si maiorẽ imbecillitatem illud requirit, sine dubio aliud secum trahet.

Solutio. Dicamus utrũlibet horũ symptomatũ, nẽpe nõ retinere tẽpore debito, vel nõ probè cõplecti sine altero, contingere posse, quod apertè constabit, si Galeni signa animadvertamus. Debilem complexum fluctuationes

tiones & inflationes sequuntur: brevioris temporis complexum celeris evacuatio & ciborum in inferiore ventre corruptela: maior tamen adest imbecillitas, ubi tempus retinendi cibos concoctionis tempori non æquatur, quam ubi non probè fit complexus, quod tamen symptoma cum altero nō adest necessariò, quoniam cibi non retenti suo pondere & gravitate, statim deorsum deferuntur.

10. Obiect. Cap. 1. Disputandum est nunc de symptomatis facultatis expultricis, nam concoctrici liber tertius de causis symptomatum est assignatus. Tripliciter peccat expultrix. Primò cū nihil expellit, ut in Ileo lætali, secūdò cum tarde, tandem cum depravatè, atq. tūc quinquies errare potest. *Cū, vel priusquam perfecta sit concoctio, ad actionem prorut, vel absoluta ea cessat ac tardat, vel sit cum aliquo symptomate ex his, quæ Galenus cōmemoravit, vel aliter quovis modo inæqualiter, vel in cibos vētriculo immodicè irruente.* Contra verba hæc, cum absoluta concoctione, vel tardat, vel cessat, quibus Gal. expellendi actionem depravatam constituit, subtiliter dixit Garcia. Nam illi nūquam persuaderi potuit, cessationem esse actionem depravatam, nedum actionem, abolitam igitur esse arbitratur.

Solutio. Cui objectioni posse aliquem respondere subjungit, in expultricis cessatione, & defectum, & vitiatum ordinem adesse. Quantum in defectu expultrix sedata atque restincta abolita est: sed ratione ordinis à natura statuto, non nihil concipit depravationis.

Refutatur. Hoc tamen ipse rectè reprehendit: sic enim quælibet actio abolita, cum non fiat tempestivè, ac in tempore, includeret depravationem.

Alt Solut. Nos respondemus non dixisse Galenum, vel tardat, vel cessat, ut perperam transtulit Copus, sed, cum absoluta ea (nempe concoctione) ἢ βραδύνῃ καὶ μένῃ, *vel tardet, & demoretur*, quæ non duplex: sed una tantum expulsionis læsæ differentia est. Copus verò conjunctione, vel, scilicet disjunctiva, & separativā, unicam differentiam, in duas oscitanter partitus est. Nam

A βραδύνῃ est cūctor, tardo: μένῃ etiā cunctor, moror, aliquando cesso. Veruntamen Galenus conjunctione copulativa, &, solam tarditatem expultricis voluit significare, geminoque verbo, sed pari & simili explicare docereque nonnunquam finita concoctione vim expultricem præter naturam tardare, ac demorari, quæ quidem actio, non abolita, sed diminuta est, quoniam paulò ante sic dixerat. *Imbecillitas verò subinde in tardis excrementorum dejectionibus incidit.* Bradene. Mélle.

Valdè benè. Sed ecce ramus adductus in oculum récidit: non sit B abolita expultrix, cum absoluta concoctione tardat, & demoratur, sed diminuta: veruntamen quid ad Galenum, cum hanc depravatam fecerit? *Qui autem*, ait, *ejus veluti vitiosus motus est, tum incidit, cum vel prius quam absoluta concoctio est, ad actionem prorut, vel absoluta ea, cessat ac tardat.* Quamobrem ut ex objectione Garciæ nos liberaremus, asseruimus expulsionem, absoluta concoctione, diminutam esse, nō depravatam, nunc verò de improviso in maius incidimus dānum, quia Galeno adversamur, qui eandem indepravatis actionibus numeravit. 11. Obiect.

C Verum Galenus, absoluta concoctione, in tarda expultrice, duo consideravit, & facultatem, & illius motum. Respectu languentis facultatis actionem illam diminutam agnovit: atverò ratione motus illius aliquantulum depravationis in ea meditatus est, cum finita concoctione, aliquid temporis interponat, leviterque præpedita & penè constricta procedat tardiùs, sicuti è contrario, sed eodem tamen motu, nempe depravato, cum aliquando ante perfectam concoctionem aggreditur cibum expellendum incitatè, & cum aliquo impetu. Ergo segnis & pigra expulsio, quæ finita concoctione contingit, tum diminuta, tum depravata dici potest, quia nunquam expellere cessat, licet *tardet, ac demoretur*. Sic vertendum est, nisi quod (ut Linacrum defendamus) cessare sit idem, quod tardare, ut aliquando apud Virgilium, Terentium & Ciceronem. Solutio. 6. Æneid. In Eunuch. Pro Prou.

Sed illud expedit radicitus ex-
10. *Obiect.* cutere, quod asseveranter affirmavit noster Galenus, scilicet ventriculi palpitationē facilimē dignosci. Nā duo sunt, quæ possunt hoc judicium extinguere & perturbare. In homin. marasmo affectis percipitur pulsus arteriæ magnæ, quæ ad spinā incumbit, atq. adeo tactu manifesto, cum ad os ventriculi manus admovetur, ut nonnulli aliquando putent esse palpitationem ventriculi. Porrò si laxetur aliqua ex arteriis, quæ nascuntur ab anteriori parte, unde carotides, atque axillaris ortum ducunt, & deorsum ad mammas, & ad fines rectorum musculorum abdominis tendunt, atq, ad umbilici usq. sedem excurrunt, supra vētriculum, si, inquam, illarū utralibet Aneurismate afficiatur, profecto illius pulsus agitatioque ventriculi palpitationem mentietur. Ergo nō ita facilè cognoscitur vetriculi palpitatio, ut docuit Galenus.

Lib. 16. de usup. c. 10. & 11.

Digressio de Aneurismate.

Quò facilius hanc difficultatem infringamus, liceat mihi delectandi causa parumper digredi, & de Aneurysmate aliqua præfari, arrepta occasione, quam intra finem anni vertentis præbuerunt variæ consultationes, in quas venit is affectus, quo in hac nostra civitate laborat vir quidam clarissimus & nobis amicissimus.

Aneuryno. Aneurysma vel Aneurysmus.

Ἀνευρύνω, laxo, dilato, hinc non *Ἀνευρίσμα*, vel *Ἀνεύρισμος*, ut perperam in aliquibus exemplaribus sæpissimé reperiuntur scripta, sed *Ἀνεύρυσμα*, vel *Ἀνεύρυσμος*, laxatio, vasorum dilatatio. Quæ, si venarum, vel est phlegmone, cujus continens causa sanguis est, subjectum autem musculus, vel ecchymosis, sugillatio sanguinis sub cutem per grumos effusio, cujus species est hyposphagma, suffusio sanguinis in oculo ex ictu: si verò arteriarum Aneurysmatis nomen sibi assumpsit, & vendicavit. Ergo cōmuniter & promiscuè Aneurysma, vel Aneurysmus cujuslibet vasorum laxatio dicitur, quemadmodum sumitur ab auctore definitionum medicarum: privatim verò ac proprie solius arteriæ dilatatio est, qua de causa membrum statim turgidum, & tumidum reddi ante omnium oculos positū est. Vnde Aneurysma, cum sit *ὄγκος*, tumor (*sic enim græci spacium in longitudinem, latitudinem, & profunditatem nominarunt*) in tumoribus præter naturam numeravit Galenus, quem Ætius & Ægineta insecuti sunt, qui quidem duo Auctores græci ad explicandam hujus affectus naturam, Galenumq nostrum interpretandū mihi sunt satis.

Aneurysma communiter.

Aneurysma propriè.

Oncos. Lib. de tumo. præt. nat. cap. 1. Lib. de tum. præt. natur. cap. 11.

Sumitur autem vulgariter hic tumor pro sola dilatatione arteriæ, quod intelligi debet de parvis Aneurysmis, cum sit impossibile, quod arteria possit dilatari, & extendi in magnis Aneurysmis ad immoderatam magnitudinem sine osculi aut magna meatuum apertione, vel tunicarum divisione. Quandoquidem arteriarum tunica interior quintuplò ferè, durior, firmior, & crassior est, utpote pars frigida & ficca genita ex seminis lenta portione. Vnde in magnis Aneurysmis, quæ partibus internis accidunt, sanguis attenuatus incandescens & effervescens, quasi ebulliens, primò dilatat, & extendit tunicas, præsertim internam, quia externa, cum sit nervosa, facilius fert dilatationem, deinde, cum in arteriæ conceptabulis detineri nequeat, tunicas rumpit. Quo tempore calor nativus, qui perpetuò ad unitatem, continuitatemq. resarciendam incumbit, materiam undecunq. adeptus, attrahit, cogit, condensat, & in cartilagineam substantiam commutat: sæpissimè tamen frustra laborat, quoniam inopinatò, cum multo sanguine subsultim decurrente, vita subitò funditur. In aliis verò partib. Aneurysma fit arteriæ apertione sanguine, & spiritu sensim excreto, & sub cute collecto.

7. de Anato. admi. c. 5.

Vnde apertio.

Sed unde proveniat is hiatus & arteriæ apertio pervestigandum. Effluit autem ex arteriis sanguis ob tres causas docente Galeno, vel orificiis reseratis, quæ apertio dicitur *ἀναῤῥηξις*, vel cum sanguis quasi sudor transcolatur, quæ *διαπόρησις*, vel cū tunica dividitur, quę *διαίρεσις* appellatur. Anastomosis fit, vel propter vasis imbecilitatē, vel cū sanguis multus ad ora venarum impetu ruit, vel acri aliqua

5. meth. cap. 2. 4. de loc. aff. cap. 5. 7. aphor. 37. Anastomosis. Diapedesis. Diæresis.

aliqua qualitate extrinsecus accedente. Huc pertinet sanguinis vitiũ, quo vasorum expultrix vis proritatur, ut lib. tertio de causis sympto. di cemus. Diapedesis fit, aut rarefacta tunica vasis à calidis nonnũquã causis internis, atq. etiã externis contũdentib. distentibus-ve, aut propter sanguinis tenuitatem, aut exiliũ vasorũ ore aperto, de quib. etiã citato libro. Diæresis divisio est tunicæ arteriæ, quæ fit ex vulnere, contusione, ruptione, erosione, quarum causarum secundo de fracturis fit mentio. Rumpunt verò, quæ immoderatè distendunt, ut excellens sanguinis ferveſcentis plenitudo repentina, & violenta membri alicujus commotio, ut in tussi vehemenei, vociferatione magna, & contenta, collisu, casu ab alto, vel prolapsione, anhelitus magna cohibitione, atq. gravis ponderis sublevatione. Erodũt præterea omnia acria, & quæ ignea qualitate plurimùm pollent, abscindunt tenuia, perforant acuta. Quasi hæc omnia ex Galeno transcripsit Ætius libro decimo quarto.

Cap. 2.
Ibidem.
Com. 9.
Cap. 15.

Verum illud est dignum observatione, quod Gal. lib. tertio de causis symptomatum scripserit diapedesin, meatuum scilicet apertionẽ, comprehendi sub anastomosi, quæ vasorum apertio est, idque lib. quinto methodi confirmavit, cum dixit anastomosin, & diapedesin communem habere curationem. Quamobrem duæ sunt Aneurysmatis causæ, anastomosis, & diæresis, apertio & divisio.

Observatio
Cap. 2.
Cap. 2.

Arbitrabitur tamen aliquis Galenum in hanc opinionem propendere, ut existimaverit solam arteriæ divisionem, & sectionem Aneurysma facere posse: sic enim loquitur citato libro de Tumorib. præter naturam. *Ore autem in arteria facto affectio Aneurysma vocatur. Fit autem vulneratarea, cum ad cicatricẽ devenerit, quæ ei adjacet cutis: manet verò arteria vulnus, ea neq. conglutinata, neq. ad cicatricem simul perducta, neq. à carne obstructa.* Idem conjicere possumus ex ijs, quæ docet libello de curatione per sanguinis missionem & quinto methodi medendi, quib. in locis præter incisionẽ aliã nullam causam Aneurysmatis videtur memorare. Ad eandem opinionem inclinat Oribasius libro septimo collectorum.

Obiectio.
Cap. 11.
Cap. 22. & 23.
Cap. 24.
Cap. 13.

Responderunt nonnulli, cum Gal. arteriæ vulnus Aneurysma inducere scribit, solum vulnus illius affectionis causam esse non dixit, sed tãtùm exemplo usus est, sub cujus nomine omnes causas, quæ sanguinem ex arteria fundere possunt, est complexus. Quod ex verbis citatis præclarè colligitur, cum scribit, *affectionem vocari Aneurisma, cũ in arteria fit os,* & aditus, qui sanè multis modis patere potest: posuit autem in exemplum arteriæ vulnus, quod frequentiorib. eventib. est infensum.

Aliquorũ solutio.

Sed ad aliam objectionis dissolutionem me allexit Paulus qui bonam partem undecimi capitis libri de tumoribus præter naturam Galeni transcripsit in trigesimum septimum libri sexti sui operis, cujus hæc sunt, quæ ad hanc rem pertinẽt, verba. *Galenus deeo* (sermo erat de Aneurysmate) *hunc in modum scribit. Arteriæ aperta* (ἀνευρισθεῖσα) *Aneurysma vocatur. Fit autem eadem quoque convulnerata*, hoc est, Aneurysma fit arteriæ apertione, atque ejusdem *quoque* divisione. Quoque, dixit Paulus meliorem contextum natus ab Andernaco illi capiti subjunctum, cui adest (in nostro deest) copulativa, Καὶ, *quoque, etiam*, veluti, &, apud latinos, unde colligimus, ubi Galenus ex professo locutus est, Aneurysma, non solùm fieri apertione oris arteriæ, sed etiam ejusdem vulneratione & divisione, de quibus duab. causis Paulus deinceps explicatè, & distinctè dixit. Quare duas hujus affectionis differẽtias dari, alterã per apertionem, alteram per divisionem ex duab. causis, concludendum est.

Auctoris solutio.
Anastomotheisis.

Aneurysmatis ergo generatio sic se habet. Arteriæ fit apertio, vel acuto ferro arteriã findẽte, vel à multo sanguine calidissimo arteriã extendente, illiusq. ora, vel tunicæ poros patefaciẽte, vel acri succo & mordaci eãdẽ per ἀνάβρωσιν, hoc est, erosionẽ aperiẽte, aut alia causa ex enarratis: cute verò & carne cicatrice obducta, subtus hiante arteria, & aperta persistente. Quo tempore sanguis te

Anabrosin.

nuissimus,& spiritus vitalis repentino, vehementiq. impetu continuè per vasa cursantes paulatim sub carne,& cute colliguntur,atq. sua corporatura foveâ circumfossa carnem & cutem attollunt, & elevant: eodemq. rhythmo,quo arteriam, impellunt & movent. Ecce *tumor excitatus á sanguine, & spiritu, ex arteria aperta profusis,carne, & cute contectus.* Quę Aneurysmatis definitio est. Dignoscitur verò is affectus colore,figura,situ,mollitie, pulsu, indolentia, receptu,cum opprimitur, cum solvitur,regressu, & aliquando sibili exilisq. soni exauditu.

Aneurysma quid sit.

Colore quidem,quoniam ejusdem, cum reliqua cute, coloris est, non quemadmodum Oedema, quod est albidius. Nam in Aneurysmate sanguis neq. phlegmonem, neq. phlogosin parit, unde poterat color in cute mutari: Oedema verò propter pituitæ albitudinem, cutis colorem in albidioré mutat. Vnde in Aneurysmo, quandiu sanguis in suo statu conservatur, tandiu cutis solitum colorem retinet: at cum sanguis incipit vitiari,cutis mutatur color, si verò putrescat, livescere necessarium est.

Color.

Figura naturam, causam, & tempus morbi declarat, nam Aneurysmata, quib. arteria ob dilatationem aperta est, plus spiritus, quam sanguinis habent, atque prolixiora, & longiora, præsertim in principio apparent, quoniam arteria longa est: quib. verò arteria vulnerata, vel incisa, plus sanguinis, quam spiritus adest,cumq. ulterius progrediũtur,aliorum tumorum ritu ad rotundam figuram rediguntur.

Figura.

Situs ad involutæ rei notitiam plurimùm confert,atq. ad hujus tumoris curationem maximè necessaria est ejus observatio, sive locum affectum,sive in eo affectus positionem intelligamus. Ergo sæpe hoc malum internarum partium arterias defatigare solet,ut pectoris,mesærei, lienis,capitis,cervicis,maximè in parte anteriori circa guttur, mammarum,axillarum,cubitus,inguinũ, manuum & pedum, in quibus partib. Aneurysmata, quib. arteria dilatatione aperta est, profundiora sunt: ea vero quib. arteria est vulnerata, præsertim incisione, in summo occurrunt.

Situs.

Cognoscitur præterea *mollitie,* quia hic tumor tractabilis est,atque spongiæ instar laxus,ceditq. digitis, præsertim si ex sola dilatatione procedit apertio,quia tunc sanguis tenuior est, multisq. spiritib. comitatus,non ut Oedema, cujus materia compressione foveam recipit, quã multo tempore retinet.

Mollities.

Pulsus nuncius est arteriarũ,quæ, cum deducantur ex corde,quod perpetuò movetur,necessum est, ut ejus motu agitentur,atq. dilatationis impulsu digitos feriant, & impellant, quod indicium in omnib. Aneurysmatis pro certo accipiendum est: illud enim,si forte in aliis signis errore ducimur, omnem fraudem illicò detegere solet. Siquidé in principio Aneurysmi pulsatio ictum solius arteriæ refert,quando,præsertim cum instat dilatatio, incipiunt rarefieri arteriæ tunicæ, atque spiritus sanguisq. tenuissimus, vel ejus serum ex illis persultare. In augmẽto crescit cum tumore pulsatio, & adhuc arteriæ figuram representat, verum maiorem latitudinem, quam illius corpori debeatur,quo tempore arteriæ ora,tunicarumq. meatus maximè patent,purissimo sanguine juxta proprium receptaculum collecto, & in carnes circumjacentes affuso. Tandem in statu pulsus non servat figuram arteriæ,quoniam tota tumoris magnitudo,& conglobata figura, rotunditasq. pulsare videntur.

Pulsus.

Sed objurgabũt me de isto signo, quod in hoc loco multis verbis notaverim: aliàs verò silentio prætererim. Ergo, inquiet aliquis. In epistola, quam ad Doctores Monspelienses, cur non attigisti hoc signum? Cui ego. O mi homo! multa descis. Hic doceo: ibi ad doctos scribebã. Vidistin' unquam rotæ alligatum nõ volvi? Arteriæ omni tempore pulsare sub cujuscunq. sensum cadit. Aneurysma circa, supra,subterq. arteriam est, quamobrem tacitus hoc signum præterire potui, ac debui. Ætius, cum tradit hujus mali signa, pulsus non commeminit, Gorræus insecutus est,

Obiectio.

Solutio.

Indo-

Indolentia. *Indolentia* hujus tumoris perpetuũ & clarum signum existit, quoniam arteriæ sensus omninò sunt expertes, quod si in illarum tunicis percipitur nonnunqam aliqua gravitatis sensio, profectò illa admodum obscura est, ut colligitur ex Galeno lib. decimosexto de usupartium & de plenitudine: si verò compresso tumore, cutim carnemq. subjectam dolere contingat, id non accidit affectus ratione, quia quælibet pars, quantumvis sana, acerrimè oppressa, angitur, & cruciatur. Distentio autem cutis & carnis ob sanguiné introclusum, qui nunquam fixus, sed ferè semper movetur & fluitat, præsertim in principio, insensilis est.

Cap. 12. *Cap. 2.*

Receptus & Regressus. Iam *receptus & regressus* non minorem obtinent locum inter Aneurysmatis signa: est enim inseparabile & proprium, quod omni, soli, & semper convenit: sic enim videtur quasi locum dare, ac tangenti cedere, atq. digitorum appressione ita introrsum se recipere, ut, si fortè sit exiguus, penitùs delitescat, & dispereat, sanguine, & spiritu in arteriæ corpus se conferentib. remeantibusq. mox verò digitis sublatis pari velocitate regredientib. atq. remigrantibus.

Sibilus. Ex quo tandem signo trahit origi nem aliud, quod Aneurysmatis duas differentias distinguit. Nam Aneurysmata, quibus arteria dilatatione aperta est, non modo cum digitis comprimuntur, quo tempore maximè, sed etiam ex sese sibilum edunt, qui admota propius aure, manifestè sentitur instar venti leviter flantis per angustam rimam, vel fissurã magno impetu ruentis: sed in Aneurysmis, quib. magna arteria rupta est, strepitus nullus exauditur, quoniam spiritus per ampliorem cavitatem solutè permeat & transit. Hæc de signis.

1. Obiectio Sed ecce tres objectiones, quib. hanc digressionem exitu præclaro concludemus. Nam illud magnam admirationẽ excitat, quod dixerimus, compresso tumore sanguinem, & spiritum protinus ad arteriam se recipere, deinde verò recedente digito reverti & recurrere ad idem spaciũ, atq. ad eandem, à qua evaserant, cavitatem. Quid? Nonne possibile est A arteriæ labra concidisse, aut naturam providam eadem consolidasse ac intercluisse?

Solutio. Profectò utrumq. ferè impossibile. *Nam venæ totius corporis expeculiari una constant tunica: arteriæ verò duæ peculiares tunicæ existunt, exterior sanè, qualis venæ est: interior autem crassitie hujus ferè quintupla, insuper durior in transversas fibras dissoluta. Iam ex eo quoque* inquit Gal. *difficultas quædam ad inventionem oritur, quod post mortem arterias non videmus in se recidere, perinde ut venas. Quæ simul, ac vacua sanguine sunt, prorsus in se ipsas sidunt, ita ut superna earum tunicæ pars cum interna committatur: arteriæ semper dissidentib. cernuntur partibus, quod scilicet propter alteram earum tunicam, scilicet internam, quæ dura est, evenit.* *Lib. 7. de anat. ad. Cap. 5.* *Libello de usu pul. c. 6.*

Ergo difficulter clauditur arteria incisa, aut vulnerata præsertim si magna fuerit. Nam spermaticæ partes, cujus generis sunt arteriæ difficillimè coalescunt. *Incisæ arteriæ diff. occlusio.*

Primo. Primùm ob efficientis imbecillitatem: etenim calor naturalis conservationi tantum & nutritioni studet, neque effluxam solidarum partium substantiam perfectè refarcit: satis est, ut ait Galenus, *quod eas exsiccari prohibeat.* Quomodo igitur novam generationem molietur, si eas quales produxit, conservare nequit? *In arte Me. Cap. 59.*

Secundò. Præterea propter ineptam materiæ dispositionem, cujus licet adsit fortasse copia, sed tota simul ac repentè non affluit, quia sanguinis in eas mutatio non nisi multis interjectis alterationib. perficitur: debet enim ex rubro albescere, ex liquido incrassati, & ex humido exsiccari, de nic. temperiem & qualitates omnes immutare. Quam doctrinam illustrat Gal. primo libro de semine, cum scribit. *Dicendum rarò visum esse venam renasci. Quod si in vena, quæ simplicem habet & tenuem tunicam, generatio rarò contingit, nihil sanè mirum esse debet, si in arteria, quæ sexcuplo crassior, quam vena est (dixit hoc Herophilus) ea non rarò, sed nunquam fiat: quippe cum tanta materiæ præparatio, quanta indiget fieri, nullo pacto possit.* *Cap. 13.*

Tertiò. His accedit impedimentum vicinarum partium carnosarum, quæ partis

tis coalitum antevertunt, vacuumq. implent.

Quartò. Addamus coalitus difficilis causam, nempe siccitatem & duritiem tunicarum arteriæ, ut ex Galeno diximus: sicca enim magna cum difficultate coalescunt, quia in omni mixtione aqueum elementum requiritur, quo velut glutine uniuntur omnia.

Quintò. Tandem arteriæ tunicarum coactioni vehementiùs obest perennis earum motus, quo unionem omnem impediri palàm promptum est.

Observatio Cap. 7. Non me latet Galenum libro quinto medendi methodi vidisse conglutinatas arteras, cujusdamq. iuvenis incisam arteriam percurasse. Verum illud tãtùm observavit in puerorũ, & mulierum venis parvis propter corporum humiditatem & mollitiẽ: iuvenis autem arteria exiguè fuit incisa, atq. sola omnium, quas in cubito sectas vidit Gal. nam reliquis omnibus aneurysma supervenisse scribit.

2. Obiectio Iã verò cũ arteria, nec aperta, nec vulnerata est, sed dũtaxat rarefacta, qui fieri potest, ut compresso Aneurysmate, sanguis & spiritus tam facilè possint redire, atque in arteriam remeare?

Solutio. Id quidem explicare nihil negocij est. Nam arteriæ secundum naturam se habentes multis foraminibus abundant, per quę spirant, ut primo *Cap. 1.* de differentia febrium scribit noster Galenus. Attrahunt autem halituosum sanguinem & spiritum non tantum ex venis, ut legimus sexto de usupar. & tertio de nat. fac. sed & *Cap. vltim. Cap. 14. Cap. 5.* etiam ex partib. vicinis. Vnde libro de usu pulsuum docet *easdem recipere ex circundato nobis aere non exiguã in se portionem: atq. illud est, quod Hipp. foras introq. spirabile totum corpus dixit.* Præterea libello inscripto, an sanguis in in arterijs contineatur. *Quidquid, sit, in arterijs circumquaq. vicinum est, attrahũt undecunq. in eas concedat.* Primo verò *6. Epid. 7. Text. 1. Cap. 7.* de simplicium medic. fac. *Fusius*, inquit, *de hoc dictum est in libro de usu pulsuum, ubi demonstravimus arterias, ubi se dilatantes undiquaq. & per omnes meatus attrahunt, non aerem modò halitumq. attrahere: sed quidquid etiam trahi facilè, ac tenue sit, ad spiritalis essentiæ impetum expeditè consequi.* Quod confirmat du- *Cap. 12.*

E ctus experimento. *Nam arteria quid quid piperis ad exactissimum redactum fueris pollinem, simul cum ambiente aere attrahunt.* Si sic se res habet, profectò arteria præter naturam laxata, & dilatata, redditisq. patentiorib. foraminib. quem sanguinem & spiritum in foveam emiserat, digitorũ impulsu, nulla interposita mora recipiet

F ac recuperabit.

3. Obiect. Illud tandem in magnam difficultatem incurrit, quod sanguis ab arteria prosiliat, nec amplius in suis vasis contineatur, integer tamen & incorruptus permaneat. Nam, ut scitè demonstravit Hipp. sexto aphorismorum, si unquam sanguis à propria cavitate in aliam quamcumque pervenerit, ut sanguis permaneat sub forma sanguinis, est omninò impossibile. Nimirum sunt sanguini propriæ cavitates venæ, arteriæ, & ventriculi cordis, & sinus quidam in meningib. cerebri: in his conservatur

G optimè sanguis, manetq. integer: sed cum primùm extra naturalia vasa funditur, corrumpitur, livescit, putrescit, & in grumos vertitur. Quib. assentitur Gal. libro de atrabile & secũdo prog. Ergo cũ in Aneurysma te sanguis sua propria vasa relinquat, & excidat in cavitatem, quæ illi præter naturam est, non facilè potest expediri causa, propter quam non putrescat ab influentis caloris naturalis influxu derelictus.

Aph. 20. *Cap. 2. Com. 42.*

Solutio. Ecce præclarum responsum perspicuo exemplo illustratum. Sanguis ille non est ab arteriæ naturali calore ita destitutus, & abalienatus, ut ipsius nativus perierit: fovetur enim

H à vitali spiritu contento in arteria, ipsiq. sanguini continuo, quia licet aperta sit arteria, & ab ea sanguis & spiritus egressi: tamen contigua & cohærente carne, & cute obducitur arteria, atq. adhuc sanguis, & spiritus naturæ legib. tenentur, & gubernantur.

Exempli Paludes, atq. stagnantes aquę, cum nunquam fluant, sed stent immotæ majori ex parte putrescunt: at quæ in secessu, vel sinu collectę, hoc est, in litore curvo, quod mare amplectitur (κόλπος dicitur græcis) quæque *Colos;* in lacu, vel lacuna coactæ & quietæ, quanquam non fluitent, sed persis-

tant,

tant, nihilominus tamen imputridæ manent, quando quidem à mari, vel à flumine, unde proveniunt, tum in sensilis educitur illarum aliqua portio, tum assiduè ab ijsdem reficiuntur, & resarciuntur, unde motu quodam occultiori, qui corruptioni vehementer obsistit, easdem cieri & agitari constat. Cum his aquis magna similitudo est humorib. nostri corporis tumores præter naturam producétib. In Aneurysmate diu retinetur imputris ipse sanguis, utpotequem continuò fluentem ac refluentem arteria modo evomit, forasq. projicit, modo ad sese recipit inculpatum, atq. nonnũquam in hujusmodi statu diutissimè conservat, quæ causa est, cur Aneurysma sanguinis mater vulgò dicatur, in reliquis verò tumoribus peccantes humores protinus putrescunt quieti, cõclusi, & inculcati, atq. à naturali calore deserti & derelicti.

Satis hæc in hoc opere de hujus affectus diagnosi, prognosin, & thera peian, in nostra praxi, Deo volente, persequemur, quã diligenter instrui mus, & paramus.

Solvitur 12. ob. Solvamus nunc duodecimam & ultimam objectionem. Verè dixit Gal. palpitationem ventriculi facillimé cognosci. Nam arteriarum abdominis Aneurysmata, si fortè cõtigerint, maximé distinguntur à vẽtriculi palpitatione, nimirum figura, situ, & pulsu. *Figura* quidem, quia vẽtriculi palpitatio unicam semper figuram, & partis capacitatem repræsentat, sed Aneurysmata in qualibet parte longitudinem & latitudinem variare solent. *Situ*, quoniam abdominis arteriæ non transeunt per ventriculi medium, unde non possunt exprimere ventriculi palpitationem, quæ illius medium demonstrat. *Pulsu* tandem, nam una cum palpitatione, quodam modo incidit huc, atq. illuc concussio, eodem quidem modo, quo in tremore, sed majorib. intervallis, atq. ventriculus, dum palpitat totus dilatatur, & dum contrahitur, totus deorsum ferri, ceu rei cuidam inanimatæ, permittit. *ac siquis carnem ab animalis corpore recisam humi palpitantem deposuerit*: arteriarum verò motũ cordis pulsationem subsequi & tactui, & visui manifestum est. Rursus arteria magna sursumdeorsum directò fertur, cujus autem longitudo, latitudo, profunditas, & figura, quas repræsentat, in quocunq. ventris loco pulsaverit, semper uniusmodi sunt. Quã obrem pulsum magnæ arteriæ nemi nem decipere posse credo.

Lib. 7. de pla. Cap. 7.

VTRVM VNA ACTIO læsa possit lædere aliam actionem.

QVÆSTIO. XLII.

Quæst 8. SI rectè memini in initio hujus libri solum morbum primò actionem lædere acerrimé defendi. Objiciebat inimicus odiosus & molestus plures actiones læsas alias actiones primò lædere, cujusmodi est læsa ventriculi concoctio, quæ proxima causa est generationis sanguinis vitiosi, atq. hæc vitiosæ nutritionis.

Opinio Comit. Montani. Sed quoniam omnes hujusmodi actiones à morbo tãquam à suo principio pendere, attendebat Comes Montanus calumniatoris voluntati libenter acquievit, præsertim cum hoc in capite sic locutus fuerit Gal. *Galeni auctoritates.*

Tex. 18. *Hoc loco, illud advertendum censeo, quod alteri symptomati alterum nonnunquam succedit. Quippe imbecillum complexum, modo clydones excipiunt, modo flatulentiæ* Ac præterea. *Tex. 19.* *Fortasse igitur præstiterit omnia, quæ circa nutritoriam actionem symptomata incidunt percurrere, & quæ ventris corpori, & quæ cæteris partibus omnib. insunt communia: quippe clariorib. legentib. disputatio facta illustrinsq. docebit, quod paulo supra est dictum, symptoma symptomatis causam esse.* Quod deinceps videbitur optimè constituere, cum scribit. *Cap. 6.* *Patet autem, & quod propositum a nobis est, clarè esse demonstratum omnem symptomatum naturam morbos præcedere: fieriq. nonnunquam symptomatum, quæ deinceps sibi succedant, veluti seriem quandam: a morbo quidem ipso primum, ab hoc verò secundum, deinde rursus post hoc tertium, ac ab isto deinde quartum.*

Ratio. Quib. auctoritatib. Montanus subjungebat

jungebat rationem jam designatam. Nam vitiata chilosi, continuò depravatur hęmatosis, unde prava nutritio: sed nullam aliam causam corrupti sanguinis possumus assignare, quam vitiosam vētriculi coctionem & chyli depravatam generationem, hepate nullo morbo affecto, nullam que aliam pravæ nutritionis, quam læsam sanguinis generationem partibus naturaliter se habentib. ergo sola ventriculi actio mala est causa pravæ sanguificationis, & læsæ nutritionis, quarum omnium est causa unus ventriculi morb. & per consequens una actio à morbo primò læsa potest primò lædere aliam actionem absq. alterius morbi interventu.

Obiectio. Quod si dicat aliquis, in eo evētu, quando una actio sequitur alteram actionem, non modo absurdum, verum etiam prorsus impossibile videri, quod actio prior sola subsequentem actionē lædat, & posterior à nullo morbo primò lędatur. Respondet *Solutio.* Montanus, quæ scribit Gal in initio hujus libri. *Cap. 1. Tex. 8.* *Duo hæc, quo morb. sit omninò exiguntur, ut in genere sit affectus, & functionem lædat, quorum neutrum symptomati necessariò adest.* Quibus verbis (ait Mōtanus) non prohibetur, quod symptoma quandoq. possit esse affectus præter naturam, & actionem aliquam primò lędere, veluti morbus: sed id tantum prohibetur, quod illæ ambæ conditiones in symptomate sint necessariò. Nam, dum illa duo, quæ morb. exigit, non adesse in symptomate necessariò dixit Galenus, tacitè significare videtur eadem in ipso symptomate conjungi aliquando posse. Ecce pugnacissimè defendit Montanus, unius partis morbosæ actionem læsam partis alterius actionem primò offendere posse, tametsi nullo ea morbo sit affecta.

Refutatur Montanus Funda. aut Horis. Quæst. 15. Sed quantum sit ementiā opinio hæc dilucidè demonstrabo, si priùs jecero fundamentum, quod libro de differentia morborum constitui, nimirum animam nostram vel ejus facultatem omnium actionum causam esse, verum non sine instrumentis actionib. destinatis, quæ quidem instrumenta sunt partium constitutiones, quib. omnes actiones, sine alicujus rei interjectione, tribuimus, & adscribimus, ut oculis visionem, crurib. itionem, & partium quarumlibet simplicium temperamentis nutritionem: cumq. sit impossibile dari aliquam constitutionem, quę neq. naturaliter, neq. præter naturam dispositā sit, impossibile quoq. nobis erit fingere aliquam actionem, quæ à partium constitutionib. modificata, neq. secundum naturam, neq. præter naturam sit. Iam verò sanitas & morb. partium constitutiones, causæq. actionum proximæ à Galeno designatæ sunt, sanitas secūdum, morb. verò prętер naturam, ut omnis actio, vel à sanitate, vel à morbo id necessariò & proximè nanciscatur. quod bona, vel mala sit, ut loco citato exemplo facili dilucidum reddidi.

1. Conclus. Quo posito prima assertio sit. Actio non potest lædi, nisi à morbo partis, cujus est actio, non à morbo alterius partis, cujus non est actio. Patet, *Ratio.* nam quemadmodum partis cujusq. sanitas solam perficit actionem partis, cujus est sanitas, non alius, cujus non est sanitas, atq. morb. ejus solius partis actionem oblædit, cujus est morbus, non autē partis alterius, cujus non est morb. ita cujusq. partis actio tantum fit à sola sanitate partis, cujus est actio, non alius, cujus non est actio, & cujusq. partis actio lædi tur à solo morbo illius partis, cujus est actio, non à morbo alterius partis, cujus non est actio.

Evasio. Huic rationi respondet Mōtanus sanitatem aliquando perficere actiones partium, quarum ipsa non est sanitas, ut cerebrum sanum transmittit facultatem ad oculos, quorum sanitas non est cerebri sanitas. Sic etiā morb. lædit nonnunquam actiones partium, quarum ipse non est morb. ut cum lāditur vitio propter humorem detentum in nervis opticis, falsum est igitur actionem, aut bonam, aut malam esse, prout pars, à qua editur, benè aut malè affecta est, ut in morbis per consensum est videre.

Refutatur. Veruntamen cerebri sanitas, si proximè id intelligamus, proprias actiones tantum molitur ac perficit: oculorum autem actioni prędidio est remotè quidem, atque interjectione instrumentalis dispositionis oculorum,

rum, quæ illorum est sanitas, à qua proximè profluit visio. Quamobrē, ut rationem ad veritatē revocemus, hic morbis non medemur, sed rei naturam tantum cōtemplamur, & morbos per consensum dictos ad proprios morbos instrumentales reducimus, qui per excessum fiunt, vel defectum. Nam, cum nervi optici laborāt obstructione, vel compressione, vel tumore, unde præpeditur descensus à cerebro ad oculos, visio læditur à vitiata oculi structura præter naturam reddita ob defectum facultatis animalis, qui, si rem, ut se habet, perscrutemur, morb. est in numero diminuto: orbatur enim oculus facultate, licet, quando curamus, non oculi constitutio, sed mali origo attendatur. Similiter, cum læditur cerebrum à vaporib. vitiosis à ventriculo ascendentibus, patitur cerebrum propter substantiam & numerum additum, quamvis in curatione ventriculo subveniamus, ad cujus affectum directò spectat medici actio.

Altera assertio sit. Nulla actio læsa potest esse causa alterius actionis læsæ. *Alt. conc.* Probatur, quia impossibile est, quod actio exequi possit agentis munus. Nam, ut habet Aristoteles octavo libro physicorum, quod movet, jam actu est: actio autem est motus, qui non actu, sed in potentia est, nequit ergo aliam moliri actionem. *1. Ratio. Cap. 5.* Quinimo solus morb. est causa actionis læsæ: sed nulla actio est morb. ergo nulla actio læsa potest esse causa alterius actionis læsæ. *2. Ratio.* Assumptio nō indiget probatione, quoniam libro de differentiā morborum à Galeno satis superq. confirmata est. Propositio sic comprobatur. Quoniam sola sanitas est causa actionis secundum naturam: sed morb. est sanitati contrarium, ergo solus morb. est causa actionis præter naturam. Propositio valet, quandoquidem actiones secūdum naturam non ab alio proximè proveniunt, quam à partium constitutionibus: sanitas autem est partiū constitutio secundum naturam, ergo à sanitate profluunt omnes actiones secundum naturam, ut à morbo tanquam à constitutione præter naturam, omnes actiones etiam præter naturam.

A Quippe solus morb. est causa continēs omnium actionum præter naturam, ergo non datur actio præter naturam, quę proximè ducat originem ab alio, quam à morbo. *3. Ratio.*

Sed dicet aliquis, quum à morbo aliquo plures oriuntur actiones, & inter illas est quædam consecutio, ut morb. sit causa primæ actionis læsæ, & prima secundæ, & hęc tertię, atq. sic deinceps, quemadmodum videtur sentire Gal. morb. semper est causa continens omnium illarum actionum, quoniam sublato morbo, repēte ac sine ulla mora terminantur, & B cessant omnes illæ actiones. *Evasio.*

Verum, qui hoc respondet, & naturam actionis, & naturam causæ continentis ignorat: naturam actionis, quia, ut prædiximus, actio agentis officium gerere nequit: naturam causæ continentis, quoniam, ut libri prę cedentis quæstione octava demonstravimus, causa continens, quacūq. definitione describatur, semper effectui proxima est, vel docente Galeno libro secundo de natura humana, ubi probaturus plenitudinem non esse causam continentem, sic scribit. *Morb affectio quædam est in animantis corC pore, quæ primò actionem lædit: plenitudo verò ipsa primùm minimè lædit actionem, sed intermedia alia affectione.* Præterea, cum adest causa continens, præsens est effectus, cum tollitur, solvitur effectus: hoc enim significat rei essentiam continere: at vero, cum vitiatur chylosis, deinceps hæmatosis, ac subinde partium nutritio, morb. ventriculi tantum est causa continens depravatæ chylosis, non autem vitiatæ sanguificationis, & nutritionis, quæ multo post continguht. Adde quod ferè semper sublato ventriculi morbo, cedataq. mala chylosi, nihilominus longiùs progrediūtur alię actiones læsæ, scilicet mala sanguificatio D & nutritio. Quod, si dicas, sæpissimè statim tolli, verum est: at non primò tolluntur, quod tollatur ventriculi morbus, sed quia tollitur depravata chylosis, quam sublationem abhorret natura causæ continentis: Quamobrem intemperies ventriculi, si hunc morbum supponamus, causa continens est primę actionis læsę, non aliarum, cum unaquęq. requirat

Refutatur.

Com. 11.

suam

suam causam continentem, proximã quidem, & quæ ita contineat illarum essentiã, ut ea posita, omnes ponantur, & ea sublata protinùs evanescant.

4. Ratio. Tandem addamus certissimum ducens ad incommodum argumẽtum. Si aliqua esset actio præter naturam, quæ lederet aliam actionem, definitio morbi non converteretur cum suo definito, nimirum nõ esset morbus quicunq. affectus præter naturã lædit actionem primò. Nam actio læsa, cum symptoma sit, aliquando est affectus præter naturam, ut voluit Montanus: lædit autem primo aliam actionem, ergo actio læsa datur, quæ affectus præter naturam est lædens actionem primò. Vnde nõ est morb. quicunque affectus præter naturam actionem lædit primò, quod quidem absurdum est.

Purgemus nunc emunditias, quibus tum homo ille spurcissimus, tum credulus Montanus tot aspersêrunt chartas, & commaculârunt. Sordes quidẽ omnes nonnulli emundarunt, qui de Montano scripserunt asperiùs, quorum ego, quæ meminero breviter commemorabo.

Solvuntur adversaria

Nunquam dixit Gal. actionem læsam partis unius, oblędere actionem partis alterius: affirmat verò symptomata se plerunq. invicem consequi. *Hoc loco*, inquit, *illud advertendum censeo, quod alteri symptomati alterum nonnunquam succedit.* Quod ita est accipiendum, ut vel loquatur de eadẽ parte, vel de diversis. In eadem parte contingit, cum retentrice ventriculi debilitata, aliquando sequuntur fluctuationes cum sonitu, plerumq. verò flatulentiæ. Tunc nõ lędit actio una aliam actionem, sed unum symptoma sequitur aliud: nam quæcunq. in aliqua parte à sanitate per se fiũt, rectè & ordine certo, ea omnia morbus corrumpere solet. Idem contingit in diversis partib. cum propter actionẽ à morbo lęsam oritur symptoma in parte alia sine intervẽtione morbi: non quod actio læsa partis ægrotantis oblædat actionem alterius partis sanæ, sed in causa solum est, ut non faciat opus suum rectè, etiam si læsa non sit. Lædatur chylosis nempe ventriculi concoctio, ex vitioso chylo, hepar non generabit probum sanguinem, licet ipsum nullo vitio laboret. Error hic in hepate fit propter inconveniens objectum, quod in optimum sanguinem naturaliter verti nequit: quemadmodum enim ventriculi actio læsa non est, quando non concoquit lapillos cerasorum & vinacea, ita quoq. jecoris concoctio lęsa non est, cum expravo chylo non generat laudabilem sanguinem: facit enim hepar, quod potest: sed materia non est habilis ita pati, ut ex ea fiat probus sanguis. Opus ergo læsum est: sed actio illæsa permanet.

Gal. interpretatus.

Confidit adhuc Mõranus ipsis verbis Gal. quib. habet: *symptoma symptomatis causam esse.* Verum, ut ego existimo, causa hic, non propriè, sed communiter dicitur, atq. ut comprehendit quamlibet occasionẽ, juxta Hippocratis sentẽtiam, qui occasionem dicere consuevit omne id, unde initium motus adsequentes actiones prodit. Cum molesta sensatio excitat facultatem expultricem, ut ante tempus expellat, concilio labetur, qui asseruerit molestum sensum intempestivę expulsionis causam efficientem esse: hoc enim errore ducitur Montanus. Sed, ut se tota res habeat explanemus. Pungit ac stimulat mordax humor ventriculum, qui lacessitus humorem noxium magno conatu expellit. Dic mihi quæso, quis molestiam sentit? Profectò ventriculus. Quis irritatur? Ventriculus. Quis expellit? Idem ventriculus. Sensio hæc præter naturam, causam efficientem morbum habet, intemperiem, vel solutionem continui (non moremur in his.) Iam quæ sit causa expulsionis explicare, nihil negocij est. Expellit ventriculus facultate expultrice præditus. At, dices, ventriculus expellit lacessitus & irritatus à sensione molesta. Quid tum inde? Vrget occasio, verum sensio non est causa efficiens expulsionis. Nam, ut habet Aristoteles, causa efficiens definitur id, à quo primò, & per se fit motus, vel quies: at à molesta sensione non fit motus, seu expultricis actio, quamvis præbuerit occasionem: sed à solo ventriculo, quatenus præter naturam affectus est. Quare, ut à morbo

Gal. interpretatus. *Li. 3. Epid. 1. 15. & lib. 6. 3. 18*

Lib. 1. de lo. aff. c. 4.

Lib. 2. phy. Cap. 3.

morbo sensio molesta, sic à morbo ventriculi prauè agentis procedit expulsio.

Gal. interpretatus. Tex. 8. Auctoritas ultima ex primo capite hujus libri deprôpta, ut decepit Germanum explanatorem, ita mirũ non est, quod eluserit Montanũ. Galenus ibi non loquitur de symptomate propriè dicto, sed de generaliter accepto, quod de causa, de morbo, & de ꝓpriè vocato symptomate effertur, quilibet enim locũ per legens hoc ipsum clarè perspiciet, præsertim si ad nostram expositionem & quæstionem secundam lectionem adhibuerit.

In contro. Concludamus nullam actionẽ læsam esse causam, vel alteri⁹ actionis, vel alicujus symptomatis generis alius (ut apparebit cũ de causis) nẽpe affectus corporis, & excretorum vel retentorum, si eloquamur propriè: sed tantum partium constitutiones præter naturã quæ morbi sunt, quoniam partes quomodocũq. dispositæ suas actiones ad op⁹ intẽdũt: quotiescunq. verò noster Gal. aliter scribit, promiscuè, atq. sine discrimine loquitur: sic nos morbum interjectione actionis læsæ agere alicubi, diximus, nõ quod actio læsa illius operis sit causa efficiens interposita (immediatã vocant) quoniã sol⁹ morb. est, qui lædit & agit proximè, sed ꝙ actio læsa ad opus undiq. & necessariò concurrat, atq. naturâ & plerunque tempore præcurrat.

Epilogus. Ecce homines inquieti ab artis politissimæ lenitate, atq. puro quodam, candidoq. genere dicendi nos educunt, & ad summã Philosophiæ severitatẽ coactos portãt, quos ego sanè magnopere fugio: infensa tamẽ usus fortunã, sæpius cum ilis conflictor.

VTRVM VENTRICVlus præditus sit octo facultatib. naturalibus.

QVÆSTIO. XLIII.

TExtum decimum octavum sic cõclusit Galenus. *Ac ventris quidem, ut instrumentum cõcoctionis est, dicta symptomata sunt*: decimum nonum verò his verbis inchoavit. *Vt autem tum nutriri postulat, tum quod nutriat, non solum trahit, sed etiam eatenus retineat, quousq. alteraverit, & supervacaneũ excreverit, alium parem symptomatum numerum cum similare corpus sortietur.*

Opinio Sylvij. Ex quib. verbis ali qui collegerũt in ventriculo reperiri octo facultates naturales, duplicem attractricẽ, duplicem tetentricem, duplicem cõcoctricem, & duplicem expultricẽ, scilicet quatuor quâ ventriculus est instrumẽtum coctionis, & alias quatuor, quâ pars similaris est. Hujus sententiæ Auctor fuit Iacobus Sylvius, ut cõstat in ejus adnotationib. in librũ tertiũ de facultatib. naturalib. quẽ secuti sunt Christophorus à Vega lib. primo artis Medicæ, & Iohannes Fernelius lib. quinto de animæ facultatib. Rationes illorum sic se habent. *Cap. 5. Cap. 6.*

1. Ratio. Plures partes sunt in nostro corpore, ut os, ut cartilago, quæ tantum se ipsas alunt, & conservant, neque plus alimẽti trahunt, quam sit opus ad earum conservationẽ: atverò aliæ partes existunt, quæ maiorẽ quãtitatẽ alimẽti trahũt, & cõficiunt, quam sit opus ad propriã nutritionẽ, quæ quidẽ alia indigẽt facultate ad totⁱ aliarumq. partiũ cõmodum & utilitatẽ. Nã vẽtriculus nõ tãtum sibi chylũ cõficit, quoniã maximã quãtitatẽ ad jecur mittit, ex quo jecur nõ solũ sibi sanguinẽ gignit, sed uberiorẽ quantitatem per venas distribuit, ut quæ desiderãt reliquæ partes expleta, cumulataq. habeãt. Hinc vẽtriculus, qui nõ modo privato, sed etiam publico munere fungitur ac viget, instrumenti speciẽ accepit, atque ad vehementiùs attrahendum rectas fibras adeptus est.

2. Ratio. Vnde multũ inter se distãt facultates ventriculi, quatenus instrumentũ est, atq. ejusdem facultates, quatenus est pars similaris, longèque diversæ atque sejunctæ videntur. Quoniam ventriculus ut instrumentum coctionis attrahit externũ alimentum per fibras rectas, idem retinet fibris obliquis, & excrementa expellit fibris transversis: attamen ut corpus similare est, trahit ad se chylum, ut magnes ferrum, ci-

tra fibrarum opem, retinet, concoquit, & sibi assimilat.

3. Ratio. Quamobrē ex numero actionū præter naturā, & symptomatum, colligimus actiones secūdū naturam & ex ijs facultates: sed vēticulus quatenꝰ instrumentū est in quadruplici præter naturā actione lædi potest, quatuorq. symptomata pati, unde illius quatuor actiones cōcludimus, ac inde quatuor facultates, sed ut pars similaris est perpetitur aliū paré symptomatū numerum, igitur ventriculus octo facultatib. præditus est.

Opinio Autoris. Fundamen. Verum isti gravissimi viri animo æquo ignoscant mihi, quoniā illorū opinio, ut mea fert, veritatis est expers, quod antequā confirmē, suppono primū, omnes partes nostri corporis perpetuò incumbere ad propriā nutritionē, per se quidem: per accidēs verò cōtingere, quod illarū actio aliis partib. prosit. Docet hoc noster Gal. lib. tertio de naturalib. fac. & septimo de Hipp. & Platonis decretis. Verum id planiùs & apertiùs dixit quinto Aphorismorū his verbis. *Hoc quidē cōmune est omnib animalis partib. quæ aptæ sunt humores aliquos utiles generare, aut ad usum aliarum partiū, aut ad generis propagationē, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illū quandā veluti superfluitatem partis ipsum generantis: non enim qui novit, ad quid utilis erit humor an mali, ipsius facit pars generationē, nisi debeat talē habere intellectū, qualem habere civitatum gubernatores arbitramur oportere, sed animalis quidem opifex illum habet intellectum, ipsa autem pars potentiis regitur naturalibus, cum aliis quibusdam, tum alterativa, per quam assimilat alimentum sibi ipsi.*

Cap. 6. & 11. Cap. 8. Com. 39.

Obiectio. cap. 17. Sed aliquis objciet Gal. texto de usu partiū contrariū indicasse, cum scribit, *cor pulmoni alimētū præparare: sibi autem ipsi minimè*: pulmo enim sanguinem postulat tenuem ac vaporosum, cor autē crassum & densum.

Solutio. Lib de diff. morb. q. 36. Respondemus (quod alibi etiā observavimus) cor, cum dicitur parare alimentū pulmoni, sanè non id, sed aliud intendere, nēpe spirituū vitaliū generationē, quā necesse est antecedat sāguinis attenuatio. Quāobrē partes, quæ naturalib. facultatibus operātur, ad utilitatem suam omnia referre, per accidens autem aliarum cōmodis servire Galeni est opinio, atq. ratio ab eodē indicata cōvincit.

Ratio. Nā si aliarum utilitatib. partes hujusmodi primò & per se parerent, intellectus & rationis essent participes: hoc enim est discriminis inter facultates naturales & animales, ꝙ hæ præcedēte cognitione potius alterius, quā sua causa cuncta molliuntur, ut palpebræ oculorum commodo atque thoracis musculi utilitati pulmonis, potiùs quam sua moventur: atverò facultates naturales sibi perpetuò canūt: aliis autem partib. per accidēs: *didicistis enim*, inquit Gal. *in naturaliū facultatū cōmentariis, quod, cū omnes particulæ sua conservationis gratia habeant facultates, tū familiariū attractoriā, tū alienorū expultoriā, itemq. assimilatricē sibi ipsis eorum quæ attraxerint, aliquib ipsarū (ut ventriculo) insuper in est per accidens magnopere iuvare totum corpus.*

Lib. 9. de comp. med. sec. locos Cap. 2.

Alterum Fundamē. Hinc colligendum est, ventriculū sui tantū graria alimentū attrahere, idēq. cōcoquere, quantumvis alio, atq. alio tempore, & loco id aggrediatur, & trāsigat. Nā insita facultas naturalis, tū ventriculi utitur structura organica, tū præcipuè tēperamento, atq. primùm fibris rectis, deinceps obliquis, tandē transversis: cōcoquit præterea prius in capacitate, chylūq. gignit, posteriùs verò chyli partē puriorē trahit, atq. in poris, & meatib. insensibilib. in sui substātiam convertit. Quas attractionis & cōcoctionis partes, si quis voluerit duas duplicesq. attractiones, vel cōcoctiones, statuere, longe falletur opinione. Nā licet in una parte, vel aliquo tempore impediātur, & deficiāt, atq. aliās permaneāt illæsę, tñ cū sint ejusdē speciei, plures cōstitui nō possunt, quemadmodū perspicua & obscura visio ūnius objecti, ꝙ modo procul, modo prope sitū est, non duplex visio, sed unica specie constituitur. Quib. rationes subjungamus

Ratio. Facultates omnes suam distinctionem capiunt in ordine ad actiones, quas edūt, & ad objecta, in quæ tendūt, ita ut quāta in iis est distinctio, tanta in facultatib. reperiatur: sed quatuor sunt tantum ventriculi actiones, una attractio, retentio, concoctio, & expulsio, atque alimen-

mentum scilicet obiectum propriũ, A eiusdem rationis & speciei, ergo tantum quatuor sunt facultates ventriculi, attractrix, retẽtrix, concoctrix, & expultrix. Sed dicet aliquis, actiones hujusmodi referuntur ad duos fines, quorum alter proprius est ventriculo nutriẽdo: alter verò toti corpori, qui quidem satis sunt ad illas actiones distinguendas. Verũ ab externo & remoto fine, quiq. contingit ex accidenti nulla distinctio desumi potest, sed ab objecto & fine proprio ad quem vẽtriculus primo, & per se intẽdit, dum molitur, quod sibi utile est, aliud non respiciens: quod enim deinde cõtingit per accidens est, ut ex Galeno diximus.

Obiectio.

Solutio.

Quid, quod actionum distinctio in duas partes distributa nequit in concoctrice considerari, quoniam non differt una illius pars ab alia alimento, quod concoquitur: discrimẽ est, quoniam priùs in cavitate, posteriùs in meatib. concoctio fit; atverò quocunq. in loco concoquatur, & quocunq. tempore, semper fit ab eodem agente circa idem subjectum, & eodem modo, unde posset desumi actionum distinctio, si aliter fieret: unica igitur est perpetuò cõcoctio, quomodocunq. succedat finis externus.

Alt. ratio.

Sic optimè intelligemus decimi noni contextus Galeni verba, nempe ventriculum, quatenus est corpus similare, tot symptomata pati, quod perpetitur, quatenus instrumentum est. Nam ventriculus, quatenus instrumentum, quatuor facultates naturales obtinet, unde quatuor actionibus, præter naturam lædi potest, quatuorque symptomata sustinere: at quatenus est pars similaris, totidem sufferre solet, paremque numerum symptomatum pati.

Sed ex his non sunt colligendæ octo facultates, vel actiones, quoniam os simplex, atque similaris corporis pars suis facultatibus naturalibus modo aggreditur alimentum, quod in cavitate collegit, modo ijsdem facultatib. agit in jam attractum in propriæ substantiæ meatus: & testes eadem facultate agitãt alimentum contentum in vasis seminariis, atque illud, quod jam in propriam substantiam intromissum est: veluti ubera sanguinem contentum in venulis, atq. jam antea insertum in ipsorũ meatib. Quamobrẽ actiones, quas usurpat ventriculus, quà instrumentum est, non sunt distinctæ ab iis, quas frequentat, quà pars similaris, tametsi diversis in locis, atq. diversis temporib. à ventriculo exerceantur, atque hæc causa est, cur Gal. seorsum meminerit eorum symptomatum, quæ ventri- B culus patitur, ut corpus similare.

Nunc argumenta contraria dilua- 1. *Solutio.*
mus. Primo respondemus partes aliquas plus alimenti attrahere, & concoquere, quam sit opus illarum nutritioni: ex eo tamen non concluditur, quod id præstent, ut beneficium in alias partes conferant, quoniam illud agunt propriæ naturæ inclinatione, qua propendent in solam sui nutritionem, & conservationem: quem verò mirabilis utilitatis fructum aliis partib. præbent, per accidens contingere dictum est.

Secundæ sic satisfacimus. Natura- C
lis ventriculi facultas una existens, tum eo utitur quatenus instrumentum est, tum quatenus est pars similaris, utcunq. tamẽ semper usurpat tẽperamentũ, cui non solùm ferunt opem fibræ, quæ omnis generis partibus insertæ sunt, præsertim cũ ex ore trahitur cibus, verũ etiam ipsius ventriculi capacitas maximo adjumento est, ut in eo tanta quantitas, quantam traxerit, concoqui possit. Quo tempore ventriculus naturale instrumentum dicitur à Galeno, cujus actio mista est, quem- *In contro.*
admodum nos retrò diximus. Quã D *q. 21. in 2. fund.*
primùm verò cibus concoctus est, ventriculus partis similaris tantùm potestatem gerit, atque solo temperamento utitur ejus facultas.

Tertiæ ac ultimæ respondemus, ex numero actionum colligi facultates, non tamen ex numero symptomatum. Nam fieri potest, quod sæpissimè contingit, ut ventriculi attractrix, quà ventriculus instrumentum est, imbecilla sit, mox verò similarem actionem aggressura sit abolita, vel retentrix, dum alimẽtum in ventriculi cavitate concoqui

tur, flacceſcat, atverò de inceps, cum illud in propriam ſubſtantiam convertit, ſit depravata. Idem dico de cōcoctrice, & expultrice. Nam una, & eadem facultas ſuam actionem variare ac mutare poteſt, ita ut in initio actio potens ſit, deinde verò languescat, quod dilucidè docuit Gal. hoc capite in ventriculo, quandoquidem, cum ejus actio ſit miſta, modo deficit pravitate organicæ ſtructuræ, modo vitio temperamenti. Quamobrem ventriculus, quatenus inſtrumentum eſt, quatuor actiones præter naturam exercere poteſt. Præterea, quatenus eſt pars ſimilaris nō alias, ſed eaſdem perpeti ſolet, atq. alium perferre parem ſymptomatum numerum.

ARG. CAP. V.

DE ſymptomatū genere, quod in affectibus corporis conſiſtit hoc in capite tractat, cujus quatuor eſſe præcipuas differentias oſtēdit, nempe viſiles, olfactiles, guſtatiles, & tactiles. Quas omnes à morbis naſci manifeſtum eſſe demonſtrat.

CAP. V. Tex. 20.

QVOD autem & duo, quæ reliqua ſunt genera, morbi præcedant, & cauſæ rationem reſpectu eorum obtineant, id quoq. paulo infra docebimus, ſed ubi totum de ipſis abſolverimus ſermonem auſpicati, rurſus à ſymptomatis ijs, quæ in corporis conſiſtunt affectib. Sunt porro eorum primæ differentiæ numero quatuor: alia enim ſunt viſibilia, alia odorabilia, alia guſtu apprehenſa, alia tangibilia. Ac viſibilia quidem in coloribus, qui præter naturam ſunt conſiſtunt, idque vel totius corporis, vel alicujus, vel aliquarum ejus partiū. Ac totidem corporis, veluti in arquatis ſe habet, præterea in hepatitide & ſpleniti de vocatis morbis: ad hæc hydropum generib. quibuſdā. Vnū verò particulæ, quemadmodum tum in lingua ſola alienus color ſubinde aſpicitur, tum in particulis, quæ abſceſſuū vitio, vel nigricāt, vel livent. Pari modo in carbunculis, & eryſipelate, & ſerpentib. ulcerum, & gangrænis, naturales colores immutantur. Sanè hujus generis ſunt vitiligo, leucæ, elephātiaſis, aliaq. id genus: quippe hæc quoq. naturalem calorem mutant. Iam in complurib. ſimul particulis vitiatum eſſe colorem in multis videas: idque vel circa crura magis, vel circa faciem, vel circa totum ſupernū corpus, vel circa totū imum. Ac viſiles quidem differentiæ in ijs ſunt cōtemplandæ. Odorabiles verò primū quidē in reſpiratu, ac difflatu. Voco autē quod circundātis nos aeris per fauces attrahitur & rurſus emittitur, reſpiratū: quod autē per totū corpus exhalat, difflatū, ſive reſpiratū. Ergo quæ his accidunt gravedolentiæ, in hoc ſymptomatū cōſtituentur genere: poſt has verò in aurib. narib. alis, & quæcunq. vitij cujuſquam occaſione putreſcūt particulis. His amplius in ructu idē ſymptomatū genus licet invenire, ipſo ſcilicet vel fumoſā, vel acidā, vel viroſam, vel piſcoſā, vel aliā quampiā ejuſmodi referente qualitatē. In guſtabilib. verò qualitatibus laborantes ipſi ſymptomata conjiciunt. Quippe ſudorem defluentem in os aliquā-

do

do guſtant: præterea ejus, quæ circa linguam eſt, ſalivæ mutatam qualitatem æquè utique ut ſanguinem, quib. is quoq. modo per os vacuatur, alij quidem notabiliter dulcẽ, alij ſalſum, alij amarum ſentiunt. Ad eundem modũ, & quæ ex pulmone rejiciuntur, & quæ ex vẽtriculo evomũtur, alijs hæc acida, alijs ſalſa, alijs amara, alijs dulcia, alijs auſtera ſentiuntur. Porrò ſunt ex medicis non pauci, qui etiam ſudores, atq. aurium præterea ſordem guſtu explorandam cenſent: quippe ex hoc quoq. aliquid conjectari: Iam tangibiles differentiæ, ubi naturæ modum exceſſerint, in hujuſmodi ſymptomatis numerandæ non minus ſunt, veluti cutis dura, & diſtenta, & præarida. Simili modo præhumida, vel rugoſa, vel alia quapiam differentia tali prædita.

COMMENTARIVS.

QVONIAM ſuperioribus capitibus explicatæ ſunt omnes differentiæ ſymptomatum, quæ pertinent ad actiones læſas, de ſecundo ſymptomatum genere, quod in affectibus corporis conſiſtit, hoc capite agit. Hujus quatuor ſunt præcipuæ differentiæ, nempe qualitates præter naturam in noſtris corporib. mutatæ, quæ quatuor ſenſib. objiciuntur, viſibiles, ut colores, olfactiles, ut odores, guſtatiles, ut ſapores, atq. tactiles, cujus generis ſunt primæ qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas, atque ſecundæ ut durities, mollities.

Prima differentia color eſt, qui vel in toto corpore, vel in aliquib. partib. vel in aliqua conſiſtit. In toto corpore, ut in ictero, in hepatico morbo, in ſplenitico, atq. in quibuſdam hydropis ſpecieb. Ictерus (morb. regius, ſeu arquatus dicitur) eſt effuſio bilioſi humoris in corpus univerſum: redundat enim bilis toto corpore, nec ulla omniho pars eſt, in quam diffuſa non ſit, ſolis aliquando exceptis inteſtinis, in quòd contingit, propter cauſarum diverſitatem, à quib. icterus fit. Plerumq. ab obſtructione illius veſicæ, quæ bilem excipit: tunc enim bilis, cum non pateãt illi meatus, per quos ſecerni, atq. vacuari debet, regurgitat in jecur & venas, ſanguiniq. permiſta effunditur in univerſum habitũ. Hinc flaveſcit tota cutis, ſed in primis oculi, in quibus vitioſus color propter ingenitum illis candorem, magis conſpicuus eſt. Similiter in morbo hepatico univerſum corpus pallido colore inficitur. Nam, cum hepar laboret intẽperie calida, multum gignit flavæ bilis, quæ unà cum ſanguine diſpergitur per univerſum corpus, docente Galeno. In morbo etiam ſplenitico, qui fit à lienis indurati imbecillitate, ut idem ſcribit, nigricat totũ corpus: cumq. durities plurib. de cauſis contrahi coepit, definitionũ medicarũ auctor duritiem hanc é phlegmone nec cõcocta, nec digeſta contractã intelligit, duoque illius ſymptomata recenſet, defluxiones, & foedũ corporis colorem. Nã, cũ in hoc morbo facultas attractrix lienis ſit debilis, nõ rectè ſeparat ſuccũ melancholicũ à ſanguine, qui malè expurgatus omnium corporis partiũ nativum colorẽ viriat. Inter hydropis ſpecies numeratur Anaſarca, qua differentia corpus exæquo tumet, redditurq. laxũ, pallidum, vel album, & emortuo ſimile, cũ cauſa proxima ſit humor aquoſus partim à jecore manans, partim a tota carne corporis, veluti in aquã reſoluta: color autẽ humorũ corporis certiſſima ſit nota, quoniam pro ſui natura humorum in nobis redundantiam monſtrat, color pallidus bilem, rubeus ſanguinem, albus pituitã, livens & niger atram bilẽ. Aliquãdo color vitiatus in plurib. partib. apparet, quod in fine morborũ cõtingere ſolet, ita ut pars corporis

5. de uſup. cap. 5.

5. de lo. aff. Cap. 7.

6. de lo aff. Cap. 1.

superior, vel inferior, quæ scilicet imbecillior fuerit, nonnunquam decoloretur pro natura humoris ad illam defluentis. Tandem vitiatur color in unica tantum parte, ut in tumorib. præter naturam, unde intelligemus, cur in carbunculis, erysipelate, gangræna, herpete, elephantiasi, & similib. partiú decolorationes fiant, quoniam pro decumbétis humoris natura partis mutatur color. Vnde in carbunculo & gangræna livescit: in erysipelate flavet: in sphacelo nigricat. Ad hæc referúntur magnitudines & figuræ, quæ sunt objecta communia.

Secundam affectuum & qualitatum præter naturam differẽ etiam cõstituunt vitiati odores & foetores, qui præcipuè deprehenduntur in respiratione, & transpiratione, unde colligere possumus, quid sit respiratio & transpiratio. Respiratio est aeris introitus & exitus, qui per os, vel nares fit. Motus est ex duobus motibus cõtrariis compositus, & gemina inter eos quiete, quorum uno aer in pulmonem trahitur, thorace dilatato: altero redit ex pulmone subsistente & compresso. Transpiratio (perspiratio vel diffatio) est totius corporis veluti respiratio per cutem: ut enim respiratio duplici motu constat, uno, quo aer frigidus attrahitur, altero, quo fuliginosa excrementa vacuantur, sic duplici modo efficitur transpiratio, uno quidem, effusis ad exteriora vaporib. & fuliginosis superfluitatibus, altero verò attracta refrigerante, ac ventilante calorem nativum aerea substantia. Qui motus quoniã obscuri sunt, ideo perspiratio, quæ ratione comprehendatur, & transpiratio sensu imperceptibilis appellatur. Hæc omnibus corporibus semper inest, sed calidioribus temporibus, regionibus, ætatibus, naturis multa substantiæ portio exhalat ob cutis meatuum apertionem, ut contra in frigidioribus pauca propter cutis strictionem. Quam obrem foetores præcipuè in respiratione & transpiratione ægrotantium à nobis comprehenduntur. In respiratione quidem id experimur in his, qui tabe laborant, id est, ulcere pulmonis, quorum consuetudo nequaquam *secura est*, ut scribit Gal. *atque omninò eorum, qui putridum expirant, adeo ut domus, quas habitant, foetidum exhalent odorem*, ut elephantici & aliqui febre putrida laborantes. Ex egrotantium trãspiratione percipiuntur etiam foetores, qui è meatibus, quos in extima corporis superficie effinxit natura, egrediuntur, & ex auribus, naribus, axillis, & quibuscunque aliis partibus, in quibus aliquid putrescit. Nam, cum odor sit humida quædam & ignea exhalatio Aristoteli, vel Galeno substantia vaporosa, facilé fertur in nostrũ sensorium odoratus, percipiturq. Sentitur etiam malus odor in ructibus, qui elevantur è ventriculo ex alimentorũ corruptione, dum fumosam, acidam, aut virosam aliquam qualitatem, aut piscium foetorem præ se ferunt.

Quid sit respiratio.

Quid transpiratio.

1. de diff. feb. cap. 3.

1. de diff. feb. cap. 1.

Lib. de sen. & sen. cap. 2.

simp. c. 4. 21.

Tertia differentia affectuum & qualitatum, quæ in nostro corpore præter naturam mutantur, sapores constituunt, qui ab ipsis ægrotantibus sæpissimè percipiuntur, dum vomunt, aut ex pectore aliquid expuunt, sanguinemque, salivam, sudoremve, jubente medico degustant, quorum aliis acida, aliis salsa, aliis amara, aliis dulcia, aliis austera sentiũtur. Nã hoc opus medicis non est imponendum, sed ægrotantibus omittendum, cum turpe admodum sit ad hæc sordida officia se demittere: cur verò aurium sordes dulcem aliquando saporem habeant, libro primo de causis symptomatum explicabimus.

Cap. 3. q. 4.

Quarta & ultima differentia affectuum corporis complectitur qualitates tactiles, cum à naturali statu recedunt, sive primæ qualitates fuerint, sive secundæ: ut durities, intentio, & ariditas: licet enim primas cõstituerimus morborum causas, ut dicunt, materiales, tamen aliquando symptomata sunt, quum eò non ducuntur, ut intemperies morbosas constituere valeant, ut in controversijs hujus libri observavimus.

Quæst. 13. lib. 2.

(*)

TEX.

TEX. XXI.

ERGO ex his, quæ jam dicta sunt, manifestum est, hoc quoq. symptomatum genus universum a morbis ortum habere. Quippe colorum, halituum, & saporum differentias omnes, solidorum ipsorũ corporum temperamenta sequi, in naturalib. libris didicimus. Ad eundem modum & tangibiles, multò etiam magis quam omnes, quæ sunt prædictæ, propterea quod cum activis qualitatib. congeneres esse dixi, utpoteque ad ejusdẽ sensus judicium referantur. Etenim mollities, duritiesq. tactu judicantur, non aliter quam effectrices qualitates ipsis congenitæ. Quare quidquid in his alienum à naturali est, id intẽperiei acceptum fertur, æquè ut quod naturale est, ex commoda temperie provenit. At est omnis intemperies morb. Quare omnia id genus symptomata, à morbis sunt oriunda. Quæ verò ex influente quopiam humore cognata prædictis symptomata in particulis excitantur, alia obstructiones, vel compressiones sequentia alia trahentium, & segregantium virtutum functiones malè obitas, necesse hæc quoque veluti fontem suæ generationis morbos habere. Ac jecinoris quidem obstructio, qui compositi & instrumentalis corporis est morbus alieni coloris, qui in arquatis visitur est causa. Cujusq. verò similaris partis intemperies, quæ ipsa quoq. ejusmodi

A corporis morb. est, aliàs aliam ejus facultatem impedit, vel eam, quæ trahit, vel eam, quæ excernit, vel aliam quampiam, quarum occasione, tum quarum æqualiter riteq. humores in corpore fluant, particulæ aliàs aliæ in colore, halitu, sapore, omnibusq. tangibilib. differentijs, alterantur. Quin etiam quodcunq. reliquum est symptomatum genus, sive id in vocib. sit, &

B nis, qui in animalib. exaudiuntur, sive in ijs, quæ à corpore excernuntur, in eo ve detinentur, nihil non a morbis natum est, vel ab ipsis continenter, vel symptomate aliquo interveniente. In vocibus enim morbi, qui in ore, faucib. arteria aspera, pulmone, & thorace sunt, symptomata faciunt: clangorib. scilicet quibusdam tremulisq. ac raucis edendis vocib. In alijs

C verò quibusdam animalis particulis sonitus, & murmura, & trismi, idest, stridores, aliaq. ejusmodi, partim quidem ex instrumentorum angustia, vel indebito motu, partim ex flatuosi spiritus abundantia, aliquando etiam ex horum aliquibus omnibus-ve simul coeuntib. cientur. De quib. plenius

D inter symptomatum causas agetur.

COMMENTARIVS.

IN extremo præteriti capitis, tum inductione, tũ ex natura rei demonstravit morbum esse causam cujuscunque actionis læsæ, præsens verò exorditur docens morbum præcedere reliqua duo symptomatum genera, & causæ rationem ad ipsa obtine re:

Tex. 19. *Tex.* 20. *Tex.* 21.

re: hîc autem ad illud ipsum animum adjungẽs, sic inceptum opus probat. Corporis affectus, qualitatesq. mutatę ipsorum corporum temperamẽta sequuntur, ut in libris naturalib. dictum est: rubens enim color, calorem, ut albus frigus indicat: sed omnis præter naturam intẽperies morbus est, ergo visibiles omnes differentię symptomatum à morbis nasci cõcludendum est. Inter naturales verò libros recensentur, qui de temperamentis sunt inscripti, in quorum secundo de colorib. pilorum agit Gal. *Cap. 5.* ex quibus temperamenta deprehenduntur. Per vapores autem odores intelligit, quoniam odorabiliũ substantia, ut ex Galeno diximus, vaporosa est. Similiter sapores temperamenta sequuntur, amaritudo calidũ, aciditas verò frigidum, ut etiam libro quarto de sim. med. fac. hic autor monstrat. Tactiles quoq. qualitates, de quib. hic potissimum agit, ut durities & mollities, multò magis, quã colores, odores & sapores, corporum temperamenta sequuntur, quoniam cognatione conjunctæ sunt cũ primis, quæ sensus tactus etiam objecta sunt, *Cap. 4.* ut constat ex libro secũdo de temperamentis. Cum igitur omnes colorum, odorum, saporum, & tactilium differentiæ nascantur ab intemperie, quæ, cum præter naturam, sine dubio morb. est, tantum à morbis originem trahere omnes affectus corporis, & qualitates mutatas certum & exploratum est. Neq. solùm id demonstravit Gal. cum affectus corporis, & qualitates mutatę à nudis intemperieb. oriuntur, & cum ab humorib. tum ad certam aliquam partem, tum inęqualiter, & sine ordine fluentib. atq. intemperies in partib. similarib. comitantib. sed etiam in instrumentis, quorum obstructionem, vel compressionem sequũtur, siquidem utrobiq. necessum est, hæc symptomata, veluti suæ generationis fontem, ac principium morbos habere. In exemplũ ponit vitiosum in ictero colorẽ, qui symptoma est, quod ex flavę bilis per venas in universum corpus influxu nascitur, hujus autem causa est obstructio meatus, qui ex jecore in fellis folliculũ derivatur. Atq. ut omnia symptoma ta complectatur, quasi repetens subjungit, quidquid sit alterius symptomatum generis, quæ consistunt in actionib. læsis, & his, quæ immodicé excernuntur, & retinentur, omnia à morbis provenire, *vel ab ipsis continenter, vel symptomate aliquo intervenente.* Vocis enim noxæ oriũtur à morbis, qui fiunt in ore, faucib. & alijs partib. quas enumerat Gal. ut sunt voces concussoriæ, quæ vehemẽti commotione fiũt à frigore perinde atq. tremulæ. Præterea voces raucæ ob defluxum ad subjectas pulmonis cartilagines ex capite humorem. Et clã gentes, ut voces anserum. *Vox verò clangosa*, inquit Galenus, *fit propter siccitatem voci asservientium instrumentorum.* Tandem soni, strepitus, murmurilla, stridores, aliaque ejusmodi, à quo morbo ducant originem libro tertio de causis symptomatum Gal. dilucidé docebit. *In 1 prorr. 1. 17.*

EPITOME.

Affectuum corporis, & qualitatũ, quæ præter naturam mutantur, quatuor sunt differentiæ. *Visibiles*, idest, colores præter naturam, vel in toto corpore, ut in morbis hepatico, regio, splenico, & hydropis quibusdã specieb. vel in plurib. partib. vel in una, ut lingua. *Olfactiles*, id est, grave olẽtia, vel respirationis per guttur, vel transpirationis per cutis poros, vel aurium, narium, axillarum, & partium ob affectum aliquem putrescentium, vel ructus acidi, fumosi, virosi referentis graveolentiã piscium, aut aliam hujusmodi. *Gustatiles*, id est, sapor, sudoris salivam linguæ salsam reddentis. Sãguinis per os vel alium meatum rejecti, dulcis, amari, salsi. Rejectorum ex pulmone, aut ventriculo austerorum, acidorum, dulciũ, salsorum, amarorum. *Tactiles*, idest, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & ex his natę mollities, durities, vel alia, ut in cute dura, arida, intenta, laxa, rugosa. Ex quibus apparet symptomata morbos necessariò sequi.

CON-

CONTROVERSIÆ pathologicæ.

VTRVM SONVS INter affectus corporis sit numerandus.

QVÆSTIO. XLIV.

ANcipiti cura distrahuntur, qui hoc capite in Galeni mentem animum defigere & intendere volût, atq. studiosè exquirunt, cur Gal. non adnumeravit cum affectib. corporis, qualitatibusq mutatis voces, strepitus, leniores, inquam, sonitus, murmura, vel susurros, quæ ad auditum spectare videntur.

Germanus interpres audibiles qualitates non sine consilio Galenũ omisisse scribit, quod scilicet nullæ sint. Quippe soni, & voces sunt actiones, adeoq. res minimè permanêtes, sed quæ essentiam suam in fieri obtinent. Quare ad affectus corporis referri non posse dixit, sed ad motricis potiùs actionis symptomata reduci. *1. Opinio.*

Refutatur. Veruntamen interpres iste actiones tantum consideravit, ut voces, cum tamen plures soni actiones non sint, sed retenta excrementa sequantur, ut strepitus flatum per ventrem *Cap. 2.* divagãtem, ut libro tertio de symp. causis apparebit. Quamobrem quatenus dixit, omnes sonos essentiam suam in fieri obtinere, seriò locutus est: in eo tamen labsus, quod omnes audibiles differentias ad motricis actionis symptomata retulerit.

2. Opinio. Nonnulli existimant præter naturam sonos essentiam suam habere in solo fieri: pertinere tamen ad hoc secundum genus symptomatum, eo quod in sonis sit aliquis affectus, ut in voce rauca, adduntq. Galenum veloti sui ipsius oblitum in fine hujus capitis qualitatũ auditus meminisse. Hanc conjecturam fecit, qui in conversione Copi singulis capitib. argumenta præfixit, cum in hoc capite symptomatum, quæ in corporis affectib. consistunt, quatuor differẽtias Galenum enumerasse dixit, deinde quintam eorum, quæ ad auditum spectant, addidisse.

Refutatur. Quorum opinio mihi, vehementiùs displicet, cum accusare audeant artis antistitem, cujus in reb. tractandis excellens & accuratissima fuit diligentia: præter quam quod hoc capite non commemorat sonos quatenus sensibiles sunt, sed cum omnia symptomata morbũ necessariò subsequi confirmaverit, ne aliquis putaret hæc prætermisisse, eadem voluit cum alijs permiscere.

Opinio Segarræ. Iacob. Segarra arbitratur vocem præter naturam esse actionem lesam: reliquos autem sonos ad corporis affectus pertinere non posse, cum affectus non sint, atq. suam essentiam in fieri obtineant.

Refutatur. Quæ sanè mihi grata responsio est. Ijs tamen, quæ addit in scriptis ambob. dubia redditur, & incerta. Quãobrem, inquit, dicendum est, sonos, qui præter naturam contingunt, aut revocari ad actiones læsas, aut ad tertium genus symptomatum, nempe ad ea, quæ excernuntur. Nam stabilem, & firmam sententiam habere docebat, & magis explicatam.

4. Opinio. Petrus Garcia, ut ex ejus ore audivi Madriti, cum ad Catholicum Regem nostrum Philippum secundum à Patria charissima Legatus missus fui, respondebat, non collocasse Galenum ea, quæ spectant ad sensum auditus, in qualitatib. mutatis, quandoquidem respectu auditus tantum potest reperiri sonus rei existẽtis, & detentæ intra corpus, quemadmodũ in tinnitu aut sibilo aurium. Quod symptoma, cum cõtingat rei præter naturam, ut vapori, vel flatui, vel humori agitato, fluctuãtiq. in aliqua cavitate, vel meatu, potiùs voluit numerare Gal. in symptomatis tertij generis, quod retenta comprehẽdit, quam secundi, quod tantum amplectitur inhærentes ad ipsum corpus qualitates. Quæ mihi solutio prorsus valdé placuit.

Obiectio. Nihilominus tamen ursi rursus. Nam, ut ex lapidum attritu ignis elicitur, sic sæpe veritas ex alternantium, immò & altercantium sermonum conflictu. Ergo, dixi, color mutatus,

tatus, qui visui objicitur, qualis in morbo regio, debet etiam referri ad tertium symptomatũ genus, quoniam talis color accidit cuti propter substantiam flavam vel nigram, quæ ibi præter naturam detinetur.

Solutio. Respondit, rem aliter se habere. Quando quidem licet color laborantium morbo regio non inhæreat corpori tanquam in subjecto, sed quantum ad apparentiam, tamen non repugnat colori sic inhærere, unde prosui natura nõ postulat necessariò excremẽtũ, cui tanquam in subjecto insit: sonus verò, qui sentitur in aure ex sua natura postulat flatuosum excrementum, vel quid simile pro subjecto. Quod responsum mihi satisfecit cumulatissimè. Quamobrem illius opinio fuit vitiatas omnes voces actiones præter naturam esse: affectus verò corporis secundũ symptomatum genus constituẽtes in partib. continentib. inhærere, omnemq. illorum essentiam constanti permanentia consistere. Verum intra nostrum corpus omnes sensibiles sonitus, quorum meminit Gal. ad tertiũ symptomatum genus pertinere, tum quod non insint in partib. continentib. sed in contentis & solis excrementis, tum quod in solo fieri tota illorum nitatur essentia. In qua ego sententia planè consisto.

Obiectio. Iam quod sonus in excrementis insit, & non in partib. nostri corporis nihil injicitur ambigoitatis: sed quod habeat in fieri totum esse repositum, magnam mihi affert dubitationem. Nam sonus motus non est.

Num sonus sit motus. Primò quia motus est sensibile commune: sonus verò sensibile propriũ ad solam audiendi vim pertinens. Secundò quia sonus potest diffundi ad eas partes aeris, & aquæ, ad quas motus non pervenit. Tertiò, quia sonus motu fit, ut docet Aristoteles *Cap. 8.* secundo libro de anima, nihil verò à se ipso efficitur. Quartò, quia motus non est qualitas, sonus autem qualitas est ad tertiam qualitatis speciem pertinens, qua in opinione cõcordant omnes philosophi, Galenus ergo ad affectus corporis, potiùs quam ad excrementa debebat referre sonum, cum qualitas patibilis sit.

Solutio. Verum Sonus bifariam sumitur, vel secundum ejus formã, vel secundum ipsius causam, hoc est, vel in sensu formali, ut dicunt, vel in sensu causali. *Son' quid.* Sonus formaliter est qualitas sensibilis, quę auditu percipi potest, vel est qualitas patibilis orta ex collisione duorum corporum, & fractione corporis intermedij, quæ auditu percipi potest. Quoniam ad sonum tria corpora cõcurrunt, duo quidem se collidentia per vehementem motum localem, & tertium resiliens ex duorum percutione, quod frangitur, & in plures partes distrahitur. Sonus non est ipse motus corporum sese collidentium, neq. fractio corporis intermedij, quamvis impulsu ex duorum corporum collisione orto conservetur, sed est qualitas ex se permanẽs quę resultat ex fractione corporis intermedij. Ex quibus constat sonum proximè sequi fractionem, quoniam aer inter duo corpora attritus, primùm frangitur, deinde fractus sonat.

At vero si in sensu causali de sono loquamur, profectò sonus motus est Aristotelis opinione, loco citato, ubi apertè scribit sonum esse motionem: idem docet libro de sensu & sensibili, cui subscripsit Gal. octavo libro de usu partium. *Ad aures sanè, in quit, descendere etiam omninò propaginẽ quandam a cerebro erat necesse, sensibile extrinsecus occursurum excepturam: sed quoniam sonus, & vox id ipsum erant, sive aer percussus, sive aeris quadam percussio: nihil enim interest, modo unum hoc dumtaxat constet, motum, qui percussione fit, quasi undam progredi oportere, atq. ad cerebrum ascendere.* *Cap. 6.*

Auctoris assertio. Quib. jactis concludo sonum formaliter acceptum qualitatem esse & auditus objectum, atq. ubi percipitur insuetus ad corporis affectum referri posse. Nam cum advertitur à medico qualitatis audibilis mutatio, tunc ad illius causam dirigit curationem. Si tamen sonus sumatur pro ejus causa, scilicet pro motu, quemadmodum sumpsit Gal. sonitus omnes, qui fuerint actiones, ut vox & stridor dentium sub actione subjiciuntur: sonos verò reliquos excrementorum, ut murmura crassorum intestinorum ad tertiũ genus, quod excre-

excrementis est dicatum, idem Gal. omninò pertinere putavit, cui semper fastidio fuerunt quæstiones Logicæ, quæ nulli sunt usui, propterea nunquam sonum formaliter considerauit, sed tantum ejus causam nempe motum, qui totam naturam in excrementis repositam habet, à quib. desumitur subincinuatio eorũ, quæ peragenda sunt.

Obiectio. Tex. 9. Solutio.

Sed, si placet, antequam sermonẽ alio transferamus, enodemus, cur sonituum differentiæ dictę sint sensibiles à Galeno capite secundo. Vt id pateſiat observãdum est symptoma, tum aliqua esse prima, aliqua secunda, aliqua tandem prima & secunda. Primum autem & secundum hoc loco dupliciter dicuntur, vel origine, vel similitudine. Actio læsa, ut lib. primo methodi scribit Gal. morbi

Exereton.

symptoma ἐξαίρετον est, exemptum è numero, selectum, *insigne* convertit interpres, nec mirum, quoniam ita morb. hoc symptoma sibi assumpsit, videturq. suo jure vendicare, ut ipse proxima & continens illius causa dicatur, quod ex secundo methodi, &

Cap. 3. com. 1.

secundo de natura humana manifestè colligitur. Quamobrem actio læsa origine primum symptoma est, atque ita primum, ut nunquam secundum esse contingat. Affectus corporis & qualitas mutata, atq. excreta & retenta, cum semper ex morbo nascantur interjectu actionis læsæ, origine semper sunt symptomata secunda: sed affectus corporis similitudine semper est symptoma primum, quod sensib. quatuor objectum cum sit, illorum respectu, nõ modo hanc nomnationem primi ex similitudine sibi ad scripsit, sed etiam nomen dedit sonituum differẽtijs, quæ symptomata similitudine secũda dicuntur, cum illius comparatione auditui oblata pariter sensibiles appellentur.

Obiectio.

Sed hinc duplex injectus est mihi scrupulus & dubitatio. Primò, si sonus est qualitas patibilis, non minus quam color, cur indiget alia qualitate patibili, ut sensibilis dicatur?

Solutio.

Respondeo sonum formaliter acceptum, quæ sensibilis qualitas est, alterius non indigere: at illius materia, quam medici usurpant, scilicet varij motus, qui in excretis essentiã obtinent ab affectib. corporis nomẽ mutuati sunt, quo dicuntur sensibiles differentiæ.

Al. obiect.

Præterea, quod duo symptomatũ genera semper sequantur morbum interjectione actionis læsę, inter malleum & incudem cõstitutum est, plurimumq. difficultatis habet. Nam Ga- *Tex. 21.*
lenus in extremo hujus capitis aperte scribit symptomata tertij generis à morbis procedere bifariam, vel nullo alio symptomate medio, vel aliquo intercedente: *vel ab ipsis*, inquit, *continenter, vel symptomate aliquo interveniente.* Quod sequenti capite *Tex. 22.*
iterabit his verbis. *Succedunt autem omnino morbis* (de excretis & retentis erat sermo) *vel continenter, vel alijs symptomatis intercedentib.* Quare excreta, & retenta morbo succedere, interdum proximè, interdum verò actionis læsę interjectione verborum Galeni sanus, & integer sensus est, interpretum consensu confirmatus.

Sed, ut mea fert opinio illa, nunquam fuit Galeni, ut quæstione decimaquinta demonstravi, cum interpretum hujus operis tres errores exagitarem: nunc verò Galeni verba explananda sunt, quæ quidem ob unius ad verbij significationem neglectam, malè ab expositorib. sunt conversa. Primo loco, *nihil non*, inquit, *à morbis natum est, vel ab ipsis ἀπλῶς, vel symptomate aliquo interveniente.* Ac deinceps. *Succedunt autem omninò morbis*, vel *ἁπλῶς, vel alijs symptomatis intercedentib.* Antiquus interpres adverbium omisit, fortasse græci textus culpa. Lacuna transtulit, *immediatè.* Copus & interpres Germanus convertunt uno loco, *planè*: alio loco, *statim.* Noster interpres utrobiq. *continenter* interpretatus est: cum tamen *apertè, manifestè*, vel *palam*, in utroq. loco convertere debuissent. Lucianus, *ὕβρις ἁπλῆ καὶ ἀτιμία*, injuria est manifestè, atq. infamia. Plutarchus in Fabio, *ἁπλῶς* aperte, aperto Marte, ut Budæus vertit. Agrammaticis exponitur, *φανερῶς*, plane, manifestò. Sic no- *Phaneros.*
strũ Galenũ debemus interpretari.

Anticyr.

Anticyr.

Solutio.

Nam in extrema parte hujus libri omnem curam, & cogitationem confixit, ut persuaderet morbum omnia symptomata omninò prȩcedere, cumq.

cumq. ad excreta, & retenta perveniſſet, perciperetq. horum ſymptomatum tertij generis ſequelam interdum ſic obſcurari, & offundi, ut non videâtur morbum ſubſequi, ſed alia ſymptomata interpoſita, non ſine conſilio ſcripſit, excreta & retenta perpetuò ſequi morbos, vel aperté, & manifeſté, quando ſcilicet ita morb. patet, ut læſæ actionis interpoſitio minimé advertatur, veluti cum vulnerato & apertò aliquo vaſe ſanguis effluit, vel latenter, nimirum cum ita patens, & perſpicua eſt actio læſa, morb. verò ſic offuſus & obſcuratus, ut ferè tota culpa in actionis vitio reſidere videatur, ut cum ſanguis prorumpit, & fluit non aperto, aut fracto aliquo vaſe, ſed per diapedeſin ob retentricis facultatis imbecillitatem, quæ tamen naſcatur ex humida intemperie: nam etſi fluxio ſanguinis ſequatur morbum, tamé obſcuré admodum diſcernitur.

VTRVM MORBVS omnium ſymptomatum cauſa ſit.

QVÆSTIO. XLV.

OMNIVM ſymptomatum morbum communem cauſam eſſe, & tanquam legem ſancivit Gal. & omnes viri præclara eruditione, atque doctrina ornati libenter acceperũt: alicui tamen viſum eſt neutiquá certum, ut enim illis, quib. dolent oculi, moleſtus eſt lucis aſpectus, gratæ autem tenebræ, ſic veritas ingrata eſt ſtolidis, mendacium ſuave, & jucundum. Hæc cauſa eſt, cur audax Galeni cenſor hoc dogma odio habuit, atq. adverſus illud inepté & inconſultè locutus fuerit.

Primùm ejuſdem Galeni auctoritate probat ſymptomata nõ ſemper ſequi morbũ. Nam libro de optima ſecta ad Thraſybulum legimus ſymptomata quædam cauſas morborum, nonnulla verò alia partem affectam ſequi.

1. *Obiectio.*

Cap. 18.

2. *Obiectio*

Præterea libro ſecundo de cauſis ſymptomatum ſcribit differre ſymptomata inter ſeſe, quod alia naturæ ſint opera, alia morbidos ſequantur affectus, alia fiant, ubi coeunt, & morbus, & natura. *Cap.* 1.

Libro etiam tertio ejuſdem operis docet omnia ſymptomata oriri ex morbis partium ſimilarium, vel inſtrumentorum, aut à materiæ quãtitate, vel qualitate, ergo non omnia ſymptomata ſequuntur ſolos morbos. 3. *Obiect.* *Cap.* 1.

Eodem libro ſcribit vẽtriculi nullo morbo laborantis coctionem, & reliquas actiones vitiari, & depravari ob cibi, vel potus vitia, deinceps verò alio loco ſymptomata inteſtinorũ ex intemperie, vel tumore, vel excremẽtis oriri. Ecce vẽtriculus ſanus perpetitur, & ſuſtinet multa ſymptomata: inteſtina verò, non ſolum ob intemperiem vel tumorem, qui morbi, ſed etiam ob excrementa, qui morbi nõ ſunt. Quamobrem, quod morb. non ſit omnium ſymptomatum cauſa manifeſtum eſt. 4 *Obiect.* *Cap.* 2.

Libro quinto de ſimp. med. fac. notat viſum aliquando hebeſcere abſque inflammatione, influxu, vel ulcere, nulloq. ſenſibili affectu oculis laborantib. malé tamen munere ſuo fungentib. auxilio eſſe medicamenta oxydercica dicta. Ecce manifeſtum ſymptoma nimirum Amblyopia, ideſt, viſus hebetudo abſq. aliquo morbo. 5. *Obiect.* *Cap.* 23.

Ad hæc rationes addit, nam, qui mãgno timoris cruciatu anguntur, quum relictis externis partib. calor naturalis ad interna viſcera retrahitur, tremorem, & alia plura pathemata patiuntur, abſq. aliquo morbo, naſcuntur ergo multa ſymptomata ab alijs cauſis, nõ ſemper ſolos morbos ſequuntur. 6. *Obiectio*

Deinde ſyncope, quæ eſt *præceps virium omnium lapſus*, in qua ſpiritus deperduntur, alias alterantur, aliquando maxima ex parte digeruntur, non rarò hæc utraq. perpetiuntur, ſymptoma eſt, in quo omni ſenſu ita captum eſſe hominem judicamus, ut vita deceſsiſſe videatur, morb. tamen nuſquam apparet. Quod ſi aliquis voluerit cauſam hujus ſymptomatis ad intemperiem reducere plurimúm res habet difficultatis. Nam 7. *Obiectio* 2. *Methu.* *Cap.* 5.

Gal.

Ibidem. Gal. libro duodecimo methodi duas syncopes causas constituit, intemperiem & spiritum corruptionem & resolutionem: intemperies autem tã grave symptoma inductura, magna esse debet, quoniam symptomatis vehementia magnitudini causæ debet respondere: attamen nulla, vel certè exigua adest intemperies, quando spirituum dissolutione protinus deficiunt vires: mox verò illorum instauratione, statim vires restituuntur, reficiunturq.

8. Obiect. Iam verò partes exactissimo sensu præditæ patiuntur multa symptomata secundum naturam se habentes, igitur morbus non est omnium symptomatum causa. Antecedens patet, quoniam ventriculus, oculi, aures & lingua sensum habent excellentiorem communi sensu tactus reliquarum partium Galeno docente: patiuntur etiam, ut idem scribit, plura symptomata, nullo in illis existente morbo.

Lib. 16. de usu. c. 2. 1. de symp. caus. c. 4. & 7. & lib. 2. cap. 5. 7. met. c. 13

9. Obiectio. Rursus multi corripiuntur rigore, vel horrore, quas depravatas actiones nulla cõsequitur febris, atq. omninò nullo alio morbo affecto homine, quæ quidē facultatis expultricis omnium partium symptomata sunt.

10. Obiect. Qui vertigine laborãt, & omnia, quæ vident, circũvolvi judicant, nullũ morbum patiuntur, quia tunc nullus adest caloris, vel frigoris, vel alterius qualitatis excessus, sed solus flatulẽti spiritus inæqualis motus. Neq. est dicendũ, hoc symptoma oriri ex morbo in numero, quia instrumẽta nõ cõponũtur ex spiritib. vel humoribus, sed tantũ ex partib. similaribus.

11. Obiect. Similiter homines amantes patiũtur multa symptomata, suspiria crebra, in somnia varia, vigilias immodicas, perturbationes pulsuũ, quantumvis qui summo ardet amore, omni morbo vacet, ergo symptomata multa obveniunt, quorum nullus morb. causa est.

12. Obiect. Postremò, qui ligantur cantionib. aut cantationibus (incantamenta, vel fascinationes dicunt) actionibusq. multis, ut venere, obire prohibentur, nullo morbo afficiũtur. Ridiculum autem est dicere ab aliqua intẽperie hoc damnũ ortũ trahere,

A quando quidem cãratio nullam calfaciendi, vel refrigerandi vim habet. Quamobrẽ, quod morb. non sit omnium symptomatum causa concludit ἄκαιρος, & inconsideratus homo. Quẽ ego sanè nõ miror, quoniã hoc uno facinore, quod nostrum Galenũ ausus sit reprehẽdere, nobilitari voluit: illorum verò insolentia obstupesco, qui, cum Galenum observantissimè revereantur, aliquando tamen adversus eundem temere hiis similia effutiunt. *Akeros. Inceptus.*

Nam, si quis, inquiunt, bene habẽs carnes crudas ingesserit in ventriculũ, is habebit cruditatẽ sine morbo. *13. Obiect.*

B Si præterea in ventriculo præclarè se habente, cibus corrumpatur, ob ejus pravam qualitatem, aut quãtitatem immodicam, aut ordinem præposterum, læsa erit concoctio nullo præcedente morbo. *14. Obiect.*

Si hic idem, quem optimè valere posuimus, irritatur digito, vel penna in os immissis, unde vomitus, id symptoma ex nullo morbo fit. *15. Obiect.*

Adde tumorem cõtingentem ob oneris gravitatem, qui quidem symptoma est, sine aliquo morbo, ut colligere licet ex libro secundo de causis pulsuum Galeni. *16. Obiect. Cap. 2.*

C Ex febri putrida profluat sudor fœtidus: constat sudorem esse partẽ humoris in corpore putrescẽtis: fœtor verò nasci ex putredine, cũ igitur putrescens humor non sit febris, sed illius causa, profecto fœtor à causa morbi fit, non à morbo. *17. Object.*

Non dissimili ratione linguæ acidi saporis, aut salsi causa est pituita, vel acida, vel salsa, non quidẽ ipsa febris. *18. Object.*

Quemadmodum pallidus color in morbo regio fit à bile, quæ talis est colore: hæc eadem morbi causa D est, igitur qualitates mutatæ à causa morbi nonnunquam sunt non à solo morbo. *19. Object.*

Tandem, quando aliqua causa producit morbum, media actione producit, quæ quidem actio symptoma est, cum sit præter naturam, atq. nec causa, nec morb. à quo nullo modo procedit, imo eundẽ antecedit. Ecce, quod non sequitur morbum, manifestum symptoma. *20. Object.*

Sed quoniam beneficus & benig-

21. *Obiect.* nus Galenus satis multas inter dis- E bi præsentia non indiget. Verum, *Refutatur.*
putandum patienter accepit injurias, ut ex libro primo de elementis
Cap. 6. constat, his perversis hominib. scelerис pœnam largiter remittet: mihi verò licentiam permittet contra ejus dogma probabiliter disputandi. Nam duæ difficultates mihi supersunt, quæ me vehementer ad objectandum provocât. Recordor me libro de differentia morborum Comitem Montanum præsisse, atq. argumento de oculi colore ursisse, q̃ in ictericis obstructione, vel inflammatione curata plerunq. persevereret color, immò sine morbo præcedente non rarò flaveat universum corpus. Ergo utamur hic eodem argumento, nam, si omnium consensu flavus corporis color symptoma est, atque nonnunquam morbum effugit, sanè nó erit morb. omnium symptomatum causa.

Aliquorum Solutio. Nonnullos audio respondentes colorem illũ absente morbo symptoma non esse, cum à morbo nõ dependeat, sed tantum accidens in la-
Refutatur. titudine sanitatis. Veruntamen manifestè præter naturam est, ergo vel morb. vel morbi causa, vel symptoma, morb. non est, minus causa, symptoma igitur.

Alia solut. Dixerunt alii post sublatam obstructionem colorem nomen symptomatis conservare, quemadmodũ
11. *Metho.* *cap. 10.* febris putrida, cujus post evacuatos humores putridos, quod factum est refrigerat Gal. Tamen, si putrida est,
Confutatur non omninò sunt projecti humores putridi, si radicitùs extracti, non est putrida, cujus propria curatio alteratio non est. Galenus autem, potiùs quam rationem secutus est sensum, qui post sanguinis missionem, & sufficientem purgationem, cum magis urgeat refrigeratio, quam evacuatio, in alterationem incumbit, H tametsi remaneant aliqui humores.

Alia solut. Respondebat Petrus Garcia (nam etiam hac de re fuit sermo inter nos) necessarium non esse omne symptoma ita procedere à morbo, ut eo præsente fruatur, sed satis esse processisse. Vnde actio læsa cum pendeat ex vitio principij vel instrumenti, à morbo præsenti perpetuò fluit: at qualitas mutata mor-

Altera tandem celebris est, sed 22. Obiect.
spinosa objectio. Tametsi enim multa dixerimus de dolore, verum F
quem morbum sequatur nondum est deliberatum. Est autem dolor actio læsa depravata & aucta, agens ergo adesse oportet, per quod agatur. Sanè, cum mihi se obtulit hæc difficultas, continuò exhorrui: rursus, cum non legerim auctorem, qui ad eam dissolvendam applicaverit animum timui vehemẽtiùs. Et si verò libro, qui hunc proximè succedit disputaturus sum de causis doloris, quò possem prorogare hujus nodi solutionem: enimverò, tum ut solvam debitum huic quæstioni, tum quod inter hoc genus causæ, G quod nũc perquiro, atque alterum, de quo deinceps, plurimùm interfit, constitui sequẽti quæstione, morbum, quem sequitur dolor diligenter inquirere & perlustrare: prius tamen objectionibus propositis satisfaciendum, quarum sanè ferè omnium miserabilis ignoratio artis vera & aperta causa est.

Nam Gal. in toto eo libro de optima secta ad Thrasybulum nusquã 1. Solutio
& nunquam scripsit, Symptomata non provenire à morbo, sed morbos varia symptomata producere ait, pro varietate causarum, locorum affectorum, facultatum, ægrorum. Hac de causa phlegmone rubet, oedema pallet, & cum in pleura est, respirandi adfert difficultatem, in pede non hanc, sed incessum lædit, facultas remedia mutat, ut etiam ægri natura. Quinimmo à causa desumitur genus, & qualitas remedii, à parte affecta utendi modus, à facultate quantitas, ex natura ægri venimus in cognitionem idiosyncrasiæ, atq. multarum proprietatum. Quamobrẽ Gal. lib.

tertio

tertio methodi medendi docet *remediorum inveniendorum initium ex morborum ipsorum natura sumi*, & citato
Cap. 1. Cap. 24. libro de optima secta *morbos suam ipsorum sublationem, destructionemque indicare. Quin & ex adhibitis auxilijs,*
Cap. 25. ut subjungit paulo post capite subsequenti, *non morbos, sed causas medelam indicare, agnoscendi facultas dabitur.* Hanc verborum Galeni discrepantiam, si penetrascet adversarius, nō fuisset lapsus per tantum errorem. Nam primæ indicationes, quæ communissimæ sunt, ex morbo desumuntur: propriæ verò à causis, locis, viribus & ægris. Quamvis ergo morbus ad varias causas, partes, facultates, & actiones respectum habeat, omnium tamen symptomatum in illis perpetua causa est.

Quod deinde objicit ex secundo
2. Solutio. de symptomatum causis nullius est momenti, quoniam non dixit Gal.
Cap. 1. motus aliquos depravatos esse opera naturæ nullo existēte morbo, sed aliquos motus esse opera naturæ quæ à morbo fit irritata, & ab aliqua morbosa causa violenter movere coacta. Nam hujusmodi motus depravati, ut motus convulsivus, morbum immediatè consequuntur, licet naturæ tribuantur, à qua ita manifestè procedunt, ut nullum aliud agens ad illos concurrere videatur, quemadmodum ad alios, qui & morbo, & naturæ tribuuntur, cujusmodi sunt torpor, & tremor.

Minus officit, quod deinde sequi
3. Solutio. tur desumptum ex tertio libro.
Cap. 1. Nam immodica ciborum quantitas nullam habet cum ventriculo proportionem, quemadmodum fructuum ossa, quæ transmutare ventriculi munus non est. Vnde cum ventriculus nequit concoquere multam copiam alimentorum, non peccat sua culpâ, sed impotentiâ quadam, quæ symptoma non est, cum illi naturaliter insit. Addo præterea immoderata ciborum quantitate naturalem ventriculi calorem languescere & debilitari, ut ignis ab ingenti lignorum copia, quo extincto manifestum est ventriculum intemperie frigida laborare, atque à solito scopo aberrare. Rursus prava alimento rum qualitas etiam vitiat coctionem. Nam alimenta, sive sint plus justo calida, vel frigida, crassa, acria, glutinosa, aut venenata qualitate prædita, ut fungorum aliqua genera, perpetuò in ventriculo gignunt intemperiem á qua depravatur illi⁹ concoctio.

Quod autem Gal. eodem libro
4. Solutio. Cap. 2. paulo post subjungit nempe symptomata intestinorum, nō solùm per intemperies, vel tumores præter naturam, sed etiā per excrementa evenire, omnia reducūtur ad morbum. Nam excrementa, cū putrescunt, vel cum multa, vel crassa, & viscida sunt, obstructiones frequētissimé gignūt: etenim tametsi omnia symptomata intestinorum sint morborū effectus: attamen Gal. voluit morbi etiā causas explicare, quæ similiter, ut morbi, causæ symptomatum sunt, verum interjectione morborum: quia curatio variatur ob varietatem causarū.

Libro quinto de sympli. med.
5. Solutio. fac. dixit Galen. dari imbecillitates absque morbo, ut visus hebetudo, atque medicamenta, quæ roborant facultates, quin affectum ullum tollant, quæ imbecillitates propterea symptomata non sunt. Sed objiciet
Objectio. Cap. 4. nobis aliquis, secūdo methodi scripsisse imbecillitates semper fieri ob aliquod vitium, cujus sublatione tollitur debilitas. Respondemus lo
Solutio. cutum fuisse Galenum de imbecillitatibus, quæ pro illarum causis postulant curationem: sunt tamē haud dubiè aliæ imbecillitates sine morbo in latitudine sanitatis, quibusdam naturales, alijs convalescentib. ex morbis etiam integré solutis, quæ quidem debilitates non sunt symptomata nec postulant curationem, sed refectionem, ad quem usum utilia sunt, quæ ab actionibus partium nomen accipiunt: ut oxidorciæ facultates ad visum, oxicoæ ad auditum.

In timore tum spiritus, tum san-
6. Solutio. guis intrò ad ipsum cor abducitur & contrahitur, atque unà partes externæ refrigerantur, exangues fiunt, & pallescunt. Præterea cum caloris, & spiritus fiat motus ad interiora, & facultatis robur dissolvatur, minimos & maximè debiles pulsus

fieri necesse est, cum ad exteriora non redeat calor, sed magis semper ac magis extinguatur, ut nonnulli propter subitum timorē mortui sint. Quæ, cum ita se res habeant, timorem intemperie frigida sustentari & confirmari solis luce clarius est. Dices videtur intemperies timorem subsequi, non intemperiem timor. *Obiectio.* Respondemus, præcedit animi perturbatio, quæ res non naturalis est, sed quando timor, ut symptoma confirmatur, intemperiei soboles fit.

Iam syncopi semper antecedit morbus, sed ad maiorem rei explicationem Gal. syncopis causas ad duas reduxit, intemperiem & spirituum corruptionem & resolutionem, quæ vel ab intemperie, cujus causa, tum manifesta, tum occulta potest esse, vel à morbo instrumentali, vel communi originem trahunt. Nā intemperie calida spiritus resolvūtur, frigida extinguntur, multitudine humorum suffocantur, ut in principiis accessionum, atque in venarum interceptionib. de quib. Gal. *Com. 23.* quarto de ratione victus. Intemperies verò partis principis, & præsertim cordis syncopes causa est, quantumvis sit exigua, & subito facta, cum non modo spiritus alteret, sed etiam dissipet ac corrumpat. De solutione continuitatis similiter dicendum est, quoniam spiritus disperdit ac dissolvit.

Nec pro certo habeo, quod partes acutissimo sensu præditæ symptomata patiantur absque morbis: illud tamen mihi persuadeo easdem intemperatas, vel ab aliquo humore acri & mordaci captas, demissè passuras, si perspicaci & subtili sensu illo carerent. Nam quia exquisitissimo sensu pollet os ventriculi, morsus ejus, & dolor animi deliquium parit, quod non excitat in pede molesta sensio. Vnde sensus acutus sine morbo nullius symptomatis causa est.

Porrò rigor & horror sequuntur humores acres, qui per corpus feruntur, & naturalem facultatem irritant. Quamobrem intemperiem comitantur, quæ illos genuit humores, vel continui solutionem, cum lacerant carnes & stimulis fodiunt.

Vertigo autem est actio læsa scilicet depravata imaginationis, quæ rem quietam circumvolvi judicat. Quod symptoma sequitur aliud, quod est vitium excrementi, ex quo diminutus calor producit spiritum flatulētum, morbus autem hujus symptomatis causa est intemperies frigida.

Amor verò, qui jam indiget curatione melancholiæ morbi differentia est: ecce morbus, aliàs animi perturbatio, sed cum corpore communis, quare symptoma non est, sed res non naturalis.

Tandem incantationibus quodam morbo afficiuntur instrumenta, quæ actionum causæ sunt: etenim non aliter in suis actionibus impediuntur frigidi & maleficiati. Hac eadem ratione fascinatio (si tamen vera sunt, quæ de ea dicuntur) malè afficit corporis partes, illarumque actionibus officit, & obstat. Sed contra contumacem insuperiores, atque in æquos & pares fastidiosum, satis superq. dictum arrogantes corrigamus.

Primò dicendum, non omnes actiones læsas imminutas, vel abolitas esse symptomata, sed eas tantum, quæ præter naturam sunt, atq. harum nullam ratione rei objectæ, sed ratione facultatum, vel nostri corporis partium. Vnde cum res objecta non respondet proportione facultatibus aut partibus, quæ sunt actionum causæ, atq. hoc solo incommodè fiunt, neque præter naturam, neq. symptomata sunt, sed imporentiæ naturales. Nam secundum naturam fit, ut neque humeris turres portemus, neque lapides, vel prunorum, ceraforum-ve similiūq. fructuū ossa conficiamus: *si enim*, Gal. inquit, *humani ventriculi officium esset acinos transmutare, accusaremus ob hoc, ventriculi corpus, ipsumque vitiatum putaremus: cum verò id sui muneris non sit, sed acinorum essentiæ accidat, ut concoqui nequeant, ob naturæ dissidium, non ab re dicemus hos quidem non esse coctos, ventriculi verò corpus naturaliter se habere.* *Lib. 1. de loc. aff. c. 4*

Cum verò aliqua alimenta pravè

cocta corrumpuntur in ventriculo, intemperiem gignunt similem ei, per quem corpus laborat cacochymia, à qua deinde nascuntur symptomata, ructus pravi, & aliorum ciborum & succorum infectio.

Si quis vomit sine morbo, immisso in os digito, vel penna, is nullum patitur symptoma, sed naturæ irritationem à causa externa, ac si per sedem immissa glande exoneret alvum. 15. Solutio.

Grande pondus commovet dolorem, qui attrahere solet, ut præterito libro docuimus, unde tumor, qui, si ad tantam magnitudinem pervenerit, ut actionem lædat, morb. est, sin autem, symptoma intemperiei cum fluxione humoris. Libro verò secundo de causis pulsuum docet Gal. pulsationis instrumentum vitiari uno é trib. modis, compressione, obstructione & replesione. Comprimitur arteria, quando aliqui humores obsederunt, & repleverunt spacia, per quæ movetur, quos dum facultas expellere studet, variis motibus movetur arteria. Comprimitur etiam à corpore extrinsecus adhærente, vel à tumore aliquo præter naturam, vnde magna inæqualitas, quæ quidem ex vitiata formatione instrumenti originem ducit. Ecce nusquam symptoma sine morbo. 16. Solutio.

Ex obstructione, qui morbus est, oritur prohibita ventillatio, ex hac putredo, ex putredine fœtor: fit enim hoc sæpissimé, ut quædam symptomata mediis aliis ex morbo nascantur. 17. Solutio.

Linguæ deinde sapor salsus, vel acidus symptoma est ejus intemperiei á qua pituita salsa, vel acida genita est. 18. Solutio.

Color pallidus cutis, aut fit ab obstructione, quæ morbus est in meatu, aut à facultatis hepatis alteratricis, aut attractricis vesicæ fellis, vel membrorum imbecillitate, quæ ab intemperie fit. Quare nullum est symptoma, quod morbi soboles non sit. 19. Solutio.

Deinde non omnis actio præter naturam dicitur à medicis actio læsa, symptomaque constituitur, sed ea tantum, quæ sit, vel apta est fieri ab aliqua parte nostri corporis. Vnde Gal. in enumeratione symptomatum, quæ consistunt in actione læsa, perpetuò recenset ipsas partium facultates, ergo quantumvis illa actio, qua causa producit morbũ, sit præter naturam, illi tamen deficit ratio actionis læsæ. 20. Solutio.

Objectioni decimæ nonæ satisfeci quemadmodum omnes doctores communiter scribunt: attamen, cum vigesima prima graviter urgeat diligentiùs respondendum est. In cujus solutionem rectè nos induxit Gal. iis, quæ dixit libro de differen. morb. & quæ docebit cap. sequenti, cum demonstrabit colorum differentias omnes à morbis nasci. Nã vel ab obstructione ducunt originem, ut jecoris in morbo regio, vel ab humore, qui ad aliquam partem fluxerit, atque ab eo dupliciter, vel qualitate intemperando, vel sua corporatura numerum particularũ augendo, quamvis intemperiei tãtum meminerit Gal. quoniam plerunq; fit Quod partium naturalis calor vitietur intemperie, manifestum est: quod autem humoris præsentia numerus augeatur, exemplo sit vitiligo, quæ est vitiosa & foeda macula in corporis cute apparens, sine manifesta cutis asperitate, sine squamis, sine exulceratione, & sine tumore, ex improbo sanguine, aliàs pituitoso, aliàs melancholico excitata. Ἀλφὸς dicitur ex eo, quod colorem immutet, quoniam immutare apud veteres ἀλφοῦν dicebatur. Quãobrem symptoma fuit definitum, quod solum morbum necessario sequitur: si vitiatus color est symptoma ex necessitate morbum aliquem subsequi debet. Profectò sequitur, nam inducta obstructione, vel nonnunquam sine ea, per venas dilapsa bilis in omne corpus diffunditur, ac tandem quiescit sub cute, quam inficit, atque suo colore tingit. Veruntamen addita illa substantia præter naturam morbum constituit in aucto numero, actione sq. lædit, ut nutritionem, & naturales alias. 21. Solutio.

Postrema difficultas tanta est, ut neminem legerim, qui solutionem illius aggredi ausus sit, nedum cumulatè satisfacere. Quinimmò per 22. Solutio.

literas cũ doctis viris hac de re collocutus sum, enixè postulans hujus difficilis nodi expeditionẽ, qui quidem, licet multis, tam pauca rescripserunt, ut visus sim, me, ut in proverbio est, scopas dissolvisse. Quamobrem, utcunque fuerit, quæ per se postulat hæc controversia, dicere aggrediamur, atque in hoc labore nos frangamus, quem, si aprobaverit Deus, qui ex nihilo cuncta excitavit, fortunæ rotam non pertimesco.

QVEM MORBVM sequatur dolor.

QVÆSTIO. XLVI.

INSCRIPTIONE hujus quæstionis lecta, quamprimùm occurret cuiuslibet animo illa magna controversia dissentionis plena de causa doloris, quam nos ad primum librũ de symptomatum causis prorogavimus: eo enim libro, ubi de symptomatis, quæ tactum vexant, sermo est, optimo jure perquirũtur tactus objecta, in quib. numerantur causæ doloris: hoc verò loco, in quo non sensuũ objecta, sed symptomatum unicuiq. propriam & proximã causam investigamus, aliud causæ genus inquirimus.

Opinio Segarræ. Iacobus Segarra nullam aliã causam doloris agnovit præter continui solutionem, quæ, si loquamur de certo genere causæ, sana opinio est, ut libro sequenti confirmabimus.

Refutatur. Attamen in hanc difficultatem incurrit, quæ magna est. Nam continui solutio est duplex fiens & facta, fiẽs nondum morb. est, facta quidem jã morb. dolor autem non factam, sed fientem sequitur solutionem. Quoniam, ut Hipp. docet, *his, quib. natura alteratur, & corrumpitur, dolores excitantur*, qua voce, *corrumpitur*, celeritatem simul ac magnitudinem mutationis indicat, quib. subjungit Gal. *Videntur autem ea quæ contendunt, & tendunt, dolorum esse causæ, quemadmodum etiam, quæ pungunt, & secant*: attamen non inferunt dolorem nisi dum agunt, *neque enim postquam aliquid sectum, & ruptum est, dolor infertur, sed dum fit sectio, eo tẽpore dolor fit*: huic difficultati satisfacere debet Segarra.

Lib. de lo. in homine. 1. de symp. cau. cap. 6.

Evasio. In commentarijs manu scriptis respondebat, id esse peculiare dolori, ut continui solutionis partes fientes sequatur, eique sufficere ad hoc, ut symptoma sit, & dicatur, quod in ea alteratione, vel mutatione, quam sequitur, sit aliquid facti, quod quidem morbus est, ratione cujus dolor symptoma denominatur, etsi potissimùm sequatur partes fientes.

Confutatur. Quæ quidem acuta responsio est, verũ adducta contra principia Philosophiæ: est enim impossibile, quod partes fientes agant, doloriſq. sint causæ. Nam, ut docuit Aristoteles, & ratio vim infert, quod agit, quatenus agit, jã actu est, ut calfacit, quod actu calidum est: quod autem fit, quatenus fit, potentia est, non actu, sed in actum tendit. Quare partes factæ solutionis continui, quæ omnium consensu morb. est, actiones lædunt: fientes verò, cum in eo interim spacio temporis solutio cõtinui adhuc morb. non sit, nondum quidquã lædere possunt. Iam cum ante omnium oculos positum sit, dolorem subsequi partes solutionis fientis, ac tantum eo tempore, quo natura corrũpitur, proculdubio dolor aliam efficientem causam sectari, & insequi debet, quæ fixo & fundato statu, potiatur.

Lib. 8. phy. cap. 4.

Quamobrem constituendum est aliter esse: ut autem hæc succedant nobis ex sententia, nonnulla separatim notanda sunt.

1. Fundamentum auctis. Lib. 1. de u tu, & intritu c. 10. Lib. 4. meteo. cap. 1.

Primum sit, tum mistionẽ esse corporum alteratorum unionem, tum simplicem & naturalem mistorum generationem esse humidi & sicci partientium à calido, & frigido dominatum tenentib. terminationem & conjunctionem, ut inde colligamus naturam mirificè solicitam esse de partium nostri corporis unitate, & continuitate. Quam, ut custodiret ac defenderet, animali b. indidit sensum tactus, atq. in totum corpus dispersit, utpotequi, si fortè vehemens sensibile accesserit (quod solum partes corrumpere, ac dividere potest) cõtinuò

tinuò defensionem susciperet, appetituiq. sensitivo jacturam, & detrimẽtum denunciaret, qui lacessitus, & irritatus, impulsusq. à facultate superiori, refugeret, & mediante parte afflicta, tanquam instrumento usus, objectum aversaretur, in qua aversatione & actione, ut retrò diximus, consistit dolor.

2. Fũdam. Nam facultates vel potentię trib. utuntur instrumẽtis ad suas actiones exercẽdas, quæ sunt tres animalium compositiones, de quib. Gal. lib. de Cap. 3. diff. morb. Facultates naturales utuntur prima compositione, quod temperamentum est. Animalis princeps, motrix, visiva, olfactoria, gustatoria, & auditoria secunda quæ structura organica dicitur: tactrix verò tertiâ compositionem usurpat, & frequentat, quæ ad totum corpus pertinet, ac nominum penuria utriusq. partis communis dicitur continuitas. Quoniã, ut citato libro diximus, ex cohęrentia corporum simplicium fit continuitas partium similarium, ut ex harum unione & conjunctione contiguitas instrumentorum, quæ tertiâ compositio, & partium cõtinuarum dispositio actionib. utrarumq. partium usum præstat: cum vero solvuntur, & dividuntur partes, vitiosa redditur atq. partium earundem officit actionibus.

3. Fũdam. 3. Compositio triplicit. differt a 1. & 2. Sed explicemus quo modo à constitutionib. tanquam à proximis causis profluant actiones, unde constabit triplex discrimen, quod est inter hãc tertiam compositionem, & duas priores, dicamus prętera qua ratione à sua causa efficienti procedat dolor, atq. ita evidenter, ut res coram geri, non commemorari videatur. Ventriculus secundum naturam se habens bene concoquit; sed egreditur è jecore calidus aliquis humor, qui ventriculi caliditatem immodicè augeat, statim ventriculus chilum vitiosum generabit. Ecce calidi humoris calor, facultas cõcoctrix, temperamentum, calor ventriculi, atq. ventriculus ipse ad hanc lęsam actionem concurrunt. Humoris calor intemperiei causa est: facultas actionis ac generationis chili prima causa, temperamentum mutatum forma, & agendi ratio, ex ventriculi calore, A tanquam ex materia oritur temperamenti mutatio, sed ventriculus est, qui agit, tanquam suppositum, cujus est actio & passio. Prætera oculus secundum naturam se habens benè videt, sed adnascatur pterygium, à quo depravata visio, ad hanc concurrunt substantia pterygij, facultas visiva, oculi structura, numerus additus, oculus. Pterygium causa morbi est, facultas prima causa visionis præter naturam, oculi structura variata forma quędam, & ratio videndi præter B naturam, numerus auctus, ex quo tãquam ex materia orta fuit structuræ varietas, oculus, qui malè videt.

Primũ discrimen. Tertia verò compositio ministra est & comes reliquarum. Nam quæli bet nostri corporis pars similaris propria facultate, atq. temperamento agit necessarium afferente usum continuitate. Similiter instrumentis dat operam cõtinuitas, & præsto est. Siquidẽ manus apprehendit & constringit sua facultate & compositione organica, cui magno usui est contiguitas: atverò, cum acutũ aliquod C manum pupugerit & gravissimè afflictaverit, lędituꝛ apprehensio. Atq. hæc est prima inter duas priores & hanc tertiam differentia. Nam temperamentum, & structura organica & secundum, & præter naturam se habẽtes, semper actionum causæ sunt: tertia verò compositio, cum secundum naturam se habet, usum tantum præstat: cum verò præter naturam, morb. est, & actiones lędit. Quandoquidem, quæ usum præstant, si actionem lædunt media affectione partis principis, causæ, si verò primò & per se, morbi sunt, Galeno docente. *Lib. de diff. morb. c. 6.*

Secundum discrimen. D Enimverò licet duæ priores compositiones tertiam vincant, eo quod in quolibet statu sint agentes, & hæc tantum in statu præter naturam: in eo tamen ipsa longè multumq. superat alias, quoniam lędere potest omnes actiones aliarum, ac prætereà sola dolorem commovere, ad quem alię duę nequeunt pervenire absque ope atque auxilio tertię, quę altera inter duas, & tertiam differentia est.

Tertium discrimen. Tertia verò differentia sit dispar & dissimilis illarum generatio. Cum è jecore defluxus calidus humor obscuré

curé agebat sensimq. augebat calorem naturalem ventriculi, tunc intéperies adhuc erat infieri, vétriculiq. actionem aliquantulùm offendebat, quo tempore intemperies, neq. etiã tum facta, morb. erat, neq. eodum ventriculi actionem lædebat manifestò. Insuper, cũ tantulum crevit pterygium, ut vix læserit visionem, oculi structura, & cópositio adhuc morb. non fuit, sed cum actio manifestè ipsa. Longé secus se habet tertia compositio, quoniam tactus objectũ illam compositionem corrumpens vehemens, & effrenatum est, atq. ut impetum incõpositionem fecerit, continuò sentientis partis actio manifestò læditur, dolorq. fit, quãtumvis solutio corruptio, & divisio nihil facti habeat, sed tantum infieri consistat, atq. solus motus sit.

Auctoris assertio.

Asserẽdum igitur est tertiam compositionem partium nostri corporis præter naturam vitiatam esse morbum, quem sequitur dolor. Intelligo tertiam compositioné, unitatem, & divisam continuitatem in partib. similarib. & contiguitatem in instrumentis: sic enim hunc morbum aplamus nomine materiæ, quia proprio caremus: quemadmodum enim dicitur intemperies calida, & morb. in numero ex materia, & ex caloris ac numeri excessu, sic tertia compositio, cum pars dividitur & corrumpitur, dicitur solutio continui nomine materiæ, cum corrumpitur dixi, quo distinguitur tertia hæc morborum differentia dicta cõtinuitas præter naturam, ab alijs duab. differentijs, quoniam intemperies & structura vitiata nondum morbi sunt, donec materies illarum, ut calor, & numerus, eò creverint, atq. ad illum terminum pervenerint, ut actio manifestò lædatur, quam tantum assequuntur illarum partes factæ, non sientes. Verũ continuitas quamprimùm præter naturam redditur, illiusq. materiæ partes dumtaxat sientes insolenter invadunt, statim affectus præter naturã, qualitasq. permanens, & veré morb. est, licet infieri tota consistat solutio, quia continuò conqueritur sensus, atq. ad appetitum querimonias defert, tanta est de unitate partium naturæ solicitudo.

E

F

G

H

Observatio.

Hoc subodoratus est Segarra, cum observavit, dolori esse peculiare, ut solutionis continui partes sientes sequeretur. Sed, cum malé odisset in morbo compositionem, formam, & materiam in eo ferre non potuit.

Veruntamen nihil habet dubitationis, quod quemadmodum intemperies calida secũdum naturam, quę sanitas, est affectus & qualitas permanens, eademq. præter naturam facta actionem lædit & morb. est, sic tertia compositio, scilicet continuitas soluta, & præter naturam reddita, cum manifestò lædat actionem, similiter morb. Discrimen est, quod eadẽ intemperies, cũ calor erat in solo fieri, adhuc nõ erat morb. quandoquidem ex solo illo fieri, nulla manifesta læsio: atverò continuitas dum solvitur, & in solo fieri consistit, ob vehementiã solventis, actionem lædit, & dolorem inducit. Ergo tertia compositio soluta continuitas dicta formaliter sumpta affectus, & qualitas permanẽs est, doloriſq. causa, quamvis materialiter, in illo, inquam, tempore, & actu imperfecto, sit in puro fieri, quod tactus objectũ nempe causam dolorificam ad potẽtiam introducit.

Obiectio.

Nunc diluamus objectionem, quã in nostro theatro á summis doctoribus propositam millies audivi. Dolor est symptoma: sed dolor non sequitur morbum, ergo non omne symptoma sequitur morbum, quare morb. ipse omnium symptomatum causa non est. Probatur assumptio. Dolor tum tantum adest, dum fit, tunc autem fit, cum sensus tactus vehemens objectum solvit, ac dividit partium continuitatem: sed tunc nullus morb. adest, dolor igitur non sequitur morbum. Patet propositio. Nam, ut docuit Hipp. dum alteratur, & corrumpitur natura dolores fiunt: atq. ut observat Gal. dolor perpetuò habet positam suam essentiam in fieri, semperq. pendet á divisione, quæ fit, non autem ab ea, quæ jam facta est. Vnde, qui hectica febri laborant dolore vacant, cum cessaverit alteratio, & corruptio, atq. calor æqualiter fuerit introductus in omnes corporis partes, siquidem ab inę qualitate nascitur pugna, unde dolor,

Li. de loc. in homin.

Lib. 1. de caus. symp. Cap. 6.

Cap. 5. lor, ut libro de inæquali intemperie legimus. Assumptio verissima est. Nam tantùm morb. adest, quando cessat id, quod solvit, ac divisit, permanetq. affectus in parte, quæ perpessa est: sed cum tactus objectũ solvit, ac dividit partium continuitatem, solum pathema viget, nullus existit affectus, tunc igitur nullus penitùs morbus adest. Ecce absq. morbo insigne symptoma.

Solutio. Difficilis hic nodus expeditus & solutus est, cum exponeremus discrimen inter hanc tertiã nostri corporis compositionem, & alias duas priores. Nam licet omnes, ut morbi sint, debeant lædere actiones manifestò: tamen hoc interest, quod ad manifestam læsionem actionum materies primæ ac secundæ compositionis requirit aliquas partes factas: ultimæ verò solum fieri, alterari & corrumpi materiæ nempe solutioni, satis est, propter vehementiam objectorum tactus, quæ, ut primùm insultant, & invadunt, acerrimè cruciant. Intemperies calida, cum omninò calor secundum naturam se habet, sanitas est, & bonas edit actiones: cum excedit calor, sed nullas adhuc, vel quam minimas partes factas habet, intemperies, etiam tum sanitas, aliquantisper vitiat actiones, sed non manifestè: ubi verò calor perspicuè acquisierit factum esse præter naturam, intemperies actionem lædit manifestò, & morb. est. De compositione organica mutatã ex conformatione, numero, magnitudine, vel situ idem est judicium. Attamen tertia compositio morb. evadit ex solutione, dum fit, quando quidem ab ea sola, dum, in quã, fit, offenditur tactus, & refugit appetitus, cujus aversatio dolor est. Quamobrem objectionis omnes assumptiones falsæ sunt, postremi etiam syllogismi propositio falsissima. Nam toties tertia compositio morb. evadit, quoties pars dolore corripitur, quod quidem contingit, quotiescunq. vehemens sensibile dividit, non autem cum dividere cessaverit, quia tunc remittit se dolor. Ergo falsum est solum adesse pathema, cum solutio & divisio fit: immò tunc partem affectu gravi urgeri est credendum, quando graviter A pungit dolor, qui semper sequitur morbum, scilicet tertiam partium utrarumq. cõstitutionem præter naturam, quæ nominum paucitate dicitur solutio continui. Hæc de sola doloris efficienti causa dicta sint: quam verò habet formalem, ut dicunt, extrinsecam, scilicet objectum sensionis dolorificę, libro primo de causis symptomatum investigabimus.

ARG. CAP. VI.

Tres differentias excretorum, aut retentorum tradit, nam à naturali B statu recedunt, vel tota substantia, vel qualitate, vel quantitate. Nec satis esse docet, ut excretio, vel retentio considerentur, sed etiam modus & tẽpus, ne opera naturę pro symptomatis falsò habeamus.

CAP. VI. Tex. 22.

QVAE verò, vel à corpore excernuntur, vel in eo præter naturam detinentur, ea quoque in primas treis diducuntur differen C *tias. Vtique aut totis substantijs, aut qualitatib. aut quantitatib. à naturali statu egressa. Succedunt autem omninò morbis, vel continenter, vel alijs symptomatis intercedentib. Siquidem sanguinis profusio toto excretæ substantiæ genere præter naturam est. Ea verò, vel vulnerato, vel perrupto, vel ore temere recluso, vel eroso* D *sanguinis vase incidit. Porrò horum vulneratio, ruptio, & eresio proprij similarium partium morbi sunt, recluſio instrumentalium, quæ ipsa modo ex complectendi functione imbecilla, modo expultrice immodicè cõstitata, modo ambab. simul læsis, ortum habet. Simili-*

mili modo fluxus muliebris, vel propter jam dictarum actionum symptomata fiet, vel quod totus sanguis tenuis, serosusq. est redditus. Est verò & id symptoma, cujus etiam multiplex habetur ortus. Est nanq. vel sanguificæ virtutis, vel ejus, quæ tenue, & serosum separat, vel ejus, quæ excernit, operis frustratio. Incidere autem aliquando potest, & retentrice ipsa immodicè opus suum urgente, & cute ipsa spissata, & renib. occlusis. Adeundem modum & sudores immodicè digeri, vel indebitè retineri, aut propter cutis, aut propter aliquem dictarũ virtutum affectum, aut ipsam humorum naturam, necessariò cõtinget. Sanè constat, quod in omni hujusmodi sermone, disiunctivis conjunctionib. utimur. Omninò enim cuiq. dictorum symptomatum, una quæpiam est causæ ratio: nihil tamen prohibet duas, & tres, & simul omnes unà concurrere. Non latet autem nec quod dysuria, & ischuria, & stranguria, & quem hydropen invas urinale, alij diabeten, aliqui diarrhoeã in urinam vocant, ex hoc genere symptomatum sint. Iam quod eorum, quæ præter naturam excernuntur, & colores, & odores, morbos necessariò sequantur, nihil opus est ostendamus: si modo nullum taliũ sine intemperie provenit. Patet autem & quod propositum à nobis est, clare esse demonstratum omnem symptomatum naturam E *morbos præcedere: fieriq. nonnunquam symptomatum, quæ deinceps sibi succedant, veluti seriem quandam. A morbo quidem ipso primum, ab hoc verò secundum, dein rursus post hoc tertium, ab isto deinde quartum.*

COMMENTARIVS.

Ecce tandem recta methodo inventa symptomata, quæ ambo, nempe actionem lęsam, & affectum corporis comitantur, excreta & retenta dicta, quæ tertium & ultimum locũ habent, de quib. hoc capite tractat noster auctor, eorumq. tres differentias monstrat. Aut enim toto genere, totaq. substantia, vel qualitate, vel quantitate à naturali statu recedunt. Siquidem hæmorrhagia, ideſt, sanguis fluens è narib. pulmone, ventriculo, alvo, hæmorrhoidib. vel alia parte, toto excretæ substantię genere præter naturã est, ut etiã chylus ex ventriculo ejectus. Qualitate autem præter naturam excreta sunt, quæ excernuntur in aversam conditionem mutata, sive in aliquam infestam qualitatem, vel primam, vel secundam, vel tertiam, ut pro humore benigno acris, vel mordax, pro humore jucundo & suavi, naturaliq. colore imbuto, impensé flavus, viridis, lividus, vel ater, pro excremento naturali odore prædito, foetidus & teterrimus. Ergo cuujusmodicunq. à naturali habitu excretum declinaverit, cum tamen sola substantiã, vel sola quantitate prętet naturam non sit, qualitatis recessum nominare licebit. Quæ vero dicantur quantitate præter naturam facillimé intelligitur, quoniam hæc eandem substantiam, & qualitatem habent cum his, quę secundum naturam è corporib. excerni solent, atq. sola quantitate peccant, ut immodici sudores, & immodicum urinæ profluvium.

Quæ quidem omnia symptomata, ut ait Gal. morbum sequuntur, vel ita claré & manifestè, ut sine interjectione actionis læsæ oriri videantur, vel clam, & abditè, cum scilicet aperte

apertè patet actio læsa, morb. verò ita occultè latet, ut actio læsa sola excretionis causa judicetur. Quæ Ga
Quæst. 44. leni verba retrò sunt explanata.

Quod autem, tum quæ tota substantia peccant, tum quæ qualitate, ac tandem, quæ quantitate morbum modo, quo dictum est, sequantur, ostēdit Gal. exemplo hæmorrhagiæ, muliebris profluvij, ac sudoris, ad quem lotium refertur.

Hæmorrhagiæ nomē apud Hippocratem & Galenum κατὰ ἐξοχήν, ideſt, *mirum immodum* accommodatum est profluvio narium, nam cætera sanguinis profluvia, unde manant, & quā ferūtur, tum etiam definitorum temporum nominibus explicantur: hoc tamē loco pro omni eruptione sanguinis é quacūq. corporis parte facta accipitur. Ergo hæmorrhagia ex morbis manifestò contingit: ex organicis quidem apertione scilicet osculorum vasis: ex similarib. nempe vasis alicujus erosione, vel ruptura, vel vulnere: quatuor enim sunt hæ sanguinis profluvij causæ, docente Galeno. Fit autem vasorum apertio, vel à sanguinis impetu, vel à medicamentis anastomoticis, hoc est, aperientib. de quib. disputavit Gal. lib. quinto de simp. med. fac. Erosio perpetuò fit à prava qualitate sanguinis, & acrimonia. Ruptura vasorum, vel fit à nimia repletione, quæ multūm distendit, vel à casu, vel ab ictu, ac tandem ab his, quæ tensionem vehementem efficere possunt. Vulnus fit à causis externis incidentibus, ut ense.

katexochen.

Lib. 3. de caus. symp. cap. 2. & 8. metho. cap. 2.

Cap. 14.

Aliquando hæmorrhagia, sanguinisq. profluvium sequitur morbum, qui contractus, & demissus vix attenditur, quandoquidem illius actio læsa ita patet, ut profluvij una sola excreti sanguinis judicetur, quando scilicet profluvium sanguinis provenit ex retentrice facultate vasorum imbecilla, & irritata expultrice propter aliquam intemperiem: tūc enim tantum advertitur debilis retentio, & depravata expulsio.

Id ipsum monstrat Gal. in his excretis, quę peccant qualitate, cujus generis est muliebre profluviū, quod maximè differt à menstrua purgatione. Definitur autem à Paulo muliebre profluvium *communis quædam totius corporis evacuatio, quę per uterum fit.* Profluvij autem muliebris qualitas præter naturam, pro varia humoris peccantis natura varia est. Nam, vel manifestò sequitur aliquam intemperiem, ut jecoris, à qua sanguis tenuis, & serosus evadit, ut in hydropicis ob errorem facultatis sanguificę, & secretricis, hoc est, attractricis facultatis renum, & expultricis, ac prę terea retentricis actionem immodicam totum sanguinem retinentis, & cutis densitatem, sudore detento, constipationemq. renum, prohibito urinæ descensu. Vel videtur sequi solam actionem læsam, ut cum sequitur vasorum retentionem imbecillam, aut expulsionem irritatam.

Li. 3. c. 63.

Tandem, quod similiter morbum & ejus læsam actionem sequantur præter naturam quantitate excreta & retenta ostendit, ut sudoris & urinæ. Ergo sudor aut immodicè excernitur, aut indebitè retinetur. Quod etiam symptoma interdum sequitur morbum, interdum, actionem læsam, eo, quo diximus, modo. Sudores immodici sequuntur duplicem affectum, cutis scilicet raritatem, & humorum tenuitatem: nam cum sudores per universum corporis habitum evacuentur, quo rariores, & laxiores fuerint meatus cutis, copiosiores erūt sudores. Rursus cū tenues humores suapte natura ferātur in partes externas, mirandum non est, quod ex humorū tenuitate sudores augeantur, præsertim si humorib. tenuib. plurima fuerit admixta serosa humiditas, quæ sudoris, quemadmodum & urinæ materia est, ut scribit Gal. libro primo de sanitate tuenda.

Cap. 12.

Læsam verò actionem sequuntur sudores immodici, scilicet partium retentionem imbecillam, vel immoderatam expulsionem. At verò sudores immodicè retenti à causis contrarijs proveniunt: sequuntur etiam vel affectum aliquem, vel actionē læsam: affectum corporis, ut densitatem cutis, aut humorum crassitiem: actionem verò læsam, ut excretionem imbecillam partium, vel nimiam earundem retentionem. Quamobrem æstivo tēpore multo sudore manamus, quoniam

quoniam æstate retentio imbecilla est ob caloris nativi dissipationem, & meatuum cutis laxationem & rarefactionem ab externo aeris ambiẽtis calore inductam, tenuitate bilis flavæ juvante, quæ tunc redũdat, præterquam, quod propter fervente calorem liberali aquę potu æstivo tempore utamur: hyemali verò facultates omnes naturales robustiores fiunt, calor nativus vegetior, cutis meatus ab externa frigiditate occludũtur, corporisq humiditates vehementer coactæ, & concretæ sunt, ut difficulter dissolvi possint, atq. in sudores abire. Usus est autem Galenus disjunctivis conjunctionib. quoniam hæc prædicta symptomata interdum ab una dumtaxat causa, nonnunquam à duab. vel trib. aut plurib. fiunt.

Arist. 2. sect. prob. 41.

Similiter urinæ suppressiones, & immodicę excretiones ex hoc genere symptomatum sunt, quia vel sequũtur aliquem corporis affectum, vel aliquam actionem lęsam. Continguntverò sub hoc genere symptomata quatuor, ischuria, dysuria, stranguria, & diabetes. Ischuria est urinæ omnimoda suppressio: dysuria urinę difficilis excretio: stranguria urinæ stillicidium, vel depravata urinæ excretio cum stillicidio, neq. enim pro consuetudine urina redditur in hoc pathemate, sed paulatim & gutatim distillat, assidnaq. adest ad mejendum proritatio. Tãdem diabetes est subita potus omnis per urinas cum magna siti profusio. Eo autem nomine appellatur, quod humor corporis nullo in loco consistat, sed subinde de loco in locũ διαβαίνει, hoc est, pertransit, non aliter quã aqua per siphonem, quẽ διαβήτην vocamus. Vrget enim tunc attrahendæ urinæ inexplicabilis cupiditas, ob quam assidnè bibunt ægrotantes, potũ autem avidè renes attrahũt, antequam etiam in ventriculo concoquatur, quem propter imbecillitatem non retinent, sed talem effundunt, qualis sumptus est. *Cum verò etiã statim transcurrit,* Galenus inquit, *vocatur à nonnullis hydrops in matellam, alij diabetem appellant, alii dipsacon, ideſt. perpetuam sitim, alij urinæ profluvium.* Quoniam *hæc passio talis est, qualis circa alvum la-*

Li. 6 de lo. aff. cap. 3. & lib. 1. de cris. c. 12.

E *vitas intestinorum.* Nam quemadmodũ in lienteria tales dejiciũtur cibi, quales fuerunt assumpti, ita quoq. in diabete talis mingitur aqua, qualis fuit epota, propterea hydrops in matellam, ideſt, aqua in matula dicta est. Quare diabetes proportione respõdet appetentiæ caninę. Nam, *ut canina cupiditas in ore ventriculi consistens, non potente devoratorum pondus sustinere, multa impetuosè ingerere, atq. ea celeriter excernere vogit, ita in renib. quoque serosæ humiditatis cupiditas unà cum virium imbecillitate, & humiditatem assatim attrahere cogit, & ejus deinde inveſi cam excretionem fieri.* Ex quib. omnib. rectè colligit Gal. quod omnium symptomatum tertij generis naturã morbi prędecant, ita quidem, quemadmodum dictum est, ut aliquãdo morbi antecedant ábsq. apparitione actionis lęsæ: frequentissimè verò magnopere advertatur, ac si morb. abesset. Vnde sępe numero fit quædam symptomatum series, quæ post morbum sibi invicem videntur succedere. Nam brevis complexus ciborum in ventriculo primùm fit ab intemperie, hunc sequitur alterũ symptoma, nempe imperfecta cõcoctio. Hoc rursus tertium celer ciborum exitus. Quod subinde quartum sequitur, nimium dejectionis humiditas: atq. hoc postea quintum comitatur, deficiens distributio. Quorum quodlibet à partium constitutione proximè pendere, nullumq. ab alio symptomate, insuperioribus demonstratum est.

Li. 6. de lo. aff. cap. 3.

TEX. XXIII.

VErum hìc attendendum diligenter est, ut accuratè distinguantur ab operibus symptomata: sæpe enim ita similia inter se sũt, ut & symptoma putetur opus, & opus symptoma. Ac nisi quis in hoc sano sit judicio, ex ijs, in quib. ipse fallitur, nostram disputationem calumniabitur. Quippe si naturalium excretionum (sic autem vocant eas, quæ sanis accidunt)

vel

vel quantitatem, vel qualitatem, vel genus ipsum substantiæ, pro scopo sibi proponat, deinde huc intuens, symptomata judicet, subinde fallatur. Quippe sudor aliquando multo amplior, quam pro naturæ modo, vel alvi dejectio, vel urina, ægrotantibus incidit, non solùm nulla actione læsa, sed etiam cum virtutis robore, & providentia de animalis salute. Aliqua enim quamvis etiam toto genere præter naturam sint, veluti sanguinis per nares profusio, vel vomitus, vel sanguinis dejectio, vel hæmorrois, vel aliud ejusmodi, tamen præter naturam adhuc non sunt, si modo temperativè fiant. Fiunt autem temperativè, cum id, quod contristat, expellitur. Stante igitur de quo inter initia convenit (nempe quod symptomata actionum læsiones sint) nihil eorum, quæ ad animalis commodum sint, ex hoc genere symptomatum est: opus nanque naturæ unumquodque eorum potius est, quam læsio aliqua. At alteri fortassis symptomatum generi, quod scilicet præter naturam est affectuum omnia talia subjiciat quispiam: omninò enim divisam esse in quacunque animalis parte venam aliquam, aut earenus recluſam quoad sanguinem, quem priùs retinuerat, profundat, naturalem affectum nō esse. Quamquam hìc quoque alvi fluorem, aut urinæ copiam docere non possit affectibus præter naturam omninò succedere: sanguinis nanque profusiones & vomitiones, toto genere præter naturam esse dicet quis: non tamen aut eam, quæ per ventrem, aut vesicam, aut uterum fit excretionem, toto genere præter naturam esse. Fortasse verò dubitaverit quispiam, & de sudore ceu nec ipse naturæ lege incidat: quippe quod Diocles etiam docere tentavit. Videtur autem dura esse opinio, & præter rerum evidentiam, tametsi eam maximè probabiliter confirmet. Ac de talib. quidem posthac aliquando fortasse agetur, perpauca enim sunt, de quibus ambigitur. De reliquorum verò symptomatum tota multitudine abunde est disputatum: finiendusq. jam hic liber est. Siquis enim exercitatus in ijs, quæ confessa sunt, fuerit, facilius de ijs, quæ in dubio sunt, judicium consequetur.

COMMENTARIVS.

Satis non est, ut excreta & retenta considerentur, sed opus quidem, ut modus & tempus excretionis, vel retentionis animadvertantur, ne decretorias excretiones, & naturæ opera, pro symptomatibus falsò habeamus. Propterea medicū hìc hortatur Gal. ut diligenter ab actionib. operibus-ve naturæ, symptomata discernere discat id-q. nō temerè, quoniam non rarò tantam inter se habent similitudinem, ut actionem, symptoma aliquis putet, & rursus symptoma, actionē. Debet igitur medicus hæc dilucidè ac severè distinguere, quo certa utatur prædictione, atq. probe instituat

curationem. Sunt autem naturales excretiones, quæ sanis corporib. secundum naturam contingunt: eorum verò, quæ in illis excernuntur, vel retinentur, quantitas, vel qualitas, vel totum substantiæ genus accuratè attendenda non sunt. Nam si exquisitè qualitatis rationem habuerimus, perpetuò judicabimus excreta biliosa, vel melancholica symptomata esse, cum talis qualitas in sanorum corporum excrementis non appareat. Præterea, si respiciamus quantitatem excretorum, vel retentorum, frequenter decipiemur, existimantes omnia excreta symptomata esse, quæ naturalem, & solitam quantitatem superaverint, ut sudor copiosus. Similiter, si animadverterimus totum genus excretorũq. substantiam, errore sæpissimè capiemur, reputantes omnia ea excreta symptomata esse, quæ toto genere præter naturam fuerint, cujusmodi est sanguis è narib. effluxus, aut hæmorrhoidib. aut ex ventriculo per vomitum, aut per alvum dejectus: excreta verò à naturali statu egressa qualitate, aut quantitate non semper sunt præter naturam, neq. semper symptomata, sed aliquando secundũ naturam, & naturę actiones. Immo excreta toto genere præter naturam, ut sanguis è narib. effluens, licet perpetuò sint toto genere præter naturam, interdum verò præter naturam non sunt, quod expellantur à natura præclarè operante. Quamobrem rectissimè concludere possumus excretionis, vel excreta metienda non esse quantitate, vel qualitate, totave substantia naturalium excrementorum, sed consentaneis, & congruè tib. naturæ actionib.

Ergo, qui accuratè à symptomatis naturæ opera distinguere ac discernere cupit, is non modo quantitatem, aut qualitatem, aut substantiam eorum, quæ immodicè excernuntur respicere debet, sed tempus, quo excernuntur spectandum est. Nam si tempestivè expellantur, existimandum est eas excretiones naturæ validæ opera esse. Tempestivè autem & oportunè expelluntur, cũ ea, quæ molesta sunt, excernuntur, atque ad animalis commodum contingunt: quæ quidem excretiones symptomata non sunt. Nã si excretiones, quæ fiunt ad commodum animalis, symptomata essent, profectò reducerẽtur ad primum genus symptomatum, scilicet ad actiones læsas, quoniam excretio actio est: atverò hujusmodi excretiones, quæ fiũt ad commodum animalis, non sunt actiones læsæ, sed potiùs naturæ opera, symptomata ergo non sunt.

Objectio. Arbitrabitur tamen aliquis plures excretiones verè actiones præter naturam esse, quandoquidem ex affectibus, & morbis propriè dictis oriuntur. Nam si vena in aliqua corporis parte dissecta fuerit, vel ejus osculum apertum, ut profundat sanguinem, quem antea retinebat, profectò excretionem illam præter naturam actionem, atque morbi symptoma constituemus, nunquam naturæ actionem.

Solutio. Respondet Gal. veré quidem dici aliquas excretiones esse actiones præter naturam, atque adeo etiam symptomata, & nequaquam opera naturæ, quod nimirum morbis succedant, veluti est sanguinis excretio, quæ sequitur dissectionem venæ, scilicet continuitatis solutionem, atque osculi alicujus vasis apertionem, quæ morbus est in conformatione. Tamen nemo ob id alvi fluorem, aut urinæ copiam, affectus præter naturam sequi ostendere potest. Sunt enim criticæ ac judicatoriæ excretiones, quæ non morbi seu affectus præter naturam impetu, sed naturæ potiùs robore fiunt. Quamobrem naturæ sunt actiones, & opera, non symptomata. Quinimmò & sanguinis eruptiones, & vomitiones, licet quatenus ad excretam substantiam attinet, toto genere præter naturam sint: aliquando tamen præter naturam non sunt, quoniam substantiæ molestæ ac noxiæ sunt evacuationes: quemadmodum, quæ fiunt per alvum, vel per vesicam, vel per uterũ excretiones, quæ tamẽ nũquã sunt toto genere præter naturã.

Cujus rei occasione Gal. dubitationem de sudore movet, scilicet utrum secundum naturam fit, an præter naturam. Diocles præter naturam

naturam esse arbitratus est, ut in hoc loco, & prima sectione aphorismorum refert Gal. qui hanc quæstionem intactam, ceu alibi tractandam reliquit, nos verò in controversijs, à rei natura initio sumpto, ita de sudore disputabimus, ut quam proximè ad veri sententiam, Galenique mentem, quoad ejus fieri maximè poterit, accedemus: nunc autem observamus præsentem disputationem magno usui fore multis in rebus, ac præsertim, ut perspectum nobis sit, cohibendas esse, quæ præter naturam fuerint excretiones: nequaquam verò eas, quæ secundum naturam, immo interdum esse juvandas. Nam si quis fuerit exercitatus in his, quæ confessa sunt, facilè consequetur judicium de his, quæ in disceptatione constituuntur.

Com. 15.

EPITOME

Quæ à corpore excernuntur, vel in eo præter naturam retinentur, aut tota substantia, aut qualitate, aut quantitate à naturali habitu recedunt. Sequuntur autem omninò morbos, vel manifestè, vel clam & abditè, ut actio læsa sola illorum causa judicetur.

Hæmorrhagia quidem, id est, sanguinis fluxus tota substantia præter naturam est, quoad excretam substantiam pertinet: nascitur autem vel ex morbis organicis, ut apertione vasorum, vel similaribus, ut alicujus vasis erosione, ruptura, vel vulnere, aut ex symptomatis aliis, ut retentricis imbecillitate, expultricis immodico motu, vel utriusq. noxa.

Qualitate præter naturam est fluxus muliebris, cujus causæ sunt prædictæ actiones vitiatæ, ac præter has totius sanguinis substantia tenuior, & serosa, cujus sex sunt causæ, nempe error facultatis sanguificæ, secretricis, vel expultricis, actio immodica retentricis, densitas cutis, vel renum constipatio.

Tandem quantitate peccat excretio, vel retentio immodica sudoris, urinæ, ut in diabete, stercoris, ut in dysenteria, vel mensium.

Si verò sanguis tempestivè, id est, dum molestat, emittitur, quacunque vacuetur, præter naturam non est illa evacuatio, sed naturæ opus.

CONTROVERSIÆ pathologicæ.

EXAMEN EORVM, quæ capite sexto, & vltimo docuit Galenus.

QVÆSTIO. XLVII.

VLTIMO tandem capite, non minus, quam in superioribus, quæ docuit optimus auctor, diligenter perpendamus, & examinemus, ut eundem omnium hostium copias fugasse, ac fudisse constet.

Primùm, si adhuc hæserit aliquis in illis interpretis verbis, cum ait, *excreta, vel retenta succedere morbis, vel continenter, vel alijs symptomatis intercedentibus.* Hoc errore in posterum liberabitur certior factus, quid sua lingua græca scripserit Gal. atq. id quidem ita esse, ratio, & veritas ipsa convincit. Nam in fine capitis quarti non solum inductione, sed etiam ex ipsa rei essentia demonstrat omnem actionem læsam proximè & immediatè morbo succedere. Quippe sanitas actionis secundum naturam causa est, proximè quidem: nullus enim inter sanitatem & actionē potest imaginari causam aliquam interjectam: sed morb. est partium nostri corporis præter naturam constitutio sanitati contraria, ergo morbus proximare debet actioni præter naturam. Cum igitur hoc capite dixit Gal. sanguinis eruptionem contingere, aut vulnerato, aut rupto, aut erosso, aut recluso vasis osculo, semper actionem læsam, nempe retentionē imminutam, omninò complexum fuisse

1. Obiectio.

Solutio.

asserendum est, sed, cum non advertatur, silentio præteriit.

Miror tamen quid sit, quod fluxus muliebris, ut Gal. ait, interdum sequatur actionem læsam, ut vasorum retentionem imbecillam, aut expulsionem irritatam: interdum verò, eo quod totus sanguis tenuis, atque serosus sit redditus. Nam his verbis docere videtur muliebre profluvium proximè succedere, cum actionibus læsis, tum verò tenuitati, quasi sanguinis tenuitas affectus, & morbus sit. Verùntamen tenuitas morbus non est, sed conditio & dispositio sanguinis à facultate alteratrice jecoris inducta, qua præparatus sanguis fluit incitatiùs.

2. Obiectio

Solutio.

Præterea meminit noster auctor facultatis secretricis, vel segregatricis sanguinis serosi, ut etiam tertio de causis symptomatum, cum tamen facultates naturales ministræ sint tantum quatuor, dicamus ergo quis sit de hac re illius sensus.

3. Obiect. Text. 22. Cap. ult.

Solutio.

Galeni opinio est quatuor tantum esse naturales ministrantes facultates: secretionem verò excrementorum quandam actionem ex attractrice, & expultrice quasi compositam, quoniam post illas duas actiones apparet segregatio, nulla alia actione concurrente, siquidem retentione unius, & expulsione alterius secretio & separatio fit. Dicet tamen aliquis, Galenus quarto apho, secretionem & expulsionem longè disjunctas esse existimavit: hæc enim locutus est. *Siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem*, quæ separatio est, *& postea evacuationem*, quæ expulsio, *ut bona sit crisis.* Respondeo nomine discretionis non intellexisse Galenum actionem alicujus facultatis, sed separationem, quæ optimi humoris attractione, & expulsione vitiosi perficitur, cui separationi actio alia opus non est.

Obiectio. Com. 22.

Solutio.

Demum illud perquirendum & investigandum est, quid voluerit significare Gal. cum dixit aliquas excretiones *ægrotantibus incidere, non solum nulla actione læsa, sed etiam cum virtutis robore, & operis* providentia *de animalis salute*: Copus & Germanicus interpres præmeditationem vertunt.

4. Obiectio. Pronoias.

Pronoia provisio est, scilicet vis perspicacis animi, qua solertia, & rerum peritia futura prævidet, & quodammodo prædivinat, antequã facta sint, ex antecessionib. consequẽtia eliciens. Hinc M. Tullius, providentia, inquit, est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. Hoc tamen loco non ita à Galeno provisio, sed eam providentiam intelligit, quæ incita & instillata primitus à natura partibus omnibus uniuscujusque animantis inest, non quæ cogitatione & ratiocinatione fit, de cujus efficienti causa præterito libro nos diximus latiùs.

Solutio. Pronoia.

Quæst. 18.

VTRVM SANGVINIS profusio toto excreta substantiæ genere præter naturam sit.

QVÆSTIO. XLVIII.

QVOD sanguinis profluvium sit toto genere præter naturam, non tantum bis scripsit hic Gal. sed etiam libro defectis ad eos, qui introducuntur, & libro tertio de symptomatum causis. Verum in principio hujus capitis dixit sanguinis *profusionẽ toto excretæ substantiæ genere præter naturam esse*, cujus quidem additamenti occasione in magnam difficultatẽ incurrimus. Nam, si sanguinis profluvium esset toto genere præter naturam, ratione excretæ substantiæ, profectò sanguis excretus esset toto genere præter naturam: sed sanguis est nobis maximè familiaris, ergo sanguinis profusio ratione excretę substantiæ non est toto genere præter naturam.

Cap. 9. Cap. 2.

Objectio.

1. Opinio.

Propterea voluerunt nonnulli delendas esse duas illas dictiones *excretæ substantiæ*, atque sanguinis profusionem toto genere præter naturam tantum dicidebere, ut Galeni sententia libera, & expedita

dita ex variis judicibus evaderet, arbitrati sunt.

Qui tamen non sunt exaudiendi. *Refutatur.* Nam, cũ hoc loco noster Gal. egisset de substanta, quæ excernitur, vel retinetur, erat profectò meliusculè speciatim, quã generatim præceptũ tradere..

Dixerunt alij profluvium sanguinis, quo ad substantiam excretam esse toto genere præter naturam, non ratione excretionis, vel rationе loci, per quem fit excretio, sed ratione causæ efficientis, quæ quidem est totum genus morbi, nempe triplex, similaris, organicus, & communis, quos omnes solet sequi sanguinis eruptio, intemperiem, à qua mordax, & erodens humor, apertionem vasorum, & continui solutionem. Quare, cum sanguis excerni possit propter omne morbi genus, hinc dixit Gal. profusionem sanguinis esse toto genere præter naturã. *2. Opinio.*

Sed hæc interpretatio in hac disputatione nullo usui est. Nam desumere nomen hoc excretum, atq. dicitora substantia præter naturã, quod, vel ex uno morbo, vel ex multis oriri possit, parvi refert. *Refutatur.*

Iacobus Segarra, cũ excretiones, tum ipsam excretam substãtiã toto genere præter naturã appellat eas, quæ nunquam fieri possunt citra affectum præter naturam. Vnde sanguinis profluvium toto genere præter naturam esse docet, quia perpetuò fit cum aliquo affectu præter naturam, scilicet apertionem vasorũ, vel relaxationem: sanguinis tamen evacuationem, quæ mulierib. per uterum contingit, non esse toto genere præter naturam, quia fieri potest citra affectum præter naturam. *3. Opinio.*

Similiter ista expositio, veluti proxima, huic doctrinæ parum adjumenti affert. Nam, cum Gal. sanguinis profluvium toto genere præter naturam, quo ad excretam substantiam, esse scribit, aliquid, quod excretæ substãtiæ intrinsecus in est, significare intendit. Atverò quod excretum aliquis affectus comitetur, contingens est. Præterea miror, quod Segarra hic aberraverit à Galeni proposito, atq. præcipuè loquatur de excretionib. ubi Galenus ipse neque de excretione, neq. de excretionis modo disputat, sed tantũ de substantia excreta. Quamobrẽ cũ hujus difficultatis conjecturam cepit, præpostero consilio usus est. *Refutatur.*

Interpres Germanicus interiorem naturam, & quæ sanguinem magis attingit, conditionem contẽplatus, accommodatam ad hunc locum interpretationem machinatus est. In censu, inquit, eorum, quæ tota substantia præter naturam sunt, sanguinis excretio à Galeno tecensetur, neque sanè temerè: per eam enim id exceruitur, quod corpori maximè familiare est, quodq. invasis, utpote naturæ usui futurum, retineri debebat. *4. Opinio.*

Hanc interpretationem reprehẽdit Segarra ea, quæ sequitur, ratione, quoniam altera, quam subjungit, potiùs adversus Galeni verba judicium flectit. Si sanguinis profluviũ proinde dicitur toto genere præter naturam, quia excernitur sanguis nobis familiaris, certè sanguinis excretio, quæ per uterum fit, esset etiã toto genere præter naturam, cum evacuetur sæpissime sanguis nobis familiaris: sed excretio sanguinis, quæ per uterum fit, non est toto genere præter naturam, ut docet Gal. tertio de causis symp. ubi scribit omnẽ sanguinis excretionem esse toto genere præter naturam, excepta ea, quæ fit per uterum, ergo sanguinis excretio non est toto genere præter naturam, eo quod excernatur sanguis nobis familiaris. Cui argumento respõdisset Germanicus Interpres veram esse propositionem: tamẽ assumptionem falsam: ad probationem verò, quod in tertio de causis non loquatur Galenus de sanguine excreto, ut hoc loco, sed de sanguinis excretione, quę semper est toto genere præter naturam, excluſa ea, quæ fit per uterum. *Obiectio.* *Cap. 2.* *Solutio.*

Vnde doctissimus Bruguerius, quem solennis coetus nostrorũ professorum facilè insecutus est, sic explicavit Galeni verba, simulq. inter duos locos contrarios pacem conciliavit. Omnis sanguinis profusio, quantum ad ipsam profusionẽ attinet, toto genere præter naturam est, ea tantum excepta, quæ per uterum

Ibidem. fit, ut Galeni est sententia tertio de causis symptomatum. At vero, quod ad excretam substantiam pertinet, ut hoc capite sumitur, semper toto genere præter naturam est, sine ulla exceptione, quoniam sanguinis substantia nobis amica, & familiaris est. Quæ sane explanatio, quantum sit ad usum optima, res loquitur ipsa, nam, quod de sanguine dixit, de chyli profusione, sudore diaphoretico, substantia oleosa ex colliquatione, quæ supernatat in lotio (γρῶς vocatur græcis) dictum puta.

Graus.

Et ego etiam munus meum exequar, ne, quod mihi assignatum, defugisse videar. Primùm subjicio apud Galenum genus, speciem, & differẽtiam pro eodem sumi, & idem prorsus significare. Quo facto fundamento, sic interpretor Galeni verba, ac simul etiam contrarios locos existimo conciliandos. Omnes sanguinis profusiones, excepto fluore, qui mulierib. singulis mensib. per uterum contingit, esse toto genere præter naturam, non est aliud, quam reliquas sanguinis eruptiones esse differẽtias, aut species evacuationis præter naturam, atq. solam eam, quæ in mulierib. per uterum singulis mensib. contingit, esse differentiam, aut speciẽ evacuationis naturalis. Quoniã evacuatio naturalis illa dicitur, quæ à sola natura in plerisq. eodem modo tuendæ sanitatis gratia perficitur. Quæ generis descriptio, cum quadret soli profluvio menstruo: reliquis verò profusionib. haudquaquam conveniat, meritò illud profluvium genere, specie, aut differentia evacuationis secundum naturam est censendum: cæteræ tamen evacuationes cõtrá genere, specie, aut differentia præter naturam sunt existimandæ, utpotequæ non sint ex præscripta descriptione evacuationes naturales, aut secundum naturam factæ.

Auctoris opinio.

Verum, cum in evacuationib. sanguinis, non solùm ipsius evacuationis genus, speciem, aut differentiam contemplari oporteat: sed etiam genus, speciem, aut differentiam substantiæ excretæ, nempe ipsius sanguinis, meritò fit, ut à Galeno hic hæmorragia, id est, sanguinis profusio, quod ad excretam substantiam pertinet, nulla prorsus evacuatione sanguinis excepta, toto genere, hoc est, tota specie aut differentia substantiæ excretæ præter naturam esse constituatur, cum excernatur sanguis toto genere, specie, aut differentia secundum suam substantiam nobis familiaris, qua ratione etiam libenter concedo mensium profluvium genere, specie, & differentia substantiæ excretæ, non evacuationis, esse etiam toto genere præter naturam.

Hinc solvitur objectio adversus Galeni verba in initio hujus quæstionis proposita. Nam, cum sanguis sit nobis maximé familiaris, atque propterea invasis assiduæ solicitudine custodiendus, nil mirum, quod excretus, & profusus toto genere præter naturam sit.

VTRVM VOMITVS sit evacuatio naturalis, an præter naturam.

QVÆSTIO XLIX.

CVM multiplex, & varius, & copiosus in rebus tractandis fuerit Gal. hinc multum inter se distantia orta sunt genera dicendi, adeo ut ex diversis auctoritatib. illius de vomitu differentis, aliqui naturalem evacuationem, aliqui præter naturam, permultiverò, & meritò, modo secundum naturam, modo contra se habere arbitrati sint. Est autem vomitus eorum, quæ in ventriculo cõtinentur, per os excretio: utrum verò naturalis evacuatio sit, an præter naturam quæstio est. Naturalem quidem esse docuit Gal. lib. de sectis ad eos, qui introducuntur, cum scribit, quidquid sudoris, aut urinæ, aut per alvum, aut per vomitum ruit, genus quidem præter naturam nõ est: multitudo tamen aliquando. *Cap. 9.*

Gal. capite sexto, quod adhuc in manibus habemus: *aliqua*, inquit, *quamvis toto genere præter naturam sint, veluti sanguinis per nares profusio, vel vomitus,* *Gal. auctõ. Text. ulsi.*

vomitus, vel sanguinis dejectio: & paucis interpositis: *sanguinis namq. profusiones, & vomitiones toto genere præter naturam esse dixerit quispiam.*

Et libro tertio de causis sympto. Cap. 2. *Ac venter quidem, cum pro naturæ lege se habet, trahit quidem ad se supernè per stomachum, deorsum verò excernit.* Ex quib. verbis videtur concludi posse vomitum esse evacuationem præter naturam.

Concordant hæc cum ijs, quę apertiùs scribit libro quinto medendi methodi, cum ait. Cap. 11. *Ventriculus, utrinq. expurgari potest, sursum per vomitum, deorsum secundum naturam.* Nam, cum duas evacuationes opposuerit, si deorsum facta naturaliter fit, quæ supernè, præter naturam erit.

Eãdem opinionem favere videtur libro undecimo methodi, ubi expellit putrida per urinas, & alvum, & sudores. Cap. 9. *Quod si, ait, ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum capiant, etiam per vomitiones: aliter autem non est, quod ea præter naturam irritet.*

His possunt rationes subjungi. Primùm, quoniam vomitus laboriosus est, ut docet Aristoteles, nam qui vomunt lassitudinem incurrunt ac molestias, quia 1. Ratio. 5. Prob. 7. *vomitus caput evidenter replere solet*, Galeno docente, ergo vomitus evacuatio præter naturam est. Li. de vena sec. adversus Erasistratæos c. 9

Præterea, quando quidem multi totam vitam transegerunt citra vomitum, quemadmodum citra plures affectus, unde colligitur vomitum non esse evacuationem naturalẽ, sed præter naturam. 2. Ratio.

Veruntamen contrarium videtur sentire Gal. hoc capite, cum asserit. Contraria opinio. *Aliqua enim, quamvis etiam toto genere præter naturam sint, veluti sanguinis per nares effusio, vel vomitus, vel sanguinis dejectio, vel hæmorrhois, vel aliud hujusmodi, tamen præter naturam adhuc non sunt, si modo tempestivè fiant.* Lib. quinto de locis patientib. *Quæ cum naturale sit accidens* (de tussi loquebatur) Cap. 3. *sternutamentum, & singultum, & nauseã* (vomitus eadem ratio est) similitudine quadam imitatur.

Et libro contra Iulianum. Cap. 5. *At nos, inquit, quoties alicui nullo sumpto purgante medicamento vomitus accidit, aut multa contingit inferior evacuatio, sive ea per intestina, sive per uterum fiat mulieris, hu-*

A *jusmodi omnia natura facta esse dicimus, vel à natura, vel naturaliter (nihil enim refert) eaq. ipsa cum manifesto ægrorum emolumento imitamur.*

Quam opinionẽ desumpsit Gale- Hipp. auto. nus ex Hippocrate, qui primo apho- Aph. 2. rismorum apertè dixit vomitum esse evacuationem naturalem, ut etiã sexto, ubi Gal. in commentario: exem- Aph. 15. *plum*, inquit, *est eorum, quæ rectè fiunt à natura, quod medicum imitari oportet.*

Quibus exquisitæ rationes addi 1. Ratio. possunt. Primò, quoniam naturales B evacuationes fiunt per conveniẽtes regiones: sed Gal. lib. primo apho- Com. 21. inter loca conferentia enumerat vẽtriculum, ergo evacuatio, quæ per ventriculum fit, scilicet vomitus, naturalis est.

Præterea evacuatio, quam medici 2. Ratio. consulunt ac suadent sanis præter naturam non est: sed Hipp. libro de salubri dieta commendat vomitum singulis mensib. hominib. sanis, ad tuendam valetudinem, ergo vomitus evacuatio naturalis est.

Quid quod frequenter videmus 3. Ratio. C canes, cum repleti sunt, vomitum sibimet studiosè provocantes, quod Li. de venæ sect. adver- quidem ab hominib. ut qui ratione sus Erasistratum c. 6 compotes sint, multo faciliori conatu perfici debet, quamobrẽ vomitus evacuatio naturalis est, nullatenus præter naturam.

Demum Galenus libro quinto de 4. Ratio. locis patientib. duplicem usum tri- Cap. 5. buit oesophago, nos gulã dicimus, unum ad deglutitionem alimenti, alterum ad vomitionem. *Quorũ usum*, inquit, *alter quidem semper est necessarius, alter verò propter occasiones quasdã.* Hinc pręclare colligitur vomitionẽ D esse naturalem evacuationem.

Franciscus Vallesius libro quinto Valle. opi. controversiarum utramq. opinionẽ Cap. 1. probabilem judicat: sed qui hanc fine aliqua distinctione sequuntur in maxima versantur inconstantia.

Qua propter nonnullis vomitus Aliquorũ dupliciter dicitur, uno modo cum opinio. nos, solas partes ventriculi contemplamur, altero, cum utilitatem, & commodum totius corporis respicimus. Primo modo vomitus defini- Vomitus tur actio depravata facultatis expul- quid. tricis ventriculi, ab ijs, quę in eo continentur, irritatę. Siquidem, cum os

ventriculi;

ventriculi, vel multitudinis pondere, vel mordentis acrimonia offendi tur, vel ea, quæ nec gravia, nec mordacia sunt, in ventriculo tamen præter naturam continentur, nec ab eo concoqui possunt, cujusmodi est pituita acida aut salsa, & sanguis in ventriculo effusus: cæteræ autem partes valentes fuerint vomitus movetur, qui quidem symptoma & excretio præter naturam est, Quæ omnia tertio libro de causis symptomatũ præ
Cap. 2. claré constabunt. Altero autem modo vomitus est eorum, quæ in ventriculo continentur, corpusq. infestant, & molestant, per os excretio.
Com. 2. Quę definitio primo aphorismorum planius est expressa.

Nunc sic quæstioni respondent. Si respectu partium ventriculi vomitus spectetur, evacuatio illa est violenta, & præter naturam: sin autem corporis utilitatem & commoditatem, ut vomitu evacuentur, quæ molestant & contristant, tempestivéq. fiat evacuatio, naturalis est.

Naturale tripliciter. Ego verò tres invenio apud Galenum magis vulgatas & proprias hujus vocis *naturalis* significationes. Primùm dicitur *naturale*, quod prima
Primo. ratione à natura fit. Prima verò ratione illud à natura fieri dicemus, quod tanquam finis primò & per se ab ea intenditur, ut observat Gal. libro
Cap. 1. sexto de Hippocratis & Platonis decretis. Qua ratione nullus vomitus dicitur naturalis, quia nunquã intenditur à natura primò & per se
Cap. 2. in constitutione naturali. Hanc significationem cõtemplabatur Galenus
Cap. 11. tertio de causis symptomatũ & quinto medendi methodi, ubi scribit ventrem, cum pro naturæ lege se habet, superné ad se trahere per stomachũ, excernere verò deorsum.

Vnde sic possumus argumentari,
Ratio. deglutitio & vomitus sunt cõtraria, sed deglutitio est actio naturalis, ergo vomitus est evacuatio præter naturam. Patet propositio ex his, quæ
Cap. 8. docuit Gal. libro tertio de naturalibus facultatib. *Non enim*, inquit, *sicuti ventris appetentia deglutiendos cibos præcedit, sic in vomitionib. appetit oris pars nulla excitati affectus quippiam: sed sunt ambo ventris affectus inter se contrarij: alter appetentis, & suscipientis, quæ utilia*

A *sunt, ac propria: alter abhorrentis, & reiicientis, quæ sunt aliena.* Quamobrem ap *Cap. 11.*
posite dixit libro quinto methodi medendi, ventrem quidem sursum excerni per vomitum: deorsum verò secundum naturam, pro certo affirmans motũ illum, qui per vomitum fit, non esse naturalem, neq. primo & per se à natura intentum.

Enimverò objiciet aliquis: age- *Obiectio.*
dum, oesophagi, hoc est gulæ duplex *Li. 5 de loc.*
est usus à natura constitutus, unus *aff. cap. 4*
ad devorandum & deglutiendum, alter ad evomendum, atq. propterea geminæ sunt ei tunicæ, altera interB na fibris longis munita, ad cibi potusq. deglutitionem: altera externa fibris transversis referta, ad eam, quę vomendo fit, expulsionem. Ergo deglutitio non magis dicitur actio naturalis, quam vomitus, cum ambo intendantur à natura. Sed nullam vim *Solutio.*
habet hoc argumentum, quoniam tunica illa externa fibris trãsversis prędita, ventriculo deservit, & præsto est ad cibos arctiùs complectendos & retinendos, ut citato libro tertio de naturalib. facultatib. monstravit *Cap. 8.*
Galenus, licet aliquando natura fibris illis transversis abutatur, id est,
C non rectè, vel non suo loco utatur ad vomendum vi & necessitate coacta. Vnde ipsa non intendit vires in vomitum primò & per se, neq. ad illum finem ventriculo data fuit tunica transversis fibris prædita, & propterea vomitus nequit vocari evacuatio naturalis.

Secundò naturale dicitur, quod *Secundò.*
fit à natura quocunq. modo fiat, qua ratione distinguitur ab artificiali. Iuxta quam acceptionem vomitus, qui fit à natura, naturalis evacuatio est. Quam significationem usurpavit
D Hippocrates primo aphorismorũ, *Aph. 2.*
cũ loquitur de vomitibus spõtinis, hoc est, à natura factis, atq. ita omnis vomitus, qui non fit ab arte, naturalis dici potest: quilibet enim evomere potest, vel quia ita illi placeat, digito, vel penna ventriculum irritãs, aut re aliqua, quam bibat, & hic vomitus arte factus nuncupatur à propria voluntate provocatus. Reliqua vomituum genera, etiam per viam symptomatis facta, naturalia, dici possunt, nimirum, ut retrò diximus,

mus, vel ob multitudinem, vel ob mordacitatem, vel quia aliquid præter naturam in ventriculo continetur, hi sunt omnes naturales vomitus, & non artefacti.

Obiectio. Objiciet tamen aliquis monstrans vomitum hunc licet sponte factum præter naturam esse duab. de causis. Primò, quia in vomitu vētriculi fundum movetur sursum, & ascendit. Præterea quia res, quę evomitur, ascendit, atq. gravis cum sit, movetur sursum, est ergo illa evacuatio præter naturam.

Solutio. Respondemus nō esse hanc veram rationem, cur vomitus sit præter naturam, quandoquidem in deglutitione fundum ventriculi movetur sursum, & tamen nullus dixit actionem hanc esse præter naturam: neq. concludit objectio ex parte humoris excreti, quod est corpus grave, quia si aliquid concluderet, non minus probaret unam partem, quam aliam: nā, si hominem suspenderemus pedib. superné, & capite infernè conversis, tunc grave descenderet, essetq. ille motus naturalis. Tamen cū dicimus vomitum esse evacuationem naturalem, non attendimus excreti corporis motum, sed tantum principium efficiens illius actionis, & naturam, quæ primò & per se illam evacuationem molitur.

Tertiò. Tertiò & ultimo naturale dicitur, quod est moderatum & conferens, qua ratione vomitus conferens dicitur evacuatio naturalis, per quam natura expellit noxia & ventriculo infesta Aliqua enim, quamvis etiam toto genere prętęr naturam sint, tamen præter naturam adhuc nō sunt, si modo tempestivè fiant: fiūt autem tempestivé, cum id, quod contristat, expellitur: nam si talia evomuntur, qualia evomi oportet, vomitus quidem confert, & leviter fertur.

VTRVM SVDOR sit evacuatio naturalis.

QVÆSTIO L.

Li. de alim. in fine. HVmor, inquit Hipp. *alimenti vehiculum*, qui aut est tantum potus, A cujusmodi, qui non nutrit, ut sola aqua, aut est alimentum in potu, ut vinum, & jusculą, & succi varij. Prior necessarius est coctioni, quæ lixario est, & hæc in humido perficitur: prodest etiā ad distributionem ciborū: posterior, ad hæc ipsa, & ad nutriendum. Sed qui non nutrit, potus tantum est, atq. ob similitudinem, quam habet cum aqua lactis serum dicitur, cujus quędam pars descendit per intestina cum foecib. ac facit quo minùs arescant. Maxima pars potus jā hepar egressi venit in vesicam, & illinc extra corpus. Reliqua diducitur B per totum corpus commixta cum sero sanguinis proprio, deinceps cum suo munere functa est, exudatur, aut abit per occultum halitum. Appellatur autem, quod ita excernitur *Ἱδρὼς* sudor, quod aliter erumpit à plerisq. mador. *Idros.*

Quamobrem sudor non fit ex sanguine eliquato, extenuato, & diffuso, ut voluit Empedocles, referente auctore de Historia Philosophica. Neq. ex vaporib. elevatis ab universo corpore, qui aeris externi frigiditate statim congelantur, atq. in aquam convertuntur, ut putavit Heraclitus. Neq est serum collectum, C ubi pituita recens congelatur, quæ Platonis in Timæo est opinio. Neq. est humor incoctus, ut voluit Aristoteles in Problem. vel excrementum vaporis humidi, ut tertio de partib. animalium. Neq. tandem pars cibi incocti excreti per meatus corporis, ut asseruit Diocles.

Sed est *humidum tertiæ concoctionis excrementum percutem in aqua speciem erumpens.* Vel *portio materiæ potulentæ in iecore alteratæ, & sanguini permiscendo per venas à natura transmissa, atq. ex venis per meatus occultos expulsa.* *Sudor quid.*

D Movet autem Galenus dubitationem de sudore, num secundum natu- *Tex. vlti.* ram an prętęr naturam sit. Nam Diocles medicus clarissimus, qui Athenienſib. junior Hippocrates appellatus est, in eam inclinavit sententiam, ut diceret sudorem esse excretionem præter naturam, quemadmodum testatur Galenus hoc in loco, & primo Aphorismorum, ubi commemorat Dioclis rationem, qua ad hoc persuadendum, utebatur. *Com. 15.*

Excre-

Excretiones omnes, dicebat, quæ
Rat. Dioc. proveniunt à debili calore nativo, præter naturam sunt: sed sudor est hujusmodi, ergo evacuatio præter naturam est. Propositio non indiget probatione, quia quantò fortius exiterit calidum nativum, tãtò magis evadet excretio expedita. Assũptio valet, quoniam natura ubicunq. calidum nativum validum fuerit, semper excernit excrementa per insensilem transpirationem: sudores verò perpetuò fiunt à calore partium languido, qui non potest serosam humiditatem, quæ sudoris materia est, in vapores resolvere, & per insensilem transpiratum vacuare: validus enim, & robustus calor insensibiliter evacuat: sensibiliter verò calor languidus, aut violentus motus & agitatio, unde sudor, ut in vehemẽtioribus exercitationib. Quandoquidem rectè valente corpore, & nativo calore existente valido, omnibusq. ijs, quæ ad corpus pertinent, probè administratis, & alimento à natura superato, nunquam sensibilis humor, qualis sudor est, excernitur. Hæc Dioclis ratio Galeno valdè probabilis visa est, revera tamen dura, & cõtra rerũ evidentiam. Vnde pollicitus est hac de re se aliquando scripturum. Veruntamen, sivè id fuerit injuria temporum, sive alia quavis ratione, nullũ, quod ego sciã, illius de sudore scriptum habemus, in quo illi propositũ fuerit opinionem Dioclis refutare, fortasse, ut nobis imponeret hujus officij onus.

Ratio cont. Dioc. Ergo nos illud exequamur & Dioclis opinionem falsam esse demonstremus. Nam evacuatio illius excrementi est naturalis, cui naturaliter est designatus locus, in quo colligatur, atq. in animali benè constituto via destinata, per quã ejiciatur à natura, quasi prævidente indigentiam evacuationis: sed sudor ejus generis excrementum est, serum scilicet, atq. humiditas epota, quæ secundum naturam colligitur, & excernitur, etiã in homine optimè sano, igitur naturalis est illius evacuatio. Nam, ut docet Galenus, *sudor eandem habet materiam, quam urina, & eundem generationis modum: siquidem utriq. exhibito humore constat generatio:* verum *sudor plus est elaboratus, utpote qui ad cutem usq. permeatis omnib. quæ intersunt, partibus pervenit.* Quod autem poros cutis ad sudoris expurgationem conformaverit natura, sic primo de sanitate tuenda scripsit. *Huic excremento unlus certus à natura præscriptus meatus est: expellitur tamen partim actum per ipsa molliora corpora, quæ fluentis eius violentiæ cedunt, potissimum cum à spiritu majore impetu irruente impellitur: partim etiam per exiguos omnes corporis molis meatus, πόρους Græci vocant, quorum, non modo reliquum corpus universum, sed etiã tota cutis plena est. Dictum autem nobis de generatione horum est in libris, quos de temperamentis edidimus.* Et paulo post. *Appellant verò, quod ita excernitur, sudorem.*

Lib. 10 de simp. med. fac.

Cap. 12.

Porus.

Lib. 2. c. 6.

Præterea illa excrementi evacuatio est naturalis, quod omninò fit, & excernitur sine morbo aliquo totius corporis, aut partis cujuspiam: sed sudor fit sine corporis, aut ruptura, erosione, aut venarum apertione, igitur evacuatio naturalis est, nõ symptoma: nascuntur enim ex morbis omnia symptomata, ut retro diximus.

Quare sudor non est evacuatio præter naturam, cum id, quod excernitur præter naturam non fit, sed excrementum, quod secundum naturã in corporib. colligitur, & locum habet destinatũ, per quem evacuatur. Et quamvis excitetur à calore languido, non cõcluditur ex eo præter naturam esse, quia tunc symptoma non est, neq. aliquem morbum sequitur, tametsi calor debilis sit, ut in æstate, quo tempore calor nativus ita fit imbecillior & cutis rarior, ut sudores copiosi contingant, etiam in hominib. sanis. Dioclis autem ratio ideo maximè probabilis Galeno visa est, quoniam sudor procedit ex remisso calore, ut plura excrementa præter naturam, quæ verè symptomata sunt. Et quidem etiam verum est plures actiones, & præter naturã esse, & symptomata vocari, quod oriantur ex imbecillitate: veruntamen illarum causa, non quælibet imbecillitas est, sed particulatim ea, unde actiones lęduntur manifestò. Cum igitur nativi caloris imbecillitas nullius actionis manifestè læsę causa, sit profectò

profectò sudor evacuatio naturalis est, non præter naturam. Quamobrē licet Dioclis opinio verisimilis à A Galeno sit judicata: tamen tanquam aspera & inefficax condemnata est, & ab omnib. meritò reprobata.

EPITOME.

SYMPTOMA generatim dictum est, quid quid animali præter naturam accidit, morb. interna morbi causa, & symptoma B speciatim dictum: id verò definitur, quod morbum sequitur necessariò.

Hoc autem triplex est, nostri corporis affectus, actio læsa, & hæc ambo comitantia scilicet excreta, vel retenta.

Actio læsa, vel animalis, vel naturalis est. Animalis sensitrix, motrix, & princeps, sensitrix quintuplex visiva, odoratrix, gustatrix, auditoria, & tactrix. Motrix unica est, quod unum instrumentum habeat, tantumq. unum motionis modum. Reliqua verò animalis & princeps actio triplex, imaginatio, ratiocinatio, & memoria. Quæ omnes actiones ex læsionis modo tripliciter impediuntur: offenditur enim omnis actio, vel quia aboletur, vel quia debilitatur, vel quia depravatur, & nō debito modo perficitur. Abolita actio dicitur, quæ aut revera, aut quantum sensu judicare possumus, prorsus periit: diminuta, & debilis, vix aut tardè perficitur: depravata verò vel ratione temporis, ordinis, & modi non ritè peragitur. Vnde visus aboletur in coecitate: diminuitur in hebetudine: depravatur in allucinatione. His trib. in auditu respondet surditas, cum aboletur auditio: gravis auditus, cum diminuitur: & aurium tinnitus, cum depravatur. In olfactu, & gustu eadem est ratio, licet nominib. proprijs pletunq. hæc symptomata careāt. Tactus autem aboletur paralysi, diminuitur stupore, depravatur dolore, qui potissimùm denominatur à subjecto, cui inest. Hinc autiū dolor Otalgia, capitis cephalalgia, oris vētriculi cardialgia dicitur. Motrix, quæ unica est, aboletur in Apoplexia & paralysi: diminuitur in stupore: depravatur in tremore, palpitatione, horrore, singultu. Animales principes abolentur in memoria deleta, caro, catalepsi: diminuuntur in oblivione, depravantur in phrenitide, mania, hydrophobia.

Actio naturalis duplex, naturaC lis propriè dicta & vitalis. Hujus lesio ex pulsu deprehenditur, qui, vel est abolitus, ubi in gravi syncope adest asphyxia ad sensum, ut in uteri suffocatione: vel diminutus, ut apparet in lypothymia: vel depravatus, ut in cacosphyxia. Porrò propriè naturalis suum officiū præstat in attractione, retentione, coctione & expulsione, quarum respectu suas patitur noxas, quod in ventriculo demonstratur. Aboletur attractio D in gulæ paralysi: diminuitur in ejus resolutione incipiente: depravatur in bulimo. Retentio aboletur, quando ventriculus nihil retinet: debilitatur, cum leviter, & nō in suo tempore cibum amplectitur: depravatur, quando ventriculus alimentum comprehendit, non sine palpitatione, singultu, & tremore. Coctio aboletur Apepsia: diminuitur Bradypepsia:

pepsia depravatur Dyspepsia, quando alimenta corrumpuntur, & naturam alienam assumunt. Tandem aboletur expultio, cum rejiciuntur, vel plane non dejiciuntur, vel tardius, quam par est, vel non naturali modo, quemadmodum in dysenteria, vel vomitu apparet. Ex quib. patet munus lesarum actionum: quælibet enim pars similaris, ut notatur duodecim læditur modis, scilicet respectu quatuor facultatum ministrantium, quæ omnes tripliciter affici possunt. Præterea organa, quæ simul publico munere funguntur in alimento præparando, hæc omnia dupliciter possident, quatenus scilicet alio modo publico muneri, alio modo privato inserviunt. Quod si pars aliqua sensui & motui simul præsit, illa tria symptomata, ut sentit, totidem quatenus movetur, obtinere potest, unde quævis pars sentiens quindecim, pars movens & sentiens, simul octodecim symptomata patitur. Observandum tamen, quod quædam partes tactu tantum, aliæ pluribus sensib. sunt præditæ, quarum hæ plurib. symptomatib. afficiuntur, ut patet in oculo, cui ratione visus tria, ratione tactus totidem accidunt symptomata, quib. ad de tria respectu motus & duodecim respectu nutritionis.

Secundum genus symptomatu est qualitas mutata, quam producunt sensuum objecta præter naturam constituta, colores, odores, sapores, tactiles denique qualitates, quæ, ubi justam æqualitatem non retinent, horum symptomatum speciem constituunt, ideoq. nimius calor in febrib. duricies in scyrrho, & alia hujusmodi huc pertinent.

Tertium symptomatum genus, quod supereſt, excreta, vel retenta constituunt, quæ peccare solent trib. modis, vel tota substantia, ut sanguis excretus, vel qualitate, ut dejectiones nimis fœtidæ, vel quantitate, ut menses immodici. Succedunt autem hæc omnino morbis, vel manifesto, vel alijs symptomatib. clarius apparentib. Verum satis non est, ut excreta, vel retenta consideremus, sed opus est, ut modum & tempus excretionis, vel retentionis attento animo advertamus, ne decretorias excretiones & naturæ operationes pro symptomatibus falsò habeamus.

ANNVE O REX REGVM.

COMMENTARIORVM AD LIBRVM DE differentia symptomatum finis.

ANDREAE LAVRENTIO DOCTORI ERVDITISsimo & in celeberrima Monspelienſiũ Academia Regio professori Iohannes Franciſcus Roſſellus Barcinonenſis. S.

MAGNIFICA & præclara opera tua anatomica, vir clariſsimè atq. præſtantiſsimè, ad noſtras manus devenerunt, quæ ferè ab omnib. lecta ſunt, & in cœlũ uſq. ampliſsimis ſummiſq. laudib. elata: ſed qui libentiùs & maiori cũ diligentia, ea legerit, quã ego, ſcito eſſe neminẽ, cũ propter magnitudinẽ amoris mei erga te, tum etiã propter verã & jucundam opinionem, quã de te doctiſsimo & grauiſsimo ſemper habui. Nã poſtquã huc acceſſeris Virginis matris MARIÆ Montis ſerrati inviſendæ cauſa, atq. inter nos amicitia fuerit inſtituta & conglutinata, perpetuò te memoria, ſummaq. obſervantia colui, dilexi & charũ habui. Tũc, ſi rectè memini, ut nos honore afficeres, me Galeni primum de curatione febrium ad Glauconẽ, interpretantem audiviſti, poſtquã verò de cathedra ſurrexi, de diſſectione (tãdẽ ita cecidit) ſubtiliter diſputaſti; ergaq. noſtrũ ſingularẽ ſummũq. doctorem Petrũ Benedictũ Soleriũ tui amantiſsimũ, qui cũ aderat, mirq. tãta uſus fuiſti humanitate, & facilitate, ut noſtras objectationes etiam obiter propoſitas, ceu muſcas Elephantẽ oppugnantes, minime ſperneres: verũ omnia ſecernendo, difficultates mirò ingenii acumine, magnaq. ſolertia, diluiſti atq. in ea re, quã tractabas, te exercitatiſsimũ demonſtraſti. Vnde præclarum opus, ubi evoluimus, quã primũ diximus, præſtitiſſe, quod egregii auctoris, dicendi gravitas & copia pollicebatur. Etenim anatomicã hiſtoriã multi ſunt aggreſi: ſed tu, vir diſertiſsime, dũ corporis mẽbra narras & deſcribis, penè infinitis quæſtionib. interpoſitis, quæ movent animos & delectãt, ſic rem illuſtras & exornas, ut ducar ad credẽdũ, in hoc genere ſcribẽdi, adhuc nõ fuiſſe opus evulgatũ, tã elegans, tã perfectũ, & tã elaboratũ. Verum enim vero, ut amicitia noſtra cõſervetur, & permaneat uſq. ad extremum vitæ diẽ, ſtatui aliquã ex tuis opinionib. excutere, & verborũ omniũ ponderib. diligenter examinatis, ad te ſcribere: tu vero, humaniſsime vir, ſolitã ἐυφημίαν, blandũ, inquã, vultũ, meis litteris àmabo refer, quam præſenti mihi præbuiſti: nõ enim hæc exaravi, ut de tua doctrina periculũ facere videar: ſed ut ex iis, quæ reſcripſeris (quod erit mihi gratiſsimum) poſsim aliquid eruditionis capere, atq. doctior fieri. Sed liceat mihi per te ad hanc diſputationem accedere.

Liber tuus & lectus eſt, & legitur à me diligenter: ſed dũ animo expendo, ante oculos meos volitant, illius tria ἀναγκαῖα genera. Primum eorũ, quæ demonſtratione, & Hippocratis Galeniq. auctoritate innituntur, vel doctiſsimorum virorum, qui de re medica bene meriti ſunt. Aliud τὸν καθ' ἑαυτὸν hoc eſt eorũm, quæ ſunt admirabilia, contraque omnium opinionem, cõplectuntur: ſed credibili ratione ſuſtentata. Tertium (niſi me fallit animus) utroque genere patrocinii eſt orbatum. Hujuſmodi eſt illud, quod tertio libro quæſtione decima, motus cordis rationem reddens, his verbis, publicis monumentis conſignatum eſt.

Rurſus hoc obſervandum, cordis cuſpidem in diaſtole recedere à pectore, in ſyſtole pectus percutere, contra vulgi opinionem.

Quibus verbis quaſi per tranſennam aſpectis, concluſi, me nuſquam

animadvertisse talem observationem. Veruntamen diligentius ac strictim rem attingens, ad extremum recordor libelli, qui compendium pulsuum inscribitur, in quo paulo post principium, de cordis motu hæc scriptis mandata sunt. Contingit autem ita, quandoquidem ex pulmone attraxerit spiritum repletum, undique ipsum ad latera incedere, & multum spiritum à pectore auferre. Quando vero rursum evacuatum fuerit cor, & evacuatum in naturalem figuram recurrerit, tunc prosilit pectori & percussionem facit, & ita concidens pulsum perficit. Ex quibus, ut existimo, tuum hoc [illegible] decerptum est ac translatum: ijs vero, quæ sequuntur Galeni verbis, ut tu arbitraris, confirmatum. Cor inter utraque thoracis spatia medium consistit, quod motus ipsius indicat, quasi in parte sinistra potius collatum sit, duplici de causa. Primum, quia vitalis spiritus conceptaculum ceu ventriculus hic consistit: deinde, quia totum ad hanc magis inclinat: non enim, ut ipsius media basis, thoracis lævam dextramque regionem exacte interjacet, sic etiam vertex, quoniam propendens neque omnino, de propria basi ad inferius extremum projectus est, sed ad sinistram regionem deflectit. Movetur autem cor duobus motibus. Nam fibris rectis se contrahentibus reliquis laxis, & diductis, brevius fit quo ad longitudinem, longior verò universa ipsius latitudo, quo statu cor totum videmus dilatari, qui motus [illegible] nuncupatur; contra autem fibris rectis se relaxantibus, contractis autem transversis, longius quidem, sed angustius fit, quo casu rursus cor ipsum contrahi perspicimus, qui motus [illegible] appellata est. Hæc Galenus septimo de anatomicis administrationibus, atque sexto de usu partium. Cum igitur cor dilatatum brevius evadat: tempore verò contractionis, ducatur in longius, opinaris in contractione, sua cuspide sinistrorsus vergente, pectus percutere, in dilatatione vero ab eodem recedere, cum vertex & cuspis ad basim revocetur & rapiatur.

Tamen illud pulsuum compendium, ut ab eo exordiar, Doctoregregie, nostro Galeno attribuere contra fas est, cum inter libros sputios recenseatur nihilque ferè in eo scriptum sit, quod veritatem obtinat, ac ac ideo liber jejunus & aridus ab omnibus doctoribus judicatur, licet non rejiciendus, fortasse, ut ex ejus tenebris, & discussa caligine, accederet quam proxime clarissimum lumen legitimorum librorum τῶν ἐνυπνίων & τῶν διαίτων atque [illegible], cujus Galenus meminit libro artis medicæ dum scribit. At vero in animo est alium scribere librum veluti quoddam omnium istorum compendium, quem inscribam, *vel autem de pulsibus, vel compendium.* Præterea, si veros nostri auctoris commentarios percurramus assequemur facilè, hunc librum, compendium non esse, eorum, quæ in illis posteritati sunt propagata; tum in eo modica quædam exarentur de pulsuum differentijs, quæ contingunt ætatibus, febribus, ac quibusdam affectibus præter naturam, quibus adjunguntur pulsuum nomina, itemque genera. Mox nonnullis additis pulsuum nomenclationibus à veteribus usitatis, ad exitum orationis pervenitur. Tum præterea Galeno advertatur inibi tradita pulsus definitio Asclepiadi quidem adscripta, ut videre licet quarto libro de differentia pulsuum capite decimoquinto. Item in eo, quod circa [illegible] fiant [illegible], & [illegible], ad veritatem non loquitur. Reliqua tandem mentita & falsa erroris plena sunt omnia. Merito igitur à doctis hic liber in loco τῶν νόθων collocatus est, vel ipsa docente huius opinionis, quã in crimen

vocavi

vocavi, falsitate. Hanc igitur testimonio, & ratione impugnate aggredior.

Docente Galeno, duo sunt omnium artium instrumenta experientia & ratio, quarum, si ars invenienda est, præcedit experientia, subsequitur vero, si ediscenda fuerit: hinc ab eodem auctore nonnunquam instrumenta inventionis sunt appellata: verum aliquando prodit ad ea, quæ inventa sunt, judicanda & deligenda, experientiam maximum afferre momentum. Porrò nostram hanc causam, unà cum aliis duabus controversiis suscepit sensus, atque in eo, quod ab ipso fuerit judicatum, stabit Galenus, septimo de anatomicis administrationibus: inauditam enim sapiétiá promittit, ut lib. secúdo de tép. scribit, qui rerū sensibilium alium quempiam habere se judicem meliorem, putat, quàm ipse sit sensus. Verba Galeni sunt. Quorsum igitur cor sic denudare conducit? Primum, ut quali modo pulset, clare conspiciamus: & num quando attollitur thoracem feriat, pectoris ossis regionem accedens, an quo tempore deprimitur. Secundum est, ut magna in animali, arteria detecta exactè consideremus, utrum, quando attollitur cor, arteria submittatur: & quando cor demittitur, ipsa attollatur: an ambo eodem tempore, & submittantur, & eleventur. Tertium, ut digitis vel etiam forcipe cor excipientes, intueamur, qualinam symptomate animans corripiatur. Hæc ille. Iam uero thorace dissecto, non semel conspeximus, in vivo animante, dilatatum cor ferire pectus, sinistro illius ventriculo latè explicato. Vnde Galenus, libro de usu partium sexto. Suscepit, inquit, hominum vulgo opinio non in medio adamussim, sed magis ad lævam quodam pacto, cor esse locatum, deceptorum eo, qui ad sinistram mammam sentitur, sinistri ventriculi pulsu, qui illic situs est, omniumq. arteriarum est origo, Ex quibus verbis plane constat cor distentione pectus ferire. Nam pulsum, quem ad sinistram mammam sentimus, non cuspis, cujus memoriam non habuit, diligentissimus Galenus, sed cordis sinister ventriculus molitur: minùs quidem in contractione, tunc enim recedit à pectore, igitur in distentione. Sed præter hæc subjiciamus argumenta, quæ non egrediantur extra cancellos, quos ipsi sensus, nobis circundederunt.

Siquidem experimentum tertio de præsagatione ex pulsibus factum in secunda disceptatione de tribus, quas dudum memini, id quod intendo confirmat. Quod dico, inquit Galenus, clare intelliges, si altera manu eodem tempore cor, altera aliquam arteriam, tangas: principia enim motuum animadvertes vnà fieri. Qui dilatato corde arterias contrahi tuentur, fortasse respondebunt, vnà quidem fieri principia dilatationis cordis & contractionis arteriarum, idque nostrum Galenum docere voluisse: tu vero, constantissime vir, stabis in fide, quam dedisti, quæ nihil aliud est, quam dictorum conventorumq. constantia & veritas. Defendis cor una cum arteriis, & comprimi & dilatari, quam sententiam firmissimis argumentationib. ab omni calamitate & periculo prohibuisti. Atq. in vivorum animaliū sectionib. asseris te simùl nō semel obseruasse utrobique similem ictum, manum unam pectori, alteram admovens carpo. Cum igitur ictus & percussus arteriarum, in fine dilatationis fiat & persentiatur, proculdubio cor in dilatatione pectus percutiet: aliter contraheretur, quando dilatantur arteriæ.

Ad hæc (quoniam de ictu mentionem fecimus) inest cordi ac arte-

riis, nec perceptus citra motum ictus, qui consistit in distentione, cumque manum admovemus, ferit tactum, docente Galeno libello ad tyrones, & quarto de dignoscendis pulsibus. Vnde illius robur in tactus impulsu, repulsu subversioneque positum esse, omnibus est in professo, ut idem exaravit tertio de differentia pulsuum: neque alterius significationis ictus meminit, quam percussionis: cordis quidem, sub læva mamma perceptæ, qua pectus agitat & movet, arteriarum vero, qua tangentis manum depellunt. Quamobrem ictus cordis motus erit, tactui occurrens, postremaq. pars dilatationis.

Insuper non nemo scit, in cordis commotione, quæ apparet in sinistra pectoris parte, posse nos cognoscere omnes pulsuum differentias, quemadmodum in arteriarum motione percipimus: est namque pulsus præcipuè cordis actio. Vnde invadente putrida febri utrobique cognoscemus πρόληψιν, anticipationem, inquam, contractionis, cum in ea fiat fuliginum evacuatio, quarum copia tunc opprimitur cor; econtrariò febri diaria, affecto existente corpore, anticipat distentio, moramque facit in externa quiete, quæ frigidi aeris attrahendi causa, cum interna non servat proportionē, primo de differentia febrium referente Galeno. Agevero, si cordis percussio in sinistris pectoris sentita, terminus esset contractionis, sanè cum eodem tempore prosiliant arteriæ, in putrida cor diutius remoraretur, quam arteriæ: sed in diaria febri multò minus: id vero experientiæ refragatur, cum similem nos cordis & arteriarum ictum assiduissimè observemus. Igitur quo tempore dilatantur, arteriæ cædi pectus & feriri a corde dilatato, tibi persuade.

Præterea in hoc omnes convenimus, quod pulsus in sinistra pectoris parte rectè percipiatur: ex eo enim in ea, quidam ipsum cor magis situm esse, non injuria crediderunt, auctore Galeno sexto libro τῶν ἐπιδημιῶν commentario secundo: Similiter pulsus duas esse principes partes διαστολὴν & συστολήν, hujusque initium sentiri non finem quemadmodum illius finem, haudquaquam initium. Quod longa verborum continuatione demostrat Galenus primo de dignoscendis pulsibus. Sed quorsum hæc solis luce clariora tanta sedulitate à me subjiciuntur, & supponuntur? Nimirum ut pateat apertumque sit meæ orationis propositum susceptumque consilium. Nam finis contractionis non sentitur. Quare si ictus, quo ipsum cor ferit pectus, finis est contractionis, à tactu percipi non poterit, quod asserendum non est, igitur erit aliqua pulsus pars, ex duabus præscriptis, cujus modi sunt terminus dilatationis, & initium contractionis, id verò nunquam percipitur, antequam illius sensus rectè capiatur. Ergo percepta cordis motio sub læva mamma, ejusdem erit distentio & explicatio.

His accedit, quod si cor mucrone suo thoracem impelleret, non sentiretur ictus ad sinistram mammam, sed feriret costas, quæ sunt multò infra, quam mamma ipsa, eas nimirum percuteret, ad quas pertingit. Nam dum contrahitur cor, cum producatur in longius, cuspis illius fere pervenit ad extrema usque notharum costarum, in quæ septum transversum inseritur. Enimverò ictus manifestò percipitur circa mammam sinistram: in partibus autem subjectis nullus motus attenditur: cor ergo non cuspide sua, sed ventriculo sinistro distento pectus pulsat.

Vnum

Vnum tandem restat nobis, ad quod attingendum, ut Galeni locis, ad tuam sententiam stabiliendam adductis, satisfaciamus, quod quidem visus est ipsemet præstitisse libro sexto de usu partium loco proximè citato. Etenim natura, inquit, cor in medio omnino thoracis spatio collocavit, loco, cū ad firmitatem, aptissimo, tum autem ad æquabilem ex toto pulmone refrigerationem, oportunissimo. Et paulò post. Verum ad huius dextram, alter ventriculus existit ad venam cavam, & hepar conversus, qui argumentum esse debet, non in sinistris utique cor omnino positum esse, sed medium planè, non solum huius modo dimensionis, quæ ex latitudine expectatur, sed aliarum etiam duarum, quæ ad profunditatem thoracis ac longitudinem pertinent. Hæc Gal. Ecce in medio thoracis collocati cordis, tantulumq. ad lævam partem inclinati cuspis, quamvis sursum versa, non potest attingere thoracem, ut eò ictus referatur, qui sub mamma percipitur. Vnde quo tempore dilatatur cor, astricta & contracta longitudine, redditur amplum, ita, ut pulmonem præmat, cuius intercessione ferit pectus. Quoniam admirabilis artificiosaq. natura, pulmonem cordi extrinsecus circundedit illum quidem, veluti molle Salratorium, ipsi futurum, ut magister Plato in Timæo dicebat.

Sed quoniam nostra disputatio ad extremum perducta est, orationi meæ modum & finem libenter faciam: non certè rogandi sanctissimam Trinitatem, Patrem Filium, pro nobis immolatum, & Spiritum sanctum, ut intercedente virgine matre, vita integerrimè ac honestissimè peracta, in numero te suorum habeat, & reponat, meq. in gratiam recipiat, qua possim illi, & servire, & prorsus valdè placere. Vale nobilissimi Monspelienssium Gymnasij decus, & ornamentum, ac tuum Rossellum ex animo ama, vel (ut ita dicam) redama. Barcinone Kal. Decembris, anno à die Christi natali M.D.XCIII.

(·.·)

Fundación Uriach

AD IOHANNEM DE CARAVAIAL DOctorem Philosophum & Medicum, in Academia Hispalensi Medicinæ professorem, & Philosophiæ decanum.

VT primùm intellexerunt magistratus omnes Cataloniæ, doctissime vir, magnum Ducem Alcalanorum Barcinonem venturum, repentè incredibili lætitia perfusi sunt, tum propter nominis celebritatem, quia avunculus eius per aliquot annos hunc Principatum omnium magno applausu gubernavit, tum, quod præclarissimi viri gloriosa fama ijdem, quibus terrarum orbis, finib. circunscribatur. Quid enim aliud ex animi celsitudine, & magnanimitate huius viri excellentissimi, quam prosperum, & felicissimum eventum omnib. in reb. poteramus expectare? Nam in eo fulget summa prudentia, virtus quidem, quæ, ut scribit Aristoteles est habitus agendi vera cum ratione circa ea, quæ homini bona, aut mala sunt, &, ut D. Thomas, recta ratio agendorum, hoc est, actuum humanorum in nobis immanentium. Nam ea consiliamus, iudicamus, & præcipimus, quæ ad bonum finem totius vitæ humanæ pertinent. Quare Damippus Pitagoricus: prudentia, inquit, est, quæ res definit, ac definitas disponit, ideoq. cæteratum virtutum dux, & mater est: siquidem omnes virtutes ad præscriptum, & rationem prudentiæ constituuntur. Hinc Bias Græcus philosophus, cum attento animo intueretur prudentiæ necessitatem ad negociorũ exordia, ut inde feliciter, perficiantur, dixit: cogita, & deinde fac, meritò quidem, quoniam, Hesiodo, principium dimidium totius. Verum nostri magnatis prudentia est præter omnium opinionem, utpotequæ non ex sola natura, sed ex diligentia & industria proficiscatur: quod autem labore, ac sedulitate acquiritur, magis apud omnes est in honore, quam si insit à natura. Nam ut dicebat Euripides, labor gloriæ genitor: unde, quod natura largitur, laudamus: at si cum natura labor, & collaudamus, & gratulamur. Quæ quidem coniuncta cum virtb. prudentia est, ad quam illud Homeri quadrat. Et juxta ductor bonus, & certamine pollens.

Ergo amplissimè triũphavit, vehementerq. lætata est uniuersa ciuitas de illius adventu: sed magnopere medicorum collegium, quoniam vir prudẽtissimus, atq. optimus, quo suæ valetudini, uxoris & familiæ indulgeret, elegit tres Doctores eximios, qui medicinam fecerunt, diligenterq. curarunt quotquot in eius palatio difficulter ægrotarunt. Oblectabatur dux, ab illis cumulatè satisfiebat uxori: medicorum enim fides mulierib. innititur, quæ magna infoelicitas est. Attamẽ, volẽte Deo, ita casus tulit, ut ambo inciderint in scabiẽ, sed, cum hæc affectio anteambulonẽ semper ducat pruritum, bonus dux continuò scalpebat. Nã, ut scribit Magister Plato in Philebo, pruritus invehit voluptatem. Vnde in Phædone Socrates, dũ scalperet crura, quæ fuerant occupata compedibus, dixit se nunquam percepisse maiorem voluptatem. Quandoquidem, etsi pruritus sit species doloris, quem acris humor evacuatione, & partium restituta unione exhauriat scalpellatio: tamen hæc molestiam, & dolorem cõmovet, cum partem cute nudat.

Quare

Quare perfricādo sanguinis attractione, in brachio ejus sinistro inflāmatio nata est. Doctores, & selecti chirurgi, qui tum aderant, intemperiei humore comitatę, abjecta omni cunctatione, applicatis, & appositis ex arte remedijs, mederi tentarunt: sed, cum naturales causæ tempore indigeant, atq. frequenter culpetur mora, non defuit quidam vulgaris & importunus homo, qui credulo ęgrotanti persuasit, ut empiricum quendam accerseret, quem, cum vocatus fuerit in ultimo tempore inflammationis, illa curatio beatitudine donavit. Hinc excellentissimus vir stomachū erumpens, molestèq. ferens tantam retardationem, dixit (certus sum hac de re) non est, qui medicam artem calleat in hac civitate. Quamobrem medicos, & chirurgos continuò despexit, & statim omnes missos fecit, empiricumq. fortunatum coluit, & indulsit.

Sed quoniam fortunatum dixi, non mittam ista, usque dum aliqua dixero de Fortuna, quoniam hujus rei præstigiæ, ac fallaciæ multos errores pepererunt. Fortuna & intellectus, docente Aristotele secundo physicorum, circa idem versantur: quamquam accidat fortuna ob defectum intellectus, qui nō potest providere omnia futura, nequid accidat prętęr ejus intentionem. Vnde accuratè scribit secundo magnorum moralium, ubi est multum intellectus, ibi esse parum fortunæ, & ubi est multum fortunæ, ibi esse parum intellectus. Ejus hæc sunt propria verba. Fortuna in ejusmodi esse videtur, ubi neq. mens ulla, neq. recta ratio est. Nā ubi id nihilominus est quidquā ordinatum, ac est semper eodem modo: non ita fortuna. Id circo ubi mens plurima, ac ratio, ibi fortuna minima, ubi plurima fortuna, ibi mēs per exigua. Quod sine dubio transcripsit ex magistro Platone in Gorgia, vbi dicebat Polus Fortunam esse inimicam arti, sociam autem, & comitem imperitiæ: Plato verò ex Medicinæ parente Hippocrate, qui libello de arte firmissima ratione demonstravit, Fortunam incurandis morbis nihil posse. Quod si eandem in Medicina, vel alia quapiam arte, admisisse videatur libro de locis in homine, ibi non loquitur de fortuna, sed de felicitate: hæc enim loquitur doctissimus Mercurialis adnotatione in eum locum. Quam Hippocrates videtur Medicinæ sequacem facere fortunam, non ea est, quam vulgus putat, quam-ve in superioribus (libello nimirum de arte) medico minimè necessariam esse probavit, sed nihil aliud mea sententia, quam Eupraxia & Eutychia, hoc est, felicitas illa, quæ secundum etiam Aristotelem prudentium operationes semper comitatur. Studeant igitur medici artis suæ regulas cognoscere, atque secundum illas operari, nec fortunæ umbratilis minas ullas extimescant, quoniam opera illa fortunata erunt, quę à prudentia, & scientia semper exibunt. Hæc est Mercurialis Hippocratis sensus illustris explanatio, si mulq. illius admirabile judicium de fortuna. Nam longè turpissimum est, ut Galenus ait in exhortatione ad bonas artes, Lacuna interprete, rationis vim negligentes, caducarum rerum studio teneri, ac spretis artib. nos improbæ fortunæ committere, quæ plerunq. bonis viris posthabitis, quorum oportebat haberi rationem, locupletat indignos, ac ne id quidem constanter, sed tantisper donec, pari, qua dedit, temeritate, rursus eripiat dōnata. Quam, qui infelices sequuntur, omnes infeliciter pereunt. Vnde Stoici falsò attribuebant fortunæ, quod est proprium prudentiæ, qua imperante felicem habent eventum, quæ peraguntur, omnia. Hinc Plutarchus libro de Fortuna multa verborum serie monstrat bonorū eventuum copiam, non pendere à fortuna, quæ nulla est: sed à prudenti consilio, & solerti rerum dispositione, quoniam, ut sentit Iuvenalis, nullum numen abest, si sit prudentia.

Digres-

Digreſsionem hanc concludamus divina prudentiſsimi viri ſententiola ſcripta libro ſexto Epidem. Nihil contemnere, nihil temere. Quæ brevis oratio commodatiſsima eſt ad omnia humanæ vitæ negotia, in quib. quidē nullus caſus, nullus eventus deſpici debet, etiamſi prima fronte minutulus videatur: nihil enim fit ſine cauſa, quæ aliquam ſignificationem poterit præſtare ſapienti: nihil præterea temere tentandum quidvis, ut faciunt quidam audaciſsimi, nam experimentum periculoſum eſt, quin omnia ſuo tempore exequenda: eſt enim præceps occaſio, cujus medicus inventor eſt, docente Galeno. Ex quib. apertiſsimè conſtat doctos viros prudentes, & cautos eſſe: temerarios verò ad audendum projectos, quia, ut à Divo Hieronymo præclarè dictum eſt, imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Valeant igitur infimæ ſortis & abjecti homines, qui doctos medicos infortunatos reputant, dementes autem empiricos maximè commendant, quoniam hæc mulierculatum, & hominum vulgarium & communium ementita opinio eſt, contra quos Ovidius, quem, quæſo te, audi.

Quid facis, ha demens? cur ſi fortuna recedat,
Naufragio lachrymas eripis ipſe tuo?

Sed illuc oratio redeat, unde defluxit, atq. tametſi minor omnib. qui ægrè admodum tuli hanc turpitudinis notam, vitæq. maculam, volui ad te ſcribere, & vehementer deprecari, ut, cum ad virum excellentiſsimum conſcripſeris, vel Hiſpali, cum eo ſermones contuleris, malos dolos detegas, eundem tanto errore liberes, certiorem q. facias de noſtro ſtatu, & conditione. Quòd vero id poſsis aſſeveranter præſtare, atq. in te recipere, ecce decrevi aliquas artis quæſtiones tibi proponere, ad quas, ut reſpondeas, rogo, & inſigne, ſingulare q. beneficium in nos conferas, tametſi nullis officijs provocatus. Ergo priſtina urbanitate uſus, & accepta licentia, facultate q. ab ſtudio humanitatis, ac literarum, in quo verſamur, atq. à te, præſtantiſsime doctor, liceat mihi te laceſſere, & ad monomachiam, ſingulare q. certamen provocare. Præludium pugnę ſit ſcemmatos propoſitio. Quinq. difficultates ad te mitto, ac ſi quinq. jacula jeciſſem. Priores duæ ad theorian pertinent, poſteriores praxim reſpiciunt: interjecta utrobiq. eſt.

Prima ſit contra Galenum, qui in morborum differentijs enumerandis redundans, & ſuperfluens viſus eſt. Libro de differentia morborum capite quarto ſic habet. Morborum partium inſtrumentalium quatuor ſunt genera. Primum eſt, ubi forma conveniens membro fuerit vitiata: ſecundum, ubi in numero reperitur vitium: tertium conſiſtit in organi magnitudine: quartum in depravata compoſitione, quæ duas habet differentias: altera eſt in variato poſitu: alteram multis nominib. appellavit. Nam libro primo de uſu partium dicta eſt plocle, implicatio, nexus, textura, interpres connexionem tranſtulit. Citato capite quarto, primo de locis patiētib. decimo methodi, & libro de cauſis morborum appellatur coinonia, communio, locieras, conſenſus: ſed capite decimo ejuſdem libri de differentia morborum homilia, applicatio. Quod à te quæro, doctor egregie, nihil aliud eſt, quam quid ſit hęc partium in inſtrumentis copula vitiata: illius eſſentiam ex poſtulo: eſt accidens, ergo refertur ad aliquod ex novem ſummis generib. Profectò non videtur diſtingui ab apoſpaſmate, avulſione, contiguitate nimirum, quam inſtrumentorum continuitatem Gal. appellat, vel à morbo in ſitu, ergo ſuperfluus fuit Gal. Primò non diſtinguitur ab apoſpaſmate: nam illa ſunt omnino idem, quorum unum ablq. alio, non modo non inveniri: ſed ne cogitari quidem poteſt: at quandocunq. corrumpitur continuitas organica, partium,

connexus

connexus pariter vitiatur, & quotiescunq. connexus divellitur, nullumque adest commercium, partes etiam disjunctæ, & interruptæ sunt: continuitas præterea excogitari non potest absq. connexu, vel connexus absq. continuitate, saltem aliquantulum vitiata, ergo apospasma, & instrumentorum vitiata continuitas propria, & connexio idem sunt omnino. Valet assumptio, quoniam continuitas organica nihil est aliud, quam societas, & contagio particularum, quæ instrumenta conglutinant: connexio verò est societas, & vicinitas earundem particularum. Quis autem poterit hæc, vel re ipsa, vel ratione, nisi tantum nomine à Galeno impositio, separare? Iam, ut ad differentiam aliam me transferam. Si omnes in instrumento particulæ proprium locum occupaverint, quis dixerit eas dem in eo non bene applicatas existere? Exemplo sint laxitas, intensio, abruptio. Quod in abruptione particulæ deductæ fuerint à proprijs locis manifestum est. In laxitate partes disjunguntur, divelluntur q. Intensione maximè conjunguntur & vicissim compellũtur, quo fit, ut semper à suo loco dimoveantur, veluti in ligatione linguę, & pudendi subconvulsione videre est. Tandem, cum oculorum palpebræ cohærent loci & situs partium mutatio manifesta est. Videas ergo, quam inutilis ac sine usu fuerit adducta hæc compositionis differentia, à continuitate instrumentorum, & situ diversa.

Secunda quæstio est de tertia differentia symptomatum, quæ propriè dicuntur. Cum Madriti essem, familiaresq. sermones conferrem cum doctissimo Petro Garcia, inter alia enixè postulavi ab eo explanationem illorum Galeni verborum: *alia hæc ambo comitantia*, quib. describere videtur hoc symptomatum genus. Respondit vir bonus & sapiens, se nullam aliam interpretationem legisse doctiorem, quam, quæ tradita fuit à Francisco Valleriola, & à Germano interprete admissa. Contrapugnavi ego, Garcia probè respõdente: sed utriusq. instantiæ & objectiones in nostro Musæo, &, ut existimo, vestro contestatæ, & vulgatæ sunt. Quare hic longiùs progrediar: & exte exquiro, consummate professor, quid est illud, quod ambo comitatur? Quid est illud, quod constituit tertium symptomatum genus?

Porrò necesse non est, quod tertium genus symptomatum ab alijs duob. diversum statuatur. Nam duo se nobis offerunt in hoc genere consideranda. Primum actiones ipsę excernendi, & retinẽdi, quæ ad læsam actionẽ apertè referuntur: deinceps substantia, eaq. triplex, excreta jã, quæ nunc excernitur, & quæ deinceps excernenda est. Iam excreta, quoniã abest à corpore, symptoma non est: sic morbum numeri deficientis, non ad partem sublatam referendum censet Gal. sed ad reliquam, quæ adhuc manet, & servata est. Itidem substantia, quæ excernitur, si propter aliquam vitiosam qualitatem excerni contingat, sub affectu, & qualitate mutata continetur: si verò excernitur, vel retinetur absq. aliquo vitio, sed ob solam culpam facultatis expultricis, vel retentricis actio læsa est, quoniã in hoc eventu, ex parte rei excretæ, vel retentę, nihil cogitare possumus, quod extra naturam sit. Tandem substantia, quæ venit excernenda symptoma non est, sed causa morbi, vel præsentis, vel imminentis, plethora scilicet, vel cacochymia.

Iam verò utrum ad excreta, retentaq. an potius ad excretionem ipsam, & retentionem pertineat ex Galeni doctrina vix colligas. Siquidem aliàs substantiam excretorum, ac retentorum considerat, aliàs actionem circa hæc præter naturam. Et substantiam quidem intelligit lib. de artis constitutione, ubi hoc symptomatum genus in excrementorum immoderatione, ἀσυμμετρίᾳ, reponit, quemadmodum lib. de diff. symp. Quod quidem apertè significat in fine ejusdem libri, dum scribit. Quæ verò, vel à corpore excernuntur, vel in

eo præter naturam detinentur, eo quoq. in primas tres diducuntur differentias. Item secundo libro medendi methodi. Diversa, inquit, ab his sunt (de corporis affectib. præter naturam verba fecerat) quæ immodicè à corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur. Tandem duodecimo meth. hanc symptomatum differentiam similiter retentorum vacuatuorum ve immodico excessu, ἁπλῶς, collocavit. Verum in fine lib. de diff. symp. paulò post illa verba, quę modo protuli, quod statim proponit exemplum, actionem denotat, potius quã substantiam excrementorum: hæmorragia enim non est sanguis ipse, qui effunditur, sed sanguinis eruptio facta errore facultatis expultricis, aut retentricis, aut utriusq. Sic etiam Dysuria, Ischuria, Strãguria, & Diabete excretiones, aut retentiones præter naturam factæ, non urinam ipsam, quæ retinetur, aut expellitur, indicãt. Id ex eo confirmatur, quod ipse recensens actiones motrices, inter eas obiter Ischuriam & Dysuriã enumeravit. Sed apertiùs multò lib. tertio de caut. symp. hęc inter actiones (motus, inquam, depravatos) constituit. Vnde secundo methodi immodicas, vel inanitiones, vel retentiones symptomata vocat. Immodicæ igitur, & præter naturam expulsiones, & retentioni, quæ actiones sunt, tertium genus symptomatum assignare videtur. Sed quid tertio genere opus est, cum excretio, & retentio sub actione læsa contineantur, retenta verò, sive plus justo aucta, sive à sua natura recedentia, vitiosaq. non symptomata, sed multorum morborum causæ fiant?

Qui cortice tenus verba Galeni tractaverit, arbitrabitur excretorum, & retentorum excessum, immoderationemq. definire tertium symptomatum genus: excrementa enim, quà excrementa, morborum quidem causæ: at quà immodicè excernuntur, & immoderatè retinentur, symptomata sunt. Hic tamẽ magnus est error. Nam excessus, & immoderatio nihil aliud est, quam declinatio in statum præter naturam. Vnde lib. de diff. morb. præter naturam, & immoderatum in idem cadunt, veluti secundo medendi metho. ubi hæc scribuntur. Diversa ab his sunt, quæ immodicè à corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur. At symptoma generaliter dictum definitur id, quod præter naturam est: unde si præter naturam esse adæquatur cum generali symptomate, ac propterea nequit præscribere symptoma specialiter sumptum, multò minus constituet aliquam differentiam illius. Quare tertium genus symptomatum ab excrementorum immoderatione vel excessu constitui non potest.

Iohannes Fernelius tertium symptomatum genus appellavit excrementorum vitium, quam opinionem Ioubertus & Horstius, atq. alij quam plures secuti sunt: tamen quod sit hoc vitium nullus explicavit. Nam virtus dupliciter dicitur. Primò latè sumpto ejus nomine: deinde verò propriè. Virtus latè est dispositio perfecti, ut docuit Ar. perfici autem unumquodq. cum virtute informatur, ex eo ostendit, quia virtus est propria cujusq. rei perfectio, quam unum quodq. cum obtinet, secundum naturam bene habet, & in suo genere bonum dicitur: sumit enim Aristoteles eo loco virtutis nomen laxiori significato pro ea qualitate, qua res ad suum munus rite obeundum idonea redditur, quod genus virtutis etiam plantis convenit, humoribus, actionibus, coloribus & excrementis, immo & artefactis, ut circulo, cum formam naturæ suæ debitam habent. Propriè autem virtus est habitus electivus consistens in mediocritate, quæ ad nos est, judicio prudentis viri, ut definit idem Ar. quæ virtutis moralis definitio est, ut liberalitatis. Similiter vitium bifariam distributum est. Primò sumitur pro remotione, aversione, & recessu à perfectione cuiq. rei debita secundum suam naturam. Præterea vitium est

habitus

habitus contrarius virtuti morali, qui à mediocritate recedit. Portò quam vitij acceptionem intelligit Fernelius? Vt ego existimo, primam mẽte complectitur, qua vitium est recessus à natura, quæ debetur excrementis, defectuſq. perfectionis, quam tribuere solent facultates nostrum corpus gubernantes excrementorum substantiæ, quantitati, & qualitati. Vnde vitium hoc loco non est cacochimia, humorumq. pravitas, sed latiùs patet, quoniam in sola quantitate excreti etiam peccatum adest, ut optimi sanguinis in effluvio mensurno.

Veruntamen Fernelius nihil excogitavit distinctum ab excessu, & immoderatione, vel ab eo, quod præter naturam est, quoniam prorsus idem sunt, immoderatum, vitiosum, & præter naturam. Quod idem sint immoderatum, & præter naturam dixi dudum. Quod non distinguantur vitiosum, & præter naturam, ex primo methodi constat, ubi traditurus Gal. affectuum præter naturam exemplum, adduxit coloris vitium: deinceps lib. secundo pro exemplo alterius generis protulit actionis vitium, intelligens proculdubio, & colorem, & actionem prẽter naturam. Cum igitur excessus, & immoderatio, præter naturam, & vitiosum esse, omnes differentias symptomatum generaliter constituant, atq. nullam differentiam specificam designent, concludendum est Fernelij nomenclationem, vel appellationẽ propositæ quæstioni non satisfeciſſe. quærimus enim hoc loco quid illud sit, à quo specialiter constituantur excreta & retentæ in tertio genere, atq. in tali esse symptomatis.

Nuperi nonnulli, ut ex quibusdam adversarijs observavi, sic respondent huic quęstioni. Per hoc symptoma tertij generis in excretis, & retentis, non intelligimus ipsam excretionem, & retentionem simpliciter, quoniam actiones sunt, & ad secundum genus symptomatum referuntur, neque possumus mente concipere substantiam ipsam excretam & præter naturam retẽtam, quia hujusmodi substantię sunt causæ morbificæ, sed utrumq. debemus intelligere, scilicet actionem excretionem, & retentionem, atq. substantiam excretam, & retentam.

Nugæ sunt meræ, quas Galeni sentẽtia facillimè exterminabimus. Secũdo lib. medendi methodi, quę præter naturã sunt partitur in duas classes vir doctiſsimus: alia essentiã habẽt positã in fieri, cujusmodi sunt motus omnes, actiones, & passiones: alia vero habent essentiã existentẽ & permanentẽ, ut habitus, affectus, & termini motu jã acquisiti: hoc autẽ genus symptomatũ, de quo sermo est, in motib. numeravit, actionique læsæ associavit, nequit ergo perpeti alicujus rei permanẽtis admistionẽ. Idẽ scripsit undecimo lib. ubi eorum, quæ præter naturam sunt, seriò decernit duas primas differẽtias, unam per se subsistentium, ut putà affectuum: alteram in generatione suam essentiam habentium, ac umbræ ritu affectus concomitantium, nempe actionum læsarum & hujus tertij generis, de quo verba facimus, quod quidem in aliqua natura simplici, & minimè dubia debemus collocare, ac inde concludere ex recrementis & actionib. non componi, cum ens per accidens non sit, sed in uno & certo rerum genere collocandum.

Porrò progrediamur ulterius, quò pedepressim accedamus ad praxim. Tertia quæstio de curatorijs indicantib. sit, quæ tria constituit Gal. & facilè consentit medicorum communio, morbum, naturã, aerẽ. Auctoritates omitto & unicum tantum esse indicans curatorium demonstrabo. Præmitto medendi methodi & curationis perfectionem esse cujusq. morbi remediorum inventionem, vel docente Galeno, quoniam de fine suo non deliberat medi-

cus;

cus: Aristoteli enim de fine consultatio non est. nihilominus tamen, cum ea, quæ ad finem ducunt, nimirū media, & remedia, non semper sint in promptu, ideo de his instituitur consultatio, ut eligantur ea, quæ ad finem consequendū aptissima sunt. Hæc electio fit nolimus licet, morbi natura perspecta, ex cujus cognitione rationalis curatio exorditur, quia natura morbi significat id, quod à medico præstādū est, quæ designatio σημεῖον, indicatio dicitur, quæ quidem est veluti emphasis consequentiæ: emphasis verò figura, qua ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, quum aliter subest intellectus, quam verba per se declarent. Sic indicatio veluti emphasis est, nempe representativa significatio, seu declaratio, quæ plus significat, quam eloquatur. Nam φαίνεσθαι est apparere: ἐμφαίνεσθαι, in alio apparere, & quasi per simulacrum sese in lucē proferre: hinc deducitur nomen emphasis, in alio apparitio, imago, representatio. Ergo indicatio est inventio, cum medicus ex natura rei, scilicet ex natura morbi concludit consequens, quod inde sequitur, nempe remedium. Experientiâ quidem etiam consequens invenitur: cæterum non in aliqua præcedente natura designatum. Vnde quemadmodum oculus in speculo rerum percipit simulacra, sic intellectus nosset ubi primùm cognoverit morbum, continò in eo apprehendit remedium. Dicamus præterea curatorium indicans esse agens præter naturam, in corpore permanens, & cognitum, quod juvans auxilium postulat. Nam, quod non est, & quamvis aliquando fuerit, in præsentia tamen non adest, nihil postulat, si adest, & juvans auxilium non designat, vel ignotum fuerit, nihil indicat, quod exequendum sit. Quæ verò una cum indicante aliquid opis præstant ad auxilium investigandum, coindicantia, hoc est, simul indicantia dicuntur.

Quib. jactis naturam & aerem curatoria indicantia non esse monstro. Curatio & remedium elicitur primo, & per se ex natura indicantis curatorij: sed curatio & remedium educuntur ex natura solius morbi primo & per se, ergo solus morb. est verum indicans curatoriū, non natura, vel aer. Propositio constat ex fundamentis, quæ jecimus. Accedo ad febricitatem, quod primùm mente cōcipio, morb. est, in cujus natura præcognita, cum præter naturam sit, tanquam in speculo representatur ablatio: sed cum ille morb. sit febris in ejus natura, quæ intemperies calida præter naturam est, designatur ablatio per remedium frigidum à sola intemperie calida postulata primo & per se. Dices, non potest progredi curatio, quoniam ignoratur quantitas remedij frigidi, quæ colligenda est ex comparatione facta inter morbum, & naturam. Nam eget febricitat trib. caloris præter naturam gradib. si voluerimus adhibere remedium frigidum, prius debemus inquirere caloris excessum, qui non potest cognosci, quin determinemus, quot gradib. caloris præditus erat ægrotus antequam febricitaret: ecce ad id determinandum natura opus est. Vera sunt omnia: attamen nos loquimur de illo indicante, quod ad remedium fertur nosq. inducit in illud primo & per se, cujusmodi solus morbus est. Percipio plane conferre naturam, ac nos quasi manu ducere ad remediorum inventionem, ut naturalis temperies, quæ aderat tempore, quo quis ægrotare cæpit, ætas, sexus, vitæ genus, consuetudo, naturalis proprietas, pars affecta, cæli status cum anni tempore, locus, regio, item brevitas, & longitudo morbi, ejusq. tempora, particulares accessiones, & similia: sed hæc per accidens indicare dicuntur, ubi cum vero indicante conferunt ad inventionem remediorum, propterea coindicantia dicta sunt. Quamobrem ex solo excessu morboso colligimus quantitatem remedij proximè ac sine alicujus rei interjectione: sed ut assequamur excessum, naturam inquirimus, quæ quidem

ut

ut proximè primo & per se respicit sui cõservationẽ, ita remota est à rutatione & ab invẽtione remediorũ, ad quam remotè & per accidens à medicis applicatur. Nam si ex alio possemus elicere recessum, ut divina virtute, & per revelationẽ (quod fieri potest) profectò naturã parvi duceremus. Hinc constat ex solo morbi excessu elici quantitatẽ remedii primo, & per se, quoniam si ex natura educeretur, nulla potẽtia posset aliter contingere. Plures possent huic rationes comitari, sed hæc satis est. Aer præterea curatorium indicans nõ bene constituitur, quoniam tũ causa externa, tũ materia medica est, nec in corpore permanens, indicans autẽ intus permanere debet: ergo indicat eo modo, quo regio, cæli status, & anni tẽpus, quæ illius causæ sunt, vel docente Galeno: hæc tamẽ indicant, quà conducunt ad cognoscendum affectũ specificum, particulare, & propriũ, ergo non confert ad inveniendũ remedium primo & per se, ut perpetuum indicans curatoriũ: quandoquidem aliquando morbi causa, nonnũquam remedium est, quod à natura indicantis curatorii plurimùm abhorret.

Quarta quæstio sit de purgatione morborũ in principio. Neq. existimes in vulgatam controversiam me intromittere voluisse de purgatione humorum crudorum, quæ in secunda corporis regione existentes, morbum aliquem fovent, cum exploratum habeam, vos minorativas dictas purgationes abhorrere. Sed quod à te quæro, magni nominis professor, illud est, utrum in principio, existente, inquam, materia cruda, primo, vel secundo die possimus propinare medicamentum purgans, quod nec detineat operantẽ naturã, jam jã in morbũ irruentem, nec in venis secundis humores quietos obturbet: sed solũ ventriculum intestina, & primas venas à cruditatib. si redundaverint, ut persæpe cõtingit, vindicet ac liberet. Cõtẽplor putri febre laborantẽ, qui dominico die, vel sequenti altero correptus, me vocat secundo, vel tertio: attingo pulsum magnum velocem, & inæqualẽ: conspicio totiũ, tũ crassitudine, tũ colore à naturali habitu aliquantulum recedens: nõ enim adhuc natura concoctionẽ aggressa est. Conjicio quid postulet humorũ copia, & quid cũ ea sentiant ægrotantis vires: requiro, nũ injecto enemate cõtinuo tundã venã, an statim, si primo diluculo accesserim, tradã ei poculũ, vel si venerim serò, præscribã ebibendũ die crastino? Fortasse respõdebis cũ Galeno tertio simp. purgantiũ medicamẽtorũ tres omnino dari differentias, quarũ prima est lenientiũ, quæ minimũ ab alimẽti naturâ deficiũt, cuiusmodi sunt pruna, violæ, manna, serũ lactis, medulla cassiæ, rosæ alexandrinæ saccharo conditæ. Secunda est eorum, quæ malitiosa sunt, in quib. vis inest venenata, quo in numero cõtinentur scãmoniũ, elleborũ, colocynthis. Tertia est media inter priores differentias, quoniã cõtinet medicamẽta, quæ mediocria meritò appellãtur, quia neque adeo benigna sunt, ut priora, nec adeo, ut posteriora, maligna, cuiusmodi sunt rhabarbarũ, agaricũ, polypodiũ, sena, atq. alcẽ. Iã prioris differentiæ medicamẽta vocata lenitia (nisi aliquod enema satis fuerit) quovis tẽpore morbi, qualibet ætate, sexu, adeoq. mulierib. utero gentib. quovis cæli statu, cũctis propemodũ morbis, & ægrotãtib. facilè cõcedẽda. Verũ, si loquamur d aliis medicamẽtis, in ptĩcipiis morborũ præcipuè acutorũ, ne cõcoquẽtẽ naturã remoremur, ab his perpetuò abstinẽdũ. Quæ sanè optima opinio est, & multò magis cõsona rationi, quam illorum, qui nullo constituto discrimine, omnibus ægrotantibus validius pharmacum statim primo die præscribunt. Profectò Madriti in quadam officina pharmaceutica evolvens & lectitans remedia præscripta quibusdam infirmis, qui acutis morbis laboraverant, in admirationem raptus sum, quoniam omnibus primum remedium fuerat potio ex syrupo regis & decocto Pugini,

quod est illis ex Sena, polypodio epithymo, semine cartami, & fœniculi, mox sequebantur syrupi alterantes ad aliquot dies, tandē eadem potio purgans, & frequenter quantitate minor, ut obsérvavi, quoniam, ut opinor, indeclinatione quælibet expurgatio illis erat satis. Sed, ut verum fatear, plures potiones legi, & diligenter attendi cū subsequentib. syrupis multorum, qui alteram potionem, ut sperabant, non expectarunt. Quare referam, quæ adversus aliquos Doctores (adest enim illorum ibi magna turba) notavi, atque reprehendi: & si non sum naturā philoplogos. Quibus obsérvatis, cum tempus licuerit, & responsione delectaberis (si te fortè stimulaverint) amabo satisfacias.

Porrò Medicinæ parentes usque eò soliciti erant de naturæ actionibus, adeoque timebant in morborum principiis agitationem humorum, qui in jecore & venis concoqui incipiebant, ut maluerint vacuationem prorogare, minus damnum eligendo, quam naturam reprimere, ac retardare, illiusque inchoatam concoctionem detinere: atque tantùm abest, ut in morborum principiis uterentur purgantibus valentióribus, cujusmodi sunt rhabarbarum, sena, polypodium, quæ omnium opinione transcendunt primas venas, ut potiùs, expectata natura, à lenientibus abstinerent libentiùs. Audi Galenum veterum aliquorum verbis fidem habentem hac de re libro de Cur. per sang. miss. Ergo, quod maturandum sit, in quibus vacuatio ex usu est, nisi prius concoqui, aut cibos, aut in primis venis contentos semicoctos humores oporteat, rectissimè præcipiunt, habenda fides est. Vndecimo methodi. Quippe si vires ejus, qui ex putredine humorum, ut positum est, febricitant, valentes sunt, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente. Nono ejusdem operis. Attendenda verò, cum venæ secandæ indicationibus sunt, tum quæ eam præcedunt, tum verò, quæ omnino excipient: nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem debes, quantum satisfacere, tum ad eorum coctionē, tū ut excrementa descendant, videbitur. Addo Galenum aliquando distulisse vacuationē, ubi ventriculus alimenta difficulter concoxisset. Eodē libro. Ergo, inquit, qui palestræ peritus juvenis erat, ubi febricitare hora prima noctis cæpisset, postridie cū manè circiter horam diei tertiā vidimus. Cū autē invenissem febrē admodū calidam, sed pulsus æquales, & maximos, & celeres, & frequētes, & vehementes, tū caloris qualitatē, quæ tactū minimè morderet: jā verò & urinas, tū crassitudine, tū colore à naturali habitu nō multū alienas: audiens præterea hominē circiter triginta dies exercitationis cōsuetudinē intermisisse: pridiè tū exercitasse se vehemētius, cæterū nō multū: sumpsisse autem solitos cibos, atq. eos concoxisse, quamvis tardè, & ægrè, utpote cū febris vesperè occupasset: cū interim rubicundus, plenusq. homo appareret, atq. etiā plenitudinis sensum se percipere diceret, faciēte interim quodam eorum, qui aderant, de vena secanda mentionē, visum nobis est, eius auxilii considerationē in aliud tēpus remittere, simul ut certiùs sciremus, cuius generis febris esset simul necessariò propter eam, quæ præcesserat, cōcoctionis tarditatē. Ecce concoctionis ventriculi tarditas retardavit evacuationē. Non ne poterat leniens aliquod præscribere, vel actum enema injicere? Hoc quidem non prestitit Gal. extimescens humoris crudi febrim promoventis commotionem. Vnde primo ad Glau. in curanda tertiana exquisita ad expurgandam bilem, non probat usum absinthii, quod est medicamentum leniens, & familiare, nisi postquam

signa

signa coctionis apparuérint. Hæc, amabo te, si merentur, relege, & quid tibi videatur rescribe: quoniam tua sententia gravissima erit apud nos, magnique æstimabitur.

Quinta, & ultima quæstio similiter est de purgatione, utrum scilicet ex usu sit in dysenteria, quæ, ut à definitione incipiamus, dejectio cruenta est ex ulcere intestinorum nata: numeratur enim is affectus à Galeno inter illos, qui nomen susceperunt à parte affecta. Quæ nos allicere & trahere debet ad illorum sententiam defendendam, qui arbitrantur in dysenteria non parum lædere medicamenta purgantia. Nam ad curandas inflammationes, non satis est, Galenus ait decimotertio methodi, scire vacuãdum esse, nulla habita ratione partis affectæ, siquidem ratio, & experientia docent, aliter uni, quam alteri convenire vacuationem: etenim quam longissimè à parte fluxione tentata, quod redundat revellere, nequaquam ad eam trahere convenit. Vnde partibus superioribus inflammatis capite, oculis, palato, faucibus, lingua, medicamento per alvum purgante utendũ est, ut peccantes humores à partibus affectis avertantur: nulla ratione vomendum, ne humores aliunde ad superiores ascendant: dixit enim Galen. libello de venæ sectione adversus Erasistratæos, vomitiones caput evidenter replere: è contrario affectis inferioribus partibus, jecore, ventriculo, intestinis, purgans medicamentum propinandum non est, ne ad partes inferiores humores fluant, & illarum augeantur affectus, sed ita humores revellere debemus, ut ad superiora inclinent ac rapiantur. Similiter inflammatis vesica, renibus, & pudendis, vomendum quidem, sed à dioreticis fugiendum quemadmodum utero inflammato ab his, quæ menses movent. Propterea ego praxim illorum laudo, qui dum curant morbum Gallicum, si fortè in inguinibus suborti fuerint bubones, aut ulcera in pudendis, à fumaria, & ex ea confectis syrupis ægrotantibus cavent, eo quod septimo libro simp. dixerit noster Gal. καπνὸν, id est, fumum, vel fumariam urinam biliosam, multamque provocare. Hæc est doctrina Galeni, qui ad jacta in methodo universalia præcepta, particularia deinceps aptissimè accommodavit. Nam libro nono de comp. med. secundum locos, ubi agit de verè dysentericis, in quibus, neque hepar affectum est, neque alia aliqua adest affectio præter intestinorum ulcerationem, in ea curatione summa solicitudine se abstinuit à medicamentis purgantibus adeo, ut etiam de partibus vicinis fuerit solicitus: etenim in fine libri agens de priapismo, qui partium inferiorum affectus est, hæc commemorat. Quod si evacuatione uti libeat, per vomitum id fiat: quæ enim per inferiorem ventrem fiunt evacuationes, sæpe numero vicinas partes fluxione infestant. Quæ quidem juxta Hippocratis experiẽtiã dicta sunt, qui quarto de morbis popularib. tradit Leambio exadhibito medicamento purgante in dysenteria, in humero & sede ulcus subortum fuisse. Dixerunt aliqui rhabarbarum, quod est medicamentum purgans, convenire dysenteriæ opinione Galeni: verum illa auctoritas nostram fovet opinionem. Galenus octavo symp. non de rhabarbaro, quod certè non noverat, sed de rhapontico locutus est, quod frigidum, ac terrestre constituit, non sanè purgans, & propterea ut adstrictionis particeps sanguinem expuentibus coeliacis, & dysentericis conferre. Non me latet hoc tempore doctos viros uti ad diſenteriam, tum rhabarbaro, tum cortice myrobalanorum parum torrefactis: at ego torrefactionem laudo: facultatem purgantem, si aliqua super est, Galeni præceptis instructus magnopere timeo. Colicum præterea

dolorem obsiciunt nonnulli, quem purgantibus curamus. At in hoc affectu nulla est in intestinis inflammatio, nullum ulcus, nulla humorum fluxio, quorum affectuum ratione revellere debeamus. Quæ sunt ergo prætcribenda in dysenteria, dices, si purgatio non placet? Profecto hæc ad discendum scripsi, non ad docendum: sed bona cum tua venia, sanguinis missio, vomitus, clysteres, provocatio sudoris, & lotii, denique omnia tibi notissima, quæ alò possunt revellere, aut derivare. Sed de his, mihi gravissimis occupationum oneribus oppressò: tibi verò, cui nihil ocii unquam datur, jam satis superq. Quibus pro tua humanitate respondebis, constitutaq. aliqua saltim quæstiuncula, ut sit maius in me tuum promeritum, omnia compẽsabis. Si animi adrit inductio, non deficiet tempus, quoniam nihil est, quod arceat, Pindarus ait, volente Deo, quem deprecor, ut te servet. Vale, vir maxime, tuo & plurium bono. Barcinonæ XV. Kal. Octob. M. DC. X X I.

Iohan. Franciscus Rossellus Barcinonensis D.

EPISTOLAM hãc plenam festinationis, & pulveris ad Hispalensem Doctorem, quem Excellentissimus Dux Alcalanorum hîc pleniore ore laudabat, misit auctor, non expectans solùm, sed illius responsionem postulans vehementiùs. Quam ubi primùm accepit, pollicitus est fideli tabellario, se libenti animo rescripturum: hactenus nihil respondit. Sanè Rossellus non noverat hominem, nunc cognoscit.

Fundación Uriach

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

ACCIDENS, ut pugnat cũ accidente, ita substantia cum substantia decertat. Col. 272. Lit. b.

Actio quid. 37. e
Actio secundum naturam quid. Ibid. f
Actio propria duplex. 300 c
Actio communis duplex. 301. e
Actiones quomodo profluant à constitutionibus tanquam à proximis causis. 1257. d
Actionem propriam intelligit Vallerio la, quæ ad individui, vel speciei conservationem facit. 359. d
Actiones primæ, quę in humano corpore celebrantur tres sunt. 34. e
Actio præter naturam quid. 38. e
Actionem propriam intelligit germani cus interpres, quæ propria est cuilibet instrumento. 359. d
Actionem propriam intelligit Segarra, quæ instrumenti actio est. 360. a
Actionem propriam sumit Solanus, quã cũq. actionẽ, cujuscũq, partis sit. 365. f
Actionem propriam quam intelligat au ctor. 367. d
Actio à nullo alio quam à morbo proximé lædi potest. 483. a
Actio aliquando etiam fit ob aliquod ex consequentibus. 485. h
Ex Actione læsa colliguntur morbi, non exusu; propterea morbus definitus est per actionem læsam, non per usum ablatum. 539. a
Actionis & passionis discrimen. 904. g
Actio læsa affectus non est, sed tantum symptoma, proprié sumpto symptomatis nomine. 913. c
Actionẽ læsam Galeni tempore, aliqui arbitrabantur esse morbum. 1013. a
Actio læsa, vel est abolita, vel diminuta, vel depravata. 1042. a
An actionis læsæ divisio in abolitam, diminutam, & depravatam, sufficiens sit. 1093. c.
Actionis motricis læsæ licet alicujus differẽtiæ, quæ proprium nomen obtinet non meminerit Gal. in divisione, non ob id præteritam esse arbitrandum est. 1050. a. 1063. g
Actiones principes tres imaginatio, ratiocinatio, & memoria. 1054. a
Actio secundum naturam an duplex, animalis, & naturalis, an triplex animalis naturalis, vitalis. 1058. c
Actiones animales & naturales, cur ita vocentur. 1059. h
Actiones principes an similares sint, vel organicæ. 1078. b
Actio similaris quid. 1081. d
Actio organica quid. 1082. b
Actio mixta quid. ibidem.
Actio ventriculi chylosis 1082. d
Actio hepatis hæmatosis. ibidem
Actio cordis. 1083. e
Actio cerebri, ut est instrumentum naturale. 1083. f
Actio musculi. 1083. h
Actio oculorum. 1084. g
Actio cerebri, ut est instrumentum animale. 1085. a
Actio an sit in nostro corpore, quæ verè dicatur ablata. 1093. d
Actio ablata quid. 1094. b
Actio imminuta. ibid.
Actio depravata quid sit. 1098. c. 1105. d
Actionum omnium læsarum morbi sunt causæ. 1199 e
Actio una læsa utrum possit esse causa alterius actionis læsę. 1218. b
Actio non potest lædi nisi à morbo partis, cuius est actio. 1220. f
Actio nulla læsa potest esse causa alterius actionis læsæ. 1221. b
Non omnis Actio præter naturam dicitur à medicis actio læsa, sed ea tantũ, quæ sit, vel apta est fieri ab aliqua parte nostri corporis. 1256. g. 1257. d
Actio omnis læsa proximè & immediate morbo succedit. 1278. c
An aer pestilens, vel medicamentum venenatum sint inimica nobis tota substantia

ſtantia,nõ tamen inde ſequitur quod introducant morbum totius ſubſtantiæ. 275.b

Aer peſtilens temperamento manifeſto fere ſemper calidus & humidus eſt, ſed tota illius ſubſtantia conflata ex tot ac talibus partium temperamentis inimica eſt. 285.f

Affectus dignotio ad curationem valde neceſſaria eſt. 5.a

Affectus nomen libentius applicarunt veteres ad morbum,quam nomen cataſceves. 43.a

Affectus,affectio,diſpoſitio, conſtitutio & compoſitio idem. 42. h

Affectus ſemper accipitur pro qualitate facta,& permanente. 61.g

Affectus nominis ſignificatio. 64.b

Affectus nomen,quantitates, non ſolas qualitates complectitur. 65.c

Affectus vel diſpoſitio, Ariſtoteli eſt ordo rei partes habentis,loco,aut forma,aut potentiâ 65.f. 542.e

Affectus ſuo complexu continet morbum, morbi cauſam, & ſymptoma. 69. g

Affectus dumtaxat refertur ad genus qualitatis. 71.a

Affectus tantum dicitur de illis cauſis,& ſymptomatis quæ ſunt qualitates permanentes,ibid.c

Affectus præter quamcunque naturam, dummodo curationem indicent, & primo ſui ablationem percontraria poſtulent,morbi ſunt. 356.d

Affectus omnis,qui à naturali ſtatu jam receſſit, aut morbus eſt, aut morbi cauſa, aut morbi ſymptoma.892.f.H.

Affectus & morbi diſtinctio.894.c

Affectus & paſsionis diſtinctio. 897.b

An affectus ſit verum genus, quod de morbo,eius cauſa, & ſymptomate enuntietur. 928.e. 952.g

An affectus dicatur de morbo, cauſa, & ſymptomate analogiè. 928. f 952. h

Affectus vel diſpoſitio duplex,altera corpus diſponit, ut ſit, altera,ut agere poſsit. 946. a

Affectus corporis quatuor ſunt præcipuæ differentiæ,viſibiles, olfactiles, odores,ſapores adque tactiles.1233.d

Alphos quid ſit. 407.c

Alimenta per ſimplicem temperiem nõ ſunt alimenta, ſed ex toto temperamento. 284.d

Alimentorum pravorum multitudo remota cauſa eſt diminutæ magnitudinis. 868.g.h

Cum Alimenta aliqua pravè cocta corrumpuntur in ventriculo intẽperiem gignunt ſimilem ei, per quam corpus laborat cachimia. 1257.a

Amphibologiam nominis proprietatis multos decepit. 306.f

Ametria vel ſymmetria quid. 62.f

Amentia quid. 1180. h

Anabroſis quid. 1210. d

Anaſtomoſis quid ſit.330.e 516.a.1208.h

Analogia quid. 62. g.

Ancyloglosſi qui ſint. 457.f

Aneuryſma cõmuniter quid ſit. 1207. h

Aneuryſma proprie quid ſit.ibi.1211. e

Aneuryſmatis color.1211.f.Figura ſitus ibid.g. Mollities 1212 e. pulſus ibid. Indolentia 1213.a. Receptus & regreſſus b. ſibilus c. ibid.

An in Aneuryſmate compreſſo tumore ſanguis & ſpiritus protinus ſe recipiant,& recedente digito revertantur. 1213. d

Vtrũ in Aneuryſmate ſanguis extravaſatus integer & incorruptus permaneat. 1216.f

Anima noſtra eſt ſubſtantia,perfectio & actus corporis naturalis,quod eſt vitæ particeps. 130.h.143.b

Anima movet animal in omnem partẽ. 132. d

Animi paſsiones qua ratione ex ficcare ſolent. 756. b

Animi tranquillitas humectat. 756. d

Animata omnia tribus formis prædita ſunt, una eſſentiali ut anima rationis participe,duab. perfluentibus ab eſſentiali,quæ accidentales ſunt, naturalis & animalis. 819. f

Animata eſſentiali forma,facultate, & temperamento attrahunt: in anima vero forma eſſentiali & temperamento. 820.f

Anima ſeu eius facultas ſunt principia omnium actionum,ſed agere non poſſunt ſine aliquibus inſtrumentis.904.f

Anima vel eius facultas primum agit,unde principium,& cauſa motus, utitur tamen inſtrumentis, quæ primum, & proximè ad actiones accedunt.483.a

Anorexia quid. 1183. f

Antrax quid ſit. 557. f.

Apepſia quid. 1193 a

Aphonia quid 714. b

Aphoriſmus ſextus ſecundæ ſectionis negligẽter à multis cõverſus. 1137.c

Apolepſis quid. 725. f

Apostasis quid. 386. c
Apospasma quid sit. 500. c. 519. d
Apospasma quid sit ignorarunt fere omnes artis medicæ interpretes. 520. c
Apospasma utrum sit affectio propria instrumentorũ an etiã ligamenti, solutio sit. 522. e
Apospasma duplex est. 252. h
Apoplexia quid sit. 1161. a. 1050. a
Apostema quid. 286. e
Appetitus triplex, naturalis, sensitivus, intellectivus. 1112. f
Appetentia utrum sit actio naturalis vel animalis. 1201. a
Aquæ stagnãtes majori ex parte putrescunt, sed quæ in lacu vel lacuna imputridę manent. 1216. h
Archigenis error quod prima genera pulsuum vocaverit qualitates. 9. c
Argenterij error in describendis libris de morbis 9. d Quod reprehenderit Galenũ de clauso & fluxo cõtra Thessalum disputantem 10. a. quod differentias á substantia desumptas confundat cum his quæ oriuntur ab accidente. 12. f
Argenterius carpitur. 63. c
Argenterius morbi compositionem galenicam nunquam penetravit. 129. g
Argenterius carpitur, quod existimaverit Galenum senciſſe minimam declinationem á naturali cõstitutione morbum esse. 210. f
Argenterius ignoratione linguæ græcę multa peccavit. 517 c
Argenterij magnus inter alia fuit error, quod fuerit opinatus, affectus partiũ usum præbentium semper esse causas morborum, nunquam morbos. 539. a
Argenterius reprehendit quinarium numerum causarum morbi calidi. 620. a
Argenterij sectatores omnibus morbis concedunt causam continentem 692. b
Argumentum libri de causis morborum unde colligatur. 617. h
Aristotelis definitiones dialecticas vanas esse dixit. 18. h
Aristotelis opinio de corpore neutro. 982. e
Aristoteli absurdum est cognitionem & cognitionis scientię rationem quærere. 16. b
Ars medica tantum admitit perspicuas & manifestas alterationes. 252. d
Artis parvę initium an sit proprium & legitimum Galeni opus. 26. g
Artis totius origo sanitas & corpus humanum. 1. b
Artem tantum si consideremus quatuor dantur, Intemperies simplices 252. d
Ars Medica tota corredrix est. 349. e
Arteria vena & nervus revera instrumenta sunt quamvis prima & simplicia 176. a. Partes similares dicuntur. 1618. b
Arteria incisa dificulter occluditur. 214 b
Arterias conglutinatas in quodam juvene vidit Galenus. 1215. f
Asperitas & levitas multis in partibus nostri corporis sequuntur intemperiẽ & symptomata sunt, sed quãdo instrumentorum actionib. officiunt vocantur morbi. 473. f
Atractrix facultas tantum in corporibus animatis reperitur. 819. h
Atractionis causa nec vacuum est, nec aliquid attrahit ne detur vacuum. 820. g
Atrophia quid. 453. b
Atheroma quid. 386. h
Attractio omnis fit vel á calore, vel á substantiæ similitudine. 817. c
Auxesis quid sit. 418. f

B.

BAlneum unde dicatur. 117. e
Bradypepsia. 1193. a
Burgueri sententia quam minimus recessus philosopho morbus est, non medico. 207. b
Cur ad Brachium dextrum majore in quantitate confluat alimẽtum, ac propterea sit crassius & robustius, quam sinistrum. 758. h

C.

CAllus quid & triplex. 387. c
Calor, & frigus cur appellentur dispositiones cum revera dispositiones non sint. 66. f
Calor qua ratione ex motu locali producatur in nostris corporibus. 628. c
Calor an sit causa attractionis 812. g. 815. h. 819. a.
Calor an trahat fuga vacui. 818. b. 828. c
Calor an possit trahere sine motrice vi. 823. c
Calor Galeno per accidẽs attrahit. 824. c
Calor qua ratione attrahat, possumus colligere ex modo, quo tumores præter nat. oriuntur. ibid. g
Cancer quid sit. 557. h
Canes cum repleti sunt, vomitũ sibimet studiosẽ provocant. 1286. c

Carbunculus quid sit. ibid. f
Caro quatenus caro est, in compositione tantum quatuor elementorum consistit. 155. c
Caro sola jecoris sanguinem generare potest. 376. a
Carus quid. 1162. d
Vtrum ad Carum adjũgatur dificilis respiratio. 1164. f
An Carum comitetur febris. 1165. d
Catagma quid. 880. f
Catachesis quid. 899. f
Catalepsis quid. 1054. b. 1167. h
An catalepsis & catoche idem sint. 1167. e
An in catalepsi omnes facultates animales, tam principes quã non principes judicio sensus abolitæ sint. 1168. f
Catalepsis quo diferat ab apoplexia, epilepsia, tetano, caro, & comate vel sopore vigilante. 1170. a
Cataftasis in morbis vocatur quędam veluti eorum idea, secundum quam extalibus, & tantis universalibus temporibus constituuntur. 119. a
Causæ morborum non raro substantiæ sunt. 65. e
Causa tripliciter dicitur. 591. b
Causa quid sit. ibib. c
Causa quadruplex. ibid. d
Causarum genera quot sint Gal. 592 a
Causa sine qua non quid. 593. e
Causa efficiens datur in morbis. 595. a
Causa materialis an detur in morbis. ibidem. c
Causa formalis datur in morb. 596. a
Causa finalis an detur in morbis. ibid.
Causarum efficientium communissima divisio. 618. e
Causarum inventionem cur tribuit Galenus experientiæ, rationem verò parvi pendit. 630 f
Causarum genus triplex est. 634. c
Causa continens an possit esse externa. 640. a.
Causæ continentis neq. nomen, neq. rem per illud nomen significatam admisit Gal. 645. g
Causa continens dupliciter dicitur proprie & improprie. 646. g
Causa continens quid. 647. a. 648. c. 649. h
Causę continentis definitionum collatio ibidem.
Causæ continentis definitio Vallesio, in eo tantum consistit, ut ablata ea auferatur affectus. 663. a
In causæ continentis definitione proximitas exprimenda est. 664. b
Causæ continentis definitionis partes duę qua posita ponitur affectus & qua sublata tollitur, oriuntur ex illius proximitate. 666. e
Causa continens omnino efficiens est 667 d.
Ad causæ continentis definitionem non minus pertinet, ut ea posita ponatur effectus, quam quod ea sublata, auferatur. 668. d
Causæ continentis definitioni, cum definitur, qua posita & sublata, ponitur & tollitur effectus, non est addenda particula proximè. 670. e
Causa remota posita licet ponatur effectus, tamen non ponitur propter causam remotam, sed propter adjunctam & proximam. 675. d
Causa continens quacunque definitione definiatur, ratione distinguitur á causa conjuncta. 679. a
Causa continens si definiatur, quæ rei essentiam continet, à causa conjuncta distinguitur & re, & ratione. 679. b
Causa continẽs, si definiatur, qua posita & sublata, ponitur & tollitur effectus, re ipsa non distinguitur à causa conjuncta. 680. a
De Causa continente, si proprie loquamur, quæ continet essentiam rei, neq. morborum, neq. aliarum rerũ est causa continens. 684. b
De Causa cõtinẽte, si abusivè loquamur, concedẽda est omnibus rebus, quæ habent essentiam in solo fieri. 684. d
Concussio quid. 1049. c
Connexus differentia est compositionis. 456. c
Connexus instrumentalis quid. 545. h
Connexus non est ordo ratione potentiæ, quia non est qualitas, neq. ratione loci, quia non est loci positio, sed extentio respectu figuræ instrumentorum. 547. c.
Constitutio quid. 38. e
Constitutio seu temperamentum partiũ similarium plurimùm differunt. 133. g
Constitutio secundum nat. ibid. g. præter nat. ibid.
Constitutio & dispositio idem. 63. c
Constipatio est causa morbi calidi. 604. b. 609. g.
In Constipatione meatuum, cum partes in ampliorem molem attolluntur, interdum unicus est morb. interdum duplex. 135. a
In Constipationibus meatuum, quæ fiũt sine

sine tumore, quod sint exsiccata corpora, cum etiam aliquando adsit unicus morbus, aliquando duplex, cur nō tradidit regulam Gal. ad distinctionē? 345. c.
In Constipatione meatus partis in tumorem sublatæ, cujus actio propria læditur, tres videntur adesse morbi, non tantum duo. ibid. g
Constipatio ingens calorem nativum extinguit, non adeo vehemens calorem auget & calidam intemperiem inducit. 731. a
Constipatio summa sæpius frigidi morbi est causa, cum naturalem calorem suffocat, sic etiam extrema rarefactio, cū dispergit calorē corpus frigidum reddit. 733. e
Conservare quodammodo facere est. 856. h
Continuitas est medium inter solutionē continui & cōtinuitatē divisam. 108. a
Continuitas ad quos usus. 163. a
Continuitas quid sit. 502. h
Continuitas cum solvitur, quinque contingunt agens, patiens, continui solutio, quæ motus est, quātitas disjuncta, & tandem prava dispositio. 507. d
Continuitas præter naturam duplex, vel continuitas divisa, vel divisio continuata. 511. a
Continuatam divisionem Gal. ad vitiatū connexum redegit. 515. c
Continua tripliciter dicuntur. 526. g
Continui solutio, & partibus similaribus, & dissimilaribb. contingit. 527. a 530. b.
Continuitas instrumentorum, & eorundem connexus re ipsa distinguuntur, nō utres à re, sed ex natura rei. 548. c
Contusio, & erosio non solutiones, sed solutionis continui causæ sunt. 518. g
Contrariorum eadem est similis disciplina. 33. f
Convulsio quid. 244. c. 1049. a. 1142. b
Convulsionis differentiæ. 1143. e
Convulsio duplex, altera in via, cū adhuc fit, altera cum omnino facta est. 1145. a
Convulsio an sit motus volūtarius. 1066. a
Convulsio omnino facta, an sit actio abolita, an depravata. 1144. g
Convulsivus motus quid. 1064. h
Corrosions caloris. 233. f
Cor non generat spiritus vitales in fœtu. 378. d
Corpus nostrum in quatuor partes summas & maximas dividitur. 2. a
Corpus humanum, & sanitas totius artis origo. 1. b
In Corporib. naturaliter se habētib. tria tantum reperiuntur, sanitas, sanitatis causa, & naturalis actio. 119. d
In Corporibus ægrotantibus tria reperiuntur, morbus, causa morbi, & symptoma. ibid. d
Corporis nostri cōpositio triplex. 158. e
Corporis nostri secunda compositio, in formatione, numero, magnitudine, & compositione consistit. 159. e
Corporis nostri tertia cōpositio totius corporis est continuitas. 161. h
Corporis nostri tres compositiones operæ sunt facultatum alteratricis & formatricis. 164. b
Corporis nostri tres compositiones ab Aristotele sumptæ Gal. 167. e
Corpora duo quorum alterum ex elementis, alterum ex partib. jam antemissis constatum sit, æqualiter vel calida vel frigida sentiri possunt, attamen non eadem erit utriusq. forma, consistentia, sapor, color, odor, & potestas. 284. c
Corpus nostrum non minus affligitur vitiositate continui, quādo, quæ distant continuantur, quam cum dissidium faciunt continuata. 510. h
Corpus neutrum an detur. 978. a
Corpora neutra quę sint. 978. e
Corporis neutri Aristotelica opinio. 982. e
Crasitudo & tenuitas ad magnitudinem instrumentalem pertinent. 267. d
Cremasteres, id est, suspēsores musculi qui sint. 874. b
Cruditas qua ratione augeat dolorem. 622. f.
Curatio vera fit per contraria non propria dicta, sed per oppositа. 218. e
Cura quid. 749. e

D.

Definitio nominis Aristoteli dialectica est. 18. f
Definitio an sit methodus. 30. a
Definitio notionis definitio vulgaris appellatur à Gal. 33. c
Definitionis vis & potestas. 18. c
Definitio duplex notionis, & substantiæ. 18. f
Definitio substantiæ est, quæ totam rei nat. declarat. ibid.
Definitio sanitatis ex notione. 33. g

Definitiones dialecticas vanas esse dixit Arist. 18.h
Delirium quid. 1171.g
Delirij differentiæ tres. 1055.e
Densitas & raritas sunt passiones in cõpositione instrumentorum. 268.a
Diacinema quid. 455.b
Diabetes quid 1271.g. unde dicatur ibi.
Diabetes proportione respondet appetentiæ caninæ. 1271.e
Diapedesis quid sit. 516.a
Diaria febris an sit fiens vel facta. 972.e
Diastema quid sit. 418.f 451.b
Diathesis quid. 59.a.895.g
Diathesin pro alteratione vel passione nunquam usurpavit Gal. 61.h
Differentia duplicem habet significationem. 9.a
De differentijs perinde est, ac si de generibus & speciebus de ideis, de formis, de numeris, atq. de modis inscriberemus. 8.f.g h
Differentiæ solutionis continui quinque 518.f
Digestio, & alimenti distributio in otio diminuté fit. 752.a
Digitus sextus est è numero partium, quę naturâ esse in corpore oportet. 382.g
Discrimen inter passionem & affectum. 897.b
Discrimen inter morbum, & affectum. 894.c
Discrimen inter sanitatem, & morbum. 904.e
Discrimen inter actionem, & passionem. ibid.g
Discrimen inter morbum, & suam causam. 910.g
Discrimen inter morbum, & symptoma proprié dictum. 911.h
Discrimen inter symptoma, & pathema. 916.e
Discrimen inter morbum, & symptoma generaliter acceptum. 916.h
Dispositio quid. 85.f
Dispositio & constitutio idem. 63.c. 42.h
Dispositio dividitur in habitum, & dispositionem signatam nomine generis. 67.b
Dispositio ab Aristotele, cum dicitur ordo, non in sensu formali, sed in sensu causali accipiendum est. 84.c
Dispositiones & habitus, nec in tempore, nec motu adquiruntur. 89.g
Dispositiones, & habitus, fere in omnibus respondent formis substantialibus. 90.f
Dispositiones sunt patibiles, qualitates, quatenus bene, vel male corpus afficiunt. 66.f
Dispositiones ab illis distingui, ex quorum positione fiunt, exemplis confirmatur. 94.e
Dispositio, vel affectus duplex, altera corpus disponit, ut sit, altera, ut agere possit. 946.a
A dispositione unica specie non possunt genere distinctæ actiones primo provenire. 495.h
Divisio quid 29.e. an sit methodus ibid. ad quid conferat. ibid.h
Divisio sola nullam habet probationis vim. 31.b
Divisio actionis læsæ in abolitam, diminutam & depravatam, an sufficiens sit. 1093.c
Divisio communissima causarum efficiétium. 618.e
Doctores nostri semper tenuerũt, & defenderunt intemperiem cum fluxione 254.g
Dolor quid sit. 1119 g. 1122,c
Dolor an sit causa tractionis. 812.h
Dolor perse, & proprie nullo modo trahit, sed improprié & per accidẽs. 815.g
Ex dolore cur commoveãtur fluxiones. 831.g
Dolor in pleuritide, an lædat respirationem. 965.c
Dolor an sit proprium symptoma sensus tactus. 1043.g
Dolor qua ratione augeatur à cruditate, & ab inedia. 622.f
Dolor an sit actio depravata. 1095.h. 1110.c
Doloris quod sit proximũ genus. 1107.g
Dolor an sit symptoma. 1107.h
Dolor an sit corporis affectus. 1108.f
Dolor an sit actio, vel passio. ibid.h
Dolor an sit actio diminuta. 1110.b
Dolor an sit actio sensus tactus, an appetitus sensitivi. 1112.e
Dolor est actio appetitus sẽsitiui. 1014.d
Dolor quomodo fiat. 1112.c
Ad dolorem an concurrat facultas sensitiva interna. 1124.h
In dolorem necessariò concurrit facultas sensitiva interna. 1128.g
Quæ in dolorem concurrit facultas cogitativa est, in brutis dicitur æstimativa. 1130.b
Dolor an subsequatur sensionem sensus tactus. 1131.g
Dolor an sentiatur. 1136.h

Dolor

Dolor quem morbum sequatur. 1259.e
Duricies & mollities, vel symptomata sunt alicujus intemperiei, vel inter instrumentales morbos numerantur. 267.c
Dyapedesis quid. 1208.h
Dyæresis quid. ibidem.
Dysorexia quid. 1183.f
Dyspepsia quid. 1193.a

E.

Ecchymosis, sugillatio quid sit. 516.a
Ecptosis quid. 455.a
Ecpotoma quid. ibid.
Elementa qui statuebant impatibilia, an possent admittere morbos in asperitate, & levitate. 189.c
Elementorum casus quid sit. 225.h
Ex Elementis quatuor fit unum corpus, ut ex quatuor qualitatibus una qualitas. 158.h.211.d
Erythroides vel Erythroides tunica quæ sit. 873.b
Emphraxis quid sit. 330.h
Empyreuma quid sit. 627.b
Epiplocellæ an fieri possit. 459.a.460.b
Epigennematis nomen, naturę rei mitificę convenit. 893.b
Epilepsia quid. 1049.d. 1154.d
Epilepsiæ divisio. 1155.f
Epilepsia an sit vera convulsio an motus convulsivus. 1155.f
Erasistratus hæsitavit in causis externis. 616.a
Erosio & contusio non solutiones, sed solutionis continui causæ sunt. 518.g
Eruditio duplex Aristoteli. 16.a
Erysipelas quid sit. 557.e
Exarthresis quid. 455.a
Exarthrema quid. 455.b
Exercitatione nimia nostra corpora primum recalecere, & exsiccari efluxus & transpiratus interjectu ad quem reducitur motus localis. 751.d
Excreta & retenta, quæ committêtur 1014 g. 1018 b. quid senserint barbari ibid. quid interpretes 1019.e. quid Solanus 1022.e. quid Segarra 1024.c. quid autor aliquando 1033.f. quid nunc arbitretur. 1024.g
Excreta & rerenta tertium symptomatũ genus constituunt, quorum tres differentias adduxit Gal. 1268.f
Excreta & retenta morbum sequuntur. ibidem.h
Excretiones quæ tempestive fiunt symptomata non sunt. 1176.h. quæ fuerint præter nat. cohibêda sunt, nequaquam verò quæ secundum nat. imo interdum sunt juvandæ. 1277.a

F.

FAbij Pacij opinio de morbi homonimia reprehenditur. 73.f
Facultas quid sit. 131.c. 1180.h
Facultas manat ab animæ substãtia. 131.a
Facultas & partium similarium constitutio scilicet temperamẽtum plurimum differunt. 133.g
Facultas non potest agere sine corporeis instrumentis, quemadmodum artifex sine instrumentis artis suæ. 134.c
Facultas Gasseno nihil aliud est quam temperamentum. 147.b
Facultates tot unum quodq. dicitur habere, quot actiones perficere. 150.g
Facultas latens, quam occultam nominamus, andetur. 279.b
Facultas alteratrix tribuit partibus cõstitutionem & circũscriptionem. 477.f
Facultas formatrix tribuit formam, figuram, numerum, magnitud. & compositionem. ibid.
Facultates naturales quatuor sunt in omnib. partib. 779.f. 780.c
Facultas inest atrahendi cuique particulæ, quæ quod illi similare est & conveniens attrahat. 779.g
A qua facultate excitẽtur fluxiones 831.c. 833.b
Facultas animalis princeps, an una, vel multiplex. 1067.g
De facultatis animalis principis natura, cede, & agendi modo. 1073.c
Facultates suam distinctionem capiunt in ordine ad actiones, quas edũt, & ad objecta, in quę tendunt. 1116.f. 1228.h
Facultates omnes animales tam principes, quam non principes, an sint aboliţe sensus judicio in catalepsi. 1168.f
Facultas sensitiva interna concurrit ad dolorem. 1124.h. 1128.g
Facultas quæ concurrit ad dolorem cogitativa est, in brutis ęstimativa. 1130.b
Facultates tribus utuntur instrumentis ad actiones exercendas, quę sunt tres animalium compositiones. 1261.a
Facultas segregatrix, an detur. 1279.f
Facultas seu anima sunt principia omniũ actionum, sed agere non possunt sine aliquibus instrumentis. 904.f
Facultas seu anima primum agit unde princi-

principium & causa motus, utitur tamen instrumentis, quæ primum & proximè ad actiones accedunt. 483. a
Facultas atractrix tantum in corporibus animatis reperitur. 819. h
Fatuitas quid. 1180. h
Febres quid. 232. a
In febri patitur corpus, & alteratur, sed per dispositionem quiescit. 93. f
In febri diaria totius corporis calor præter naturam est. 128. d. 661. f
Febris Typhodes quid. 230. h
Febris Elodes quid. ibid.
Febris Lypiria quid. 231. a
Febris Crymodes quid. ibidem.
In febri ex natura rei læduntur actiones, & à calore excedenti, & à frigiditate diminuta. 253. f
In febri judicio sensus non advertitur diminutio frigiditatis. ibidem.
Vtrum feb. diaria & putrida sint fientes, vel factæ. 972. e
Fernelius reprehenditur in morbo definiendo. 97. e
Figurarum vitia contingere possunt pluribus partib. 343. a
Figura vitiata an sit morb. vel causa morbi. 347. b
Fibrarum solutionem an tensione factam propriè spasma dici, factam vero à re seccante, non habere proprium nomen, ut nervorum, arteriarum, & venarum, sed etiam à carne muttuari & ulcus appellari. 518. e
Fluxum & clausum, cum sint differentiæ propriè dictæ, non possunt dici species 10. b
Fluxiones, cur moveantur ex dolore, 831. g
Ad fluxionem quatuor concurrunt pars mittens, pars recipiens, humor fluens, & via, per quam fit missio. 787. e
In fœtu nec vêtriculus generat chilum, nec cor spiritus vitales, neq. hepar in sanguinis generationem incûbit. 378. d
Frâcisci Valleriola opinio de methodo, qua exorsus fuit Gal. de morbis tractationem. 22. g
Fractura quid. 513. g
Frigus & calor cur appellentur dispositiones, cum revera dispositiones non sint. 66. f
Frigus quomodo repellat. 227. h

G.

GAlenus nullam rem tractandam suscepit, cujus methodum non didicerit. 17. e
Gal. in omni disputatione exorditur a notione, mox ad substantiam accedit. 32. d. 33. a
Galenus non aliter usurpavit nomen affectus, ac Aristot. in cathegorijs. 67. d
Gal. cum calorem præter nat. morbum vocavit curationi constituit. 130. e
Galenus minime separauit animam, vel facultatem illius à temperamento. 136. e
Galeno necessarium non est medico inquirere animæ substantiam, vel facultatis illius. 137. h
Galenus ignoravit quid esset animæ, vel facultatis illius essentia. 138. f
Galenus animæ substantiâ ubiq. extimuit definire. 139. b
Gal. cõfundit animam & ejus facultatem cum temperamento. ibid. d
Gal. alias constitutiones scilicet organicam & utriusq. partibus communem distinguit ab anima & ejus facultate. 140. d.
Gal. cum animæ substantiam ignoraverit, primum agens in nobis ab agendi facilitate, facultatem appellavit. 143. d
Gal. cum nihil noverit præter calorem naturalem, putavit hominibus animã esse ratiocinatricem potentiam, quæ à cerebri temperamento, vel calore nativo non distinguitur. 144. c
Gal. appellavit facultatem temperiem, quę aphilosophis ultima instrumentorum dispositio est. 144. d
Gal. omnia quæ in his libris exaravit, se scripsisse fatetur, ut inservirent curationi. 260. c
Gal. libro de differentia morborum & de causis, alibiq. passim, tumorum exempla induxit ad explicandas intemperies cum fluxione. 261. b
Gal. in libro de differentia morborum loquitur de affectibus partium principum, & habentium usum materialiter, non formaliter. 324. c
Gal. de corpore neutro num assentiatur Aristoteli an Herophilo. 982. b
Gal. vidit in quodam juvene arterias conglutinatas. 1215. f
Gal. cum neglexerit inscriptiones librorum mirandum nõ est, cur potius differentiæ, nomine usus est perpetuò, quam generis vel speciei. 9. a
Gal. quo possit morbum dividere, primũ quid morbus sit perquirere instituit. 19. b
Gal. tempore non omnes medici sequebantur Hyppocratem. 4. h

Gal. quid significaverit sub his verbis, tota per tota mutari. 55. d
Galeni tempore Sophistæ arbitrabantur nullum dari affectum nativum. 348. a
Galenum accusarunt permulti de incõstantia, dum de sanguinis generatione disputavit, sed decepti sunt. 378. f
Galeni verbis aliquid addere, error est pernitiosus, & turpis. 417. h
Gal. cum spasma in nervo fieri dixit, nervi fibras intelligit. 517. h
Galeni tempore arbitrabantur aliqui, actionem læsam esse morbum. 1013. a
Ganglion quid. 865. d
Gangrena quid. 331. b. 334. f
Garciæ fundamentum de actione depravata excutitur. 1151. f
Genera rerum duo sunt, quorum altero res permanentes, & factæ, altero motiones, & alterationes cõtinẽtur. 69. f
De Genere proximo, cum constat, ad divisionem est accedendum. 19. a
In quolibet genere rerum datur una prima contrarietas. 947. d
Germen in naribus quid sit. 383. d
Germanus interpres, qua methodo usus fuerit Galen. in hoc opere, decernit. 22. h
Germanus interpres reprehenditur de triplici affectus significatione. 919. e
Germanico interpreti, actio propria intelligitur, quæ propria est cuilibet instrumento. 359. d
Glandularum duplex est genus, sunt verè & propriè glandulæ, quæ stabiliẽdis vasis aut humorum super vacuis excipiendis, aut rigandis partibus dicatæ sunt, aliæ glãdulæ ad succos animali utiles generandos natura sunt comparatæ, 782. a. d
Gurgulio quid. 390. f

H

HABITVS & dispositiones, nec in tempore fiunt, nec motu adquiruntur. 89. g
Habitus & dispositiones ferè in omnibus formis substantialibus respondent. 90. f
Hemorragiæ nomen apud Hippoc. & Gal. accommodatum est pro fluvio narium. 1269. a
Hæmorragia, id est, sanguinis profusio, unde præter naturam toto excretæ substantiæ genere, 1280. g
Hæmorragia omnis quantum ad ipsam profusionẽ attinet toto genere præter naturam est, ea tantum excepta, quæ per uterum fit, sed quo ad excretam substantiam semper toto genere præter naturam est. 1282. d
Hæmatosis hepatis actio. 1082. d
Heccope quid. 881. b
Hedran quid. ibid. c
Hepati & ventriculo adstringentia conveniunt, non quatenus similares partes, sed quatenus instrumenta sunt. 268. d
Hepar in fœtu non incumbit in sanguinis generarionem. 378. d
Herophili opinio de corpore neutro. 983. g
Herpes quid sit. 557. g
Herpes excedens quid sit. ibid.
Herpes miliaris quid sit. ibid. h
Hippocrates hortatur, ut ex præsentibus affectionibus futuras prægnoscamus. 5. c
Humor statim ut extra tumorem partem aliquam intemperatam reddit, illa intempeties est cum fluxione humoris, 260. a
Humor crystallinus perlucidus nõ esset, sine eo q̃ optinet, tẽperamẽto. 471. d
Humor crystallinus à coloribus immutatur hac sola ratione, quia est albus, clarus, ac splendens. 485. g
Humores naturales vocãtur, quia in sua generatione secundũ nat. producuntur, cum vero ad aliquas partes fluũt, & tumores pariunt, tunc præter naturam evadunt. 793. c
Ad Humorũ numerũ cõcludẽdũ, & cognoscẽdũ satis non est considerare tẽperiẽ humoris, sed nativa cõsistentia, & color cognoscendi sunt. 794. b
Humorem obstruentẽ cum evacuamus, submovemus causam conservantem obstructionis. 856. f
Humiditates i nostro corpore quatuor sunt, primigenia, elementaris, alimentaria, & excrementitia. 763. f
Ex humiditatib. primigenia semel exausta restitui non potest, tres reliquæ possunt, ibid.
Hydropis omnes differentiæ, an reducantur ad actionẽ depravatã. 1202. b
Hypospadias quid. 457. h
Hypopion quid. 385. h

I

IACOBI Segarræ lapsus quod existimaverit Galen. investigasse morbos methodo inventos. 12. g
Iacobus Segarra existimat Galenum in

hoc opere obſervâſſe dividendi methodi. 21.h
Icterici difficulter exudant. 474.g
Ideo ſyncraſia quid. 283.d
Iecoris ſola caro ſanguinem generare poteſt. 376.a
Iecur ſibi concoquit, quæ alterat, & in propriã ſubſtantiã convertit. 380.c
In jecore & venis ſanguinem gigni tenet a Vega. 371.a
A jecore & Venis ſanguinem generari cenſet Aveiga, ſed elaborationem venis deberi, ruborem jecoris parẽchymati. 373.e
Ignis extinguitur conſtipatione, q̃ illuſtratur à Gal. triplici exẽplo. 713.f
Ignis extinguitur raritate conſtipationi contraria. Ibid.
Ignis eiuſque flamma duplici motu moveiur, altero ſurſum deorſum. 739.b
Ignis dupliciter corrumpitur, vel à cõtrario, ut cum extinguitur ab aqua, vel cum per ſe langueſcit, donec tãdem defficiat. 742.h
Imaginatio & ratiocinatio idẽ. 1069.d
Imaginatio, ratiocinatio & memoria idem. 1070.b
Immoderatum duplex eſt. 45.e
Indicationes communes ſumuntur à morbo, à cauſa particulares, & propriæ. 854.d
Indicatio ſumitur à natura rei. 857.b
Inædia qua ratiõe augeat doloré. 622.f
Ex Inędia calefit corpus cũ bilis exardeſcit. 737.g
Inſcriptio totius operis. 8.f
Inſcriptio lib. de differentia morborum. 10.c
Inſcriptio capitis ſexti libri adverſus Iulianum hæc eſt, aduerſus Iulianum & Aſclepiadem, quod ex Hippocratis Aphoriſmo ſecundo primæ ſectionis non ſequatur, plenitudinem eſſe cauſam continentem. 658.f.g
Inſtitutum Galeni in hoc opere. 12.e
Inſtrumentum quid. 38.g
Inſtrumentum non diſtinguitur à parte inſtrumentaria. ibid.
Inſtrumentũ tripliciter uſurpatur. ibid.
Inſtrumentum, vel originis, vel perfectionis. 39.a
Inſtrumenta noſtri corporis, non omnia uno modo diſponuntur. 145.f
Inſtrumenta naturalia plurimum differunt ab animalibus. ibid.
In inſtrumentis omnibus aliqua omnino particula eſt actionis prima cauſa, reliquæ vero partes creatæ ſunt ut primæ quendam præſtãt uſum. 292.a
In inſtrumentis animalibus ita propria eſt ſtructura organica ut ea ſola utantur & exornentur. 312.h
In inſtrumentis illa particula eſt princeps cui nulla eſt ſimilis in toto corpore. 310.f
Inſtrumentis naturalibus partes principes proximè ac præcipue deſerviunt ratione ſui temperamenti. 315.b
Inſtrumentis animalibus partes principes proximé deſerviunt ſola diſpoſitione organica. 316.b
Inſtrumentis naturalib. partes principes proximé quidem ſed minus præcipue deſerviunt diſpoſitione organica. 315.d
Inſtrumenti actio non poteſt lædi quin corrumpatur tota ſtructura organica 323.b.
Inſtrumentorum affectus ſibi invicem cauſæ ſunt. 342.e
Inſtrumenti cuiuſlibet conſtitutionem præt. nat. red qualibet parte addita, vel ſublata, 411.c. 412.a
In inſtrumẽtis quãdo ſepaãtur partes contiguæ licet vitietur connexus tñ actio manifeſtẽ læditur à ſeparatione, noxa vero cõnexus nõ ſẽtitur 512.d
Inſtrumẽtorũ cõnexus Galenicus nihil aliud eſt quam citus Ariſtotelicus, & extentio partiũ inſtrumentorum reſpectu formationis. 547.a
In inſtrumento partes vel diſponũtur ratione potentiæ, vel ratione loci, vel ratione figuræ. 547.b
Inſtrumentũ ut cauſa quid. 593.c
Inſtrumentũ eſt animalis pars, quę perfectam actionem edere poteſt. 220.c
Intemperies æqualis quid. 809.a
Intemperies inæqualis. ibid. b
Intemperies duplex eſt, altera ſanitatis, altera morbi. 53.a.b
Intemperies quælibet duplex, vel nuda vel cum humore. 228.b
Intemperies cum humoris affluxu nata eſt. 230.g
Intemperies exiguæ ab aliquib. dicebãtur imbecillitates. 239.c
Intemperies exiguas, qui appellabant imbecillitates reprehendit Gal. tribus rationibus. 240.
Intẽperierum compoſitarum, quæ ſint cauſæ uniformes. 768.h
Intemperies ſimplex cum fluxione humoris fieri poteſt. 256.c
Intẽperies ſimplices cũ fluxione humoris ad exiguũ tẽpus durare &c. ibid.

Intemperiem quando distinxit Gal. in nudam, & cum materia conjunctam per humoris confluxum non intellexit solos tumores præter naturam, 258. h
Intemperies, quæ morbus est partium similarium proprius duplex est, altera sine humore præsistit, altera humore seu causa fovetur. 262. g
Intemperies calida præter naturam in partib. similaribus, morbi forma est caliditas vero materia morbi ex qua. 484 d
Intemperiem inæqualem quare dixit Gal cum simul calidius, & frigidius redditur corpus. 792. e
Intemperies contrariæ gradibus intensis non possunt simul inesse in una corporis parte. 805. a
Intemperies contrariæ una in summo gradu, & altera in gradibus remissis, non possunt simul inesse in una corporis parte, ita ut eadem ambabus simul afficiatur. ibid.
Intemperies contrariæ in gradibus excedentibus mediam latitudinem nō possunt idem corpus simul apprehēdere. ibid. b
Intemperies contrariæ in gradibus remissis unum, & idem corpus apprehendere possunt. ibid. d
Intēperies simplices secundū artē quatuor admittendæ sunt. 252. d
Interpretes ferè omnes artis medicinalis ignorarūt quid sit apospasma. 520 c
Interpretes ferè omnes artis medicæ cum non intellexissent, qua ratione apospasmatis curatio sit impossibilis, arbitrati sunt omne apospasma fieri cum aliqua pars ab instrumento omnino separatur. ibid. d.
Ira qua ratione calor ingravescat. 621. f

L

LAC Temperamento frigidum & humidum est, sed ratione partium nascitur in eo certum temperamentum diversum à temperamento manifesto. 284 a
Lapis in vesica quid. 385. e
Lapsus Iacobi Segarræ, quod existimaverit Galenum tantum investigasse morbos methodo inventos. 12 g
Lassitudo quid. 608. b. 629 g
Lethargus quid. 1176 h
An Lethargus sit delirium continuum. 1181. c
Levitas, & asperitas in multis partibus nostri corporis sequuntur inæquitatem, & symptomata sunt, sed quādo instrumentorum actionib. officiūt vocantur morbi. 473 f
Liber primus hujus operis utrum de differentia, an de differentiis morborum inscribendus sit. 10. c. d
Librorū de differētiis & causis morborū, & symptomatū institutū. 12. e
Lib. de differen. morb. Gal. inquirit differentias, aut species omnium morborum sine ulla exceptione. 12. f. g
Liber de historia philosophica Galeni non est. 657. g
Liber definitionum medicarum spurius est. ibid.
Liber inscriptus introductio seu medicus Herodoti est. ibid.
Ligatio linguæ quid. 457. f
D. Lucas medicus nobilissimus. 720. a
Lucta quid. 726. f
Lumbrici quid sint. 384. c
Lumbricorum differentiæ tres. ibid. d
Luxatio quid sit. 327. b
Lyenteria quid. 340. b

M

MATERIA calida est causa morbi calidi. 604. d
Moeror qua ratione augeat calorem. 622. e
Materia morbi, ex qua, in partibus similarib. est cal. frig. &c. in dissimilarib. confor. num. mag. &c. 598. g
De magnitudine præter naturam aucta tantum egit Gal. quæ similitudinem habet cum naturali. 444. e. 868 f
Medicina quid. 1. b
Medicinæ partes conservatrix & curatrix præcipue. 4. f
Medicinæ pars indicatrix docet, quæ sit cognoscenda prius quam conservemus vel curemus ibid. Dividitur in cognitione præsentium & in futurorum prosagationem. ibid. g.
Medici omnis contemplatio dirigitur ad opus. 3. f
Medicus ibi ingreditur facere ubi contemplari desistit. ibid. h
Medicamētū adhibitum est finis respectu meditationis præteritæ ibidem.
Medicus semper judicium facit de rebus prout sensui apparent. 177. h
Medicamentum componere possumus

in caliditate & frigiditate, simile Theriacæ, & ex diversis panciorib. ad medicamentū virtute simile Theriacæ non erit. 285.g
Medicamentorū aliqua manifestis qualitatibus agunt, aliqua vero abditis & occultis 289 f
Medicinæ pars salubris, affectib. & vitiis exiguis, atque abditè latentibus consulit. 349 g
Medicinæ pars salubris, quibus affectibus, vel vitiis consulat. 348.a
Medico curanti Morbum esse reputare possumus id, quo posito confestim læditur actio. 432.d
Medicamento misto ex contrariis, si quis utitur, ut si Solanum cum chamæmelo admistum adhibeat inflammationi, necesse est partem pati simul ab utroq. 800.h
Medicamentum & humor substantia similia sunt: tamen nunquam humor trahit medicamentum, quoniam humor ex propria constitutione nō habet trahendi vim. 817 g
Medicis non omnis actio præter naturam dicitur actio læsa, sed ea tātum, quæ fit, vel apta est fieri ab aliqua nostri corporis parte. 1256.g. 1257.d
Medicamentum venenatum vel aer pestilens sunt inimica nobis tota substantia, non tamen inde sequitur quod introducant morbum totius substantiæ. 275.b
Mollities & durities, vel symptoma sunt alicujus intemperiei, vel inter instrumentales morbos numerātur. 267. c
Medium rei dicitur quod æqualiter distat ab utroq. extremo. 104.c
Melicerides quid. 386.g
Memoria & reminiscentia idem. 1071.f
Medium rationis quod ad nos collatum, neque exuperat neque deficit. 104. d
Metasyncrisis quid. 226.g
Metasyncritica medicamenta quæ sint ibidem.
Methodi nominis definitio. 23 b
Methodus proprie quid. ibid. 26.h.
Methodus & ordo in quo conveniunt. ibidem.
Methodus & ordo, in quo differant 24.a
Methodus est causa, cur discamus. ibid.
Methodus duplex, compositionis, & resolutionis. 27.b
Methodus compositionis est demōstratio propter quid. 28.a
Methodus resolutionis est demostratio quia. ibid.
Method' resolutionis, est ministra methodi compositionis. 28.b
Methodus resolutionis appellatur methodus inventionis. ibid.
Methodi resolutionis patrocinio universam artem tradidit Gal. 29.a
Methodus sola resolutionis perscrutata est solutionem continui. 30. h
Methodus resolutionis est artium constitutoria. 31.a
Methodus vox græca, latinis dicitur cā via. 23. b
Methodus latissimé quid. ibid.
Methodus propriè quid. ibid.
Methodus Galeni, qua inveniēda sit pars princeps in quolibet instrumēto. 303.b
Methodus Galeni redarguitur à Iouberto, & Segarra. ibid. c
Methodus tradita a Segarra. 304.a
Methodus Segarræ refutatur. ibid. b
Si Medicamenta duo cōtraria omnino æqualia invadūt in aliquam partem, neutram inducet passionem, si vero alterum vincat, patietur ab eo solo, sed minus quam si solum fuerit admotum. 802 b
Medicamentum inducens putredinem utrum detur. 863.g
Minimum duplex est vel naturā, vel judicio sensus. 803. c
Moderatum bifariam dicitur. 44.d
Monstrum quid sit. 597.g
Morbi tot sunt, quot modis sanitas corrumpi potest. 3. c
Morbus in arte medica quodammodo habet locum finis. ibid.
Morborū primæ ac simplices differentiæ comparatione, vel proportione dicuntur elementa reliquorum. 21.c
Morbi tres videntur adesse in obstructione meatus partis in tumorem sublatæ. 545.c
Morbi cōpositi tot sunt, quot sunt implicationes simplicium. ibid. h
Morbi definitio notionis. 34. f
Morbi naturæ investigatio. 36.c
Morbus est affectus vel cōstitutio, quā actio vitiosa consequitur. 41. g
Morb. est cōstitutio præter naturā. 45.a
Morbus in ijsdem consistit in quibus sanitas. 50 h. 116 b. 124 c
Morb. Pathos, vel Pathema dicitur. 59.c

Morbus frequenter dicitur constitutio. 61. h
Morbus à Galeno dicitur à materia, & à symmetria. 62. f
Morbus an homonymum vel sinonymum. 74. g
Morbus quid sit opinione Fernelii. 97. e
Morbus est affectus vel dispositio, quæ sub prima qualitatis specie continetur. 83. a
Morbus & sanitas ex eodem genere cõtraria sunt. 42. e
Morbus & sanitas in una genere semper includuntur. 72. c
Morbus & sanitas sinonyma sunt. ibid.
In Morbo, & sanitate quatuor subjectum termini extremi, relatio, & relationis causa. 79. a
Morbus, & sanitas ad aliquid referuntur. ibid. d
Morbus, & sanitas ad genus relatorum secundum esse non possunt revocari. 80. a
Morbus, & sanitas ex his, quæ nomine tenus ad aliquid referuntur. 81. e
Morbus & sanitas qualitates sunt. 86. h
Morbus, & sanitas nunquam habitus. 87. a
Morbus, & sanitas ad primã speciem qualitatis pertinent. ibidem.
Morbus, & sanitas non generantur motu, vel alteratione per se, sed per accidens. 91. a
Morbus si communiter loquamur contra nat. dici potest. 102. f
Morbus si propriè loquamur præter naturam est. ibidem. g
Morbus Ametria, & immoderatio est. 103. a
Inter Morbum calidum, & frigidum maior est distantia, quam inter morbum calidum, & sanitatem. 109. g
Morbus causa est actionum præter naturam, ut sanitas actionum secũdum naturam. 120. b
Morbus res composita est per æquæ, ut sanitas. 121. e
Morbus est affectus, & dispositio, quæ nostrum corpus malè disponitur ad agendum. 111. c
De morbo instrumentali, si loquamur formaliter tota organica dispositio morb. est, si materialiter, vel sola conformatio, vel numercas. 220. a. 222. h
Morbus licet sit affectus, qui vero illum creat morbi causa tñ. Gale. aliquando dedit nobis libertatem eligendi. 235. d
Morbus materiæ nullus datur. 267. b
Morbi multi extant, qui non solum calfaciendo, refrigerando, laxando vel astringendo corpus nostrum afficiunt. sed ex vi quadã occulta. 271. b
Morbis aliquibus medemur medicamẽtis, quæ agunt à tota substantia, non calore, frigore, humiditate vel siccitate. 271. d
Morbi formæ, nec sunt morbi similares, nec instrumentales, nec communes. 273. e
Morbus à tota substantia non datur si propriè loquamur. 286. e
Morbus à tota substantia concedendus est, si minús propriè loquamur. 287. a
Morbus semper est causa actionis læsæ. 337. f
Morbus qua ratione à sua causa internoscatur. ibid. g.
Morbus in asperitate quid. 339. a
Morbus in lævitate quid. ibid. d
Morbus in orificio non distinguitur à morbo in meatu. 344 d
Morbus num sit recessus à natura cõmuni. 350. e
Morbi definitio complectitur quodcũque actionis impedimentum, sive à prima generatione, sive deinceps illatum. 351. d
Morbus est in parte, quæ remansit, & non eius, quæ ampliùs non existit. 397. f
Morbus ex diminuta quantitate non semper animal mutilum constituit. 414. e
Morbum morbi alterius causam esse communis opinio est. 427. a
Morbi nomine duo possumus intelligere dispositionem, quæ morbi forma est, & id, quo morbus constituitur, quæ morbi est materia, ut caliditas. ibid. d
Morbus pro dispositione non potest esse causa efficiens alterius morbi. 428. a
An morbus nascatur ex morbo. 426. h
Morbum incerto rerum genere constituentes nullum morbum privationem faciunt. 435. d
Morbo id maximé, & propriè convenit, ut primo, & per se actionem lædat causæ vero, ut lædat interventu morbi. 481. f
Morbus similaris, organicam, vel organicus

ganicus similarem actionem lædere nequit. 494.h. 958.g.h. 995.e.f
Morbus non potest lædere plures actiones, quam sanitas integras edere, quoniam dispositiones contrariæ sunt. 495.c
Morbus similaris colligitur ex qualibet actione similari læsa, sed morbus organicus ex qualibet actione organica impedita. 497.h
Morbus, qui solutio continui est, non est agens, neque patiens, neque morbus. 508.d
Morbus compositus tripliciter. 571.a
Morbus causam habet finalem, cuius gratia fit. 600.a
Morbus omnis, qui à causa dependet necessario habet causam proximam, sed non omni morbo à causa dependenti adest necessariò causa continens. 678.e
Morborum omnium ex fluxione, causa unica est expultio partium ad partes. 778.a
In Morbi die decretorio sæpe numero convulsum, frigidum, exanimem, sudantem, collacrimantem videmus ægrotantem: valide tamen paulo post excretione orta, hominem quasi ab inferis revocatum conspicimus. ibid.d
Morbus, causa, & symptoma sui ablationem indicant: at morbus, & causa indicant remedium utile ad sui curationem, quod symptomati denegatur. 857.a
Morbi & affectus discrimen. 894.c
Morbi & sanitatis discrimen. 904.e
Morbi & eius causæ distinctio. 910.g
Morbus quid. 911.g. 935.c
Morbi & symptomatis proprié dicti distinctio. 911.h
Morbi & symptomatis generaliter accepti discrimen. 916.h
Morbi, quod sit proximum genus. 935.f
Morbi definitio examinatur. 941.a
In Morbi definitione utrum sit ex usu particula, primo. 944.g
Morbum, cum definimus constitutionem præter naturam, particula primum, ex usu non est. 947.e
Morbus an probé definiatur per affectū præter naturam. 950.c
Morbus utrum bene definiatur per actionem læsam. 956.a
Morbus non est quam minimus recessus à naturali constitutione. 210.f
Morbi exigui, & propriæ substantiæ magnitudine quam minimi, adeò ut neque à nobis, neque ab ægrotantibus percipiantur, propriis tamen viribus usi, actionem gravissimam lædunt. 209.g. 957.b
Morbus per consensum an detur. ibidem.d
Morbus solus an lædat actionem primo. 961.c
Vtrum inter morbum, & actionem læsam media sit facultas. 962.a. 963.h. 964.e.f.g
Morbus an lædat actionem mediante alia actione. 962.a. 1218.b
Vtrum morbus, qui sequitur alterum morbum, symptoma dici possit. 1003.c
Morbus est causa cuiuscunque actionis læsę. 1238.d
Morbus an omnium symptomatū causa sit. 1247.g
Morbi varia symptomata producunt pro varietate causarum, locorum affectorum, facultatum, & ægrorum 1252.g.
Morbi præcedunt omnium symptomatum tertii generis naturam. 1272.f
Morbi colliguntur ex actione læsa, non ex usu, propterea morbus definitus est per actionem læsam, nō per usum ablatum. 539.a
Morbi sunt causæ actionum omnium læsarum. 1199.c
Morbi compositio Galenica ab argenterio nunquam est penetrata. 129.g
Morbus fiens, utrum detur. 967.h
Morbus fiens, & factus tripliciter. 969.a
Post morbum fit symptomatum quædam series, quæ sibi invicem videtur succedere. 1272.f
Motus proprié dictus in tribus tantum cathegoriis invenitur. 89.f
Motus tam animi, quam corporis est causa caloris. 607.b
Motus qua ratione sit causa caloris effectrix, opinione Christophori à Vega. 614.a
Motus qua ratione sit causa caloris opinione Valesii. 615.c
Motus qua ratione sit causa caloris auctoris opinione. 616.g

Motus privatio non est vera ignis corruptionis causa, sed occasio. 741.h
Motus immoderatus ficci morbi causa est. 747. c
Motus immoderatᵃ causa siccitatis est. ibidem. a
Ex duobus motibus secundum naturam magis naturale est, qui alteri prę valet. 821. c.
Motus convulsivus à qua facultate oriatur. 1156.f
Motus aliqui sunt opera naturæ à morbo irritatæ, & ab aliqua morbosa causa coactæ. 1253. b
Muliebre profluvium quid. 1269. d
Musculus cuius generis instrumentum sit. 193.d
Musculi actio. 183.h
Mutila, quæ sint. 390. g
Mutilationes, utrum ad numerum, vel ad magnitudinem referantur. 409.g

N.

NATVRA notum quid sit. 28.c
Natura ignotum quid. ibid.
Natura non concurrit in his, quæ fiunt contra naturam. 99.a
Contra naturam tribus modis ibidem. d. Totidem præter naturam. 100.d.
Naturæ ratione multa fiunt, quæ tamen ad artem non admittuntur. 248. d.
Naturam rei, si consideremus, nulla datur simplex intemperies. 249 g
Natura nihil machinatur, quod supervacuum sit, sed omnia causa finis agit. 298. e
Secundum naturam tribus modis dicitur. 45.e. 97.g
Naturalium rerum quælibet, ut agitur ita nata est agi, &, ut agi nata est, ita agitur, nisi aliquid impedierit. 298. f
Naturæ cur non est ausus Gal. tribuere mentem. 794.d
Naturam philosophorum præstantissimi duplicem fecerunt, universalem unam, & aliam particularem. 795. g
Natura perpetuo progreditur ab imperfecto ad perfectum. 900.a
Naturæ opera qui accuratè discernere cupit, à symptomatis, non modo substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem eorum, quæ excernuntur respicere debet, sed tempus, quo excernuntur expectandum. 1275.g
Naturale tripliciter dicitur apud Galenum. 1287.f
Nervus, vena, & arteria revera instrumenta sunt, quamvis prima & simplicia. 176. a
Partes similares dicuntur. ibid. b
Neutrum corpus antetur. 978.a
Nomina imponere ad dialecticum pertinet. 18. g
Nominis definitio Aristoteli dialectica est. 18 f
Nosos vel nosema, latinis morbus. 58.h
Nosos vel Nosema quid. ibid.
Notionis definitio, vulgaris definitio appellatur à Galeno. 33. c
Numerum præter naturam intelligit Galenus nomine sexti digiti, unguis, lapidis, suffusionis &c. 422.h.b
Nutritio in humore crystallino est actio similaris, receptio specierum instrumentaria. 470.

O.

OBSTRVCTIO & apertio nō ita se mutuo corrumpuntur, ut qualitates primæ, quia sunt dispositiones, vel formæ, & figuræ, in quib. non est motus. 856. e
Obstructionis læsio, quæ venis infertur, an potius jecori adscribatur. 178. f
Obstructionem morbum esse, cum dixit Galenus: humores vero morbi causam, de illis humoribus loquitur, qui re ipsa sunt causa obstructionis, quo tempore obstructio lædit actionem. 853. a
Ex obstructione oritur prohibita ventilatio, ex hac putredo, ex putredine fœtor. 1157. c
Oculus debet alterari à colorum speciebus, colores autem non agunt in figuram, numerum, magnitudinem, vel situm: sed in eam partem, quæ à colorib. alteretur cujusmodi perspicuitas est. 486.f
Oculi structura præter naturam reddita ex colore vitiato formaliter morbus est. ibid. h
Oculi organica constitutio non solum reposita est in formatione, numero, magnitudine, & compositione: verum etiam in perspicuitate. 485.c

Oculorum actio, 1084. g
Omilia quid. 454 g
Onyx quid sit. 402.h
Operis totius partitio. 12.h
Operis totius utilitas. 13. b.c
Ordo operis ordini cognitionis semper adversatur, 3.a
Ordo servatus in opere de differentiis, & causis morborum, & symptomatum. 13.h
Ordo quid. 23.d
Ordo & methodus in quo conveniant ibid. 26.h
Ordo est causa, cur melius,& facilius doceamus 24. a
Ordo duplex. 24.b
Ordo compositionis quid. ibid.d
Ordo resolutionis quid. 25.e
Ordo definitionis,an detur. ibid.a
Ordo, & methodus in quo differant. 24.a
Organa perfectionis,quæ sint. 39. a
Organa originis,quæ sint. ibid.
Origo totius artis sanitas,& corpus humanum. 1.b
Orexys quid. 1183 f
Ossitatio quid. 1051 h
Orium distributioni alimentorum impedimento est. 759.b

P.

PALPITATIO quid. 1049.c
Palpitatio an sit motus volútarius. 1065. d
Palpitatio num definiatur per solam dilatationem. 1066.c
Palpitatio ventriculi an facilimé dignoscatur. 1207. e
Pancrasium quid. 716. f
Pandiculatio quid. 151. g
Pars quid sit. 39. a
Partitio operis de differentiis morborum,& symptomatum. 12. h
Pars ægra per calotem excedentem, adhuc habet partis naturam. 118. f
Pars similaris quid sit. 153.f. 264.b
Partes similares, quæ. 153. g
Partes similares quot. 154.e
Pars dissimilaris quid. 1620.g
Partes similares prima corpora sunt, & illarum actiones primatiæ. 157.g
Partium similarium propria compositio duplex est, vel ratione propriæ naturæ, vel ratione instrumentorum, quæ componunt. 69.h
Partes similares, quatenus similares sunt vage per corpus disperguntur, verum quatenus instrumenta componunt,certum locum, & se cósensum habent. 171. d
Partes similares laborant morbis partium organicarum. 73 h
Pars similaris duobus modis dicitur, vel rei natura, vel judicio sensus. 174. h
Partibus similaribus videtur denegare Galenus intemperiem cum fluxione. 242. f
Partibus simiaribus an solum conveniat intemperies nuda. ibidem.f 243. b
Partes cum laborant intemperie cum fluxione humoris, necessario afflictantur omnibus qualitatibus illius. 254.f
Partes cum laborant ex materiæ fluxione,raro aut nunquam fluit simplex ali quis humor. ibidem.
Partes duas habere aliquantulum simile temperamentum possibile est,sed habere idem est omnino impossibile. 260. e
Partes duas impossibile est habere eandem omnino materiam vel substãtiã, hoc est, ijsdem qualitatibus secundis affectas esse. ibidem.g
In parte similari nihil reperitur, quod actioni præsit præter formam & materiam. 263. g
Partium genus quadruplex. 291. a
Partes usum habentes, quorumcunque instrumentorum sint, tantum deserviunt illis, dispositione organica. 318. f
Pars quælibet nostri corporis prædita est actione propria. 359. b
Partes similares non solum afficiuntur quatuor intemperiebus, sed etiam patiuntur solutione continui, quæ propterea dicitur illarum quintum morbi genus. 505. g
In partibus, quæ sunt naturaliter separatæ, si forsan conjungantur,tria præter naturam considerantur. 512. a
Partes carnosæ,cum patiuntur solutionem si vires illarum valentes essent, non indigeremus sarcoticis medicamentis. 532. a
Partibus similarib. ut similares sunt, subministrat actiones temperamentum, continuitas usum: instrumentis tota illorum

illorum structura suggerit actiones. 533. c
Partes similares ut similares neque formationem, numerum, magnitudinem, vel situm usurpant, neque illis corruptis, vel depravatis quidquam patiuntur: omnia enim hæc contingunt ratione instrumentorum, sed continuitatem requirunt, ut tales sunt. 533. h
Particula, ex, tripliciter dicitur. 597. f
Partes nostri corporis tribus modis imbecilles fiunt. 787. b
Pars quelibet nostri corporis, potissimum si interna, & valida fuerit, excrementa multa, vel prava, vel multa simul & prava, molestia quidem irritata statim expellit ad vicinas partes, quibus si nativum inest robur ad alias transmittunt, donec pervêtum fuerit ad partem omnium imbecillimam. 786. b
Partes plures sunt in nostro corpore, quę tantum se ipsas alunt, nec plus alimenti trahunt quam sit opus ad earum conservationem. 1216. b
Partes plures existunt in nostro corpore quæ majorem quantitatem alimenti trahunt, & cõficiunt, quam sit opus ad propriam nutritionem. ibid.
Partes omnes nostri corporis perpetuo incumbunt ad propriam nutritionem per se, per accidens vero illarum actio partibus alijs prodest. 1227. f
Secundum partes diversas magnitudine insensiles unum, & idem corpus contrarijs simul motibus movetur. 801. b
Pararthresis quid. 455. b
Passionis & affectus distinctio. 897. c. b
Passionis & actionis discrimen. 904. g
Passiones animæ qua ratione exiccare solent. 756. b
Pathematis & symptomatis discrimen, 916. e
Pathos vel pathema quid. 59. c
Patibiles qualitates quatenus bene vel male corpus afficiunt, dispositiones sunt. 66. f
Peritum est plusquam doctum Marco Tullio. 16. a
Permanens tripliciter dicitur. 858 a
Permanentia duplex est. 954. a
Phthisis quid. 453. c
Phlogosis quid. 556 d
Phrenitis quid. 1171. e
Phrenitidis differentiæ. 1175. f
Philosophi duplicem contractum faciũt. 386. b
Philosophi asseveranter affirmant animę facultates nõ influere à partibus principus in alias. 146. g
Pili an sint vere partes corporis. 408. a
Potio frigidæ actu refrigerat, succus autem vuæ immaturæ potestate primò & per se: at sanguinis missio refrigerat ex accidenti. 481. h
Propositum artis medicæ est morbum vitandum vel removendum. 3. e
Præter naturam dupliciter dicitur. 45. f
Præter naturam toto genere quæ dicantur. 102. e
Præcautio quid. 218. g
Principium ex quo aliquid sequitur, bifariam dicitur. 310. c
Priapismus quid. 452. g
Pruritus an sit dolor. 1138. c
Pruritus quid. 1140. g
Profluvium muliebre quid. 1269. d
Pulsus quid. 726. d
Putredinis causa utrum sit sola prohibita ventilatio. 862. d
Putredinem inducens medicamentum utrum detur. 863. g
Putrida febris an sit fiens, vel facta. 972. c

Q.

QValitas quid. 83. c
Qualitates patibiles, quatenus bene, vel male corpus afficiũt, dispositiones sunt. 66. f
Qualitates primæ vocantur prima contraria, quia non habent alia priora, à quibus oriantur. 248. a
Qualitates primæ dupliciter à tactu cognoscuntur. 248. b
Qualitates contrariæ gradibus remissis in eodem subjecto simul inesse possunt 803. f

R.

RAritas & densitas sunt passiones in compositione instrumentorũ. 268. a
Recessus quã minimus philosopho morbus est, non medico ex Bruguerij sententia. 207. b
Refrigerari quid. 244. d
Regio Morbo laborantes non multũ ventosi sunt, ut habet Hippocrates. 474 g
Regula, qua morbi cognoscuntur. 45 h
Relatio est inter duo mediante aliquo ente absoluto. 78. g
Res præter nat. morb. causa & symptoma

ma sui ablationem indicant, proprius tamen morbus,& ejus causa,cum symptoma propriè nihil indicet, utpote quod à morbo pendeat omnino.852.f
Respiratio quid. 727. d. 1235. f
Respiratio difficilis an ad curam adjungatur. 1164 f
Respiratio actio naturalis & voluntaria est. 1050. c
Rhogme & Rhexis quid. 881. a
Rigor, & horror sequuntur humores acres, qui naturalem facultatem irritant & continuum solvunt. 1255.h
Ruptio quid sit. 515. d. 517 h
Rygma quid. 516.c

S.

SAnguis & spiritus quomodo fervescant. 621 g
Sanguificatio quid. 300 d
Sanguinis eruptio & vomitio,licet quatenus ad excretam substantiam attineat, toto genere præter nat. fit, aliquando tamen præter nat. non est, quoniam substantiæ molestæ ac noxiæ est evacuatio. 1176. g
Sanitas & corpus humanum totius artis origo. 1.b
Sanitas est artis medicę scopus. 3.c
Sanitas vel exconservatione, vel excuratione possidetur. 4. e
Sanitatis definitio notionis. 33. g
Sanitas in duobus querenda. 35.a
Sanitas & morbus ex eodem genere contrahia sunt. 42.c
Sanitatem libentius appellamus constitutionem quam affectum. 45.a
Sanitas & morbus in uno genere semper includuntur. 72.c
Sanitas & morbus synonima sunt. ibid.
In Sanitate & morbo quatuor. 79.a
Sanitas & morbus ad aliquid referuntur ibid. d.
Sanitas & morbus ad genus relatorum secundum esse non possunt revocari. 80. a.
Sanitas, & morbus ex his, quæ nomine tenus ad aliquid referuntur. 81.c
Sanitas, & morbus qualitates sunt. 86.h
Sanitas, & morbus nunquam habitus. 87. a.
Sanitas,& morbus ad primã speciem qualitatis pertinent. ibidem.
Sanitas, & morbus non generantur motu, vel alteratione per se, sed per accidens. 91.a
Sanitatis, & morbi partium similarium generatio exemplis confirmatur 94.e
Sanitatis,& morbi partium disimilariũ generatio confirmatur exemplis.95.a
Sanitatis & morbi communis generatio exemplis confirmatur. ibid. d
Sanitas symmetria, & moderatio est. 103. a.
Sanitas sita est in symmetria,vel ex symmetria nascitur. ibidem b.
Sanitas extremum est,& opponitur morbo tanquam extremo contrario. ibid.
Sanitas est opus artis. ibid.
Sanitas, & morbus sunt propria contraria,& adversa sub uno proprio genere contenta. 110.c
Sanitas in plures species dissecatur.113.f
Ad sanitatem concurrunt omnia, quæ nostrum corpus componunt. 117.h
Sanitas,& ut medium, & ut extremum consideratur. 119.b
Sanitas quam latitudinem habeat.200.d
Sanitatis latitudo quatuor partes habet. 202. g.
Sanitas instrumentorum non est partium illius conformatio, numerus, magnitudo, positus, sed structura quædam constans ex partibus illa servantibus. 297. c.
Sanitas actionem primo perficit, ita morbusactionem primo vitiat 480.a. 432. e.
Sanitas ex integritate actionum, sanitatis causæ ex usu necessario, ira morbus ex actionis impedimento & ex remotione usus causæ illius comprehenduntur. 536.a
Sanitatis,& morbi discrimen. 904.e
Sanitati,quæ conveniunt eadem, & morbo contingunt,nisi quod sanitas secundum,morb. præter nat. fit. 912.c
Sanitas,morbi,& media constitutio cõveniunt proximo genere, quoniã sunt partium constitutiones. 946. a
Sarcoma in natibus morbus est in numero, sed causa morbi,cum occludit aliquod ex narium foraminibus. 401.h
Sarcotica medicamenta, quam vim habeant. 530. h
Scripta contrario modo se operibus habent. 3. h
Segarra docuit Gal. observasse methodũ dividendi. 22. h.
Segarra,& ejus sectatores cum germano inter-

no interprete perverse philosophati sunt. 69. c
Segarra reprehenditur, qui nulla præmeditata distinctione, dixit temperamentum esse formam mixti ut mixtum est. 115. c
Segarræ opinione, morbus statim ab initio suam habet essentiam. 205. e
Segarra arbitratur non posse dari simplices intemperies cum fluxione humoris. 251. h
Segarræ opinio de toto temperamento refutatur. 278. f
Segarra culpatur de methodo invenienda partem principem. 204. b
Segarræ methodus, qua invenienda sit pars princeps, examinatur, & refutatur. 305. e
Segarra arbitratur, omnem morbū esse affectum præter naturam particularē 350. e.
Segarra, & ejus sequaces confitentur amplitudinem pupillæ, sive in utero, sive postea contigerit, semper lædere visionem. 355. c
Segarra Vallesio respōdet facultatem, instrumentum, & usum in unam convenire, unamq. efficere causam continentem. 673. h
Segarra negat in morbis causam continentem. 693. f
Sensus est judex eorum omnium, quæ cognoscit. 32. h
A sensu ducit principium omnis nostra cognitio. ibidem.
Sensu, si rem consideremus, duplex datur simplex intemperies, caliditas & humiditas. 251. c
Sensus communis quis sit. 1060. h
Sensorium primum quod. ibid.
Sensus communis, & imaginatio idem. 1068. h.
Sensuum internorum distinctio. 1071. g
Sensus, & motus tripliciter deperditur 1160. g.
Series causarum efficientium. 907. g
Signorum observatio ex intimis sanitatis & morbi manat. 3. f
Similitudinis fundamentum est qualitas, quoniam una est in extremis similibus; 78. h
Simitas quid sit. 342. g. h
Situs partium in instrumentis quid. 454. g
Situs duas habet differentias Aristotelis. 542. e
Situs Galeno etiam dividitur in loci positionem, & partium connexionem. 543. d. 544. a. b. c. d.
Solani sententia, quam minimus recessus à magna sanitatis latitudine, morbus est. 205. h
Non debet esse solisitus is, cui rerum scientiam invenire sit propositum, 518. f.
Solicitudo qua ratione augeat dolorem. 622. c
Solutio unitatis morbus est tantum partis similaris, 500. a
Solutio unitatis in utrisque partibus, quando reperitur. 500. c
Solutionis continui nomina. 500. d
Solutio continui quid sit. 503. a
Solutionis continui differentiæ quinq. sunt, 518. f
Solutio continui in carnosa parte, ulcus dicitur, in nervo spasma. 517. h
De solutione continui manifesta contradictio inter caput undecimū lib. de differentia morborum, & 6. de artis constitutione. 523. d
Solutio continui, & partib. similaribus, & dissimilaribus contingit. 527. a
Solutio continui duplex, fiens & facta, fiens nondum morbus, facta jam morbus est, 1259. g
Somnus quid. 1046. c. 1062. c
Somnus humectat. 759. c
Sonus quid. 1244. e
An sonus inter affectus corporis numerandus sit, 1241. b
Sonus utrum sit motus. 1243. g
Sonus formaliter acceptus qualitas est, & auditus objectum, adque ubi percipitur insuetus, ad corporis affectū refertur. 1244. g
Sonituum differentiæ cur dictæ sint sensibiles à Gal. cap. 2. 1145. a
Sonus cur indiget alia qualitate patibili, ut sensibilis dicatur. 1245. d
Sophistæ, Gal. tempore, arbitrabantur nullum dari affectum nativum 348. a.
Spasma divulsio quid sit. 516. b. 882. c
Spasma & spasmos multum inter se distant. 517. e
Cum spasma in nervo fieri dixit Gal. nervi fibras intelligit. ibid. h
Sphacelos quid. 233. f. 331. a
Sternutamentum quid. 1052. e
Steatoma quid. 386. h
Stultitia quid. 1180. h

Substan-

Subſtantiarum neque pugna eſt, neque contrarietas, neq. motus. 273.h
Subſtantia nulla poteſt imprimere paſſionem permanentem in alieno corpore, ſine opera qualitatum. 274.h
Subſtantia, quam in medicamentis cognovit Gal. forma non eſt, ſed totum temperamentum. 275.c
Subſtantiæ proprietas dupliciter dicitur. 306.f
Subſtantiæ proprietas quid ſit. 307.b
Subſtantia calida, morbi calidi eſt cauſa. 620.g
Nulla ſubſtantia eſt affectus. 929.d
Subſtantia tota quid ſit. 282.g
Sudor aut immodicè excernitur, aut indebitè retinetur 1270.b. ſequitur, vel partium retẽtionem imbecillam, vel immoderatam expulſionem ibidem. d.
Sudor, an ſit evacuatio naturalis. 1289.d
Sudor quid. 1290.c
Suffuſio quid. 385.g
Sugillatio quid. 516.a
Sylogiſmus duplicem habet finem. 27.a
Sylogiſmus, & methodus ſecundum formam. ibidem.
Sylogiſmus, ubi propter communem finem concludendi materiam neceſſariam reſpicit, nihil aliud eſt, quam methodos. ibid. b
Symmetria quid. 62. f.g
Symphiſis quid ſit. 330.e
Symptomatis nomen æquivocum eſt. 900. b.
Symptomata, tempore Galeni, vocabatur epygennema quod eſt ſuccedens 893. b.
Symptomatis proprie dicti, & morbi diſtinctio. 911.h
Symptoma dupliciter. ibid. 1010 b
Symptomatis & pathoematis diſcrimen, 916.e
Symptomatis generaliter accepti, & morbi diſcrimen. ibid.h
Symptomata, quæ Gal. putavit eſſe affectus nunquam vocavit conſtitutiones. 921.c
Symptoma nõ omne eſt affectus. 930. b
Symptomata illa, tantum ſunt affectus, quæ ſunt qualitates à motu permanentes. 933. a
Symptoma tripliciter ſumitur. 990.b
Symptoma quid ſit. 992.e
Symptomatis definitio. 998.c
An ſymptomata ſint omnia, quæ morbum ſequuntur. 1002. a
Symptomatis propriè dicti tres ſunt differentiæ. 1006. b
Symptoma propriè dictum an recte in tres differentias dividatur. 1011. e
Symptomatis propriè dicti quid conſtituit tertium genus. 1016. b
Ex ſymptomatis alia ſymptomata cæpiſsime naſcuntur. 1197.c
Symptomata omnia tertij generis naturam morbi præcedunt. 1272.f
Symptomatũ ſæpe numero ſeries quædam ſit, quæ poſt morbos ſibi invicẽ videntur ſuccedere. ibidem.
Syncopi ſemper antecedit morbus, ſyncopis vero cauſas ad duas reducit Gal. 255.f
Synizeſis quid ſit. 130.f
Syſtaſis quid. 866 b
Syſtrophe quid. ibid.a

T.

TActus origine & neceſsitate ſenſus primus eſt. 1041.e
Tactus cur tucatur ſenſoria reliquorũ ſenſuum. 1060.f
Temperamentum non movet corpus motu locali, ſed motu elementi prædominantis. 132. d
Temperamentum cerebri, & facultas imaginatrix, ratiocinatrix & memoratrix idem ſunt. 47.c
Temperamentum unum tantũ eſt unius mixti, facultates plerunque plures. 250. g.
Temperamentum optimum perficit facultatem, corruptũ magnopere conturbat. ibid. a
Temperamentum nonnũquã agit unius qualitatis exceſſu, aliquando tota compoſitione. ibid. h
Temperamentum poteſt ſe ipſum amplificare vel imminuere. 151 c
Temperamentũ corporibus ineſt ſecũdum ſubſtantię rationem. 157.f
Temperamentum quid. 159.a
Temperamentũ eſt prima humani corporis compoſitio. ibid. b
Totum temperamentum juxta opinionem Segarræ quid ſit. 276. d
Temperamentum, totum temperamentum, & tota ſubſtantia quo differant. 282. h
Temperamentum quamvis notum nõn poteſt

potest dare certissimũ indicium partis principis. 305.h
Temperamentum seu constitutio partium similariũ & facultas plurimùm differunt. 133.g
Temperies solius animæ vel facultatis ejus ministra est, non alicujus qualitatis secundæ. 475.c
Temperamẽtum concurrit ad visionem sed remotius cum splendorem oculorum tuetur. 486.e
Sola temperies est causa omnium actionum partium similarium & natura propria constitutio, quæ particularis 533 f.
Tentigo quid sit. 452.g
Teredon quid. 881.d
Thlasma & Thlasis quid. 881.b
Thylipsis quid. 330.f
Timor qua ratione augeat calorem. 622.e.
Tranquilitas animi humectat. 756.d
Transpiratio quid. 1048 h
Tremor an sit actio depravata. 1063.h
Tristitia exiccat ossa. 479.e
Tumores præter naturam nonnúquam fiunt ex humoribus cinceris, nunquã sibi invicem commixtis. 773 b
Tumores alij oriuntur ex humoribus secundum naturam, alij ex his qui toto genere præter naturam sunt, alij vero ex his humoribus qui non omnino sunt præter naturam. 774.a
Tumores adq omnes morbi quomodo ab alicujus substantiæ fluxione originem trahunt & generantur. 778.a
Tumores an omnes ducãt originem ex fluxione. 811.g
Tumor præter naturam si magnitudine lædit actionem morbus est. 555 a
Tumor præter naturam si non lędit actionem symptoma est. ibid.
Tumor præter naturam quando est symptoma ad quod genus symptomatũ referatur. 1033.d
Tunica elythroides, vel erythroides quæ sit. 873.b
Tussis quid. 1050.h
Tylma quid sit. 516.b
Typhomania quid. 1180.g
Typhonia quid. ibid.b

V.

VAcuum non est causa attractionis, nec aliquid attrait ne detur vacuum. 820.g
Valleriola tenet Galenum servasse methodum compositivam. 22.g
Valleriola reprehenditur quod existimaverit Galenum per meatus, non tam illos qui per cutem extenduntur, quam etiam internos intellexisse. 181.g
Valleriola arbitratus est actionem propriam eam esse quæ ad individui vel speciei conservationem facit. 359.d
Vallesius tenet formationem, numerũ, magnitudinem, & compositionem, non esse morbos, sed vitia ex his orta. 222.e
Vallesius arbitratus est nullum morbũ in intemperie habere causam continentem. 694.g
Vallesius causam continentem admittit illis morbis qui alicujus rei additione consistunt. 696.c
Vallesius laudatur. 708.c
Vapor pallidus projicitur ab hictericorum oculis ut existimat Garcia. 474.f
Vapor ex quocunq licore, sive rubió, sive flavo emissus perpetuo albus est. 475.a.
Vehementia, proximitas, tempus, & habilitas sunt necessaria, ut possit aliqua causa suum producere affectum. 613.h.
Venas sanguinem generare sunt arbitrati Vesalius & Ioubertus. 368.d
Venę a proprio temperamẽto procreant humorem frigidum candidum & viscidum. 374.e
Venę neque sibi incita, neque à jecore accepta facultate sanguinem gignere possunt. 374.h
Venę ad sanguinis generationem jecori deserviunt tantum organica dispositione. 376.d
Venę meseraicæ non possunt calorem in chilũ inducere quamvis attractus ab illis confestim rubeat. 380.a
Venæ meseraicæ sanguinem præparant susceptо ex jecore facultatis influxu 379.b.
Vena arteria & nervus revera instrumẽta sunt, quamvis prima & simplicia 776.a. Partes similares dicũtur, ibid.
Ventriculo & hepati astringentia conveniunt, non quatenus similares partes, sed quatenus instrumenta sunt. 268.d
Ventriculus, & pars similaris, & instrumentum dicitur. 496.d

Ventriculi

Ventriculi actionem vitiat morbus instrumentalis ex ea parte qua instrumentum est, non quatenus pars similaris. 497.h
Ventriculus cum non concoquit quod naturaliter concoquere non potest: ut immodicam siborum copiam, vel pessimam qualitatem, ejus actio non dicitur læsa, sed adhuc non inchoata 963. f.
Ventriculus in foetu non generat chylum. 378. d
Ventriculus an loco moveatur cum attrahit alimentum. 1203.h
Ventriculus cum retinet alimentum, an teneatur illud amplecti. 1204.g
Ventriculi concoctio sessata utrum sit actio depravata. 1205. a
Ventriculi palpitatio, an facilime cognoscatur. 1207.e
Ventriculus an præditus sit octo facultatibus naturalibus. 1225.d
Ventriculi actio chylosis. 1082.d
Vertigo est actio depravata imaginationis, quę rem quietam circumvolvi judicat. 1156.e
Vigilia & somnus sunt duo symptomata sensus cómunis nempe primi sensifici hoc est cerebri. 1046. a
Vigilia & somni nomine omnia soporosa symptomata intelligimus. 1046.a
Vigilia quid. 1046.b. 1062.b
Vigilia qua ratione augeat dolorem. 622. e.
Vini noxæ. 720.a
Vini utilitas. ibidem b
Vinum cur dicatur temetum. ibid. a
Vinum tametsi alimétum familiare cur inducat morbos frigidos. 721. f
Vinum cur ita dicatur. 744. b
Vinum multitudinem quare extinguit calorem. ibid. c
Virtus Aristoteli in anima est. 104. b
Virtus quatenus bonum quod opponitur malo, extremum est. 105. f
Virtus secundum essentiam mediocritas est inter duo extrema vitia ibid. g
Vires debent esse valide, sive pars addita adnumeretur his, quę naturali sunt habitu, sive toto genere præter naturam. 864. g
Virtus proprié sumpta quid sit. 1029. a
Virtus bifariam dicitur. 1028. a
Visionis læsę causa propria & proxima non est intemperies. 470. h
Visio primo non debetur humori crystallino ratione sui temperaméti, sed ratione perspicuitatis. 471. c
Vitia delicata homectat. 756. d
Vitiligo quid. 387. b
Vitia, quorum correctio pertinet ad medium partem curatricé, vere morbi sunt. 356. c
Vitium bifariam dicitur. 1019 a
Vitij nomine quid intelligitur Fernelius. 1029. b
Vlcus quid. 514 h. 880. g
Vlceri aut vulneri curando duplici genere medicamentorũ est opus. 530. h
Vlcera multo facilius & citius agglutinantur, si adducantur labra & constringantur, quam si disjuncta maneant. 532. e
Vmbræ similitudo explicatur, quam dixit Gal. morbi symptoma. 1000. g
Vnguis quid sit. 383. c
Vnitas soluta aliquãdo similarium partium dumtaxat morb. est, aliquando totius tantum instrumenti interdum vero partium similarium & totius instrumenti solum. 513. f
Vnum uni est contrarium. 109 e
Vnitatis ope omnis pars est una, & unã actionem unum quæ usum perficit. 535. 2. b
Ab universis incipiendum. 20. b
Voluptas quid sit, & quomodo fiat. 1122. c.
Vomitus an sit evacuatio naturalis an præter nat. 1284. g
Vomitus quid ibidem. 1286. d
Vomitus hominibus sanis comendatur ab Hyppocrate ad tuendum valetudinem. 1286. b 1287. e
Vrinæ suppressio vel immodica excretio vel sequitur aliquem corporis affectum vel aliquam actionem læsam. 1271. f.
Vlus triplex. 301. g
Vtilitas operis, de different. de causis morborum & symptomatum. 13. a
Vtilitas quid. 592. b
Vva quid sit. 393. f
Vulnus quid. 514. h
Vulnus & ulcus quo differant. 515. a
Ad vulnus refertus punctio. ibid. d

FINIS.

Fundación Uriach

Fundación
Uriach

APOLOGETICA INVECTIO

PRO IOHANNE FRANCISCO ROSSELL CATALANO BARCINONENSI

CONTRA ANTONIVM

Santorellum Nolanum,

CONSVLIBVS SENATVIQVE BARCI-

nonen. dicata,

INQVA

DE ACTIONIBVS DIMINVTA, ET DEPRAVATA,

atq. his, quæ à corpore excernuntur, & in eo præter naturam detinentur, agitur.

AVCTORE IOSEPHO CAÑELLAS MEDICINÆ STVDIOSO.



CVM LICENTIA.

Barcinonæ apud Sebastianum & Iacobum Mathevat. Vniversi. Typog. Anno 1619.



I H S

AD CONSVLES SENATVMQVE BARCINONEN.

ROSSELLVS vester, Consules ac Senatores Patrij, quò publicè monumentum aliquod gratitudinis suæ apud vos extaret, cum occasio nata visa est, commentarios in Galenum, sub tutela nominis vestri, in lucem dedit. Cumque officium interpretis sit, non modò sedulò perscrutari, atque auctorum consilia explorare, sed etiam, quæ alij interpretes periculosa dederint, detegere, atq. ea, vel referre in melius, vel frangere, & abjicere, doctissimus vir, sine adulatione, illustrium virorum in corruptas opiniones semper insecutus est: sed dogmata improborum, & audacium hominum acriùs persecutus. Inter eos verò, qui multa in nostro Galeno vitio vertit, quidam Santorellus est, quem ROSSELLVS Magister noster in suis commentarijs acerrimè corripuit. Sed ille adeo est irritatus, atque in Doctorem nostrum incitatus, ut posthac multò crudeliùs puniri promeritus sit. Hinc nos tanti viri auditores, & discipuli, decrevimus concordes, adversus Notanum illum aciem struere, atque pro Magistro certare. Opusculum autem mihi mandatum, & his iam contractioribus noctibus lucubratum vobis dico, & consecro, eique vos tutores, imò patres advoco, nam, & si per se non magnum, pondus tamen ab animo meo accipiet. Quamobrem, ut illud nostræ erga vos observantiæ, velut [illegible] quoddam, hilari & exporrecta fronte accipiatis, autoritatisque vestræ scuto contra livoris

voris maligni dentem, & districtum atræ invidiæ supercilium defendatis rogo, & obsecro, ita nobis incolumes, atque hanc fidelissimam Civitatem fœliciter gubernantes Deus Opti. Max. quàm diutissimè sospitet, consiliaque vestra fortunet. Valete 3. Kalen. Iulias, Anno Christiano M.DC.XXIX.

Vester vestrùm observantissimus
Iosephus Cañellas.

EX commissione Perillustris Iosephi Claresvalls Archidiaconi & Canonici Barcinonensis Ecclesiæ Excellentissimi Barcinonen. Episcopi Vicarij Generalis & Officialis, legi hanc Apologeticam invectionem pro Iohanne Francisco Rossell contra Antonium Santorellum quatuordecim papyri folijs comprehensam, atq. in ea nihil fidei repugnans, sive bonis moribus dissonans inveni, ideo ipsam posse typis mandari censeo. Die 30. Iunij Anno M.DC.XXIX.

Michael Torres Art. & Theol. D.

ATTENTA *supradicta relatione concedimus licentiam, quod possit imprimi seu typis mandari, hac die 28. Iulij 1629.*

Iosephus Claresvalls Vic. Gēn. & Offi.



APOLOGETICA INVECTIO

PRO IOHANNE FRANCISCO ROSSELLI CATALANO BARCINONENSI CONTRA ANTONIVM Santorellum Nolanum,

INQVA

DE ACTIONIBVS DIMINVTA, ET depravata, atq. his, quæ à corpore excernuntur, & in eo præternaturam detinentur, agitur.

PROLOQVIVM.

CVMPRIMVM Iohannes Franciscus Rossell medicus nobilissimus, atque optimus (candide lector) queribundi Santorelli scriptū legit, illius melitensis canis latratus irrisit, despexit, & floccifecit: eius tamen discipuli grauiter exardentes, non potuerunt sibi temperare, quin cum homine illo agresti in dimicationem venirent, ac manu confligerent. Tandem verò in hac sententia constitere, ut alicui ex tyronibus rescribendi onus imponeretur. Quod ego munus sine mora suscepi, tametsi miles ignavus, qui neq. ingenio, neq. artis medicæ cognitione ulla ex parte sum cum reliquis comparandus. Fretus tamen & confisus fundamentis, quæ in præclaro opere suo iecit Doctor noster singularis, ad aciem præsto ero, aeq. animo Catalano in ea constantissimè stabo, præsertim cum certum habeam, me in primo congressu protervum hominem protriturum, & conculcaturum. Erit autem primus conflictus patefactio manifestæ falsitatis in primo eius capite, ubi perspicuè mendacium inest; quo quidem fallere improbi hominis est: capiti autem primum infligere vulnus gloriosa victoria. Quamobrem hoc solo triumphans gaudio, postquam illius nefarias fraudes constrinxero, neglecto illius fervido scribendi genere, statui tantū

respondere ijs, quæ contra doctrinam clarissimi viri de actionibus, atq. excretis, & retentis præter naturam scripta sunt, non factus iratior, quamvis ille amplam exhibuerit occasionem, vt stomacho & ira efferuescceremus: sed iniuriarum memoria deposita, ne me maiorum meorum capiat oblivio, semper animum ad rem & veritatem traducã. Nam,

SẽTroad. *Veritas nunquam latet.*

Euripides. *Simplex est sermo veritatis.*

Plaut. *Ego verum amo, verum volo dic mihi, mendacium odi.*

Porro si magister noster hoc negocium suscepisset, multa paucis uerbis complexus esset, hunc inuectum breviter, stricte inq. percurrisset, Santorelli animum facile fregisset, impetusq. sine mora repressisset: hoc enim postulat apologeticum opus: sed cum iam adiunxerit animum ad solam Therapiã omnes quæstiones, quas logicas appellamus, illi fastidio sunt. Quamobrem, licet illum, etiam, atq. etiam imploraverimus, vt huic infectationi faveret, nihil attraxit hic funis. Ergo tametsi lõgiùs, quam decet, mea disputatio provehatur, quoniam tyrones, cum se breviores esse putant, longissimi fiunt: nihilominus tamen ego excitabo animadversionem, & diligentiam, ut doctissimis, sapientissimisq. placeat, arrideat, & faciat satis; cum bona hinc spes effulgeat, quod proposui, perficiendi. Siquidem,

Homerus Odyss. O. Πάντα νέμεσις ἐπέεσσι τετυγμένα τε θεῖα ἔργα. *Sic fato felix à dextris ad volat ales.*

CAPVT I.

A GRÆCIS Doctoribus nos Philosophiam, & Medicinam, omnesq. ingenuas disciplinas habere, scias volo, Santorelle, ac siquis minorẽ gloriæ fructum putat ex Græcis percipi, quàm ex Arabib⁹ vehemẽter errat. Planè constat Hippocratem, ut vetustate, sic etiam sapientia, & rerum peritia reliquis ferè omnib. quorum scripta ad nostram ætatem pervenerint, lõgè præstitisse. Galenus verò Hippocratis doctrinam explanavit, & validissimis rationibus roboravit, cuius viri doctrina & methodus, ob dulcedinem insitam, atq. sublimitatem, adeo allicit omnium studiosorum animos, ut qui semel illum gustaverit, amplius abstinere ab ipsa non possit. Ergo illi subscribimus omnes, atq. hoc uno gaudemus præceptore, hunc suspicimus, hunc imitamur, unicuiq. sibi satis gloriæ adeptum videtur, si Galenus dici mereatur: tantum enim illi debemus, quantum persolvere nunquam possimus. Hoc nostrum magistrum impulit ac vehementius excitavit, vt post Hippocratem in uno Galeni amore conquiesceret, irasceturq. omnibus, qui eius decreta improbaverint, ac furenter Argenterio, quem leniter tractare detestabile reputat. Nam peripatetici virum videri negant, qui, cum expedit, irasci nesciat, & eam, quam nos lenitatem dicimus, vitio lenitudinis, & mollitiæ nomine appellant. Vnde si quis & Galenum carpserit, & Argẽterio blandiatur, eũdem graviter fert, dissimulare nequit, atq. vix patitur inultum abire. Quæsa la causa est, cur vir optimus & Galeni amantissimus libro de differẽtia symptomatum quæstione 13. te acriter fuerit insectatus. Nam libro tertio Antepraxis hæc habes. *Definit Galenus symptoma hunc in modum libro de diff. symp. cap 1. Est affectus præter naturam insequens morbum, velut umbra corpus. Et malè.* O turpissimum facimus. Et malè? Sic impurato ore ausus es expuere venenatos sputus? Longè tua prorupit audacia. Nam deinceps multo post de causa palpitationis & convulsionis disputans, eandem in urbanitatem iterasti: cætera eiusdem tenoris, tametsi multa, prætereo. Verum pernicios⁹ error, quo duceris in assignanda causa palpitationis, & convulsionis, in altero volumine præceptoris nostri, quod brevi habituri sumus, gravius refutabitur: nunc ad definitionem symptomatis accedamus. Siquidem tu de Galeno falsa confinxisti. Nam ipse non definit symptoma in illo contextu, quem Doctor noster septimum significavit, ut ipse monstrat libro de diff. symp. quæst. 13. Nihilominus tamen, quoniam illa cap. 2.

definitio

definitio à te adducta ferè omnib. placet, dispiciamus, an à te ritè vituperetur. Definitioni tria opponis: eiusdem Galeni verba, tumorē exiguum, & ictericorum colorē. Tumor symp. est insequēs inflāmationē, de quo legēda sūt, quæ noster D. scribit lib. de diff. symp. quæstio. 17. Coloris ictericorum, quę sit causa proxima docuit eodem libro
Ob. 21. quæstio. 47. Quibus postquam tibi fuerit satisfactum revolve caput illud primū libri de diffe. sympto. ac relege illū Gal. contextū à te adductū adversus Galenum, & manifestè comprehendes autorē non fuisse locutum de sympto. proprie dicto, cuius definitionē exagitas: sed de symptomate generatim accepto. Quod si Doctoris nostri commentario non credideris, consule Frāciscum Valleriolam, Germanum interpretem, Iacobum Segarram Valentinum, & alios quoscunq. continuòque veritati locum dabis.

Impugnat etiam magister noster nōnullos medicos, qui cum extra, tum contra Galenum absona, & absurda multa inconsideratè dixerunt. Vnde tu primo capite tui scripti magnas querelas moves, primùm, quod Iohā. Fernel. legislatorē appellaverit. At tantū conqueritur, quod Fernelius neglecto Galeno de morbo novam tradiderit doctrinam: his enim verbis quasi animo angitur. *Iohannes Fernelius legislatoris munere fungens nos cogit hoc loco de eo, quod præter naturam est certatim dicere.* Et paulo post. *Vir ergo ille, alioqui doctissimus, definitione quadam à se excogitatam morbi naturam voluit occultare.* Præterea eodem libro quæst. 30. hæc habet. *Vir ille gravis, quem latorem legis superius appellavimus, alios morbos imaginatus est in partibus similaribus, præter eos, quos noster Galenus recta methodo pervestigavit.* Profectò nulla Fernelium affecit injuria, sed leviter reprehendendo, magnum illi detulit honorem.

Rursus tibi displicet adagium in Averrohem dictum, quod quidem in eum quadrat qui negocium facessit lōgè se præstantioribus. Hoc autem cū re, de qua agitur, quam aptissimè cohæret: Galenus enim plurimum auctoritate valet, quoniam existimatione abūdantis doctrinæ, omnium præcellentissimus iudicatur.

De diff. mor. q. 10.

De diffe. mor. q. 65.

Col. 263.

Ad hæc adiungis Germanum interpretem cōtra fas vocatum fuisse physicæ rationis ignarum. Verum id Rossellī nostri fuit occasio. *Equib. sanè verbis* (inquit ille primo de differentia morborum commentario in caput septimum) *perspicuum fit obstructionem nō esse hoc loco, nisi humores lentos, & crassos meatibus venæ impactos: differè enim dixit Galenus, hos impedire distributionem in corpus.* Mox addit. *Sed dices, si impacti humores sunt morbus, quæ igitur obstructionis causa erit? Respondeo itidē humores lenti, & crassi, non tamen, qui iam impacti sunt, sed qui adhuc fluunt.* Quæ Metamorphosis est hæc? Humor fluens corporea substantia est: fluxus vero morbus, qui nobis qualitas: tibi vero privatio. Hui, tam cito substantia transformatur in qualitatem, vel in nihilum? Profecto nihil tam absurdè dici potest. His subiūge triplicem significationem nominis, affectus, quam ex Galeno perperam colligit, quamq. præceptor noster reprehendit libro de differ. sympto. quæst. 1. & videbis, quàm temerè procedant illius Theoriæ comprobatores. Ergo qui tam nequiter philosophantur, vis illustribus laudibus celebrari? Κακὰ κέρκετε κακὸν ἄλν (latinè reddam, vt penitus intelligas) *malicores malam ovum. οὔτε γὰρ τραγήματα ῥόδα φύεται, non etenim ex scyllis rosa nascitur.*

De caus. mor. q. 24.

Theog.

Tandem venio ad tuum Argenterium, de quo noster Rossellus aspere quidē, sed paucula locutus est. Iæuius sanè punitus, quàm promeritus sit. Ecce ijs, quæ verè retulisti breviter respondi, & satisfeci cumulatè: sed quæ sequuntur, ita omnem abjiciunt veritatem, vt asperiùs, quam nostri patiantur mores, tractari debuissent.

CAPVT II.

CVM de veritate memini illius se mihi oppositum offert, ad quod tu inductione quadam naturæ videris proclivis, & propensus. Cave: nam mē daci homini, ne verum quidem credere solemus. Scribis auctorem nostrum arrogantes appellasse Capivaccium, & Rudium, quod à veritate alienum est. Testem advocas columnam. 1250. Sed in ea magister noster hæc profert.

Cic. de divinat. ex Arist. apud Laertium.

Quamobrem quod morbus non sit omnium symptomatum causa concludit ἀναίσχυντος, & inconsideratus homo. Quem ego sanè non miror, quoniam hoc vno facinore, quod nostrum Galenum ausus sit reprehendere, nobilitari voluit: illorum verò insolentiã obstupesco, qui, cũ Galenum observantissimè revereantur, aliquando tamen adversus eundem temerè his similia effutiunt. Capivaccij, & Rudij ea in columna non meminit. Neq. Christophori à Vega, quem insolentem Magistrum appellasse tradis, cum potius quotiescunque illum commemorat, amplissimum eidem tribuit honorem, ut libro de

Col. 76. differentia morborum quæstione sexta, quam sic exorsus est. *Secundæ opinionis de morbi genere fuit auctor Christophorus à Vega interpres gravissimus Galeni.*

Ergo vides, quot errorib. impliceris. Sed maximè est ille, ĩ quo imbuta, cõscelerata & nefaria mens ad falsitatem inclinavit. Die sodes: magister noster

Col. 528. appellavit Galenum obstrepentem cicadam? Quæ dementia est hæc? Profecto incredibilis impudentia, & manifesta falsitas, in qua perspicuè mendaciũ.

D. Tho. 2. sent. dist. 38. q. 1. Nigidius apud Gellũ lib. 11 cap. 11. Nam, qui mentitur, non ipse fallitur, sed alterum fallere conatur: qui verò mendacium dicit, tum ipse fallitur, cũ credit se verum dicere. Vnde non credo, quod mentiaris, sed quod mendacium dixeris mihi persuadeo, quoniã vel huius rei cognitio & intelligentia te omninò præterijt, vel oculis tuis nõ dum adhibueras conspicilia.

Ad extremum perducta quæstione 65. qua præceptor noster pro Gal. mõstraverat contra Averrohem, solutionem continuitatis esse morbum instrumentorum, atq. probaturus contra Argenterium, eandem esse morbum partium similarium subsequenti quæstione, dicendi hoc initium sumit. *Sed ecce vespa cicadæ obstrepens.* Apud Theocritum est.

In Hodæporis.

Ἀλλ' ἄγε δὴ τέττιξ ἐπιτέρπεται ἀείδων.
Scilicet obstrepitans argutæ vespa cicadæ.

Quibus verbis contemnit quidam pastor pastorem, à quo prouocatur. Et aptè quadrat in eum, qui certat longè ũpar cum superiore. Argẽterium appellavit vespam, quæ vesperi muscas venatur in cibũ, vt significaret, quod trivijs obiectionibus oblectaretur: cicadam vero Galenum, in quem scribere, & canere possumus sequens Timonis carmen, quod in Platonis eloquentiam refertur.

Diogenes Laer.

Τῶν πάντα ζητεῖ πλαγιαύλης ἀοιδοφόβης.
Ἡδυεπὴς τέττιξ ὠδοπόρος ἐστὶ λεπιδόπνους
Διόγλωσσος ἐρεσιμυθία λαρύγεσσιν ἐνεὶς
Cũctos ante ibat latissimus ille, suavis
Orator, cuius non cedunt scripta cicadis,
Quæ super arboribus residunt lucis in opacis.
Ac mittunt vocem modulato gutture amœnam.

Consimilem habet sententiã, quod legitur apud eundem. *Pica cum lucinia certat.* Sic Argenterius rauca garrulitate, immaniq. studio loquendi, ut pica, contendere voluit cum Galeno, qui dulcedine cantus, ut lucinia, atq. politissima doctrina, & artificioso verborum concentu, longè cæteris Doctoribus (Hippocratem semper excipio) mirabiliter excelluit. Ex qua perfidi hominis insolentia, superbia, & contumacia, in eius nomine incedit ignominiæ nota semiterna.

In eadem Egloga.

Iam, dum longius progrederis in tuis nucibus ac nugis de summo doctore Caravajal sermonem instituis, versuta quidem & fraudulenta nocendi ratione impulsus. Nam tria fallaciter interpretaris. Primum Excellentissimum Ducem Alcalanorum (non cõplutensium, negligens cosmographe) nostrum magistrum despexisse: doctorem vero Caravajal maximè commendasse, summisq laudibus ornasse. Præterea, quod magister doctorem Caravajal lacessiverit, & provocaverit. Denum, quod contemptio, & collaudatio fuerint causa provocationis ad certamen. Quæ quidem omnia falsissima sunt. Nam longe abest à re ipsa, vt excellentissimus vir nostrum magistrum despexerit, cum ipse nunquam viderit Rossellum, qui quidem principum avidus non est, rogat nunquam, tãtum rogatus visit, mediocri, quod sibi parentes comparârunt, patrimonio contentus, alterius non est, cum suus esse possit.

sit. Veruntamen, cũ intellexisset, quod excellentissimus Dux Vicerex huius principatus conquerebatur de tarda curatione, ac propterea summos doctores, qui eundem invisebant, missos fecisset epistola quadã bonæ spei cõfugit, & cõquestus est ad Doctorẽ Caravajal excellẽtiss. Ducis iam cognitũ, & sæpe victorem medicũ, quem blandè ac familiariter rogavit, vt excellentissimum virum de nostra conditione certiorem faceret, atque, ut verè affirmaret status, omnesq. res nostræ quẽadmodum essent, quæstiunculas quasdam posuit, atque animi relaxandi gratia, eundem lacessivit, postulavit, amicèque invitavit quod ex his verbis cõstat. *Quò verò id possis asseveranter præstare, atque in te recipere, ecce decrevi aliquas artis quæstiones tibi proponere, ad quas ut respondeas, rogo, & insigne, singulareq. beneficium in nos conferas, tametsi nullis officijs provocatus. Ergo pristina urbanitate usus, & accepta licentia, facultateq. ab studio humanitatis, ac literarum, in quo versamur, atque à te præstantissimè Doctor, ficeat mihi te lacessere, & ad meditationem, singulareq. certamen provocare.* Præterea ex his. *Hæc, amabo te, si merentur, relege, & quid tibi videatur rescribe, quoniam tua sententia gravissima erit apud nos, magniq. æstimabitur.* Tandem ex his. *Profectò hæc ad discendum scripsi, non ad docendum &c. Quibus pro tua humanitate respondebis constitutaq. aliqua saltem quæstiuncula, ut sit maius in me tuum promeritum, omnia compensabis.*

Dices Rossellum sub epistola, quã ad illum scripsit, quodam paragrapho asperè tractasse. Id quidem libenter concedo, magistrum vehementer pœnitet, quod tantum virum offenderit, cuius excusatio magna sit, quoniam illi renuntiatum est, octogenarium eo tempore, caducum, & infirmum esse, memoriaq. vacillare. Quare neq. excellentissimus Dux Rossellum despexit, neque Rossellus irritavit doctorẽ Caravajal, immo illius commendationem semper approbavit & illi applausit: dolorè igitur contendisti, Santorelle.

Sed progrediamur longiùs. Dixisti nostrum Rossellum contemptum, & abjectum fuisse ab Andrea Laurentio doctissimo viro: dictum sanè petulans cuius dolo detecto, te non solùm pigebit ignominiæ tuæ: sed etiam pudebit (risum vix teneo) quid respondeas nescio. Nam, ut conjicio, tu inops librorum es, aut, quos habes, pulverulenti jacent in pluteo. Ecce te, tuiq. similes Iuvenalis depinxit. Satyra 2.

Indocti primum: quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias. Nam perfectissimus horum,
Si quis Aristotelem simulet, vel Pittacon emit:
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

Andreas Laurentius, acceptis nostri Doctoris literis, dixit cuidam juveni Gallo Medicinæ studioso ad acutissimum Rossellum se rescripturum honorificentius, quam unquam ad aliquẽ alacriùs. Deinceps Historiam humani corporis anatomicam iterum typis mãdavit in folio imprimendam Parisijs anno 1600. Quæ deinceps Lugduni anno 1605. præterea Venetijs anno 1606. ac tandem iterum Lugduni anno 1623. impressa est, in cuius libro nono capite octavo quæstionem exagitat, cuius lemma est. *Quomodo moveatur cor, & an in sua systole, aut diastole perenetur pectus quispiam* ... probaverit auctoritate Galeni & duabus rationib. percuti pectus in systole, sic scribit. *Hæc aliquando probabilior mihi visa est opinio, sed paulo accuratius singula evolvens, & Francisci Rosselli Hispani Barcinonensis medici doctissimi, & in re anatomica peritissimi, elegãti, & docti, quam ad me scripsit epistola admonitus mutavi consilium, & in diastole potius, quam in systole, percuti pectus, nunc constanter asservo.* Sanè turpi errore captus es Santorelle, quemadum quando asseruisti Præceptorem à Zabarella transcripsisse caput primum libri de differentia morborum. Zabarellã medicum nunquam legimus, nec Rossellus alicũde exscripsit cõmentarios in Galenum: digressionẽ vero de methodo à Magistro Bruguerio accepit, an ab aliquo ille, certè ignoramus.

Præterea falsus es, cum intolerantissimè gloriaris, tum quod arbitreris

Rossellum

Rossellum te insecutum fuisse libro de differentia symptomatum quæstio. 42. vbi agitatur, *utrum una actio læsa possit lædere aliam actionem*, tum quod tibi persuadeas, eandem nondum aliquem te priorem decidisse, quidq. tenendum statuisse; sed hos superbiæ, atq. arrogantiæ nidorosos fumos, quos vendis, uno solo dispergam flatu, atq. ut ait Comicus.

Plaut. *Iam ego uno insaltu lepidè apros capiam duos.*

Disceptationem hanc studiosè lectitavit magister bonus, & eruditus in Thoma Erasto, antequã prohiberetur, qui scripsit anno 1581. tu vero anno 1622. computa Santule vane, atque in posterum γνῶθι σεαυτὸν *nosce te ipsum*,: quod si hoc tibi difficile videatur, ut ego credo, cum Menandro, γνῶθι τοὺς ἄλλους, *cognosce ceteros.*

Sed obliteremus, & deponamus offensiones, atque in mutuam gratiam, & concordiam veniamus, resq. leniter, atque honorificé tractemus; hoc enim in præfatione constituimus.

CAP. III.

IAM, ut certa methodo procedamus, primùm tuam depravatæ actionis definitionem palàm proponemus, atque ut tu firmasti, confirmabimus, argumentaq. tua, ut præstitit magister, dissolvemus. Præterea quæ denuo responsa dederis, suis fundamentis constituta fideliter narrabimus, ac deinceps diligenter expendemus. Postremo assertiones & conclusiones opinionis nostræ magistri rationibus modestè amplificatis, dilucide demonstrabimus.

Quid sit act. depravata. Santorelli opinio. Actio depravata, ut scripsisti, est quæ aliter fit, ac fieri deberet pro salute animalis. Quod fiat, differre dixisti ab actione abolita, quæ, aut nullo modo fit, aut non fit sensus iuditio: verũ, quatenus fit aliter, ac fieri deberet, ab ea distare, quæ secũdum naturam est, ac etiam à diminuta, quæ nõ fit aliter, ac fieri deberet. Quod vero diminuta non fiat aliter, probasti duabus rationibus.

1. Ratio. Nam actio, quæ non est contra vota naturæ, non fit aliter, ac fieri deberet; sed actio præter naturam diminuta nõ est contra vota naturæ, ergo actio diminuta non fit aliter, ac fieri deberet. Probasti assumptionem exemplo. Votum est naturæ, ut ventriculus fruatur septem caloris gradibus, quos valde exoptat: sed ad eos, ut perveniat, quatuor etiam desiderat, quod desiderium naturæ adversari non est dicendum, ergo actio præter naturam diminuta non est contra vota naturæ.

Alt. Ratio. Præterea quæ actio tantum ex viriũ defectu desistit pervenire ad illum terminum, ad quem naturaliter progrediebatur, non fit aliter, ac fieri deberet: sed actio imminuta solùm ex defectu virium desinit eo pervenire, quo secundum naturam progrediebatur, ergo, licet aliquantum deficiat, usque eo tamen nõ perducitur, ut aliter fiat, ac fieri deberet. Probasti propositionem, quia licet imminuta visione non percipiamus omnia, quæ sunt in objecto, tamen non videmus illud aliter, ac est: at visione depravata aliter videm⁹.

Carpitur Sãtorelli opinio. Simulatq. liber tu⁹ incidit in nostras manus, non defuit, qui tuam opinionem probabiliter defendere tentarit: etenim, ut sunt nostri Doctores rectissimis studijs, atq. summo ingenij acumine prædiți, ita noua, contraq. omnium opinionem dogmata tueri gloriantur. Verum præceptor noster, cum in eo nihil esset, nisi suspectum, & imitatione simulatum, continuò illum acerbé ac penitus odit, præsertim cum tu fueris tam insolens in dicendo, ut Galenum, & Galenicos viros undique carpseris. Quamobrem quatuor rationibus tuam opinionem refutavit.

1. Ratio. Quoniam actio diminuta etiam aliter fit, nam actio, per quam importatur animali detrimentum, alia ratione fit, quam illi conveniat: actio autem diminuta saluti animalis magnum incommodum infert, ergo aliter fit, ac fieri deberet.

2. Ratio. Porrò actio, quæ malé, ac vitiosé fit, aliter fit, quam fieri deberet: sed actio diminuta malé ac vitiosé fit, aliter ergo fit, ac constare conveniebat.

3. Ratio. Præterea aliter fieri concludit, quia nunquam potitur aliquo statu, qui secundum naturam sit, nec dicatur in choari, nec aliquantulum progredi iuxta vota naturæ, neq. tandem perfici à termino.

4. Ratio. termino, ad quem tendit. Lingua, quæ omnes oris partes pertingere nequit, unde aliter, quam expediat, orationem profert, morbus est in magnitudine diminuta: similiter actio diminuta aliter, quam expediat, fieri est dicendum.

Solvitur 1. rat. Santo. Respondit autem primæ rationi tuę propositionem falsam esse, quoniam actio, quæ non fit pro voto naturæ, vel quæ vix exorditur iuxta vota illius, atq. tardius & imperfectè, præter naturam est, atque aliter fit, ac deberet. Assumptionem improbat, nam qui septem gradus qualitatis exoptat, etiam quatuor apperit, sed non tantum quatuor: hoc enim est præter votum, & optatum naturæ. Alterius rationis & confirmationis propositiones præcisè negat. Quæ libro de differentia symptomatũ quæstione 23. scripta sunt.

Solvitur alt. ratio.

Defensio Santorelli. Tu vero ira percitus in magistrum insultasti vehementius, in quo sanè mihi risum magis, quam stomachum movisti. Nam sedecim papyri folia in hac & altera disceptatione consumpsisti, in quorum octo, vel novem de instituto, ac iudicio tuo dixisti: in cæteris futiles tantum nugas blateraſti. Respondisti tandem: attamen, ut ex inordinato in ordinem adducam opinionem tuam, prius proponam fundamenta, quæ tu confusè, & permixtè disperſisti.

1. funda. Santorelli. Primum est in actione diminuta duo posse nos considerare, & quod productum est, & quod ad complementum, & absolutionem supereſt producendum. Ratione primi actio diminuta p. n. non est, sed secundum naturam, cũ ab ipsa natura intendatur: at vero ratione eius, quod est producendum, & produci debuisset, p n. & sympto. est.

Alt. fũda. Præterea secus & aliter fieri, duas habet significationes, quas magister noſter iam indicaverat, & deinceps tu adduxisti ex Porphyrio. Primo sumitur longè lateque patenti significatione pro communi, vel propria, & accidentali quadam differentia, quæ alterum tantum, & diversum facit, quæ differẽ tia imminutæ convenit actioni. Compressiùs tamẽ, & strictim sumitur, quæ vera, & singularis significatio est, pro differentia maximè propria, quæ quidem aliud facit, hoc est, essentialiter, & natura diversum, qua ratione dicitur aliter fieri actio depravata. Quibus duabus significationibus, alias duas addidisti pag. 13. Nam actio præter naturam, vel fit alio modo, sed accidentariò, qua ratione fit actio diminuta, vel fit alio modo essentialiter, ut fit actio depravata. Ergo utravis prima significatione fit actio diminuta aliter, & alio modo, nempe differentia quadam accidentali: utraque vero altera significatione fit actio depravata, scilicet aliter, & alio modo differentia essentiali.

Santorelli responsa. Primum. Quibus positis ad tuas responsiones accedamus. Primæ rationi doctoris nostri negas imminutam actionem aliter fieri, ac deberet: probationi vero nisus in primo fundamento, responsum reddis actionem diminutam ratione eius, quod productum est, præter naturam non esse, quemadmodum est depravata, cuius terminus semper noxius est.

Secundum. Similiter secundæ rationis negas propositionem, quoniam arbitraris actionem quæ malè, ac vitiosè fit, non fieri aliter, quam conveniat naturæ animalis, nam, ut ais, actio imminuta vitiosa est, & præter naturam: tamen nõ fit aliter, quia non producit alium terminum essentialiter diversum: dictum est enim in secundo fundamento aliter proprié sumptum esse maximè propriã differentiam, quæ facit aliud, & forma liter diversum. Quod sequenti exemplo confirmas. Quemadmodum Romam profecturus, si ea via incedat, quę Romam ducit, in medio vero itineris cõsistat, hunc devium esse à recta via, sed aliter incedere, ac debebat, non dicimus: hoc tamẽ dicimus de illo, qui aberrat à recta via: similiter actio diminuta, non dicitur aliter fieri, sed diminutè, & imperfectè. Quare illa propositio, sic prolata, vera esset. Quæcũq. actio malè fit, & vitiosè, non fit eo modo, quo convenit pro salute animalis conservandæ: modus autẽ hic est quædam differentia accidentaria, qua actio diminuta differt ab actione secundum naturam, à qua multo aliter differt depravata, scilicet essentialiter.

Tertium. Rationi tertiæ respondes motus, & actiones, non solum distingui ob terminos diversos, sed etiam ratione modi. Vnde actio diminuta, & actio depravata, nõ solum ratione termini, sed etiam ob diversum modum distinguntur: ratione termini, quoniam diminuta fit

ta fit secundum vota naturæ: depravata vero contra vota eiusdem: at ratione modi, cum depravata fiat aliter, ac naturæ conveniat: diminuta vero secundum vota illius: non tamē expleat omnino eiusdem appetitum.

Quartum. Quartæ respondes, tum magnitudinem auctam, & imminutā, tum actionem imminutam, & depravatam, esse affectus præter naturam, atque veluti superstes illa quantitas, etsi diminuta, est secūdum vota naturæ: defectus vero præter naturam, quia morbus est privatio, sic actionis diminutio, vel defectus ille, præter naturam est, sed actio, & positiva illa entitas secundum naturam, cum à natura fuerit intenta. Cum igitur actio diminuta secundum naturam sit, non fieri aliter ac fieri deberet, fit manifestum. Quod si contenderimus diminutam magnitudinē esse morbum, confestim irrues argumento ducente ad incommodum, quia, cum removendum, & auferendum sit quid quid præter naturam fuerit, si magnitudo imminuta constituatur morbus, peius malum continget ex curatione, propterea melius est asserere, magnitudinem imminutam secūdum naturam esse, ac proinde augendam: defectum vero præter naturam, & morbum esse atque auferendum. Hæc quartæ rationis magistri tua solutio est: quæ vero ut inglorius protulisti, consulto prætereo. Nam eum ad istas ineptias abis, à recta curandi methodo, & veritate deflectis.

Cap. 12. Defectum non curat Galenus auferēdo, sed adjiciendo. *Proinde*, ait libro de constitutione artis *illius curatio*, de corrupto numero loquebatur, *ut etiam in illa*, permutatam magnitudinem intelligit, *aut per ablationem fit, aut per additionem: tamen eò differunt, quod in hoc morbi genere, id est*, in numero corrupto, *particula nonnunquam integra, in illa vero, id est*, in magnitudine permutata, *partis quæpiam alicuius particulæ, aut amputanda est, aut adjiciendo.* His fulcitur defensio tua, quæ ut examinentur, & ponderentur statera indigent.

1. Fundamentum. Anct. Initio tamen fundamentis opus est. Primum subjicio actionem esse accidens, quo agēs agit, & suum effectum producit, ut calefactio est actio, & qua ignis calfacit, & qua ignis calorē producit. Vnde actio habet duplicem respectum, & ad agens, cuius est actus, & ad terminum, quem producit: ad agēs, quoniam actio est influxus, quo agens agit: ad terminum, quoniam actio essentialiter est productio termini, & id, quo agens eundem producit: tanta enim reperitur proportio inter agēs, & actionem, ut actio semper redoleat naturā agentis. Nam si actio præclaré ac naturaliter se habet: ideo est, quoniam agēs bene habet: si vero actio præter naturam contigerit, agens malé se habere necesse est: actio ergo similitudinem gerit agentis, ac præsertim illius, quod illi proximum est. Principium autem actionum & agens proximum est partium nostri corporis constitutio, quæ duplex est, altera secundum naturam dicitur, quæ nostrum corpus incolume servat, altera præter naturam est, quæ ita labitur ab integritate, ut actiones vitiet. Vnde, quę ab his contrarijs constitutionibus dimanant actionēt, & ad contrarios terminos perducuntur, vel secundum, vel præter naturam dictæ, genere differentes sunt. Sed quæ præter naturam aguntur, duæ tantum, actio diminuta, & actio depravata.

Alt. Fundamentū. Anct. Alterum fundamentum sit, morbum formaliter esse dispositionem, & per consequens rem positivam, quod monstravit magister noster libro de Differentia morborum quæstionibus septima, octava, & nona, quas hoc loco repetitas volo, cum ibi dilucide demonstret, ad morbi materiā esse per se motum, non autem ad morbi formam, ut pote quæ alijs quibusdam per se mutatis, & alteratis introducatur, quam nobis doctrinam summa constantia tradidit, & nunquam ex memoria deposuit. Quare, ut in transitu dicam, quod tu tyronum gratia dixisti pagina decima, nempe motus terminum per accidens privationē esse posse, mutila sententia est, in qua tyrones non sunt erudiendi: etenim non solum privationes, & entium carentiæ sunt motus termini per accidens, sed alia multa, ut dispositiones, formæ, figuræ, quæ habent existentiam positivam, scilicet actum realem positivum, quo in esse reali actuali positivo constituuntur, & extra nihil. Vnde postquam ieceris hoc antecedens. *Quamobrem, cum morbus nō acquiratur per se motu*, adverte cōsequētiam,

tiam, *non erit morbus quid positivum, sed privatio*, falcissima est, quasi sola privatio acquiratur per accidens. Caliditas motu, & alteratione acquiritur, & quidem per se, verum eius proprietates, qualis est, quod ab ea nominemur calidi, per accidens subsequuntur, quæ quidem accidentia positiva sunt. Profecto hæc, Santorelle, non cadunt sub judicium primi olim Philosophiæ interpretis in Gymnasio Neapolitano.

CAP. IIII.

QVIBVS jactis fundamentis, auspicato prima surgat assertio. Actio diminuta omni ex parte præter naturam est. Quæ funditus evertit turpē illam existimationem tuam de duplici statu actionis diminutæ. *1. Assert.*

Nam actionē diminutā definit Gal. actionē p. n. quæ debiliter fit. Καὶ νῦν λέγω, inquit, ἀσθενῆ μὲν ἔργον ἐστὶν, ἀσθενῶς δὲ ἐργάζεσθαι τὸ παράπαν οὐκ ἐνδέχεται. *Et quod male bifariam fit, alterum quod debiliter, alterum, quod depravatè: ἀσθενὲς enim hebes, debilis, imbecillus, vix apparens* interpretatur: ergo partem aliquam actionis diminutæ excogitare nō possumus, quæ secundū naturam dicatur, atq. remissa, exilis, vel languida nō sit. Præterea illa actio est omnino p.n. quæ ratione duorū terminorū talis est: sed actio diminuta est p.n. ratione duorum terminorū, scilicet ex natura sui principij, & ex natura termini, ad quē perducitur, igitur actio imminuta est omnino præternaturā. Nec valet, si dixeris bonam partem illius, nempe quod in ea productum est, secundum naturam esse, cum fiat ex voto naturæ: alteram verò partem, quæ ad complementum, & absolutionem supereſt producenda, producique debuisset, præter naturam esse. Quoniam actio diminuta non denominatur talis ab eo, quod nunquam fuit, neq. est, neq. aliquando erit, natura ergo illius tota consistit in ea parte, quam tu secundum naturam falsò cōfingis, quod quidem commēticium est, ut breviter, ac dilucidē demonstrabo, cum à causa, & à priori, ut dicitur, tum ab effectu, & à posteriori. *1. Ratio. Lib. de diff. sympt. cap. 3.* *2. Ratio.* *Profugiū.* *Refutatur*

Quoniā illa actio, vel actionis pars omninō præter naturam est, quæ originem trahit à principio vitiato, & deficiente; sed actio illa procedit ex principio vitiato, & infirmo, ergo actio illa, vel actionis pars omnino præter naturam est. Propositio non indiget probatione. Assumptio patet. Nam actio diminuta nascitur ab agente diminuto, ac debili. *3. Ratio.*

Ad hæc contemplemur effectum. Actio illa est præter naturam, cuius terminus, effectus, vel opus, est præter naturam, sed terminus, & opus actionis diminutæ præter naturam est, ut cruditas, pituita acida, ergo actio illa, vel illa pars actionis à te considerata, præter naturam est. Dices ab initio naturæ cōsilium integrum fuisse ac salutare. Respondeo idem te dicere posse de actione depravata. Replicabis discrimen positum inter duas actiones magnum esse, quoniam actio depravata, & cum incipit, & dum cursum tenet, & semper vitiosa est: at diminuta in ortu suo naturæ animum & intentum sequitur, cōstantia tantum illi, & perseverantia deficit. Hæc tua obstinatio, & protervitas est: potuisses à Doctore nostro edoctus hoc advertere, nam cum principium, & agens in latitudine sanitatis omninò secundum naturam se habet, actio similiter secundum naturā omninò procedit: sed cum principium languidū, & debilitatum est, actionem flaccescere etiam ut exortu suo est necesse. *4. Ratio.* *Diffugiū.* *Refutatur.* *Diffugiū.* *Refutatur.*

Assertio altera nostrum institutum consequitur, quæ quidem hæc est. Actio diminuta undiquaq. aliter fit, atq. saluti animalis conveniat. Probatur, quoniam, per te, aliter fieri dupliciter contingit, primo communi, vel propria differentia, & diverso modo, quæ accidētalis differētia est: præterea dicitur aliter fieri, certoq. modo differētia maximé propria, quæ diversum perse, & essentialiter aliud facit; sed actio diminuta, utraq. ratione aliter, & utroq. modo fit, ergo actio diminuta aliter fit, ac saluti animalis conveniat. Propositio tota tua est, & assumptio quoad primā partem, scilicet, quod actio diminuta fiat aliter, & alio modo differētia quadam accidētali. Probo assumptionem, quantum ad partem alteram, quod etiā fiat aliter, & alio modo differentia maximé propria & essentiali. Omnis actio præter naturam fit aliter, & alio modo, ac animali confert, accepto aliter, & alio modo fieri compressa, & *Alt. Assertio.* *1. Ratio.*

stricta significatione, qua maximé propria, & essentialis differentia significatur: sed actio diminuta, quæ scilicet desinit à termino, à quo, & à principio debili, & perducitur ad terminum imperfectum, præter naturam est, ergo actionem diminutam aliter, alioque modo fieri stricta significatione est necesse. *Aristot. in cate. c. 1.* Propositio patet. Nã duo diversa genera eiusdẽ categoriæ, quorũ unum sub altero non continetur, ambo tamẽ sub uno tertio, superiorum omnes differẽtias includunt, veluti animal, & plãta, quæ comprehendunt animatum, corporeum, & esse per se: atvero alijs omnibus differentijs, tam constituentib. quam dividentibus omnino distinguntur: sed actio secundum naturam, & actio præter naturam sunt diversa genera eiusdem categoriæ, quarum una non continetur sub altera: ambæ tamẽ sub tertio, id est, sub actione, includũt igitur omnes differentias actionem cõstituentes: atq. differunt omnibus alijs differentijs proprijs, & maximé proprijs, vel essentialibus, cuiusmodi sunt secundum naturam, & præter naturã: perinde fieri, ut naturaliter, atq. aliter fieri, ac fit secundum naturam: eodem modo, quo fit naturaliter, vel alio modo, ac fit secundum naturam, & si quæ sunt aliæ. Quo argumento prima ratio Doctoris nostri corroboratur, & solutio tua omnino corruit.

2. Ratio. Vnde ad secundam vẽnio, quam referam similimé, ut tibi videtur. Actio, quæ malé fit, sanè fit aliter, quam constare deberet: sed actio diminuta malé fit, ergo aliter fit, ac fieri conveniebat. Nam bonum & malum opposita sunt. *Lib. 2. c. 4* Est autem malum, D. Iohanne Damasceno docente, nihil aliud, quã privatio boni, ergo malum *κακόν*, id est, essentialiter, longé aliud est, atque bonum. Ecce probata propositio. *Vsiodos.* Assumptio valet, quoniam actio diminuta, cũ non fiat benè, certé malé fit. *Effugium.* Respondisti actionem diminutam malam esse, & præter naturam, tamen nõ aliter fieri, quia non producit alium terminum, hoc est, essentialiter varium, & diversũ ab eo, qui debebat produci. Sed futilis ac levis est solutio hæc, quoniam, cum actio diminuta exordiatur à principio præter naturam debili, totus influxus languidus est, atq. actio propterea tota imbecillis, eiusque terminus essentialiter diversus, & à termino actionis secundum naturam, et à termino actionis depravatæ. *Refutatur*

Cõferamus, quæso, inter se vẽtriculitẽperiẽ secũdũ naturã, à qua chylus omnino inculpatus, intẽperiẽ illius debilem, à qua pituita acida, atque eiusdem intemperiem impense calidam, à qua bilis porracea. Ecce tria temperamenta specie diversa, unde similiter tres actiones, quæ ob terminum, à quo, et ad quem, productaq. opera specie varia essentialiter distinguntur. Nam quod tu addis, dũ conaris solvere Magistri primam rationem scilicet diminutam actionem à perfecta solo differre gradu, &, vt dicitur, per magis et minus, rancida Philosophia est, atque à vera, et sincera ejecta, et undique exclusa. Lege Doctorem nostrum lib. de differ. morbo. quæst. 12. contra calumniatorem asserentem non differre sanitatem, et morbum vera contrarietate, quoniam solo distant gradu. Respõ sum fuit sanitatem, et morbum per maiorem intentionem, vel remissionem caloris, tantum materialiter (ut dicũt) distinguit: tamen ex propria natura, & qua dispositiones sunt, forma & specie differre, non quidem per additionem graduum, hoc enim à posteriori est, & accidentario, sed à sua propria forma, & à principio sumunt distinctionem essentialem. Similiter malè cadit exẽplum de Romam proficiscentibus, si principium & terminum, à quo, atque terminum, ad quem animadvertimus. Nam si fuerit consilium indigressu, ad ultimatum terminum pervenire, urbẽque attingere, ambos dicimus de proposito aberrasse, atque aliter procedere, ac debebãt, quamvis alterius aberratio sit fortasse maior. Verum si nulla fuerit in discessu deliberatio, quæ actionum omnium fuisset principiũ, exẽplum non est aptum, neque ad rem accommodatum. *Profugiũ.* *Cõfutatur*

3. Ratio. In tertia ratione colligit noster Doctor actiones sumere specificationem ab agente radicaliter, & inchoativé: ultimaté vero completé, ac formaliter, unitatem & distinctionem specificam ab effectibus, ad quos tendunt. Quare actionẽ diminutã omni ex parte præt. naturam esse concludit, præsertim cũ

definiatur

definiatur à termino immediato, in quo subsistit, & à quo absolvitur & perficitur. Tu vero arbitraris, non modo motus distingui ob varios terminos, ad quos tendunt, sed etiam ex vario modo attingendi terminum, cumq. una actio possit differre ab alia ob diversum terminum, poterit etiam distingui ratione modi, & per modum definiri. In qua nos etiam sumus opinione: tu tamen erras, quod asseverantius dicas actionem diminutam fieri secundum vota naturę, quod quidem falsum est, quoniam quod in ea est productũ, factũ est contra vota illius, cum oriatur à principio morboso, & fiat secus ac convenia naturæ animalis.

4 Ratio. Sed breviter investigemus quam habeat vim quarta nosti Doctoris ratio. Porrò actio imminuta, *te Inuente*, ad quantitatem diminutam magnam proportionem, & comparationem habet: sed pars imminuta quantitate laborans præter naturam affecta est, aliterq. deservit suo instrumento, ac illi confert atq. naturæ illius debitum est, ergo actio diminuta similiter præter naturam est, atq. aliter exercetur, ac exerceri debet.

Profugiũ. Negas assumptionem, quoniam existimas, quantitatem diminutam secundum naturam esse, cum à natura sit intenta: contendis vero tantum præter naturam esse defectum, & diminutionem. Quibus vergere videris ad eam immunditiam ad quam lapsus es, cum de actione diminuta agebas in tuo primo fundamento: sed ego ijsdem scopis illud purgamen verram brevi. Quandoquidem nulla est in nostro corpore pars, qua, propter seipsam delectemur, sed propter actionem: siquidem quod primum, maximeq. omniũ desideramus, id naturalis est actio, qua mediante partes ad opera se accingunt: lingua vero gustatus & sermocinationis organum creatum est ad sapores percipiendos, transmittendosq. in gulam cibos, & literas exprimendas: si quando vero natura ex materiæ penuria defecerit, vnde lingua evadat mutila & decurtata, atq. inde aliqua offendatur actio, confestim morbus est in magnitudine diminuta, quam subsequitur actio imminuta, ut vitiosa sermonis prolatio, inchoata saporis perceptio, mancа ciborum transmissio. Ecce tota lingua morbosa, nam cum originem ducat à principij & causę defectione, semperq. progrediatur in actionib. manifesto læsis, proculdubio ab initio ad terminum usq. omnino & ubique morbo est affecta. Quare morbus in magnitudine diminuta qualitas est, & dispositio in non tempore orta ex diminutione magnitudinis, ut cõstat ex nostro vltimo fundamento. Quemadmodũ enim forma & figura exterior per se nec generatur, nec corrumpitur, sed alijs quibusdam alteratis & mutatis, ita etiam dispositiones ut docebat Aristoteles libro septimo Physicorum. Vnde tibi expectanda non est de privatione disputatio: etenim in Hispania nemo est, qui tuam opinionem non oderit, auribus respuat animo aspernetur. *Cap. 3.*

Obiectio Obiectio enim, quam tu magni facis, nullum apud nos locum obtinet: dixisti, post quam fuerit perventum ad certum terminum diminutionis, posse Deum Opt. Max. dispositionem illam prodientẽ impedire ne resultet, tuncque solam diminutionem actiones impedire. Quamobrem, addis, cum ars non debeat constituere, quæ usum non habẽt necessarium, rationi consonum non esse, hanc dispositionem fieri, quoniam ad lædendas actiones sufficit magnitudo diminuta.

Solutio. Sed acri animo intuere materiæ dispensationem: etenim in fine, ac diminutionis termino, in instanti ad est dispositio præter naturã oppositа dispositioni, quæ parti secundum naturam debebatur: implicat enim contradictionem, quod posita certa præparatione, non sequatur in temporis momento dispositio, ut posito fundamento, & termino, impossibile est quod non subsequatur relatio. De privatione autem nihil habes, quod cures, unde corrupta pulchritudine introducitur deformitas, simulq. pulchritudinis privatio, de qua certé nulla ratio habenda est.

Quod autem partium dispositiones, tam secundum, quam præter naturam, omnibus corporis actionibus necessario præsint, lib. de differ. morborum, præsertim quæstio. 14. Doctor noster diligentissimé demonstravit.

Ex quibus duabus assertionibus benè colligitur actionis depravatæ tuam

Cõfutatur.

Lib. 17. de usup. c. 1.

14. meth. cap. 14.

diffinitionem perlatè patere. atq. alteri à definito convenire, scilicet etiam actioni diminutæ.

Sed proferamus in lucem, & producam° ambas definitiones, præceptoris, & tuam, ut me in proposito, susceptoq. consilio permansisse ante oculos tibi versetur. Præceptor sic definit actionẽ depravatã. *Est actio præter naturã propter aliquod positivum additum principio agendi, sive tãtum mutet eius terminum, sive modum agendi.* Sic ustio actio depravata est, quoniam propter positivam qualitatem principio agendi coniunctam, terminus actionis mutatur. Hæc est causa, cur actio, qua producitur in ventriculo cruditas nidorosa, dicitur depravata: illa vero, qua cruditas acida proprié vocatur diminuta, quia, ut legimus quarto de simplicium medicamentorũ facultatibus sapor acidus perpetuo est soboles frigiditatis, cum fiat à calore concoctionẽ aggrediente, nõ tamen perfectè concoquente. Vnde in longis lienterijs commendat Hippocr. ructum acidum, qui demonstrat aliquam actionem caloris, etiamsi imbecillam, & imperfectam: licet enim ibi sit additum frigus: illud tamen ad effectum, qui oritur, per accidens se habet, solus caloris defectus est occasio, in qua remissus calor diminutè cõcoquit.

Quid sit actio depravata opinanto.

Cap. 15.

6. Apho. 1

Diffinitio Santorelli Refutatur tripliciter

Tibi vero *actio depravata est, quæ aliter fit, ac fieri deberet pro salute animalis.* Conferamus nunc, & comparemus has definitiones. Profecto nostræ tu maximam laudem tribues, cum Doctorem nostrum eandem ex tua eduxisse credas, quod ego rideo, ut nivem atrã: tuã vero definitionẽ deludo tripartitò. Primo, quoniam rationibus firmissimis nostri præceptoris funditus eversa est. Deinde quod tua quadã solutione fides illi° cõsiderit. Postremo, quia implicata & permista doctrina, qua tu distineris, summa ignominia notata est.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Capite secundo tui scripti pag. 11. post quam dixeris ex Porphyrio differentiam communem & propriam diversum per accidens facere: maximè propriam vero diversum perse & essẽrialiter, quale est *aliter* positũ in definitione actionis depravatæ, tibi ipsi objicis magnã bilis generationẽ, pituitæ, vel melancholiæ actionem esse depravatam, nimirum auctam: at vero neq. actio ipsa, neq. illius terminus distant essentialiter ab actione, vel termino secundum naturam, quia, cum eadem specie bilis producatur tantum copia maiori, quam natura corporis postulabat, definitio actionis depravatæ non complectitur omnes actiones depravatas. Respõdes *bilem plus justo gravitam ab hepate calida intemperie affecto bifariam considerari, primo, ut bilis est, præterea, ut præter naturam, & multa: primo modo non est diversa specie ab alia bile: at si consideretur ratione, qua multa, quia, ut sic, evadit præter naturam, quod speciei differt ab eo, quod secundum naturam, iure dicere possumus, bilem illam exuperantem differre specie ab alia, quã conditio corporis exposcat.* Subsiste paululum. Bilis quà multa, & quia præter naturam specie differt ab ea, quæ secundũ naturam est, ergo actio diminuta, quà diminuta, & quia præter naturam specie differt ab actione, quæ secundum naturã est. Fortasse rimã invenies, nam tergiversatores, nulla in causa tot fidei vinculis adstrĩgi possũt, quin, quo elabãtur, aliquid inveniant. Effugies dicendo, id quidem verum esse, de parte, quæ deficit. Tamen hæc Scylla & Chimæra in exilium à me iam pridem protecta est, nam pars facta & producta diminuta est, atq diminutum opus effecit, ea igitur præter naturam est: quæ vero deficit, actio non est, diminuta non est, præter naturam non est, quia nihil est. Veruntamen ego, quantum ad me attinet, respondeo pluscullum bilis generari, quam concedar habitus naturalis, nasci ex principio incitato à calore excedente, qui terminum actionis immutavit.

Sol. Santo.

Cõfutatur.

Effugiũ.

Refutatur

Sol. Auct.

Tandem video te magnam confusionem excitasse duabus significationib. eius, quod, cum aliter, tum alio modo fit. Nam his suppositis, & actio diminuta, & actio depravata poterit definiri actio, quæ aliter, & alio modo fit, ac natura animalis conveniat, dum modo in definitione actionis diminutæ aliter fieri, & alio modo fieri, intelligantur prima significatione: in in definitione vero actionis depravatæ, altera sumantur significatione. Nonne quẽquam perturbabit tanta homonymia? Nã utriq. definitioni tã diminutæ actionis, quã depravatæ addẽda, & subjugenda

Obiectio Santorel.

subjungenda est aliqua differentia, ut noster Doctor concludebat quæ multiplicem significationem constringat, & ambiguitatem tollat. De his otio recogita, quæso, & cum Socrate, Sthesichorum Lyricum imitatus, palinodiã cane, prius quam oculis orberis.

CAP. V.

HACTENVS Argentericum te cognovi, post hac Joubertinum te iudicabo, tanta tibi libido est à Galeni decretis discedere. Cum igitur libro de differentia symptomatum tres opiniones reprehendendas tradiderit magister noster eorum, qui naturam tertij generis symptomatum definire, ac describere voluerunt, necesse est, tuã hãc unà cum illis adnumerare, & quartam constituere. *Quæst. 26*

Opinio Sãtorelli de exc. & reten.

Symptoma in excretis excretionem facis, atq. in excretione illius naturam consistere tenes, non in excretis, cum iam præterierint, nec in excernendis, quæ nondum sunt. Similiter symptoma in retentis ipsam retentricem esse te judicare judico. Sed qua ratione hoc symptoma distinguatur ab actione læsa, sic explicare conaris.

Cum retentrix est languida, & onus magnum sustinet, expultrixq. occasione capta depellit, tunc illa excretio est actio læsa, primum cõtententricis, deinde expultricis. Si vero contingerit culpa objecti, aut copia lædentis, aut prava qualitate irritantis, tunc actio læsa non est, sed symptoma in excretis, quoniam facultas expultrix suum exequitur officium, quod est omnem molestiam depellere. Quare nulla ibi adest actionis læsio, sed tantum symptoma in excretis dicitur, quoniam tota in excretis culpa residet. Simili modo, cum ea quæ excernẽda sunt detinentur, eo quod expultrix debilitetur, vel contentrix adaugeatur, symptoma est in læsa expultrice diminuta, vel abolita, vel depravata retentrice: at vero ubi retentio redditur præter naturam, causa excrementorum, quæ debent excerni, quod sint crassa, & viscida, vel ita tenuia, ut subterfugiant incursum expultricis, actio tunc læsa non est, sed vocari debet symptoma in retentis, eo quod retentorum vitio tantum malũ evenerit. Hæc causa est, ut existimas, cur Galenus huiusmodi symptoma, aliàs ad læsam actionem reduxerit, aliàs symptoma in excretis, & retentis præter naturam constituerit. Sed prævidisti quid adversus hæc potuerit aliquis objicere. Quacunq. ex causa offendatur actio, semper eandem naturam habet, nequit igitur ad diversa genera pertinere. Respõdes, excretiones illas, tametsi à diversis causis ortas, physicé non esse diversas: verum medicé plurimũm distare, quoniam sequuntur varios affectus. *Obiectio.* *Solutio.*

Summa sit. Excretio duobus modis contingit, vel cum facultas expultrix expellit, retentrice languida existente, vel cum expultrix ejicit irritata. Primo modo actio læsa est, altero vero symptoma in excretis. Itidem retentio, vel cum aucta est, expultrice debilitata, vel cum excrementi retenti culpa redditur præter naturam. Primo modo actio læsa est, aliàs symptoma in retentis. *Epilogus.*

En ego tuum dictatum, cum per diexodon, tum per synopsin brevius, & clariùs perstrinxi: vix columnam complevi. Ad trutinam venio.

Tertium genus symptomatum esse excretionem, & retentionem, atque in ea consistere illius symptomatis naturam, sanè resistit, & apertissimè repugnat contra Galenum, qui actionem præter naturam severè distinguit & separat ab immodicè excretis, & retentis. Nam libro de constitutione artis medicæ sic scribit. Τὸ δὲ συμπτωμα ὁ πρῶτος τριῶν γένων διαφορὰς, τῶν βλαβῶν τῶν ἐνεργειῶν τὰ σημεῖα τῆς οὐσίας, τὰς τῶν ἐκκριμένων ἁμαρτίας. *Symptomatum genus in tres secatur differentias, actionis offensam, corporis accidentia, excrementorum immoderationem.* Præterea libro de differẽtia symptomatum. De proprie vero dictis symptomatis hoc opere disputare paramus. Est porro horum triplex differentia. Alia namq. ipsius corporis nostri sunt affectus. Alia functionum offensa. Τὰ δὲ ἀμφοῖν ἐπόμενα κατὰ τὸν ἀμφοῖν τῶν ἐκκρινομένων καὶ ἐπεχομένων. *Alia hæc amba comitantia, tdq. tum in excrementorum excessu eorum, quæ excernuntur, & retinentur.* Porro ubi eodem libro divisionem concludit. Quæ vero à cor- *Refutatur opinio Sãtorelli.* *1. Autor. Gal. 15.* *2. Aut. Gal. cap. 24* *3. Aut. Gal. cap. 6.*

à corpore excernuntur, vel in eo præter naturam detinentur, in tres quidem, & ipsa primas dividuntur differentias, ἢ τῆς ἰδιότητος ἐκπίπτει, ἢ πάθει τινὶ, ἢ τόπῳ τοῦ κατὰ φύσιν· *vel enim tota substantia, vel qualitate, vel quantitate à naturali habitu recedunt.* Secundo medendi methodi symptomata esse dixit malum colorem, & gracilitatẽ, mox addit, ab illis esse diversa, τὰ ἀμφοτέρως ἐκκρινόμενα τοῦ σώματος, ἢ πρὸς ὀλίγον χρόνον, καὶ τὸν ὑπάρχοντα πλοῦτον, *quæ immodicè à corpore excernuntur, aut præt. nat. retinentur, & functionum vitia.* Tandem duodecimo methodi post traditam triplicem divisionem symptomatum, subjungit. *Ex prædictis tribus symptomatis, actionum offensas, si contristant, solicitudinem medici ad se convertere,* ὡσαύτως γὰρ ἄκρῳ ἐκκαθαιρομένῳ ἢ ἐπιχαίνοντι σφυγμῷ: *atque idem facere eorum, quæ retinentur, vel expelluntur excessus.*

4. Autor. Gale. c. 3

5. Autor. Gal. cap. 1

Ecce libro de differentia symptomatum, & præsertim in libris medẽdi methodi, ubi Galenus curationes præscribit, & qua ratione adhibendas esse instituit, diligenter separat tertium symptomatum genus ab actionib. ad quas sine dubio aliquãdo illud reduxisset, curationi oporteret, magnoq. usui esset.

1. Ratio.

Nam excretiones læsę, si rei naturam contemplamur, quam etiam mente circunspiciunt medici, longé disiunctæ sunt ab his, quæ à corporib. immodicé excernuntur, non minus de retentionibus, & retẽtis præter naturam est dicendum. Quoniam actiones transeũtes multum differunt à suis operibus, sed naturales actiones, de quibus nunc agimus, sunt actiones transeuntes, plurimum ergo distant à suis operibus, cuiusmodi excreta, & retenta sunt.

2. Ratio.

Præterea, quæ ambo, affectum scilicet, atque actionem comitantur, plurimum distant ab illis, utpotequæ undique, ac necessario subsequuntur: sed immodicé excreta & retenta, affectus, & actiones præter naturam insequuntur, ab illis ergo universa re, & tota natura dissentiunt.

3. Ratio.

Quoniam, quæ, aut tota substantia, aut qualitate, aut quantitate à naturali statu egrediuntur, multum differũt ab actionibus præter naturam, quæ illorũ sunt origo: sed immodicé excreta, & retenta à naturali habitu recedunt, vel tota substantia, vel qualitate, vel quantitate, igitur immodicé excreta, & retẽta longé plurimum diversa sunt ab actionibus præter naturam, quæ illorum sunt principia. Quamobrem, qui asseveranter affirmaverit sanguinem, quod tota substantia excretum est, excretionem esse, & in excretione illius naturam consistere, tragico illo Oreste, aut Athamante dementior erit.

4. Ratio.

Cum memoraverim sanguinis excreti, audi contra tuam opinionem firmissimũ, & expeditum, quod mihi occurrit, argumentum. Datur excretum præter naturam, quod nullam actionis rationem habet, hoc est, nullam sequitur facultatis alicuius actionem, ergo saltem ex hoc solo excreto, constat tertium genus symptomatum ab alio constitui, quam ab actione, excretione, vel retentione, quoniam ad improbandam propositionem universalem affirmantem sufficit aliqua propositio particularis negans. Valet antecedẽs. Sanguis ex inflicto vulnere fluens immediatè sequitur solutionem continui, atq. citra alicuius actionis interventioũe, ergo datur excretum præter naturam, quod nullam sequitur facultatis alicuius actionem. Probatur antecedens. Nã sanguinis profluvium, docente Galeno lib. de diff. symptomatum, aliquando sequitur morbum, aliquando vero actionem læsam. Morbum sequitur, quando fit ob vasis ruptionem, vulnerationem, erosionem, & apertionem, quæ causæ sunt sanguinis profluvij, eodem afferente, tertio de causis symptomatum, & octavo methodi.

5. Ratio.

Cap. 6.

Cap. 6. Cap. 2.

Sed obijcies præceptorem nostrum non admisisse hanc Galeni auctoritatem ex libro de differentia symptomatum desumptam, ut licet videre in eius commentario ad illum cõtextum. Respondeo, id quidem verum esse: arbitratur enim illud profluvium contingere, non quidem irritata expultrice, quæ illi nullatenus intervenit, neque aucta, vel oppressa retentrice, culpa obiecti excernendi, quibus tantum modis existimas tu excretionem, vel retentionem constituere tertium genus symptomatum, sed accidit ob defectũ solius contentricis, quæ ad primum symptomarum genus pertinet. Ecce habes

Cap. 2. Obiectio.

Solutio.

habes excretum præter naturam, quod est symptoma speciatim dictum, sine excretione, vel retentione potens tertium symptomatum genus cõstituere.

6. Ratio. Iam vero cum arbitreris excretionem medicis, modo actionem præt. na. modo symptoma in excretis esse: philosophis vero unicam semper actionẽ, & unius tantum generis, sane tuum erat munus explicare, quid tunc prescribat, & definiat symptoma in excretis & retentis, quando actio læsa constituit diversum genus symptomatis, ut cum expultrix pellit non irritata, sed ex occasione, retentrice languida existente, vel cum retentrix vehementer retinet, expultrice debilitata: tunc enim, velis nolis, teneris tertium symptomatum genus assignare distinctum ab excretione & retentione.

7. Ratio. Tandem quocunq. modo huiusmodi sumas actiones, semper easdem constituere symptomatum genvs à tertio genere omnino distinctum, sic demonstro. Quemadmodum, cùm facultas expultrix projicit non irritata: sed tantum ex occasione, propter imbecillitatem retentricis, immodicé excreta subsequuntur ambas actiones læsas: sed præsertim retentricem, ut in lyenteria, ita cum expellit irritata ab [illegible] monia, ut in diarrhœa, & principijs febrium putridarum, immodicé excreta sequuntur etiam easdem actiones læsas: præsertim verò expultricem, quæ maximè patet, & multa mala infert: nã retentio minus detrimenti adfert. Similiter de retentrice dicendum: quemadmodum enim, cum detinet excernenda ob debilitatem expultricis, immodicé detenta necessario insequuntur duas læsiones, ut in tumoribus præter naturam, ita cum aucta est culpa objecti excernẽdi, ut in obstructionibus, ab humoribus crassis, & viscidis, retenta etiam sequuntur easdem læsiones, quantumvis læsio retentricis magna, & manifesta sit: læsio verò expultricis parum advertatur. Quamobrem omni & projectioni, & retentioni duo intersunt omnino disjũcta, & distincta symptomata, actiones læsæ, atq. excreta, vel retenta, licet, quæ objectorum culpa contingunt, plus inferant pernitiei.

Hæc causa est, cur vulgares medici *Observat.* ea tantum advertant, quæ sensus vehementius movent: *sed medici philosophi, qui totius naturæ scientiam studeant sibi comparare*, id etiam, quod in conspectum minus cadit, acri animo intuentur, & contemplantur. Ex quibus constat, cum excretionem omnem, ab excretis, tum omnem retentionem, à retẽtis, natura distingui, diversumq. symptomatum genus constituere. *Lib. 17. de usup. c. 2.*

Profugiũ. Præsentio te confidere, nitiq. aliquibus Galeni verbis, unde ocasionem adeptus, perstas in tua pervertsitate. In extremo libro de differentia symptomatum, postquam excreta, & retenta in tres dispartitus est differẽtias, quod statim ponit exemplum, actionem denotat, potius quam substantiam excrementorum, quoniam hæmorragia non est sanguis ipse, qui effunditur, sed sanguinis eruptio facta errore facultatis expultricis, aut retentricis, aut utriusq. Sic etiam dysuria, ischuria, stranguria, & diabete indicant excretiones, aut retentiones præter naturam factas, non ipsum lotium, quod retinetur, aut expellitur. Et apertius multo libro tertio de causis symptomatum hæc pathemata inter actiones (motus inquam depravatos) constituit. Tandem secundo methodi tertij generis symptomata, vel inanitiones, vel retentiones vocat. [illegible] retentiones, & retentiones ipsum tertium symptomatũ genus videtur constituere. *cap. vlt.* *Cap. 3.* *Cap. 3.*

Refutatur. Sed ecce hoc errore, in quem duceris, te in perpetuum liberabo exquisitâ nostri Galeni doctrina. Nam cum tradit exempla tertij symptomatum generis, parvi duxit, an excretionem, & retentionem, vel excreta & retenta dixerit: adeo enim hæc duo symptomata inter se sunt affinia (licet disjuncta & natura diversa) ut ea ferè omnia, quæ posita sunt in ijs, quæ excernuntur, & retinentur, ad actionis noxam pertinere censeantur: necesse est enim in his fere omnibus symptomatibus facultatem retentricem imbecillam esse, aut expultricem irritatã. Quamobrem Gal. tertio de symptomatum causis, postquam egerit de actionibus læsis, quam primam symptomatum differentiam constituit, accedit ad explicandam aliã differentiam, nempe ad immodicé excreta & retenta, atque sic loquitur, *Cap. 2.*

ἃ τι μακρῷ μᾶλλον ἐοικὸς ἐστὶν [illegible]

τῶν σωμάτων κατὰ φύσιν τῆς κατὰ τὰς διαφορὰς ἐνεργείας. *Sed tempus est, ut ad alterum genus symptomatum transeam, quod prope accedit ad id, quod in læsa consistit actione.*

Observatio. Ex quo duo necessario colliguntur. Primum est excretionem & retentionem, atque excreta, & retenta propter vicinitatem, unam differentiam, ab altera non longé abesse, immo perpetuo simul esse. Alterum est duo hæc symptomata genere, ac natura disjuncta esse, quod explicate dixit Galenus. Nam ἕτερον ἑτέρου, *non idem* præsefert. Quare excretiones, & retentiones, si rei naturam contemplamur, longé disjunctę sunt ab ijs, quæ à corporibus immodicé excernuntur, & in ijsdem præter naturam detinentur.

CAP. VI.

QVIBVS sic positis ac definitis, ut suscepta refutatio absolvatur, atque perficiatur, deliberatum mihi est, quod reliquum cogitationes, & propositiones tuas radicitus excutere, in quibus nihil roboris, aut nervorum puto.

PROPOSITIO PRIMA.

Declarandum super est, quid coegit Galenum, ut symptoma in excretis, & retentis, genere ab alijs diversum esse autumaret.

EXTRAORDINARIA, & supervacanea est petitio hæc. Quæris quid coegerit Galenum? Responsio in in promptu est. Compulit veritas, cuius simplex ratio ferebat hoc mirabiliter. Comicum audi.

Teren. *Potin' es mihi verum dicere? D. Nihil facilius.*

Cum morbus sit partium nostri corporis constitutio præter naturam, & symptoma nihil aliud, quam id, quod morbos necessario sequitur, sine dubio actio læsa morbi assecla primum illius symptoma est, idq. proprium & indissolubile. Hanc alia duo symptomata subsequuntur, quorum notione ducimur in cognitionem naturalium actionum præter naturam. Nam alterum insidet in partium substantia, quadam aspersa macula: alterum in corporis excrementis præter naturam. Atq. ut omnia pateant apertius, obstructio sit in bilis folliculo, quo tempore flava bilis à reliquo sanguine expurgari nequit, qua functione læsa, bilis cum sanguine manens in totum corpus refunditur. Hinc cutis fœdo colore deturbatur. Hinc etiam lotium erascescit, flavescitq. & alvi excrementa albicant bilis permistione destituta, nonnunquam ob aliquod impedimentum subsidentia. Ea igitur serie simplices corporis qualitates, atq. excretorum, retentorumq. immoderationes ab actione læsa proficiscuntur. Ecce cur Gal. symptoma in excretis & retentis, tertium & diversum ab actionibus præter naturā symptomatū genus cōstituit maturius.

PROPOSITIO II.

Sciendum itaq. symptoma in excretis excretionem esse, & in hac consistere ipsius naturam.

HÆC propositio falsa est. Nā excretio est actio, symptoma in excretis actio nō est, sed op' excretionis, & illi' effectus: excretio igitur non est, sive in statu naturali, sive in statu præter naturam hæc consideremus: à facultatibus enim conflantur, & efficiuntur opera hæc interventu actionum in utroque statu. Porrò excreta & retenta in tres diducuntur differentias, Galeno libro de differ. sympto. utiq. aut tota substantia, aut qualitate, aut quantitate à naturali statu egressa. Sed impossibile est, quod actio (excretio inquam) secetur, ac diuidatur in substantiam, qualitatem, & quantitatem, ergo fieri non potest, ut symptoma in excretis excretio ipsa sit. Siquidem Galen' ait, ἡ μὲν ῥῆξις τῶν ἀγγείων τῆς κατὰ φλέβα οὐσίας παρὰ φύσιν ἐστίν. *Sanguinis profusio, toto excreta substantiæ genere, præter naturā est.* Vnde si totus sanguis tenuis, serosusq. est redditus, immodiceq. digeratur, ijsdum cutamus, summo studio prospicimus & consulimus, substātiæ, qualitati, & excrerorum quantitati, quibus plané cognitis, excretionis causę medemur.

Ratio.

Alt. rat. Cap. 6.

PROPO-

PROPOSITIO. III.

Seu excernatur humor extra corpus, seu de parte mittatur ad partem.

HÆC propositio similiter est falsa & inanis, quoniam cum de parte in partem intra corpus fluit humor, quantumvis excretus ab aliquibus partibus nobilioribus tamen non est symptoma in excretis, usquedum extra corpus ejiciatur, & excludatur. Fluxionis generationem indicavit Hippocrates *Sent.21.* primo de natura humana, cum scribit fluxionem fieri partibus quibusdã noxios humores transmittentibus alijs *Cap.13.* suscipientibus: Galenus vero tertio de naturalibus facultatibus sexto de sanitate tuenda, libro de causis morborum *Cap.3.* longa, & dilucida oratione, atq. secundo de differ. febrium docet quomodo *Cap.6.* nascantur morbi omnes ab alicuius humoris fluxione, traditq. unicam esse *Cap.11.* illorum omnium causam, expulsionem scilicet partiũ ad partes, semperq. fieri huiusmodi morbos principũ, & valida rũ partiũ pellente natura id, quod redundat, & ab ipsis est alienum, ad ignobiliores, & infirmiores partes, quod quidem excrementum est, vel supra modum naturæ auctum, & quãtitate super vacuum, vel sua qualitate molestum, vel utroq. modo. Qui solus repulsus causa est, non solum humorum præter naturam, sed etiam eorum morborum, qui oriuntur ex humorum affluxu. Quibus in locis Hippoc. & præcipuè Gal. qui acerrimo circunspectu solet omnes latebras dicendo peragrare, nullam de symptomate in excretis mentionem fecerunt. Quare præter naturam excreta semper extra corpus projiciuntur, multũq. possunt, & valent ad exquisitã tẽporum morborum cognitionẽ, ut patet in ijs, quæ perspicuum ex cavitate thoracis excernuntur in morbis, ut constat ex Galeno lib. primo de crisibus cap. 5. & 18.

PROPOSITIO IIII.

Nam catarrhum definiunt medicorum multi esse symptoma in excretis, cum tamen raró humor extra corpus fluat.

DEFINIVNT quidem, & probè, cum tertij generis symptoma sit. Galenus autẽ sic explanatius. *Est* *Lib. 3. de caus. symp. cap. 4.* *descensus humoris è capite in os*, atq. addit: *sic enim propriè nominatur, cum quod supervacaneum est, in os diffluit, quemadmodum cum in nares coryza: cum in fauces Branchos: cum in gargulionem, Staphilen, id est, acinum vocant.* Hinc autor definitionum medicarum. *Catarrhus*, ait, *hoc est, defluxus, est multorum delatio humorum per palati foramina, & nares, qui descendentes subiecta loca malè habent, ac in exitu, una cum flatu egredientes, strepitum quendam faciunt. Sive namque ex naribus*, Galenus dixerat, *sive auribus, sive palato, sive oculis, sive faucibus, sive utero, sive ex reliquorum quovis excernatur quid: tum quantitas eius attendenda est, tum qualitas, itemq. excernendi eius modus: atq. id ad iam dictas causas reducendum.* Quod si hæc attendenda sunt, nihil habet dubitationis, quod præter naturam excreta foras ex clusa sint. *Nã qualis in ventre diarrhœa passio ex mala concoctione fit, tale est in cerebro præditorum utrumque*, scilicet catarrhus & coryza, ut voluit Gal. Sed diarrhœa est symptoma in excretis extra corpus, ergo catarrhus & coryza similiter sunt expulsa foras, & extra corpus. Quod autem ita fiat proiectio, magis confirmat his verbis. *De ijs verò, quæ ex pulmone & pectore reiiciuntur, in libris de crisibus iam egimus.* Quamobrem propositio non rectè addit: in catarrho *humorem raro extra corpus fluere.* Nam Gal. & practici omnes in hac affectione minus soliciti de excretis, toto animo cogitarunt de intẽperie cerebri, partiũq. subiectarum, ut possent illarum causas investigare diligentius.

Ibidem. *Ratio.* *Alt. Ratio* *Ibidem.*

PROPOSITIO. V.

In excretione, inquam, consistit, non in excretis, aut excernẽdis: illud enim præteriit, futurũ non dum emersit in lucẽ, neutrum itaq. symptoma esse potest.

FALLACIA alia aliam trudit. Si ter- *Terentius.* tium genus symptomatũ, neq. excretio, neq. retentio est, ut demonstravi, & demonstrabo protinus, in excrementis consistere debet, non in iam excretis,

licet hæc quæuis præterierint ad morborum cognitionem magno usui sint. Verũ in excernẽdis, & his quæ retenta sunt, tertium symptomatum genus nõ consistere, quis audebit asserere? Lumbricus è ventriculo excernendus est, lapis è vesica, humor in partem aliquam defluxus, & tumorem attollens, quonia hæc alia atq; alia ratione, & ad morborum causas, & ad symptomata tertij generis reducuntur. Præterea excrementis illis, quæ nunc, & in præsentia excernuntur, naturam huius symptomatis cur denegabis? Nam Gal. libro secũdo methodi medendi, ut prædixi, quæ præter naturã sunt, partitus est in duas classes. Alia essentiam habent positã in fieri, cuiusmodi sunt motus omnes, actiones, & passiones: alia vero habent essentiam existentem & permanentẽ, ut habitus, affectus, & termini motu iã acquisiti: hoc autem genus symptomatum, de quo litigamus, scilicet, quæ præter naturam excernuntur, & retinentur, in morib. numeravit. Idem docuit undecimo libro eiusdem operis, ubi eorum quæ p.n. sunt, duas primas constituit differentias, unam per se subsistentium, cuiusmodi sunt affectus: alterum in generatione suam essentiam habentium, ac umbræ ritu affectum concomitantium, eiusmodi sunt primi & huius tertij generis. Quamobrem, quæ excreta iam sunt, non iudicantur symptomata: ea vero, quæ nunc excernũtur, vel retinentur, vere symptomata sunt, quemadmodum elegantèr Galenus, ait inquit: *quod excernitur, aut retinetur, fruitur quidem, sed affectus non est. Quia quod excernitur, aut retinetur, in puro motu est. Sequitur*, dixit, & non est affectus, symptoma igitur est.

Cap. 3.

Cap. 12.

Lib. meth. 2. cap. 3.

PROPOSITIO. VI.

Vbi aliquid expellitur, quia retentrix, non retinendo, in causa est, ut ubi ultra sit oneri, tũ illa expulsio, & excretio, læsa actio fuerit, cõtentricis primùm facultatis, mox expulsricis.

IN hac propositione in proprio, & suo genere collocasti actionem læsam, cum retentricem, tum expultricẽ, affirmasque, neq; retentionẽ esse symptoma in retentis, neq; excretionem esse symptoma in excretis. Verum, cum hæc contingũt, dũm ha duæ actiones se malè habent, ibidem etiam adest symptoma in excretis & retentis: at cur illius non meministi? Respondebis, culpam in actionibus residere, præsertim in retentrice: immodicè vero retenta, & excreta omnino sublevabis. Quæ quidẽ ego non admitto. Nam illa immodicè retenta, & excreta, quæ ad morbi cognitionem longè plurimum valent, negligenda non sunt.

Obiectio.

Solutio.

Refutatur.

Lege Galenum methodi medendi libro decimo tertio narrantem curationem, quam adhibuit Attalus methodicus Theageni Philosopho Cynico inflammatione jecoris laboranti, cui quotidie imponebat cataplasmata relaxantia, tametsi à Galeno tantam perfidiam increpante admonitus, ut adstringens aliquod admisceret. Vnde prædixit Galenus Theagenem subito morituru, & ita contigit, eodem repente paucis, & bis lentis sudorib. manante. In quo misero & infelici successu, ego duo symptomatum genera conspicio, cum duas actiones læsas, præsertim retentricem, tum sudorem præternaturam excretum: cuius quantitatem & qualitatem, etiam atq; etiam considero. Dices retẽtricem actionem diminutam fuisse, & expultricem aliquantulum depravatam, quod expulerit, tametsi ex occasione, quod non debebat expellere, verum de retẽtione, & expultione læsa, sudor excretus nulla in culpa fuit, tota consistit in retentrice, ac postea in expultrice, in quibus omnis læsio sita fuit. Quamobrem ibi sola actionum læsio erat observanda, nequaquam symptoma in excretis. Verũtamen hac opinione longè fallêris, quoniam si res ita se haberet, tu enim cura esset excretorũ cognitio, illorumq; observatio usum non haberet, cum tamen summè necessaria. Animum adverte diligentius Galeni verba hæc Attalo fact, qui intra tres dies ægrum curaturum pro certo pollicebatur. *Sed quia tanquam si, cum sudoribus pauci & bi lenti apparuerint sudores, moriatur, recordaberis ne, quæ provideris, ac de eadem sententiam ferabis?* Nam Attalus ex illo sudore duo expendere potuit, primum suam negligentiam, deinceps quanta fuerit facultatis retentricis imbecillitas, cuius manus

Obiectio. Prosequitur.

Solutio. Refutatur.

Ibidem.

pensumq;

pensumq. est, illius visceris robur conservare, *propterea quod animalib. altricis facultatis principium sit, & venosam ab hoc oriatur genus.*

Ibidem.

PROPOSITIO VII.

Sed ubi sit idem culpa obiecti, aut copia lædentis, aut prava qualitate irritantis, tunc læsa actio non est, sed symptoma in excretis dici debet.

QVemadmodum præterita propositione, non in excreta: sed in retentricem culpam transtulisti, unde solam actionem læsam colligeres, ita in hac, tantum excreta criminaris, & vim expultricem à culpa eximere vis, eandemq. symptoma in excretis constituere. Sed excutiamus, et examinem' tria. Verum actio facultatis expultricis irritatæ sit actio læsa, an secundum naturam, & omnino inculpata. Verum actio facultatis expultricis, quæ, ut tu dicis, culpa caret, cum noxia foras proijcit, possit dici symptoma in excretis. Vtrũ symptoma in excretis exoriri possit ab expultrice secundum naturam.

Tria problemata.

Ad primum problema facilis est responsio. Nam facultas expultrix (ut observat Galenus) duob. modis irritatur. Primo, cum naturæ legibus gubernat, proceditq. citra affectum aliquem p. n. Præterea cum cogitur violenter moveri à morbosa quapiam causa. Primo modo, si gravatur copia, vel infestatur qualitate alicuius humoris victi, & superati, omnino inculpata est, atq. naturaliter se habet, quoniam tempestivé & opportunè expellit qualia & quanta expelliere oportet ad animalis commodum. Altero vero, cũ irritatur a causa morbosa, quo tempore actio p. n. & læsa est. Siquidem non quæcunq. sternutatio est symptoma, sed ea quæ fit irritata natura à causa quapiam morbosa magnã molestiã exhibente. Hoc Gal. docuit de tussi, oscitatione, pandiculatione & singultu, quorum motus fit à facultate secundum naturam irritata, ꝙ plane nõ intellexit tuus Argenterius.

Primum 2. de caus. symp cap. 1.

Alterum problema nullam dubitationẽ habet. Monstravi excretionẽ nõ esse, nec posse dici symptoma in excretis, ergo multo min' erit symptoma in excretis actio illa, quæ culpa caret, & secundũ naturam noxia funditus ejicit;

Ibidem. alt. prob.

In ultimo vero minus dubito: est enim certum & exploratum non esse symptoma, sed naturæ opus quidquid originem traxerit ab expultrice actione secundum naturam. Quamobrem propositio hæc commentitia & inanis est, quoniam si facultas expultrix naturæ legibus expellit, licet multum, vel aliquo vitio præditum: sit tamen profectum citra affectum p. n. profecto ex illius actione opus naturæ nascitur, neutiquã symptoma. Si tñ violenter irritatur à morbosa quapiã causa, illius actio nõ dicitur symptoma in excretis: sed actio læsa erit, nullũ hac de re dubium.

Vlt. prob.

Consulamus Galenum, qui libello de præcognitione ad Posthumum, iuvenem commemorat, quintum morbi diem agentem, cuius venam incidere medicis in animo erat: Galenus vero diligenter omnia contemplatus quæcunq. ab Hippocrate signa tradita fũt illorũ, quibus sanguis est fluxurus, dixit bene quidem eos venisse in opinionem mittendi sanguinis: veruntamen etiam si nihil ipsi egerint, naturã gravatam, & expellere festinantẽ, breui admodum idem ultro facturã: dumq. medicis hæc admiranda viderentur, digitum é naso sanguinolentum iuvenis extraxit. Suppositoq. vase sanguini excipiendo apto, celeriter multum sanguinis fuit collectum, qui librarum quatuor & dimidiæ põd' æquavit. Ecce facultas expultrix obiecti culpa lasciuita & irritata, eiusq. actio depravata, morbo existente adhuc crudo: ideo enim vehementem sanguinis fluxũ spectandum esse prædixerat Gal. eoquod & naturæ impetus vehemens erat: solent enim hisce de causis immoderatæ ex inanitiones fieri.

Cap. 13.

PROPOSITIO VIII.

Eodem modo, ubi excernenda cohibẽtur, quia expultrix lãguet, aut omnino est extincta, vel contentrix est aucta, symptoma est in læsa expultrice imminuta, vel abolita, atq. in læsa actione aucta, vel depravata retentricis.

HIC etiam actiones condẽnas: excreta vero & retenta ponis extra

culpam, quod equidem ægré admodū fero. Nam tunc retenta p. n. sunt, erūt ergo symptomata, si cōmuniter loquamur, tuncq. vel morbi, vel causæ morbi, vel symptomata proprié dicta, quæ sūt actiones, vel qualitates mutatæ, vel tertij generis. Tu excernenda retēta esse decernis, quæ quidem, cum secundū naturam non retineantur, p. n. detineri, & symptoma tertij generis constituere sit manifestum. Profecto in audi tum hoc, & novum dicendi genus à medicorum cœcu funditus ejiciēdum est.

PROPOSITIO IX.

At vbi hæc retentio præter naturā inducitur culpa obiecti excernēdi, tūc debet vocari symptoma in genere retentorum.

IAmpridem expendi hoc tuum paradoxon. Et sane miror, quod hæc retentio p. n. inducatur, & à te non constituatur in primo symptomatum genere: sed devoremus hæc ulterius recoquenda. Nam quemadmodum retentrice debilitata, expultrix tantum ex occasione depellit, tuncq. symptoma in actione læsa constituis, primum retentricis, deinceps expultricis: ubi vero irritata expultrix ab obiecto vehementi, dicitur symptoma in excretis: ita expultrice debilitata, retētrix aucta vocatur symptoma in actione læsa: si vero retētrix augeatur culpa obiecti excernendi, symptoma est in retentris, ut narrat hæc tua propositio. Quare quādoq. culpas actiones, quādoq. excrementa: cū actiones accusas, easdem læsas esse cōcedis, & symptoma in actione læsa cōstituis: cū vero excremēta ponis in culpa, tūc actiones symptoma tertij generis vocas, nūc in excretis, nūc in retētis.

Veruntamen hæc dubia mihi sunt. *Obiectio contra Sātorellum.* Cum expultrix ex occasione pellit, retentrice debilitata, quo tempore tantū actionē læsam constituis, ea quæ pellit expultrix nōne excreta sūt p. naturā? *Obiectio alt.* Porrò quando retentrix augetur, expultrice debili existente, quam actionē depravatam retentricis appellas, quid tunc dicendum de immodicé retentis? Hæc fortasis ex memoria sunt deponēda. *3. Obiectio.* Tādem aucta retentrix obiecti culpa, quam tu propterea defendis, profecto apud medicos etiā criminatur. Quamobrē (hoc graviter urget) teneris, ut initio hui⁹ disputationis significavi, cum actiones, tum excreta, & retenta, quæ ponis extra culpam, vel ad habitū secundū naturam, vel ad aliquod symptomatum genus aperté reducere. Quā vero excusationem dederis actutum ponderabo. *4. Obiectio.*

PROPOSITIO X.

Ex his patet, cur Galen. & medici quiq. huiusmodi symptoma, nunc ad læsam expultricē reducant, nunc distinguant, & symptoma in excretis & retentis præter naturam appellēt.

PAtet quidem te ita reduxisse, & distinxisse, atq. excretionem ipsam & retētionem, modo primum symptomatum genus, modo tertium constituisse: de Gal. vero, aliisq. doctorib. non credo, nisi iam ostēderis aliquē locum, in quo ipse singulatim explicuerit, quando excretio & retentio ad actionem læsam, & quando ad tertium genus redigatur, quod adynatō est. Si dixeris Galenum hæc magnopere variasse ac mutasse, prout causæ illorum variæ sunt, protinus insurgā tibi, quoniā ego huic profugio retro præveni, cum ex ipso Gal. docui symptomatum hoc tertiū, tametsi longé aliud genus, non multū ab esse à genere actionum læsarum, cū demq. promiscué his vocib. usum fuisse, atq. parvi pendisse, hoc ita fieri.

PROPOSITIO XI.

At dices, quacunq. ex causa id accidat, non habet propterea diversam naturam, cur ergo diversa symptomata dicemus?

OBiectio hæc sententiam tuam cōmentitiam, & futilem profert in lucem veritatis. Si tu asseruisses tunc excretionem symptoma dici in excretis, quando facultas irritata multa expellit excrementa, verisimilis esset tua secunda propositio: at vero nunc dura, & horrida est. Nam quod excretio sit actio læsa, cū expultrix pellit copia onerata: cū vero lacessita, & irritata revera sit alterius generis, nēpe symptoma in excretis tollerābile non est. Exempli causa dicamus in lienteria debilita ta reten- *Vehemēs obiectio.*

tã retentrice, expultricẽ onere oppressam fortiter abjicere: sed in cholera morbo humoris acrimonia, & mordacitate irritatã vehementiùs pellere. Quæro cur excretio propter onus sit actio læsa: irritata vero non sit actio læsa: sed symptoma in excretis? Præterea in tumorib. p.n. quo tempore omnino languida est expultrix, retentrix depravaté retinet: sed in obstructionibus ortis ab humorib. crassis ac viscidis illorum culpa est obruta, quid est, quamobrem retentrix, extincta expultrice, actio læsa sit: aucta vero culpa humorũ obstruẽtiũ, scilicet obiecti excernẽdi, nõ dicitur actio lesa: sed symptoma in retẽtis?

PROPOSITIO XII.

Respondeo excretiones illas diversa á causa factas, si physicè loquamur non esse diversas: differre tamen medicè loquendo: eos enim affectus distingunt medici, qui diversam curationem exposcunt.

Aristo. polit. & 4. p. ani. *Mar. Varro.* *Suidas.* *Apulcius.* *Athenens lib. 5.* *Duplex dubitatio.* *Prima.*

EN *delphicus gladius* ad diversos usus accommodabilis, nam ad eum modum erat fabrefactus, ut eodem simul, & sacras mactarẽt victimas, & nocentes afficerent suplicio. Tu igitur iã *anchoras tollis*, & discessũ moliris, forsan, quia *Vulcanus tibi vaticinatus est*, teq. rem habere certam credis, velut ex oraculo auditam: tamen *non è quovis ligno Mercurius fingi potest*. Induplex dubium venio in hac tua propositione & responsione. Primum est, an contentrice debilitata, excretio ex onere genere distinguatur ab excretione, quæ fit à facultate irritata. De retentione similiter dicendum, an quæ aucta est, defectu expultricis, diversa sit ab ea, quæ sit culpa objecti retenti, & excernendi. Alterum dubium est, unde sumatur varietas curationum.

Vt ad primum accedam, est observandum, plura dari pathemata, quæ ratione magis percipiuntur, quam sensu, ideoq. negligi à medicis. Nam, si fingamus calorem excedere limites sanitatis, sed adeo occulté, ut nec à medico, nec ab ægrotãte judicetur, certum est hanc intemperiem ab intẽperie calida, quæ manifesté lædit, non specie: sed sola magnitudine differre. Philosophus intemperiẽ hanc morbum appellabit: medicus vero nunquam nisi sumat incrementum, & usque dum actiones lædat ἐμφῶς, id est, *manifeste*, ut ait Gal. Qui tertio de temperamentis illorum dogma qui nunquam deficientem affectionem solum ratione ipsa æstimant, valẽte demonstratione non carere scribit: primo autem de diebus decretorijs, *Asclepiadas medicos febres ratione contẽplatorias, neq. dignoscere, neq. curare dignatos esse: sed sẽsibiles, & claras, quæ neq. idiotam quemlibet, neq. medicum latere possunt*. Sed procedamus longius, & hãc intemperiem calidam ulterius progredientem observemus: primo enim patientis corporis partes inæqualiter affi cit, doloremq. commovet, quæ actio est manifesto læsa. Tandem ubi partes omnes æqualiter apprehenderit, cõmissa pugna cedatur, quo tempore indolentia præsto est. An evanuit febris? Nihil dum, immo humorem nativũ à primo in corpore infusum depascitur, nec remittit aliquid, sed in dies vehementius in gravescit. Hoc ratione tantum percipit philosophus, cum remiserit dolor, sed minus medicus, qui sensui addictus est.

1. de nat. huma. cõ. 19. *3. de tẽp. c. 4.* *In arte medica c. 8. Cap. 4. ca. 65*

Responsio Sãtorelli.

Quo nitens discrimine respondes duas illas excretiones, quemadmodum & retentiones, à diuersa causa factas, philosopho specie unã excretionem, atq. unicam retentionem esse: medico tamẽ differre, quia diversas postulant curationes. Nam excretio ab obiecto gravante, quando contẽtrix nequit retinere, postulat adstringentia, & contentricem roborantia: excretio vero facultatis irritatæ vacuantia, & alterãtia.

Cõfutatur.

Veruntamen hæc vulgata distinctio ad ea, quæ supposuimus apté cadit: attamen ad symptomata, de quibus sermo est, quadrare non potest. Nam quando in lienteria, retentrice debilitata, irritatur & pellit expultrix, medicus utramq. læsionem plané, & facile cognoscit, ut constat ex Gal. 3. de caus. symp. & 6. de lo. par. cap. utrobiq. secundo. Quoniam in illa affectione alimenta omnino crudà dejiciuntur ob alteratricem imbecillam, & retentricem etiam debilem, seu potius abolitam: quam primum enim facultas retentrix à propria actione cessaverit,

continuo

cõtinuo facultas expultrix offenditur, & commovetur vehementius. Quamobrem ex recrementis explorare inter noscunt medici liẽteriam referri posse ad tres facultates naturales, concoctricem, retentricem, & expultricem, licet potissimum pertineat ad retentricem, ut 6. de lo. pat. docuit Gal. Vnde quod in liẽteria depellat expultrix gravata, quia retentrix continere nequit, sintq. ambæ actiones læsæ, primum retentrix, deinde expultrix: hæc tñ genere distinguatur à seipsa, cum in tenesmo irritata pellit, constituatque aliud symptomatum genus, nempe in excretis, persuadere mihi non possũ, ita esse. Præterea, quod expultrice languida existente, contentrix retineat, quę non debebat retinere, ut in tumoribus p. n. sintq. ambę actiones læsæ: ipsa tamen retentrix genere distinguatur à seipsa coacta culpa solius obiecti excernẽdi, constituatq. aliud symptomatum genus, scilicet in retentis, ut in suppressa purgatione mensurna, profecto nunquam adducar, ut credam. Instabis cupidius dicẽdo: docet hoc sanatio, nam adstrictio & evacuatio actiones cõtrarię sũt.

Ibidem.

Effugium.

Altera dubitatio.

Ecce ad alteram dubitationem labimur, quæ de causa diversarum curationum est. Scribis *excretionem factam ab obiecto copia, aut prava qualitate molesto, longe diversam exigere curationem ab eo, quod fit obiecto gravãte, quia contentrix cõtinere nõ põt.* Quæ sané verba fastidio, nõ propter solœcismum, quia nõ sum ita minutus, ut tu, & angustus, sed quoniam videris à vera curãdi methodo recedere, quæ nullum symptoma, quà symptoma est, curationis rationem indicare statuit, cum à solis morbis curatrix petatur indicatio.

Carpitur Santorellus.

Si hoc condonaveris, quod necessario concedendũ est, varietas curationum, non ab excretionib. & retentionib. sed à solo morbo desumetur, qui causa est excretionum, & retentionũ, quarum ptius observata substantia, quantitate, & qualitate, id est, rei excretæ forma, & specie, atq. tandem excretionis modo, sub quo comprehendere debemus partẽ, per quam fit excretio & tempus excretionis, deinceps unde originem trahant est iniquirendum, cumq. aliquando actio læsa sequatur aliam actionem, & hæc interdum aliã, tandem ad omnium causam, morbum scilicet, à quo petitur sanatio, deveniẽdum, quemadmodum se res habet in lienteria, ut dictum est. Quare excretio & retentio, sive, ut Philosophus, sive, ut medicus, easdem circunspicias, actiones sunt p. n. & unicam speciem constituunt, licet per accidens, ex diversa causa, aliquam differentiam proferãt.

CAPVT VII.

Sed ad nostri Doctoris opinionẽ venio, cuius tu partem ausus es reprehẽdere, quasi alteram amplexatus. Primũ ferè totam quæstionem transcripsisti alio literarum caractére, tametsi ad rẽ nihil pertineret: poterat enim quisq. eandem legere in præceptoris nostri ad libros Galeni commentarijs: verum id præstitisti fortasse, immo sine dubio, ut duas paginas augeres. Observas eandem transcribere voluisse, nequis aliquid te addidisse, criminis loco poneret, cum tamẽ antea pagina decima septimà in calce, postquã dixeris, quod hoc multo antea verterat in dubium Ioubertus, quæ subsequuntur scripta, solito litterarum genere, audacter imposuisti, ut Doctorem nostrum ignominia afficeres, atq. ad tua paradoxa, seu potius pravadoxa propensũ, & inclinatũ esse lectori persuaderes. Adverte.

Cur (ais) symptoma in excretis, & retentis non reposuit Galenus sub læsa actione expultrice, aut contentrice quando retenta præter naturã, aut expultrice fiunt debilitata & abolita, aut contentrice adaucta; excreta præter naturam auctæ expultricis vitio & errore; & id factum à Galeno censet, quia aliud est excrementa intus de parte ad partem mitti, aliud foras projici; ille enim motus ad læsas actiones pertinet, forat reiectari ad symptoma in excretis quamobrem, cum illud excerni sit symptoma in excretis, moveri de parte ad partẽ, actio facultatis, & hęc sint distincta: iure hoc symptema ab eo, q. in læsa est actione separavit Gal.

Quæ quidem, ita ut iacent, nullibi scripsit noster Doctor, nec tantam confusionem excogitavit, nec talem unquam hortographiam usurpavit. Quoniam non erat ei propositum adducere divisionem, quam tu deinceps improbasti, cum non modo occasio, sed etiã causa illius tradendę fuerit obiectio de

facultate

facultate expultrice, cuius opus est excerni & exire sanguinem: actio vero ipsa excretio, unde colligebatur tertium symptomatum genus ab actione distinctum necessum non esse. Respondit vero facultatem de parte in partem excrementa dispergere, & tandem foras expellere: atq. ibi tantum sermonem habuisse, non de facultatis actione, sed de illo motu, & impulsu, qui suscipitur in substantiam excrementorũ, cum foras projiciuntur & excludũtur. Quare non adduxit distinctionem illã consultò, & tanquam disputationi necessariam, quia illi tũc de interno motu nulla erat cura.

Sed utcũq. fit mox tu de motus discrimine, & distinctione queris, omnesq. unde motus sit distinguẽdus, causas commemoras, & contra nostrum decretum argumentaris, probaturus motum, qui intra corpus à facultate expultrice, ut ab agente profluit, atq. tandẽ extra corpus terminatur, omnino esse unum, nulla ratione distinguj. Tua ratio hæc est. Ille motus est omnino unus, qui ab uno, & eodem agente procedit, in idem subjectum recipitur, unumq. terminum habet, à quo, & unũ eundemq. terminum ad quem, & quo impulsu intus ex una parte [illegible] corpore agitatur, eodem eminet, & foras projicitur, ac tandem, ut ab agente dicitur actio, ita ut in passum recipiens vocatur passio: sed excrementorũ excretio semper ab una facultate oritur, & ab uno termino, à quo, in ilem excretum recipitur, ut in eundem terminum, ad quem, eodem utrobiq. impulsu, atque ut à facultate actio, ut in excrementa passio, non in corpore actio, & extra corpus passio, quia dum impulsus durat, flagrat etiam excretricis actio. Quo proposito argumento sic nobis objicis. Si motus ille intra corpus agitatus est actio expultricis læsæ, cur extra corpus, cũ etiam vigeat eadem actio, erit diversum, & tertium symptomatum genus? Quam objectionem sordidè fin[illegible]isti, quo posses expurcissimè respondere. Respondes ergo. Quemadmodum qui domi deambulat domi esse videtur, at ubi foras prodit, eundem exire, & pedem domo efferre affirmamus, eodem modo, ubi excreta in corpore moventur, moveri dicemus, & ad laesam expultricẽ vitia illa expectare: ubi eadem foras excernuntur, ad symptoma in excretis pertinere.

Ratio Santorelli.

Santorelli. Objectio sua.

Santorelli. Solutio ridicula.

O pinguis, & crassa Minerva. Hæc solutio tua est, non Rosselli, quem quidem non intellexisti: *nihil graculo cum fidibus.* Ego tuæ argumentationi respondebo, si primum de illo exemplo, quod te præterijt, aliqua dixero. In illo exemplo vir acutissimus non curat motum, vel de ambulationem, quam quis domi facit, nec de domo egressionem, veluti etiam in excrementis, non commentatur agitationem intra corpus factam, nec solum motum præcisum excrementorum, cum foras excernũtur, sed (attende) præter illum motum animo considerat notionem, quam præsefert illud *exire* extraordinariũ, atq. significationem quandam morbi præteriti, vel præsentis, & quasi prænunciam denunciationem morbi futuri. Cum agitantur intus excrementa per se sola, parvam rerum notitiam nobis aperiunt, quamprimum vero illorum aliqua portio foras eminet, ac profertur, ut dicta sunt nobis de omnib. excrementis mandata multa, ita illis affatim satisfacimus, assidué observando, quæ præcipiunt Hipp. & Gal. nempe illorum substantiam qualitatẽ, quãtitatem, & alia, de quibus in fine præteriti capitis [illegible] est. Quamobrem *excerni*, atq. *exire* illud, quà tale sui specimen defert non est dubiũ, quod distinguatur specie à motu, quo excrementa versantur intra corpus.

Refutatur.

Explicatur exemplum Rosselli.

Sed, ut hæc melius intelligas, offero tibi Neapolis turrim, ex qua speculator, vel custos, cum piratæ maria pervagantur, ex ramalib. siccis tot faces, & flãmas injicit, quot triremes previdit. Dicas, quæso, nota, & signum illud, nõne differt plurimum ab ijsdem facib. si forte alia occasione, ut ad ludũ, vel jocum injicerẽtur? Ne dubites. Præterea signũ dicitur id, quod pro tabernis suspendi solet. *Tabernæ autem erant circa forum.* (Quintillianus inquit) *ac scutum signi gratia positum.* Si scutum alia occasione positum foret, proculdubio alterius generis fuisset illa significatio. Quis negabit? Hoc illud est, quod Doctor noster eventum inopinatum, atq. mirabile reputavit. Hac de causa infert tertium symptomatum genus esse alterius naturæ, quam sit actio expultricis facultatis.

Exemplũ.

Alt. exemplum libr. 6. cap. 4.

Quod

Santoreli vatio. negatur assũ ptio.

Quod si hoc ipsum μετάβασιν consi derare voluerimus, tui argumenti ne gabo assumptionem, qua te numerasse arbitratus es, omnes causas, quæ aliquã divisionem in ipsos motus cõferre pos sunt, quia in hoc nostro eventu, licet idem sit agens & patiens, in quod reci pitur motus, & impulsus: tamen omnes termini, à quo & ad quẽ diversi sunt: item spatium, quod patiens facit, ac tẽ pus, nec par, nec simile: modus etiã va rius. Nam illi termini sunt diversi, & specie varij, quib. unum & idem subie ctum simul, & eodem tempore nequit definiri, & terminari (terminos incõ possibiles vocant) sic se habent termi ni motuum excrementorum, quæ à par tib. præcipuis, earunq. facultate expul trice abjiciũtur ad partes ignobiles, & cutem usq. vel locos, per quos fieri so let evacuatio, ubi terminantur illorum motus. atq indidem, eiusdem facultatis impulsu perseverante, mutatis tamen utroq. termino, spacio, tempore, & mo do, foras projiciuntur, & excluduntur, donec pervenerint ad ultimum termi num extra corpus: *excerni* vero illud & *expelli*, quod illum terminum antece dit, tertium constituit symptomatum genus. Dices, ergo motus ille cõtinuus non est. Respondeo id quidem verum esse, quia omnes termini, qui simul re periri nequeunt in eodem subiecto, va riãt motum specificé, ut ita dicam, atq. propterea motus, non continuari, sed cõtiguari dicitur. Vnde nõ erit extrinse ca denominatio, ut tu cõqueri desinas: est enim hæc vera, & elegans Philoso phiã, quia illud excrementorum *excer ni* & *projci* pathos intrinsecum est, & intrinseca passio, ut consideratur, qua tenus recipitur in substantiã prodeun tem, à qua ipsa passio incerta specie constituitur, cum habitudine à princi pio, & à proximo termino, à quo, unde procedit, ut é naribus.

Obiectio. Solutio.

Ecce in hoc Invectu Apologetico, neq. te iniuriosé tractavi, neq. insulta vi vehementiùs, cum ad id, quod pro positum fuit, coactus deduxerim tantũ necessaria, siquidem reliqua iocosé dicta sunt. Nec me graviter movet, quod Doctorem nostrum acerrimé miniteris, si forté de tua insolẽtia, verborũq. turba conqueratur, nam etiam si resp õ sa reddideris, sursum saxum, ac deor sum volvens, deliberatum est, sapiẽter tacere, quãdoquidem opinione doctis simorum virorum tu impositis iniurijs, & contumelijs duntaxat vicisti.

Quamobrem, bone Santorelle, in his quæstionib. cede Doctori nostro His pano, Catalano, Barcinonensi, qui, ut spero in altero volumine, atq. alijs ope rib. quæ propediem expectamus, tua commẽdabit, multisq. collaudationib. decorabit, ac tandem amicitia firmissi ma invicẽ constituta, alterius ab altero æternum laborum præconium comme moratum, forsan extitisse iuvabit.

Nam Catalani sunt firmi, & fideles amici, atque ubi opus est, audaces, for tes, animosi, qui verba cõferunt in pau ca, teq. ipsa exequuntur, atq ampissi mis gestis largé compẽsant. Summum imperium quondam tenuerunt in Ita lia, ubi plures urbes debellarunt, in suamq. jurisdictionem vestram Neapo lin subjugarunt, unde ad extera usque regna illorum virtutis fama pervasit. Litteris & ingenio sunt felices. Religione catholica admirabiles. Nobiles ex antiquioribus Hispaniæ. Caput prin cipatus Cataloniæ nostra Barcino est, magna civitas consilio, & armis floren tissima, quæ Romanis consules dedit, qui Romam gubernassent, atque Sena tores, qui consilium præberent in Se natu, quorum aliquibus Civitas illa no bilissima statuas in foro statuit, & or namentis, pro tantis in rem publicam meritis, decoravit.

Hæc scribit Magister Gil Gõ çales Historicus Philippi quarti Hispaniarum Regis, quem Deus ser vet, in Theatro magnitudinum Matriti. Vale.

Fundación Uriach

EUR 7250

Francisci
Roffelli
Medici

Tom. I.

Fundación
Uriach